



UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 01479766 6







CÆSARIS BARONII
ANNALES ECCLESIASTICI

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété des Éditeurs, qui se réservent tous leurs droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correctata aut addita. ut id suum Editores reddiderint et, quidquid suorum jurium sit, sibi vindicent. Itaque, si quis idem aut furto ediderit aut quoquo modo erit imitatus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

*Heest
B.*

CÆSARIS S. R. E. CARD. BARONII

OD. RAYNALDI ET JAC. LADERCHII

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERORUM

ANNALES

ECCLESIASTICI

DENUO ET ACCURATE EXCUSI

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS

1542-1557



*99217
22*

BARRI-DUCIS

EX TYPIS CELESTINORUM — BERTRAND

36, VIA DICTA BANQUE, 36

PARISIIS

APUD BLOUD ET BARRAL, BIBLIOPOLAS

18, VIA DICTA CASSETTE, 18

M DCCC LXXVIII

SUMMARIUM

TOMI XXXIII

- MDXLII.** 1-8. Instructio data Morono internuntio ad conventum Spirensem destinato. 9, 10. Rex Gallie per epistolam et oratorem aperit in hoc conventu suam sententiam de presenti statu rerum. 11, 12. Moronus ad dietam accedit, in qua Concilium Tridenti celebrandum proponitur. 13. Bulla indictionis Concilii. 14-16. Quid de hac indictione senserint principes. 17-20. Maranum occupant Galli, unde exardescit ira inter imperatorum et Gallum regem. 21, 22. Mittit Paulus Montepolitanum ad Carolum pro pace. 23-26. Mors cardinalis Contarini, cujus fama injuste laesa defenditur. 27, 28. Pontifex regem Gallie hortatur ad pacem. 29. Quintuplici exercitu Franciscus aggreditur Carolum. 30-35. Per litteras amantissimas Pontifex utriusque principis animum flectere nititur. 36. Expeditionis Hungariae contra Turcas infaustus exitus. 37-40. Lutherani contra Catholicos bellum movent et ditones Ecclesiasticas invadunt. 41. Livonia peste Lutherana infecta. 42. Eckius contra mendaces Lutheranos scribit. 43. Legati a latere Tridentum deputati. 44. Helvetios, etiam haereticos, ad Concilium invitat Paulus. 45, 46. Germania praesules ignavia insignes. 47. Cardinalium Gallorum et Hispanorum segnitiam litteris Paulus perstringit. 48-50. Poloniae episcopos monet Paulus ut haeresim in fomite praefocare studeant. 51. In Scotia res penitus labefactata morte Jacobi regis. 52-55. Haeresis Calviniana Galliam implet suis erroribus. 56. Ochimus Capucinorum generalis ab Ecclesia deficit. 57. Armeni fidei Catholicae exemplum eximium proficuntur. 58. Auctus cardinalium senatus.
- MDXLIII.** 1-4. Imperatoris oratores coram legatis Apostolicis exponunt quibus de causis Caesaris clientes ad Concilium se conferre non possint, et ipsi Tridento discedere cogantur. 5-10. Concilii congregandi studia strenue navata a Paulo qui Bononiam se confert ad invisendum imperatorem. 11-16. Non Bononiae, ad quam accedere abnuvit imperator, sed in castro Buxeti tandem possunt iniri colloquia, quae nihil proficiunt. 17. Concilium differt Paulus ob bella inter Caesarem et regem Gallie. 18-20. Expositae principibus causae dissoluti Concilii. 21. Hermannus archiepiscopus Coloniensis in haeresim Lutheranam lapsus. 22, 23. Colonienses et Monasterienses ad fidem Catholicam servandam hortatur Paulus. 24-28. Coloniensium constantia. 29. Pontifex archiepiscopo Coloniensi scribit ut respiscat. 30. Commendat Paulus pietatem ducis Bavariae. 31. Claudius Jayus et Petrus Faber ex primis decem sociis S. Ignatii, pro fide laborant in Germania. 32, 33. Conventus imperialis habitus Nurembergae. 34. Solymanus Hungariam invadit. 35. Aquilegiensis Ecclesia ab administris conculeata. 36-39. Classis Turcica, a rege Gallie excitata, gravia Christianis affert damna; Nicia tamen ex Turcis recipitur. 40. Motus Tunetani. 41. Caesari Clivensis dux se humiliat. 42-48. Conventus ordinum imperii, Norimbergae primum, dein Spire coadunantur. 49, 50. Instructio data Sondrato nuntio in Germaniam destinato. 51, 52. Per litteras et nuntios paci principum Christianorum totus est Pontifex. 53. Solemnes supplicationes indictae. 54, 55. Henricus Angliae rex bellum movet contra regem Scotiae. 56. In Poloniae se haeretici intrudere tentant. 57, 58. Petri Vermilii defectio a fide. 59. Georgius David haeresiarcha. 60. S. Francisci Xaverii miri labores in India.
- MDXLIV.** 1, 2. Caesar pacis verba respuit et ad comitia Spirae cogenda se convertit. 3. Paulus ad conventum Spirensem rescribit se defensurum Niciae arcem, et aliunde Christianitatem totam illis commendat. 4, 5. Carolus prudentia motus humana edicit decretum cujus venenum annotationes subnixae demonstrant. 6-9. De Spirensi decreto gravissime queritur Pontifex tam apud imperatorem quam apud alios principes. 10, 11. Colonienses pro tuenda Catholica religione

ad Pontificum nuntium scribunt. 12-14. Conatus internuntii, et supplicationes cleri Coloniensis ad Casarem. 15. Archiepiscopus Coloniensis obdurescit in haeresi. 16-18. Ardet bellum inter Casarem et Franciscum regem : Anglus etiam in Galliam irrumpit. 19-21. Inter ipsos bellicos motus spes pacis Pontifex non deserens duos legatos mittit ad pacem tractandam. 22-27. Fœdus pactum, ob quod gratiarum actiones persolvuntur a Pontifice utrique principi. 28-33. Paulus redintegrandi Concilii percupidus futuris providet, presentia componit et preces solemnes indicit. 34-36. Articulis condemnantis haereses a Lovaniensi Academia editos Casar confirmat. 37. In Gallia haereses deprimentur opera cardinalis Turmonii. 38. Thomas Villanovanus sanctitate claritatem adeptus. 39. S. Francisci Xaverii opera Apostolica et miracula. 40-42. Cardinales creati. 43. Inventio cadaveris imperatricis Marie Honorio desponsate.

MDXLV.

1-3. Deputantur iterum pro Concilio tres legati quibus data potestas etiam illud alias transferendi, si necessitas exegerit. 4-6. Legati Tridentum ingrediuntur ; orationes Casareorum nuntiorum et legati responsio. 7, 8. Diploma Pontificum quo monentur praesules ut per seipsos, non per procuratores, ad Concilium accedant. 9-14. Legatorum ancipites curae de aperiendo Concilio. 15. Plures episcopi Tridentum adveniunt. 16. Regis Lusitaniae ad Pontificem gratulatoriae litterae. 17-19. Providet Pontifex ne in comitiis Wormatiensibus res religionis pertractentur, sed referantur ad Concilium. 20-23. Votis Protestantium, qui repudiant Concilium et comitia reclamant, Casar annuit. 24-28. Articuli conclusi in dieta Posoniensi. 29, 30. Omnes episcopos, etiam in curia degentes, Pontifex jubet Concilio adesse, et regibus scribit ut sui regni praesules ad Concilium mittant. 31-34. Morte ducis Aurelianiensis, filii Francisci regis, pax abrupta, sed mox reparata. 35-38. Legati solemniter Concilium aperiunt. 39-42. Bulla facultatum legatis concessarum, litterae absentium, et oratio legati praesidis. 43. Articuli propositi circa ordinationem Concilii. 44, 45. Hieronymus Oleaster nomine regis Lusitaniae perorat, et litteras sui principis legi postulat. 46. Episcopi Galli petunt ut nihil in Concilio tractetur ante adventum oratorum regis Galliae. 47. Instructio ad legatos de rebus Concilii. 48. Censuras theologorum Lovaniensium Carolus V confirmat, unde Lutheri impius furor. 49. Lutherus suo magno periculo daemoniacam curare aggreditur, sed incassum. 50. Novos errores disseminat David Georgius. 51. Swenckfeldiana haeresis propagatur. 52, 53. Haeresis repressa Mantuae et Mutinae. 54. Paulus concedit ut clerus Siculus subveniat imperatori de pecuniis Ecclesiasticis. 55. Carolus V cum Turcis inducias pacis scitur ; Protestantium potentia amplior et gravior fit. 56, 57. Paulus curat pacem firmare inter imperatorem et regem Galliae. 58, 59. In Lusitania contra haereticos exercita severitas, et simulatae erga Pontificem depositae. 60. Paulus cardinales creat. 61. Aethiopes cum Romana Ecclesia, damnato Dioscuro, conjunguntur. 62. Singularis casus Gamrati Cracoviensis episcopi. 63. Parma Placentiaque Aloysio Farnesio tradite. 64. Dissidia inter Lutheranos et Sacramentarios. 65. Ceilanensis reguli filius occisus ob fidem.

MDXLVI.

1-3. Controversia de titulo qui inscribendus sit Concilio, et de loco qui assignandus sit aliquibus praesulibus. 4-6. Secunda Concilii sessio in qua promulgatur decretum de vita sanctiore a clericis ducenda. 7. Prohibetur ne episcopi per procuratores Concilio assistant. 8. Leguntur Bullae facultatum legatis concessarum ut ipsi aperiant Concilium. 9. In designanda Synodo adoptantur haec voces tantum : *Oecumenica et Generalis*. 10-14. Agitur inter Patres de modo et ordine procedendi, et iterum de titulo decretorum. 15, 16. Tertia sessio in qua legitur decretum de symbolo fidei. 17, 18. Cur non fuerit adjectum decreti titulo : *Universam Ecclesiam representans*, et non simul cum decretis de reformatione decreta de fide proposita fuerint. 19-17. Explanatur questio de Scripturae et Traditionum auctoritate, necnon de Vulgatae versionis sinceritate. 18-31. Sessio quarta in qua edita sunt decreta de canone Scripturarum, de authenticitate Vulgatae et de poenis in typographorum avaritiam et temeritatem. 32. Litterae Caroli V procuratorem Casareum constituentis. 33, 34. Vulgatae translatio Romae semper in usu fuit, et nunquam in suspicionem haereticis erroris adducta. 35, 36. Vera libertas et zelus sincerus in Synodo Tridentina. 37-60. Pauli ad Helvetios haereticos litterae quibus ad officium illos reducere tentat. 61. Declamationes episcopi Fesulanus contra monachos. 62-64. De episcoporum residentia agitur. 65-68. An pertineat ad legatos solos proponere quae in Synodo tractanda sint. 69-73. Discussio de peccato originali. 74. Catalogus errorum circa peccatum originale. 75-83. Declarationes et canones de peccato originali. 84-86. Decretum de munere praedicandi. 87-93. Batisponense colloquium. 94, 95. Fœdus inter Pontificem et imperatorem. 96-102. Gallum regem, Polonum, Venetos et alios principes Paulus hortatur ut arma contra Lutheranos sumant. 103, 104. Hermannus Coloniensis a sede deturbatus propter apostasiam. 105-108. Insurgunt Protestantes adversus Casarem. 109. Elictum imperatoris contra rebelles. 110, 111. Saxo et langravio victi, et ad pacem nominis duris conditionibus admissi. 112-114. Faldrensis Wittenbergensis et comes Palatinus arma deponunt. 115. Concionatores Lutherani ponunt paci obicem. 116-118. Admonitiones legatorum circa justificationis dogma et capita discutenda. 119-123. Sedatus prius dissensionibus de praecedentia, oratores regis Galli admittuntur in Concilium ; unus ex ipsis oratio, et legati responsio. 124-129. Sexta

sessionis prorogatio : Concilii translatio agitur. 130-138. Errores et dubia de justificatione. 139-143. Impii Lutheri mors impia. 146. Petri Fabri mors pietosa. 147. Venetos hortatur Paulus ut Lutheranae heresi Vicentiam inficent se objiciant. 148. In Scotia novae circa fidem contentiones. 149. Inter Gallum et Anglum confecta pax. 150-153. Lusitani sua virtute Christi regnum explicant in Indis. 154-157. Plures archiepiscopatus constituti in America. 158. Apud Armenos archiepiscopum Nazovanensem Paulus creat. 159. Fratri Lusitaniae regis ad cardinalatum evectio permittitur apud regem ipsum morari.

MDXLVII.

1-5. Disputatur de decreto residentiam praescribente. 6-16. Sessio sexta : decretum et canones de justificatione. 17-19. Animadversiones quorundam Patrum circa titulum decreti. 20-23. Approbatur decretum de residentia. sed nonnihil emendatum. 24-34. Disponitur materia proxima sessionis, scilicet de Sacramentis et de Reformatione. 33-41. Canones de Sacramentis, et decretum spectans ad disciplinam Ecclesiasticam. 42-54. Peste Tridenti saeviente, transferitur Concilium Bononiam. 55-57. Ex hac translatione gravissima dissensionis inter imperatorem et Pontificem exorte. 58. Acta Concilii Bononiensis : articuli haereticorum de Sacramento Pœnitentiae. 59-61. Praelati Hispani jussu Caesaris Tridenti morantur. 62-65. Prima sessio Concilii Bononiensis : articuli haereticorum de Sacramento Extremae-Uctionis, Ordinis et Matrimonii. 66-67. Secunda sessio Concilii Bononiensis : articuli haereticorum de Purgatorio et indulgentiis. 68. Decreta de indulgentiis. 69, 70. Articuli haereticorum de missa et quibusdam aliis discutuntur. 71. Tertia sessio Concilii Bononiensis prorogatur. 72-77. Admonitiones Concilii circa abusus qui subreperant in administrandis sacramentis. 78, 79. De validate translationis Concilii disceptatum. 80-83. Carolus V oppugnat Concilium Bononiense, cujus rex Galliae Henricus defensionem suscipit. 84, 85. Conventus Augustani postulant, sed iniquo animo, ut Concilium Tridento restituant. 86. Archiepiscopus Gnesnensis synodum colligit de episcopis Polonis ad Concilium mittendis, sed anceps remanet, audita translatione Concilii. 87-90. Per cardinalem Madrutium Romam deferuntur postulata Caesaris. 91-97. Pontifex, consultis Patribus, judicat non obtemperandum votis Caesaris. 98-105. Caesaris et Ferdinandi fratris victoriae contra Lutheranos : gratiarum actiones et gratulationes exiunde prolatae. 106. Lutherani victi Concilio se submitunt. 107-114. Genuae Flisei conjuratio et Parmae Aloysii Farnesii caedes ; unde nova odia exorta inter Pontificem et Caesarem. 115. Scotiae ab haereticis infestae libertas restituta. 116-119. Francisci Galliae regis obitus, et filii Henrici coronatio. 120-124. Henricus VIII Angliae rex moritur, non sine voto, sed equidem inani, praestandi obsequium Pontifici. 125-128. Providet Paulus rei Catholicae, tum in Hibernia tum in Scotia. 129, 130. Dux Somerseti quod reliquum erat Catholicorum dogmatum et rituum in publicis comitiis abrogat. 131, 132. Tumultus exorti ob inquisitionem in regno Neapolitano et Lusitano. 133. Poloniae rex Sigismundus acerrimus religionis defensor. 134. Carolus de Guisa et Julius de Ruvère ad cardinalatum evecti. 135. Religio propagata in Indis Orientalibus et Occidentalibus. 136. Obitus S. Cajetani Thienaei.

MDXLVIII.

1-6. Paulus, consultis praesulibus Concilii Bononiensis, respondet tum statibus imperii, tum oratoribus Caesareis circa reditum Concilii ad Tridentum. 7-13. Protestatio facta a procuratoribus imperatoris in ipso Concilio Bononiensi et responso sacrae Synodi. 14. Translatio Concilii juridice facta. 15-18. Injuste sibi arrogat Caesar potestatem statuendi de rebus religionis. 19-23. Coram ipso Pontifice protestantur Caesarei oratores. 26-30. Paulus III protestationi Caroli V respondet, consultis prius praesulibus Bononiensibus. 31-33. Ob litem motam a Caesare suspenditur Concilium. 34-38. Pontifex mandat tum patribus qui Tridenti remanserant, tum iis qui Bononiae, ut mittant delegatos Romam ad subsellia Apostolica. 39-41. Praesulum Hispanorum responso fallax et de ea rectum severumque iudicium Pontifici obsequentium. 42, 43. Ex agendi modo praesulum Hispanorum et ipsius imperatoris schisma timendum. 44-48. Caesar petit ut mittantur in Germaniam nuntii Pontifici facultatibus amplissimis instructi pro conciliandis Protestantibus. 49. Rex Galliae minatur se revocaturum praesules suae ditioris, si haec concedantur. 50, 51. Caesar subornatus ab impiis decretum netarium, *Interim* dictum, ferre meditat. 52, 53. Articuli propositi a Protestantibus, tanquam omnino necessarij, singulatum refutantur. 54-57. Carolus V temere se immiscet rebus Ecclesiasticis tractandis, quamvis a Pontifice monitus. 58. Responso Pauli petitionibus iniquis ejusdem ducis Germaniae. 59, 60. Deplorandum Caroli V decretum, dictum *Interim*. 61. Promulgatur sanctio inscripta : Reformatio politicae imperialis. 62-64. A viris optimis *Interim* Caroli V reprehenditur, et in conciliandis Protestantibus nequaquam proficit. 65. Caesar mitiorem se gerit erga Pontificem. 66-72. Quibus conditionibus admittendi sint in gremium Ecclesiae haeretici. 73-78. Sententia Gallorum episcoporum de reformatione morum. 79. Decretum Sorbonicum contra Calvinistas. 80. Haeresis in Anglia propagatur. 81-83. Sigismundus senior moritur magno Poloniae damno. 84. Res Turcicae. 85. Apud Indos S. Francisci Xaverii exantlati labores. 86. Librum Exercitiorum S. Ignatii Paulus III approbat. 87. Carolus Borbonius ad dignitatem cardinalitiam evectus.

MDXLIX.

1-4. Nuntii Apostolici in Germaniam missi nihil proficiunt, obdurescentibus in suis erroribus

et criminibus Lutheranis; in Brunswicensi tamen ducatu Catholica religio restituitur. 5-7. Magdeburgenses pro ceteris in Casarem audaces. 8. Difficultates in observatione decreti *Interim* nuncupati. 9-11. Caesar non solum Placentiam restituere recusat, sed et Parmam sibi arrogare afflicta. 12-22. Lite rursus et acerbius agitata de translatione Concilii, Paulus pacis gratia Concilium Bononiense dissolvit. 23. Detrectatum a Pontifice fœdus cum rege Gallo: Ochinii impia scripta et Vergerii a fide defectio. 24. Patriarcha Aquilegiensis hæresis suspicionem incurrit. 25, 26. Compositæ controversiæ cum Hussitis. 27-31. Spes oritur redintegranda: fidei in Anglia. 32. Henricus II Gallie rex hæresibus regnum purgare curat. 33, 34. Calvinus ab Espencero confutatus. 35. Armeni se Ecclesie Romanæ coniungunt. 36-41. Apostolici labores S. Francisci Xaverii apud Indos et Japonenses. 43. Auctus cardinalium numerus. 46. Permittitur a Pontifice ut Poloniæ reginae nondum coronatae porrigitur osculanda intra missarum solemnia Evangelium et patena. 47, 48. Pauli Pontificis mors et virtutes.

MDL.

1. Cardinalis de Monte creatur Pontifex nomine Julii III. 2-4. Julius notam facit suam electionem Casari, Parmam Farnesio restituit, et Lutheranos principes demulcere tentat. 5, 6. Carolus V Julio pollicetur se Ecclesiam defensurum, et Julius Carolo paterna officia repproimit. 7-11. De redintegrando Concilio Tridentino agitur, necnon de removendis impedimentis huic redintegrationi, presertim a Gallo rege, suscitatis. 12, 13. Scribit Julius multis principibus Germaniæ, etiam hæreticis, occasione Concilii. 14, 15. Aliqui cardinales deputati ad sanctionem morum disciplinam restituendam. 16, 17. Henricus Gallie rex benigniorem se præbet postulatis Pontificiis de Concilio, et petit ut confirmetur veteres Ecclesie Gallicanæ immunitates. 18. Protestantes Concilium admittunt, modo juxta sua placita celebretur. 19-21. Bulla re assumptionis Concilii. 22-24. In Germania et Belgio contusa hæreticorum tyrannus. 25-27. Joannis de Vega in Africam expeditio faustissima. 28. Absolvit Julius a censuris omnes qui sine consensu Apostolico decimas in Sicilia exegerunt, et alias exigere concedit. 29, 30. Pax inter regem Gallie et Edwardum Anglum: regina Scotiæ et comes Araniæ gratulatorias a Pontifice accipiunt litteras. 31-34. In Anglia hæreses variæ disseminantur, et Catholici vexantur. 35, 36. Crescit et protegitur hæresis Calviniana in Gallia. 37, 38. Providet Julius ne hæresis in Italiam latius serpat, et condemnat iudices sæculares se immiscentes causis religionis. 39-42. Poloniam a labe hæretica purgare nititur Julius. 43-45. Fides in India propagatur opera Joannis regis Lusitani. 46. Confirmatur iterum a Julio III Societas Jesu. 47-49. Annus Jubilæi a Julio III indicitur: mira charitatis opera Romæ edita erga pauperes peregrinos. 50. Pontifex memor præterite calamitatis sollemnes gratiarum actiones Deo præstat. 51. Joannis a Deo, conditoris Ordinis *ab Hospitalitate* nuncupati, mors pretiosissima.

MDLI.

- 1-3. Sancti Carolus V ut Germani et Protestantes se Concilio submittant, sed Henricus Gallie rex fœvet Protestantibus. 4-6. Julius creat legatos qui solemniter Tridentum ingrediuntur. 7, 8. Prima sessio Concilii Tridentini sub Julio III. 9. Episcopi sollicitantur a Pontifice ut ad Concilium accedant. 10, 11. Helvetios invitat Julius, dum obsidet Henricus Gallie rex. 12. Pontifex exactorum doctores Sorbonicos a fide deficientes. 13-17. Parmense bellum accenditur. 18-20. Casaris arma implorat Julius unde aucta dissidia inter Gallum et Pontificem. 21-23. Parmensi obsidione soluta, Julius ad pacem cum Gallo se convertit. 24-26. Casaris odio confirmata hæresis. 27-33. Secunda Concilii sessio in qua leguntur litteræ Galli regis ad Concilium. 34-36. Responsio Concilii ad protestationem Henrici. 37. Impius agendi modus principum Concilio detraherentium. 38. Accedentibus Tridentum septemviris prelati, spes concepitur melioris exitus. 39, 40. Hæreticorum articuli contra Eucharistiam discutuntur in Concilio. 41, 42. Sessio tertia: leguntur et laudantur litteræ marchionis Brandenburgensis. 43-51. Concilii decretum et canones circa Eucharistiam. 52. Decretum de reformatione circa causas Ecclesiasticas. 53-55. Discutiuntur articuli hæreticorum de Sacramento Penitentiae et Extrema-unctionis. 56-59. Sessio quarta: declarationes et canones de Penitentia et Extrema-unctione. 60. Articuli hæreticorum de sacrificio Missæ. 61. Insigne prodigium in Germania: vinculo sacramenti inique præstiti Brunswicensis absolventur. 62. Osiandri novum dogma de Justificatione. 63. Ruceri mors et variæ opinionones: Mauritius Saxonie dux Casari infidus. 64, 65. Ecclesiastici septemviri retinentur in Concilio a Pontifice. 66-68. Exardescente iterum bello inter Carolum et Henricum regem, Turcæ victores evadunt. 69-73. Execrati in Transylvania et Polonia motus. 74. Auctus cardinalium numerus. 75. Fribus graviore annona laborat. 76. Confirmata Coloniensis Ecclesie privilegia, et austaurata Academia Ingolstadtensis. 77. S. Franciscus Xaverius miraculo duobus simul in locis visus. 78. Gaudsalvum Dominicanum inter beatos Julius III reponit. 79. Rex Lusitaniae obedientiam Julio præstat. 80, 81. Gomh Lumenis episcopum postulanti annuit Pontifex. 82-83. In quibusdam Hispaniæ provinciis jus Ecclesiasticum ad quosdam certos limites sapienter reductum.

MDLII

- 1, 2. Trevirensis ob valetudinis incommoda Tridento discedit, et Protestantium delegati conditiones iniquas proponit in celebratione Concilii. 3-9. Proponitur dissentienda formulæ doctrinæ de Sacrificio Missæ necnon de Sacramento Ordinis. 10-13. Oratores Protestantium postulanti

ut supersedeatur promulgationi decretorum praedictorum, donec admittantur in Concilium. 14-16. Non Concilium, sed colloquium inane petunt Lutherani. 17-19. Instructio Pontificis circa petitiones Protestantium. 20-22. Sessio quinta sub Julio III; salvus-conductus concessus haereticis; lis de praecedentia dirempta. 23, 24. Oratores Lusitani ad Concilium accedunt, et Joannis regis pietas commendatur. 25-29. Sessio sexta: causae et decretum suspensionis Concilii. 30-35. Bellum movent in Carolum V Lutherani auxilio Henrici II Galliae regis. 36, 37. Rex Lusitaniae pro pace cum Octavio Farnesio scribit Julio a quo responsum benevolentiae plenum accipit. 38-41. Induciae inter Pontificem et regem Galliae opera cardinalis Turtonii. 42, 43. Senenses tumultus. 44. Legati pro pace inter Carolum V et Henricum electio. 45-51. Apologia Ferdinandi regis de caso Georgio cardinali. 52. Georgii cardinalis occisores dant poenas a Deo mulctati. 53-55. Repressi in Polonia haeretici. 56. In Germania Zuingliani imposturae et contradictionis convicti. 57. Ferrariae haeresis excisa. 58. Fides propagata in Peruvia. 59-62. S. Franciscus Xaverius, dum Sinensibus Evangelium inferre cogitat, sanctissime moritur, et miraculis claret.

MDLIII.

1-16. Maria regina Catholica in solium Angliae evecta, Pontifex tum per litteras, tum per legationem cardinalis Poli invigilat ut religio orthodoxa in pristinum statum resitatur. 17. Carolus V bellum Senensium infert, quos Galli strenue defendunt. 18-21. Bellum Senense Julius componere tentat. 22-34. Frustra Pontifex per epistolas, nuntios et preces solennes indictas ad concordiam Gallum et Caesarem reducere curat. 35. Turca, auxiliante Gallo, multa mala infert Christianis. 36. Michael Servetus jussu Calvini Genevae excustus. 37. In Germania bellum civile inter praecipuos Protestantium defensores. 38. Nuntius Apostolicus ad Grisones in fide confirmandos missus. 39. Otho Augustensis cardinalis doctrina, zelo et pietate conspicuus. 40, 41. Monet Julius Polonos ne facile credant Moschovitis, et ostendit novatores non minus civili statui infestos esse quam Ecclesiastico. 42-45. Assyrii ad unitatem redeunt, misso Romam patriarcha. 46-48. Ad preparanda decreta de reformatione multi Romam acciti praesules, et auctus cardinalium senatus.

MDLIV.

1-3. Philippus Hispaniarum rex uxorem accipit Mariam Angliae reginam, quod Calvinistae omni modo impedire conantur. 4-8. Cardinalis Polus amplissimis facultatibus munitus tam pro confirmandis episcopis haeresim ejurantibus, quam pro reductibus per nefas possessis a restitutione eximendis. 9-12. Philippus II in Angliam appellit ad nuptias cum Maria inendans, collatis sibi prius a Pontifice juribus regni Neapolitani. 13-17. Anglia ad fidem Catholicam redit pietate Philippi et Mariae, sed praesertim opera cardinalis Poli; unde maxima in Urbe signa laetitiae, et gratiarum solennes actiones. 18. Ex Anglia exteri haeretici ejiciuntur. 19. Confirmat Julius pacta cum Germanis a Nicolao IV sancita. 20. Bellum in Belgio et Italia ab Henrico Galliae rege contra Caesarem gestum. 21. Neapolitani tumultus componuntur. 22. Ad sepulchrum Christi reparandum Julius III pecuniam colligit. 23. Pontifex corruptelas quae in cardinalitum ordinem irrepserant purgat, et religiosorum quorundam ambitionem reprimit. 24-26. Spes reducendi Aethiopes ad unitatem Ecclesiae affulget. 27. Pro tuenda fide fortiter certant usque ad mortem Orientales Indi. 28, 29. Floret fides in insula Japoniae ob miracula ibi ostensa. 30. Pro fide amplificanda in America Julius III religiosos eligit. 31. De morte filii consolatur Pontifex Joannem Lusitaniae regem. 32. Conimbriciae perditissimus peccator a tyrannide Sathanae vindicatus.

MDLV.

1, 2. Ingenti repletus gaudio Julius ob Angliae reditum ad fidem Catholicam. 3-5. Cardinalis Moronus mittitur in Germaniam, quae haeresi Lutherana laborat. 6, 7. Julius III in regno Neapolitano Philippum regem Hispanum confirmat et in insula Corsicae libertatem Ecclesiasticam defendit. 8-11. Ecclesia Abyssina ad conjunctionem cum Ecclesia Romana revocatur per patres Societatis Jesu. 12. Julii III obitus. 13-20. Marcellus II, potius ostensus quam creatus Pontifex, morte immatura praereptus. 21-23. Pauli IV electio, patria, parentes, mores et primordia. 24. Scribit imperatori et Romanorum regi ut res Germaniae collapsas restaurent. 25-28. Anglicanae Ecclesiae providet et Philippo regi gratulatur. 29-32. Cramnerus de sede Cantuariensi dejectus, et haereticorum duces capitali sententia damnati. 33, 34. De restituenda disciplina in Anglia agitur, et Synodus convocatur. 35, 36. Per cardinalem Polum instaurata pax inter Caesarem et Galliae regem. 37, 38. Philippus rex Angliae Paulo IV obediantiam praestat pro regno Neapolitano fiduciario. 39, 40. Henricus Galliae rex, a Pontifice monitus, contra haereticos in suo regno insurgit, sed a politicis ejus severitas reprimitur. 41. Assertum jus Pontificium in Britannia et Provincia. 42, 43. Coloniaenses in fide stabiles: Sacramentarii exagitati a Lutheranis. 44-46. In Augustanis conventibus Bavarus et rex Romanorum Ferdinandus rei Catholicae propugnatores fortissimi. 47-49. Ex matris obitu Carolus V nimio moerore confectus in filium transfert majorem sui principatus partem. 50-53. Haec Caesaris cessio, sicut et decretum dietae Augustanae haereticos et Catholicos in aequalitate constituens, rei Christianae exitialis. 54. Constitutionem edit Paulus IV ad haereticos comprimendos. 55-63. Irrepenti in Poloniam haeresi obsistit Paulus tum per nuntios, tum per litteras hortatorias ad regem, praesules et magnates Polonos. 64. Antonium Navarrae regem laudat

Paulus ob fidem Catholicam. 65. Mors Gerdaldi Rufi pseudoepiscopi Olorensis. 66-69. Pia mors et canonizatio S. Thoma de Villanova. 70. Electio Danielis archiepiscopi Moguntini mira Dei providentia. 71. Cardinales creantur. 72, 73. Dux Montorii accendit inter Pontificem et Philippum II bellum, quod prius sopitum cardinalis nepos rursus inflamat.

MDLVI.

1-7. Pius ardor Pauli in excindendis haeresibus, moribus reformandis et pace restituenda deprimitur administri Hispani superbia et proditione. 8-14. Gropperus primum respuit, deinde iubente Pontifice accipit cardinalatus insignia. 15, 16. Haeretici inter se dissident. 17-21. Paulus ad Maximilianum et Albertum Bavariae ducem, necnon ad episcopos Germaniae scribit ut Catholicam fidem defendant. 22-24. Lutherani Evangelii obtentu decipiunt incautos et viam praebent incursionibus Turcarum. 25. David Georgius Major haeresiarcha et impostor moritur. 26. Palatinus et Badensis dux religionem Catholicam e sua ditione evellere conantur. 27. Henricus Galliae rex, non semper sibi constans, in haereticos sui regni severitatem exereet. 28. In Anglia religio refloret. 29. Rex Poloniae per oratorem obedientiam Pontifici praestat. 30-33. Haereticis in Polonia resistunt Andreas Cracoviensis et Hosius Warmiensis. 34, 35. Geminae Pauli litterae ad regem Poloniae quem hortatur ut haereticos e regno ejiciat. 36. Pauli deturpat litteras Vergerius qui refellitur ab Hosio. 37. Eucharistia a Judeis confossa sanguine manat. 38-41. Praescribit Paulus ut Synodus congregetur ad comprimendas haereticorum insidias. 42. Joannes Lusitaniae rex per oratorem obsequium praestat Pontifici. 43. Commendat Paulus regi Abyssinorum patriarcham. 44. S. Ignatius obit.

MDLVII.

1-4. Paulus instituit congregationem quae terror officialium nuncupatur, festum Cathedrae S. Petri Romae celebrari jubet, et cardinales creat. 5-10. Hispanus Roma potiri tentat, sed caelesti virtute Urbs liberatur. 11-27. Paci procurandae inter omnes principes Christianos Paulus totis viribus incumbit. 28. Henricus rex Calvinistas perniciose dogmata spargentes deterret. 29, 30. Paulus in Gallia constituit Inquisitionis tribunalia quae ob censorum molliem nocent potius quam prosunt fidei. 31-35. Dissolvitur colloquium Wormatiense, cujus inanitas innotescit sicut et ceterorum conventuum. 36. Pontifex liberaliter consulit annona. 37. Paulus evocat ad se praesules magni nominis pro Concilio disponendo. 38-41. Usus calicis in Polonia sub obtentu fidei religionis fovet dissidia. 42-47. Pontifex legationem Anglicanam cardinali Polo abrogat et Guillelmum sufficit, sed, reclamante regina, res in statu quo prius remanent ad tempus. 48. Varia circa collegium cardinalium Paulus disponit. 49. Mors luctuosa Joannis regis Lusitaniae. 50. Indiae res Christianae efflorescunt. 51. Sebastianus, triennis puer, salutatur Lusitaniae rex, et Catharina tutrix regni consilia salutaria accipit a Pontifice. 52. Mulierem publice praedicare vetat Pontifex.

ANNALES ECCLESIASTICI.

PAULI III ANNUS 9. — CHRISTI 1542.

1. *Instructio data Morono intermissio ad conventum Spirensem destinato.* — Anno Christi millesimo quingentesimo quadragésimo secundo, Indictione quintadecima, collabentibus Christiani imperii rebus, Turcis (oppressa Hungaria) Germania imminentibus, Francisco Gallorum rege nova in Carolum V bella movente, grassante latius hæresi, ac Lutheranis, fallaci concordiae specie, majora dissidia contlare, ac principes Catholicos ab Ecclesie Catholice obsequio divellere annitentibus : Pontifex, re communicata sæpius cum senatu cardinalium, rejectis inanibus colloquiorum ludibriis Concilium OEcumenicum ¹ indixit in Tridentina Germaniæ civitate. Qua vero occasione hæc civitas post multas consultationes electa fuerit, modo est dicendum. Spiræ igitur celebranda erat dieta, cujus initium, ut fuerat denuntiatum, prima die Januarii erat futurum; quare Pontifex Morono episcopo Mutinensi, in Germaniam pro reformatione illius cleri nuntio destinato, præcepit, ut Spiram accedens ageret cum illis principibus de multis publicis negotiis, et præcipue de designanda civitate pro Concilii celebratione, et cum sequenti instructione dimissus fuit :

2. « Venerabilis frater. Cum multæ et gravæ curæ animum nostrum his temporibus, ob maximas calamitates in quas incidit Christiana respublica, et ob ingentia et evidentiæ pericula, quæ nobis instare videntur, nullius tamen rei cura magis nos premit, quam hujuscæ in religione seditionis ortæ in Germania nobilissima

et potentissima, ac puræ orthodoxæ Christianæ pietatis conservandæ desiderium, pro qua tuenda, non solum opes omnes, sed vitam quoque libenter impendere parati sumus. Idcirco cum primum superioribus mensibus ex litteris dilecti filii cardinalis Contareni intelleximus, desperandum fore, ut in Ratisbonensi conventu aliqua iniri posset concordie ratio, conservata religionis puritate, confestim ex consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, constituimus celebrare Generale Concilium superioribus annis indictum.

« Postmodum vero hortatu atque consilio Christianorum principum, in hanc usque diem dilatatum, et quia solum et præsentaneum remedium huic morbo medendo esse semper duximus, hanc nostram de celebratione Concilii sententiam, per præfatum legatum significari curavimus Cæsari primum, ac deinde reliquis principibus, ac præsertim Ecclesiasticis. Placuit hæc nostra sententia Cæsareæ majestati, reliquisque principibus omnibus, ut par erat in tam necessaria causa : propterea, quoniam putabamus non solum opportunum, sed prope modum necessarium esse, ut in Ecclesia Christiana in clericorum ordinibus reformatio fiat multarum rerum, quæ ut temporis longitudine, et humanis omnibus accidere solet, in deterius prolapsæ sunt, ut quoad fieri potest, ad pristinum Christianum statum reducantur, hæc etiam ratione certo scimus, et Deum magis propitium nos habituros esse, et Christianum populum meliorem magisque orthodoxæ pietatis cultorem; idcirco eisdem litteris injunximus præfato legato nostro, ut operam daret, quod

¹ Ms. card. Spaldæ fo. xv. p. 668.

fieret hujusmodi, quam optamus, Christiana reformatio in Germania, provincia nobis charissima, quemadmodum jam instituimus ut fiat in hac nostra Romana curia, et in universa Italia, ac demum in aliis Christianis nationibus.

3. « Allocutus est legatus episcopos, qui conventui interfuerunt, nonnullaque eis proposuit animadvertenda et corrigenda, hilari animo hæc nostra per legatum facta adhortatio ab omnibus suscepta est, adeo ut etiam petierint sibi dari in scriptis, quæ ore fuerunt a legato dicta, quorum exemplum, quamvis putemus habere, qui aderant, erit tamen hic colligatum. Nihil præterea potuit a legato agi ob temporis brevitatem, fuit etiam, cum jam conventus esset dissolvens, innovatum a Cæsare et principibus Catholicis fœdus Catholicum defensivum, quod tamen legato ostensum non fuit. Idcirco cum summopere cupiamus, ut ea quæ bene cepta sunt, perficiantur, decrevimus, venerabilis frater, te in Germaniam mittere, cuius probitatem et prudentiam, singularemque fidem jam diu perspectam habemus, ad quas accedit maxima, qua præditus es, rerum Germanicarum experientia, et non mediocrem illius nationis erga te benevolentia, quamobrem speramus, non mediocrem fructum ex opera tua percepturos nos esse in ea provincia, quæ præcipue nobis est cordi. Cæterum, quamvis arbitremur omnia quæ ad hæc quæ designamus conficienda facere, ante tibi explorata esse ob peritiam quam habes rerum Germanicarum, nihilominus ut petitioni tuæ satisfaciamus, ac semper in promptu habeas animum nostrum, curavimus hæc brevem formulam nostrorum mandatorum tibi perscribi, in quam possis intendere oculos in quavis rerum quæ tibi agende occurrent.

4. « Ac primum, sicut nos nunc divinum auxilium imploramus, ita te monemus tibi quæ præcipimus, ut in exordio cujusvis fractionis seu rei, quam aggressurus sis, invocés Deum optimum Christum redemptorem nostrum, ut faveat tuis captis, tuasque actiones dirigat in viam suam. Et quoniam tria sunt, ob quæ te potissimum in Germaniam mittimus, celebratio sancti Concilii Generalis, reformatio Ecclesiarum, perfectio Catholici fœderis, paucis ea perstringimus, quæ nobis occurrunt circa unumquodque eorum, et a postremo incipimus. Putamus nos in fœdere Catholico defensivo comprehensos esse, cum anto superiori initum fuit, super quo confecta fuerunt litteræ publicæ a notario; idcirco non existimamus, secundum hoc posterius fœdus necessarium fuisse. Verum quoniam maxime cupimus te deris hujus observationem et augmentum, et voluntatem nostram et animi promptitudinem omni significatione lestari contentidimus, tibi mandamus, ut nostro nomine decens principibus

Catholicis in fœdere comprehensis, paratissimos nos esse novum hoc Ratisbonense fœdus ingredi, verum non posse approbare has super hoc fœdere confectas leges, cum nonnulla in eis contineantur, quibus assentiri pro persona, quam gerimus, minime possumus; portionem quoque impensarum faciendarum pro fœderis conservatione nobis assignatam, quartam scilicet partem, neque vires nostras ferre posse, neque justitiam admittere. Idcirco tibi præcipimus, ut novæ litteræ (si principibus fœderis ita videbitur) nostro nomine conficiantur, quibus festatum sit omnibus, nos libentissime novum hoc fœdus ingredi, cum conditionibus et clausulis tantum pertinentibus ad mutuam defensionem in rebus religionis, quam jvaturi semper pro viribus sumus, nulla habita mentione de portione ad nos pertinente, vel si opportunum videbitur ut fiat mentio portionis, sextam partem non transgredieris, sicut in fœdere contra Turcas inito cum Cæsare et Venetis fuimus obligati.

5. « Quoad reformationem Ecclesiarum et ordinis Ecclesiastici, quoniam novimus longe melius et magis secundum pietatem Christianam omnia fieri, quæ sunt animo lubenti, quam coacto, et etiam quoniam scimus, omnes eos episcopos venerabiles fratres nostros, pro officio eorum debito et prudentia, proque nature bonitate et generis nobilitate, per se promptos esse et paratos ad hæc reformationem, idcirco volumus, ut in hac parte potius indices, et præ te feras coadjutorem et cooperatorem eorum a nobis destinatum esse, quam exactorem eorum officii, et capitula, quæ requisitis ab eis legatus dedit in scriptis, si servantur, non putamus exiguum partem reformationis factam fore: horum exemplum, quamvis putamus te habere, hic tamen alligatum mittimus, quod si quæ tibi videbuntur illis addere, poteris id agere pro tua prudentia et probitate, at si in quapiam re tibi videbitur, opus esse majori auctoritate quam præstare poteris ex facultatibus, quas hic tibi concessimus per Breve, confestim facias nos per litteras certiores, nulla enim in parte volumus tuæ operæ deesse, aut utilitati nobis charissimæ nationis: et ut melius queas jvare hoc religionis negotium, tecum mittimus doctorem Scotum, et alios nonnullos viros peritos et valde pios, qui tibi parent, quos a nobis petiisti, et quorum opera non parum adjumenti actionibus tuis præstare poterit.

6. « Reliquum esset, ut de celebratione Concilii ageremus, verum quoniam serenissimus rex Romanorum per comitem Hugurolam oratorem suum, a nobis quendam petiit abs te in hoc conventu Spirensi agenda nostro nomine, ac ei respondimus, quæ nobis videtur res ipsa exigere. Idcirco antequam de Concilio dicamus, perpaucis hæc perstringamus. Petiit a nobis

per præfatum legatum serenissimus rex duo; primum, ut in hoc conventu ita nos cum Protestantibus gereremus, ut faciliores redderentur ac promptiores ad auxilia præstanda contra Turcas. Pellit deinde, ut in hoc conventu Spirensi significarem principibus et statibus imperii quidnam nos præstituri sumus in auxiliis contra Turcas, ac petit instanter ut polliceremur ampla et magna auxilia, ut nostro exemplo principes imperii et status promptiores essent, ad majora etiam, quam in animo habituri pro se essent auxilia præstanda. Ad quæ respondimus, nos credere principes et status omnes, tam Catholicorum, quam Protestantium pro sua gravitate et constantia, non defuturos iis auxiliis, quæ sunt pollicita in conventu Ratisbonensi pro defensione Germaniæ eorum patriæ, nos quoque semper paratissimos futuros ad omnia, quæ serenissimo regi possunt aliqua in parte prodesse, præsertim in hac contra Turcas expeditione, ac ideo tibi injunximus, ut humanum et Christianum animum ostendas Protestantibus, non hostilem, sed eorum salutis cupidum. Quantum vero pertinet ad aliquam concessionem vel tolerantiam, non posse honeste, nec debere (quamvis universa auctoritas a Christo sit nobis concessa) cum celebratio Concilii instet, quippiam in his omnibus agere absque deliberatione et consilio Generalis Concilii.

7. « Quantum pertinet ad auxilia, quæ præstaturi sumus, respondemus, nos paratissimos esse ad præstanda maxima ea quæ poterimus, nullisque rebus parcituros in tam magno reipublice Christianæ periculo. Verum non posse nos certam summam statuere, quippe qui nesciamus, quo impetus Turcarum intendant, nam norunt omnes Italiam omnem, ditionem sanctæ Ecclesiæ, et Romam ipsam maximis periculis expositam esse, si Turca supra vel infra Italiam aggredereetur, quod eum facturum maxime verendum est: quamobrem cogimur rebus nostris prospicere, ac ideo offerimus, quæ poterimus omnia quam maxime, certa tamen polliceri non possumus. Præterea illustrissimo D. Granvello consiliario majestatis Cæsariæ, diximus, et pulchram significata fuisse majestati Cæsariæ a prædicto Granvellano, nisi (quod Deus avertat) res nostræ in tam magnum periculum deductæ essent, ut potius ab aliis auxilia petere, quam præstare possemus.

8. « Quo autem ad Concilium celebrandum, nos constantissime persistere in nostra sententia omnino celebrandi Concilium, nec ulla ratione ab ea posse dimoveri, et quoniam cupimus interesse, vel si aliæ causæ cogere nos non interesset, saltem non longe abesse, idcirco non putamus commodum locum Concilii celebrandi esse Germaniam, ad quam ob gravem ætatem nostram non possumus accedere, tum ob cœli

mutationem, deinde non mediocriter nos movet, quod cum utrinque in his controversiis religionis accensi sint animi Germanorum, si res ibi tractetur, magnum periculum immineret, ac ex contentionibus magis ac magis eorum animi utrinque inflammarentur, et ad majores seditiones et discordias deveniretur, et fortasse ad arma, quod maxime abhorremus, cum præcipue aspicimus constituere pacem in Christiano populo, et vitare omnino quascumque discordiæ occasiones. Desideramus tamen, quantum fieri potest, consulere commoditati illius nationis nobis dilectissimæ. Idcirco eis nostro nomine dices, videri nobis Mantuam civitatem, sitam in radicibus Alpium juxta Germaniam, commodissimam esse Concilii celebrationi, cujus ager fertilissimus est, et civitas amplitudine et commoditate hospitiorum satis esse poterit cæteris episcopis, qui conventuri sunt. Verum quoniam veremur, ne non privata principe, qui sui juris sit, ob præstitam fortasse ab ejus tutoribus non ita facile nobis concedatur: idcirco post Mantuam, Ferraria nobis videretur commoditate, aliisque quæ possunt haberi, præferenda. Est ipsa ampla, agrum habet fertilissimum, deinde vicinitate Padi amplissimi fluvii, ex omnibus fere oppidis sitis in Alpibus et Appennino omnes res comætuum gratia facile eo deferri queunt. Sed quoniam ea quippe civitas, quamvis sit Ecclesiæ feudum, non est immediate sub potestate nostra constituta, nec exploratum habemus principis animum, nihil enim nobis visum est cum eo agere, priusquam intelligamus sententiam Germanorum principum et statuum, non possumus eam certissime et indubitate offerre. Quod si eis placeret Placentia, aut Bononia, amplissimæ civitates omnium rerum copia instructissimæ, præcipimus tibi, ut alteram earum offeras pro Concilii celebratione, ex eo quod speramus non mediocrem fructum percepturos esse. Tempus enim a nobis determinatum dies Pentecostes inest, ut Synodus, quæ in Spiritu sancto congreganda est, congregetur etiam diebus illis, qui sunt Spiritui sancto ab Ecclesia dicati, et quibus ut descendit e Cælis, ita quoque dignetur descendere in Synodum congregatam in suo nomine.

« Hæc sunt, quæ nobis visa sunt tibi significanda esse et præcipienda, reliqua vero quæ ad hanc nostram intentionem intendant, poteris tu, pro tua prudentia et rerum Germanicarum experientia, ad hanc nostram intentionem accommodare. Deus Optimus Maximus, Christusque ejus Unigenitus Filius sit semper tecum, et omnes actiones tuas dirigat in sui honorem, et conservationem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ. Apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Januarii MDCIII, Pontificatus nostri anno VII ».

9. *Res Galliæ per epistolam et oratorem ap-*

rit in hoc conventu suam sententiam de presentī statu rerum. — Germaniam petiit Moronus ista instructione munitus, ibique nona Februarii Dieta initium datum est, cui loco imperatoris rex Ferdinandus ejus frater praesedit, orationemque habuit de subsidiis adversus Turcas, tam militaribus quam nummariis exhibendis. Misit ad hunc conventum Spirensē rex Galliae Franciscum Olivarium, supplicum libellorum in Gallia regia magistrum, subjectisque litteris extremo superiore mense exaratis, ad imperii Germanici ordines significavit, se ex Budensi clade gravem dolorem traxisse, rogavitque, ut regia mandata proponenti benignas aures praerent¹:

« Reverendissimis, illustrissimis, amplissimis, inclytis, magnificis et spectabilibus Sacri Romani imperii principibus electoribus, caeterisque principibus atque ordinibus Spire conventum habentibus, consanguineis, amicis et foederatis charissimis, salutem plurimam dicit Franciscus Dei gratia Francorum rex.

« Postquam de illa clade apud Budam accepta nuntium ad nos allatum est, pro nostra praestanti in communem republicam Christianam ac gentem Germanicam voluntate, fuimus commoti, paulo post eum accepimus vos venturos, ut de summa reipublicae conservandae consuleretis, nihil nobis antiquius fuit, quam ut istuc mitteremus, quod eramus statim facturi, si visum vobis fuisset maturius conventum habere: mittimus ad vos igitur, qui vobiscum de re tota convenire atque statuere possit, Franciscum Olivarium equitem auratum, libellorum supplicum in regia nostra magistrum, atque a sanctiore nostro consilio dominum de Quilers, quibus certa mandata ad salutem reipublicae Christianae nationisque Germanicae spectantia dedimus vobis proponenda, quos petimus ut benigne audiat, eisque fidem adhibeat, etc. xix Decembris MDCII ».

10. Habita est ab Olivario² regio supplicum libellorum magistro, postridie idus Februarii in principum concessu oratio, in qua post expositam nullis verborum officii regii animi erga Germanos propensionem, addidit non lacesendum Turcam pro Buda et Pesto recuperandis, cum ea urbes milite et comaeatu essent munitissima, sed potius vicinas arces necessariis ad propulsandum hostem instruendas, nec potentissimum hostem temere provocandum: pacem itaque, si ea frui liceat, bello antefereendam, si vero armis cum Turca decertandum sit, hortatus est, ut sublatis dissidiis, quae haecenus Germaniam lacerarunt, vires pro detendenda religione conjungerent.

« Orationis habite a Gallo oratore summa.

« Non videtur e re Germania, atque adeo rei-

publicae Christianae hoc tempore, id est, dissipata Ecclesiarum Germanicarum concordia, flagrantibus dissidiis, abalienatis invicem mentibus Hungarorum per dissidia et factiones non minus perturbatis, bona parte illarum Germanicum imperium aversante, denique toto orbe Christiano misere diversum proritate Turcas per inauspicatum bellum, ut Buda ac Pestum, Hungaricasque urbes recuperemus, quas illi omni arte ac studio munitas incredibili tormentorum apparatu, et insuper comaeatu, ut credere par est, abunde instructas, ingentibus et fortissimis praesidiis obtinent, hanc esse viam compendiarium ad perdendos exercitus. Deinde cum ita visum fuerit, facile fore illis per universas alias, nostris forte delassatis, et diutina militia fractis, vi obsidione solvere, vel comaeatu invehere; quod si ad praelium ventum erit, et dabitur illis vincere, antequam copias, nova tormenta, novasque pecunias cogere liceat, irrupturos illos in Germaniae viscera, ibi cladem et vastitalem miserabilem facturos, et more gentis, agmina captivorum utriusque sexus abducturos esse. Germaniam continuis militum delectibus exhaustam, et inde tutius esse, urbes eas, quae inter Budam et Austriacos interjacent limites, omni studio ac ratione munire, illic undique comaeatu ex agris convehere, quo in tuto sint validissima praesidia imponere, et omnino eadem agere in Bohemia locis scilicet maxime opportunis, quae omnia sunt factu facilia, et non magnis sumptibus indigent, et in praesens tutissima sunt, neque enim committendum esse, ut dum ferociter minusque prudenter, tam formidandum hostem provocamus, tempore tam non idoneo, ita Republicam Christianam praecipitemus in extremas miseriae: primum nobis nostra esse munienda ac constituenda, antequam invadamus in ea, quae ille tot praesidiis obtinet. Nihil esse tam pestilens, quam consilium praecipit et periculosa plenum alea, hoc scilicet tempore, quo maxime si unquam alias veris consiliis indiget Respublica Christiana, nam quamlibet temeritatem non periculum, sed ruinam secum trahere: quodcumque jam spei superest nobis, id praecipue situm esse in Germanis, tanto magis cavendum, ne per hujusmodi intempestivissima consilia tanta nobis spes pereat; praestare in res paulo secundiores curare sese, et expectare, donec Germanicae, atque adeo Christiani orbis per concordiam paulo firmiores res factae sint; illis sic dissipatis vix posse sperari victoriam, itaque si per Turcas liceat quiescere, ac pacem frui, certe pacem bello praeposendam, sic tamen, ut interim non solum constituentur atque firmentur quaecumque superant nobis, quemadmodum antea dictum est, sed insuper quia per imparatos nihil recte geri potest, primo quoque tempore conferantur, eligantur milites, conscribantur

¹ Ms. François Cardinal Barberin. sup. 2678, p. 98. — ² François de Bellef. l. XVIII. num. 7 et 8.

exercitus, denique hujusmodi apparatus ratio ineatur, quæ excipiendo tanto hosti sufficiat, si forte contingeret illum vim parere adversum vos, aut ulterius arma promovere: hæc omnino esse facienda, etiamsi ille maxime verbis pacem ostentaret; si modo ditionibus vestris tuto frui velitis, hæc agentes non posse circumveniri. Quod si non licet vobis per Turcam pace frui, non esse dubitandum, quin vi ac armis agendum sit, sed quoniam neque multum præsidii positum est in armis, neque vestra diutius stare possint, si vos adverso Deo discordes esse pergitis, serio ante omnia curandum esse, ut ille vobis placatus fiat, et sinceram concordiam e cælesti illa sede mittat, hoc prætermissa frustra humanis consiliis pugnari adversus impendentem Domini vindictam; per hæc flagella trahere ad concordiam, dum sanare cupit, non perdere. Ergo implorandam prona ac supplicis mente omnipotentem illam Domini misericordiam, quæ nunquam non patet ex animo petentibus; precandam, ut ex illo lucis supercælestis fonte haustas scintillas immittat in animos nostros vitii excecatos, quibus tandem agnoscamus in Scripturis sensum divini Spiritus, et concordibus animis amplexemur: purgandam mentem, quæ præterita scelera oderit, tola erecta sit in Deum, ab illo pendeat, illius tantum gloriam sitiat, in utilitatem proximi totam se intendat ac exerceat, atque intrepide quæcumque pericula subire parata sit pro patria, imo vero pro Christi religione ab impiorum jugo asservanda, hilariter exponere se cuicumque labori, chariores enim nos esse illi, quam nos nobis ipsis. Hanc mentem si dederit Dominus, ut certe daturus est bona fide rogantibus, primo pacem Domini habituros, quæ superat omnem sensum, deinde concordiam inter vos nullo negotio cõturam, sine qua nec imperium vestrum, nec ulla omnino respublica, quamlibet florentissima, vel tantillum consistere potest, sed quo maturius dissidia hæc componi queant inter vos, jam nunc publicam pacem ac securitatem per omnem Germaniam edicite sancientiam, hic enim primus ad concordiam gradus, interim res vestras utcumque constituat, deinde, si quæ sunt, quæ videntur obstare concordia, qualiacumque hæc fuerint, primo quoque tempore amolienda, sic stratum viam fore ad concordiam, et breve iter ac expeditum. Hæc Christianissimo regi videri in præsens utilissima, hæc admonere libere, ut sincerum amicum et vestustissimo fœdere conjunctum, denique sanguinis vestri principem, rogare, ut proinde ea boni consulatis, sicut ille candido animo offert, nihil aliud spectans quam publicam Germaniæ tranquillitatem et hujus sacri imperii salutem ac dignitatem, quam et hoc tempore, et posthac semper curaturus sit omni studio, conatu, gratia, auctoritate, denique quibuscumque in-

quam æquis atque honestis rationibus licebit, idque sanctissime vobis polliceri ».

« Hæc oratio » inquit Franciscus ¹ Belcarius, « in bonam partem accepta non fuit, rex enim Franciscus Pannoniam Turcis in prædam relinqui velle videbatur, ut Cæsar pro defendenda mox Germania sollicitus, res Italicas pro derelictis habere cogeretur ». Nulla enim subsidia pro repellendo Turca obtulerat Gallus, et cum jaclaret legatos, qui missi ad Solymanum ac cæsi erant, propterea missos, ut Solymanum ab invadenda Hungaria averteret, contrarium tamen constabat ex litteris notis arbitrariis scriptis, quarum explicationem Vastius vi extorserat: Fregosium missum ad Venetos, ut senatum a Cæsarea societate abalienaret; Rinconem missum ad Solymanum, ut illum ad bellum Cæsari terra marique inferendum incitaret. « Itaque Olivarius », addit Belcarius, « a Germanis cum sua consultatione quodammodo contemptus, nec æquis auribus auditus ante conventum dimissus in Galliam rediit ».

11. *Moronus ad dictam accedit, in qua Concilium Tridenti celebrandum proponitur.* — Moronus vero vigesima tertia Martii in conventu Spirensi productus, Pontificia mandata, quibus erat instructus, proposuit, quibus nimirum legibus fœderi Catholico accedere vellet, maximamque Pontifici animi alacritatem pro conjungendis auxiliariis armis explicuit, ut Germania Turcicam tyrannidem ferocientem retunderet. Refert Belcarius ², cum varii rumores de bello Turcico spargerentur, nec quo barbarus irrumperet certum atque exploratum esset, Paulum III pollicitum esse, si Cæsar ipse expeditionem educeret adversus Turcam, quinque millia peditum submissurum; sin vero alius præsetet cum imperio exercitui, mille quingentis stipendia suppeditaturum. Promissa ornavit auxilque operibus; cum enim elector Brandenburgensis gerendo in Turcas bello præfectus fuisset, Paulus Pontifex tria millia peditum duce Paulo Vitellio, et sexcentos equites præfecto Sfortia Pallavicino egregie instructos submisit.

De Concilio celebrandi loco deligendo exortæ deinde sunt difficultates, cum Cæsar et Ferdinandus rex, ne Lutheranos principes exasperarent, Italicas urbes pro Concilio congregando non admitterent; itaque Pontifex de his certior factus, licet arbitraretur nullum opportuniorum locum, quam intra limites Italiæ pro cogenda Synodo inveniri posse, tamen ut Cæsaris et Ferdinandi regis voluntatis se accommodaret, Tridentum proposuit, ut celebrando Concilio opportunum, vel Cameracum, quod in cardinalium senatu longe commodius Patribus visum est, propter exteras gentes, quæ facilius in eam urbem se conferre possent, in limite proximo

¹ Lib. XXII. num. 8. — ² Lib. XXXII. num. 9.

Gallia et Germania, et a Turcicis in multibus longinquoere, ita ut nec a Germanis repudiari possent.

12. Audita igitur a dicta nuntii propositione, qua Tridentum ad Concilii celebrationem exhibebatur, « Ferdinandus », ut ait Belcarius, « cæterique veteris persuasionis sive religionis principes, Cæsarisque legati gratias egerunt, et, si in Germania Concilium celebrari non possit, Tridentum non displicere declararunt. At Protestantes, qui verbo quidem Concilium urgebant, re ipsa nihil magis refugiebant, neque Concilium a Pontifice indictum, neque locum, neque quod ulla in decreto Pontificis mentio fiat, probant. Si hoc est, se quodammodo Concilii dominos constituere volunt ». Dimissus est Spirensis conventus III idus Aprilis decretumque editum, quo de communi consilio, supremum Christiani adversus Turcas exercitus imperium Joachimo Brandenburgensi electori delatum est; at quoniam in eo omnia ad bellum Hungaricum necessaria constitui non potuerunt, alter conventus procerum indictus est Norimbergæ ad idus Julii.

13. *Bulla indictionis Concilii.* — Pontifex, postquam illi nuntiatum fuit dictæ Tridentinam urbem pro cogendo Concilio placuisse, die decima tertia Augusti Concilium indicere decrevit. Sed cum tempus nimis arctum visum fuisset, post nonnullas consultationes ter habitas, tandem die vigesima secunda Maii Bulla firmata fuit, quam postea in festo sanctorum Petri et Pauli Pontifex publicavit, indixitque initium Concilii fore in solemnitate Omnium Sanctorum, ut subiectæ testantur litteræ ¹:

« Paulus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Initio nostri hujus Pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo et vigilantia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ reipublicæ malis, quibus illa jam dudum vexata et propemodum oppressa est, sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate ², ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus, nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis reipublicam, omnia invenimus odiis et dissensionibus plena, dissentientibus præsertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pæne omnis a Deo permissa est: cum unum ovile et unum pastorem ³ Dominici esse gregis ad integritatem Christianæ religionis et ad celestium

bonorum spem in nobis confirmandam necessarium esse duceremus, schismatis dissidiis et hæresibus erat Christiani nominis divulsa jam pæne et lacerata unitas. Cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis reipublicam optarem, nostris erratis nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et mediatum contra Italiam, contraque Austriam et Illyricum terra marique bellum: cum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissensiones suam rei bene gerendæ occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta hæresum, dissensionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum coniecimus in Domino cogitalus nostros, ut ipse nos nutriret ⁴, animumque nostrum firmitate et robore, mente et consilio, sapientiaque instrueret; deinde animo repentes, majores nostros sapientia admirabili et sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ reipublicæ periculis remedium optimum atque opportunissimum OEcumenica Concilia, et episcoporum generales conventus adhibuisse; ipsi quoque animum ad habendum generale Concilium adjecimus, exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, OEcumenicum Concilium, et generale eorum episcoporum aliorumque Patrum ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuæ indiximus anno Incarnationis Domini, sicut litteris et monumentis nostris festatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Pontificatus nostri tertio, ad X kalendas Junias inchoandum; spem prope certam habentes fore, ut cum illie in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicuti promisit, Dominus (Matthæi 18.) in medio nostrum affuturus, et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset; sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem et expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas condiciones subiremus ab institutis majorum nostrorum ac conditione temporum, nostraque ac hujus sanctæ Sedis ac nominis Ecclesiæ dignitate libertateque prorsus alienas, quas in aliis nostris litteris expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliamque deligere civitatem necesse habuimus, quæ cum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes kalend. Novembris prorogare Concilii

¹ Arch. Vat. s. c. num. 3232, p. 16. Lat. in Ms. Acta Conc. Trid. sub Paul. III. Bullar. in A. Pauli III. Bull. 33. — ² Hebr. V. — ³ Joan. V.

⁴ Ps. LVII.

celebrationem fuimus coacti. Interim sævus et perpetuus hostis noster Turca ingenti classe Italianæ adortus aliquot oppida in littoribus Apuliæ cepit, vastavit, diripuit, prædas hominum delegit; nos in maximo timore et periculo omnium muniendis littoribus nostris, finitimisque auxilio juvandis fuimus occupati, nec tamen interea destitimus consulere et hortari Christianos principes ut de idoneo habendi Concilium loco quid sentirent, nobis exponerent, quorum cum essent incertæ variæque sententiæ, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo, atque ut arbitramur, consilio, Vicentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum qui eam nobis concedebant virtute, auctoritate, potentia, tum aditu patentem, tum stationibus omnibus liberam, atque tutam in primis se habentem. Sed cum jam tempus longius progressum esset, novæque urbis electionem omnibus significari convenerit, jamque kal. Novembris appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent, Hyemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum sequens Ver, Maiique futuras kal. compulsi fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum et nos ipsos, et cætera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque conventum nos pararemus, plurimumque reputantes interesse cum celebrationis Concilii, tum universæ Christianæ reipublicæ Christianos principes pace inter se et concordia consentire, charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Christianissimum regem Franciscum duo præcipui Christiani nominis firmamenta, atque subsidia orare atque obsecrare institimus ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent, quorum quidem apud utrumque litteris, nuntiis et a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis sæpissime egeramus, ut ex similitate et dissidiis ambo in unum fœdus, et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus, quarum servandam cum esset illis potestas a Deo tributa, si id non agerent, et ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio ab eis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes, Niciam se contulerunt, quo nos quoque longum iter et senili ætati nostræ vehementer contrarium, Dei et pacis conciliandæ causa suscepimus, neque prætermisimus; interea cum tempus Concilii præstitutum, kalendæ videlicet Maiæ appropinquarent, tres legatos summæ virtutis ac auctoritatis a latere nostro, de numero eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Vicentiam mittere, qui initium Concilii facerent, prælatosque undique venientes exciperent, et ea, quæ judicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos ab

itinere et negotio pacis reversi omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incumbimus, et quidem omni animi studio, omni pietate et diligentia. Testis est enim Deus, ejus freti clementia nosmetipsos itineris et vitæ periculo exposuimus: nostra testis conscientia, quæ nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut prætermittas aut non quæsit ad pacificandum occasiones: principes ipsi testes, quos tam sæpe, tamque amanter nuntiis, litteris, legatis, monitis, hortatu precibusque omnibus obsecravimus, ut simulacres deponerent, ut societatem coirent, ut Christianæ reipublicæ, in maximum et propinquum jam adducta discrimen, omnibus studiis et subsidiis opitularentur. Jam vero testes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturnique animi nostri labores, gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas jam suscepimus, nec tamen ad optatum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt; ita enim visum Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum, ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore nostro gratias Deo Omnipotenti agimus, qui ad exemplum et doctrinam patientiæ nostræ voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Jesu, qui pax nostra est, contumeliam paleremur¹. Verum in illo consensu colloquioque nostro, quod Niciæ habitum est, etsi (peccatis nostris impediendibus) inter duos principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt, quarum opportunitate nos sperantes, et sacrum Concilium commodius celebratum iri, et deinde ex Concilii auctoritate perfici posse pacem apud principes, institimus ut et ipsi venirent ad Concilium, et prælatos suos præsentés ducerent absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua necesse esset, et prælatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari et refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, litteras interim a legatis nostris, qui Vicentiæ erant, accepimus, transacto jam ac longius præterito Concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus prælatum Vicentiam se contulisse. Quo nuntio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium posse, ipsi

¹ Act. v. et II Cor. II.

principibus, ut differretur tempus agendi Concilii usque ad sanctum Pascha diemque Festum Dominicæ Resurrectionis indulsimus, ejus nostri præcepti expectationisque decreta litteræ Genæv anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo octavo, IV kal. Julii facte publicatæque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque princeps, legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Niciæ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur et tractarentur, et ob hanc rationem etiam a nobis ambo peterunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilii celebrationi præponeretur, cum ipsum Concilium, pace facta, multo deinde utilius et salutaris Christianæ reipublicæ futurum esset; semper enim hæc pacis spes nobis injecta principum nos voluntatibus assentiri hortata est, quam spem vehementer auxit post discessum a Niciâ nostrum ipsorum duorum principum inter se benevola amicaque congressio, quæ maxima cum nostra lætitia a nobis intellecta confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas et vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum et expeteremus et urgeremus, nec solum duobus antedictis principibus, verum etiam clarissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum videretur actionem Concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, enucleata a nobis per litteras suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, præcipue autem instaret serenissimus Cæsar, promississe se demonstrans iis, qui a Catholica unitate dissentiunt, operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordie ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem aple non posset fieri. Nos eadem semper spe pacis, et tantorum principum voluntate adducti, cum præsertim cerneremus, ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios prælatos Vicentiam convenisse, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilii, ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus, itaque fecimus, et de suspensione hujusmodi litteras ad singulos supradictorum principum x die Januarii MXXXIX dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensio necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis, pacisque aliqua conclusio expectaretur, quæ et dignitatem postea, frequentiamque Concilio, et Christianæ reipublicæ presentiorum salutem erat allatura. Christianæ interea res in deterius prolapse sunt, Hungaris rege ipsorum mortuo) Turcam vocantibus, Ferdinando rege bellum in eos

movente, Belgis ad defectionem a Cæsare ex parte quadam incitatis; ejus defectionis comprimendæ causa magno benevolæ inter eos voluntatis judicio transiens in Belgas serenissimus Cæsar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniæ principum, et civitatum trahendæ ejus, quam dixerat, concordie causa habere cœpit. Sed cum spe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in conventibus tractandæque concordie, ad majores potius discordias concitandas aptus esse videretur, indueli sumus ad pristinum Concilii Generalis remedium reverti, idque per legatos nostros S. R. E. cardinales ipsi Cæsari obtulimus, quod etiam postremo et præcipue in Ratisbonensi conventu egimus, cum illic dilectus filius noster Gaspar tit. S. Præxedis cardinalis Contareus summa doctrina et integritate legatum nostrum ageret. Nam cum id, quod ne accideret antea veriti eramus, ex ejus conventus sententia peteretur a nobis, ut ab Ecclesiæ dissentientium quosdam articulos tolerandos declararem, quoad per OEcumenicum Concilium illi excuterentur, deciderent, idque nobis ut concederemus, neque Christiana et Catholica veritas, neque nostra et Sedis Apostolicæ dignitas permetteret, palam potius Concilium, ut quamprimum fieret, proponi mandavimus: neque vero in alia unquam sententia et voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore Concilium OEcumenicum et Generale congregaretur; sperabamus enim ex eo et pacem populo Christiano et Christianæ religionis integritatem posse recuperare: verumtamen id cum bona gratia et voluntate Christianorum principum habere volebamus, quam voluntatem dum expectamus, dum observamus tempus absconditum, *tempus beneplaciti tui, o Deus!* aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis et ad Christianam pietatem pertinentibus Concilia inveniunt. Quapropter videntes maximo quidem animi nostri cum dolore rem Christianam quotidie in pejus ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germani periclitantibus, cæteris omnibus metu maioreque afflictis, nullius jam principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, et Christianæ reipublicæ utilitatem attendere constituimus.

«Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque tum universæ Christianorum salutem, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos novi Concilii habendi loco consulere, aliquotque locis propositis, ipsam Tridentinam civitatem ab his desiderari videremus, nos etsi in citiore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paternali charitate detulimus. Itaque Tridentinam civitatem elegimus, quia in civitate OEcumenica

menicum Concilium ad proximas venturas kal. Novembris haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania cæterisque provinciis remotioribus non difficulter episcopi et prælati convenire possent. Dies autem Concilii ea a nobis spectata est, quæ spatium in se haberet et publicandi per Christianas nationes nostri hujus decreti, et facultatis omnibus prælati ad veniendum tribuendæ. Quo minus autem annum tempus præfiniremus, mutando Concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus ¹ alias præscriptum est, ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ reipublicæ, quæ tot detrimentis et calamitatibus affecta est, noluimus, et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates: quid sperari possit ex consiliis nostris incertum intelligimus. Sed quia scriptum est: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet*, magis Dei clementiæ et misericordiæ confidere, quam nostræ imbecillitati diffidere constituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana consilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi de venerabili item fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, sublata et mola suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsens tollimus et amovemus, sacrum Oecumenicum et Generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero, omnibusque rationibus opportuno, ad kal. proximas Novembris anni præsentis ab Incarnatione Domini M^oXLII incipiendum, proseguendum, et eodem, Domino adjuvante, ad ipsius gloriam atque laudem, et Christiani totius populi salutem absolvendum perficiendumque indicimus. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini MDLII, XI kalend. Junii, anno VIII ».

14. *Quid de hac indictione senserint principes.* — De hac indictione Concilii Pontifex Cæsarem et reges certiores fecit, quo argumento extant litteræ ad Joannem Lusitanæ regem, quibus Christianæ reipublicæ gravissima pericula exposuit, ad quæ propulsanda Concilio opus foret, et ad quod promovendum, ut regiam operam conferret, exoravit.

Rogatus quoque est a Pontifice Ferdinandus Romanorum, Bohemiæ et Hungariæ rex, ut præsules in regni sui principatibus constitutos, necnon Germanos urgeret, ut Tridentum pro celebrando Concilio proficiscerentur.

Meminit de his litteris Angelus Massarellus,

additque humanissime fuisse responsum a Ferdinando, se oratores amplissimis fultos mandatis ad Concilium decreturum, cum gravissima rerum mole pressus, ad id (ut gerebat in votis) se conferre non posset.

15. Significavit etiam Pontifex canonicis et Capit. Tridentino indictionem Concilii per Othoneum Truchses, quem nuntium ad dictam Norimbergensem demandabat pro eadem causa Concilii.

Functus est munere suo in Norimbergensibus comitis cubicularius Pontificius Waltpurgenensis Dynasta, atque Diploma Pontificium de indicto ad kal. Novembris Concilio Tridentino promulgavit: principes vero Catholicos, tum Ecclesiasticos, tum civiles, ut antea in Spirensibus, mandata Apostolica pio et grato animo exceperunt, ut constat ex subjecto eorum responso ¹:

« Responso Conventus Norimbergensis MDLII mense Augusti ad intimationem Concilii per nuntium.

16 « Sacri Romani imperii principum electorum consilarii, alique ejusdem imperii principes et ordines, in hisce imperialibus comitiis congregati, tam ex hortationibus vestris, nuper coram serenissima et invictissima Romanorum, et Hungariæ et Bohemiæ regia majestate domino nostro clementissimo et eidem habitis, quam ex tenore Bullæ Apostolicæ coram eis lectæ, intellexerunt præfatum sanctissimum dominum nostrum indictionem Concilii Oecumenici et Generalis in civitate Tridentina ad kal. Novembris proxime futuras celebrandi, jam antea Romæ generaliter publicatam, majestati regie, sacrique imperii principibus et status specialiter intimare, paternoque affectu hortari et rogare voluisse, quatenus majestas regia et principes, posthabitis aliis curis, eidem Concilio personaliter interesse velint; archiepiscopos autem, episcopos, abates, cæterosque prælatos Ecclesiasticos nihilominus commonefacere, vigore jurisjurandi Sedi Apostolicæ præstiti, Concilio hujusmodi universali intersint et assistant, ac hujusmodi quidem generalis Concilii indictionem, publicationem et insinuationem, principes et ordines hujus sacri imperii, necnon absentium consilarii et oratores, gratis omnino animis suscipiant, non ignorantes, quanta cum jactura jam aliquot annos variæ in religione nostra Catholica dissensiones et controversiæ subortæ sint, et quoties optatum petitumque fuerit Concilium illud Oecumenicum et Generale indici et celebrari, quæ etiam difficultates et impedimenta circa ejusdem celebrationem subinde occurrerint, quamobrem sanctitati suæ ingentes agunt et habent gratias, quod omnibus difficultatibus postpositis, sacrum Oecumeni-

¹ Concil. Const. sessio XXXIX.

¹ Ms. Francisci card. Barberini sig. 2677. num. 26.

cum et generale Concilium dictis loco et tempore celebrandum decrevit, quo quidem, si unquam antea, certe hisce quoque novissimis temporibus, Ecclesia Dei tot tantisque calamitatibus afflicta, innumerisque periculis exposita, plurimum opus habet. Proinde iidem principes et status, cum toties indici et celebrari Concilium desideraverint, prout recessibus seu decretis multorum imperialium conventuum de hoc plenius continetur, ac novissimis in comitiis Spirensibus etiam in Tridentinam civitatem pro loco Concilii designandam consenserint, eidem Concilio, aut personaliter, aut justo aliquo impedimento præpediti saltem per legitimis suis nuntios et procuratores, adesse et interesse curabunt, Deum Optimum Maximum humiliter rogantes, ut in hoc pio ac necessario proposito celebrandi Concilii sanctitatem suam elementer confirmet largiaturque, ut quod nomine suo captum est, ab ipso suscipiat incrementum, sublatique dissidiis et erroribus universis, ac Christiana concordia redintegrata, sibi placitum consequatur effectum.

« Deputati principum electorum, aliorum principum et ordinum Catholicorum Norimbergæ congregatorum ».

Hæc Catholici. At Protestantes in eadem pertinacia ac perfidia obduruere, ut vellent esse Concilii domini, non rei violatæ religionis, impostorum deliramenta impia Conciliorum decretis anteferrent, supremam in coadunando Concilio Pontificis auctoritatem denegarent, omnemque consensionis rationem eluderent. Dissolutus est is conventus exeunte Augusto, actumque de expeditione in Turcas educenda, lato xxvi Augusti de ea re decreto.

17. *Maranum occupant Galli, inde exardescit ira inter imperatorem et Galliarum regem.* — Dum Pontifex ardentissimo studio ad indictum Concilium celebrandum, comparandaque ad id necessaria incumbere, humani generis hostis, permittente Deo, cuius sunt inscrutabilia iudicia, crudele ac funestissimum bellum, ut Synodum continentibus piorum votis expellatam disturbaret, accendit. Cujus origo ex Fregosii et Rinconii oratorum Gallicorum eade in ditione Casarea patrata superiore anno manavit, qui non apparatus regis oratoribus digno, sed cultu simulato per Padum navigio vehebantur. Franciscus enim rex ultionem tanti flagitii poposcit a Cesare, concepta ea opinione, eam eadem consentiente ipso factam, vel imperio Mediolanensis præfecti procuratam, atque adeo injuriam sibi illatam sarciri æquo jure postulabat, ac querebatur pactas jam ante nuncupato sacramento inducias violatas fuisse. At imperator contendeat parum se esse atque immunitum ab eo scelere, nec illi aliqua ratione assensisse, nec auctores eædis deprehendi posse, ut supplicio afficerentur. Quare exardescit in dies

odiis res in bellum atrox erupit; ac Cæsar in litteris redditis ad Pontificem, qui illum precibus maximis urserat, ut cogenda Synodo operam conjungeret, Pontificio prius studio erga rempublicam Christianam collaudato, mox gravissimas querelas adversus Galliarum regem effudit, quas cum regis Galliarum Apologia Belcarius episcopus Metensis fuscè descripsit.

18. Amborum istorum principum studium erat, animos aliorum principum ad se allicere: at rex Franciscus Turcarum imperatorem Solymanum omni officiorum genere studuit sibi conjungere, et occasione accepta ex rebellione terræ Marani, Venetos, ut fœdus contra Cæsarem secum inirent, pertentavit. In paludibus Venetis Austriaci¹, jam triginta annorum lapsu, terram Marani possidebant, at tunc aliqui hujus terræ incolæ, Germanis terræ custodibus ejectis, regem Galliarum, cujus militare signum in mœniis crexerant, in dominum receperunt, introducto nomine regis in terram Petro Strozio perduellium Florentinorum capite: quare, cum Germani arma pararent ad illius terræ recuperationem, episcopus Tridentinus, cui hujus belli cura demandata fuerat, a Pontifice trirèmes, quas in Anconitano portu habebat, petiit. Cui respondit Pontifex, sibi necessarias pro tuendis maris Hetrusci littoribus, ac in ea controversia pacis interpretem cum Gallo regem ac Venetis acturum²:

« Dilecto filio Christophoro electo Tridentino.

« Dilecte fili, salutem. Recepimus litteras tuas Venetiis datas, super occupatione oppidi Marani, de quo nos antea audiveramus, maximamque, perinde ac debuimus, molestiam ac sollicitudinem acceperamus, cum serenissimi Romanorum regis nostri in Christo filii clarissimi causa, tum ob commune periculum, quod in hoc verti nemo non videt, quamobrem egimus super hoc statim, omni qua potuimus instantia ac studio, et cum Christianissimi regis et cum Veneto oratore existentibus, et nuntium nostrum apud regem Christianissimum certiorum super hoc fecimus, nihilque prætermisimus, quod ad officium nostrum pertineret: quo magis etiam doluimus, non potuisse tuæ petitioni de nostris trirèribus Anconitanis satisfacere, sicut optavissemus, eas enim antea ad nos, ad tutelam nostri Maris Inferi littorumque alme Urbis vicinorum, propter metum gravioris belli et excursions piratarum evocaveramus. Dat. Rom. xvii Februarii mxxii, anno viii ». Et ne putetur Pontificem captata hac occasione auxilium negare voluisse, audiamus quæ script cardinali Carpio³:

« Rodulpho tituli Sanctæ-Priscæ presbytero

¹ Paul. III. l. v. c. xli. — Paul. III. ibi. becv. an. viii. p. 63.
² Paul. III. l. iii. becv. p. 99.

cardinali, de Carpo nuncupato, provinciae nostrae Marchiae Anconitanæ, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

19. « Periculis, quæ hoc tempore universe reipublicæ Christianæ, et præsertim ditioni Ecclesiasticæ, ac quæ religionis et fidei caput est, alma Urbi, immanissimo Turcarum tyranno Italiani occupare salagente, imminere dignoscitur, et quæ eo magis timenda sunt, quo minor concordia inter principes Christianos cernitur, quantum nobis ad præsens conceditur, occurrere cupientes, et animo revolentes, quod sicut pro redemptione captivorum bona Ecclesiastica alienare licet, ita omnibus fere Sedis Apostolicæ ordinariis redditibus ob immensas impensas, quas pro illius necessitatibus subire oportuit, alienatis, licitum et honestum esse bona ipsa ad occurrendum, ne Christiani fideles, eorumque res et bona in captivitate et perditionem deducantur, attingere. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum xiii Martii m̄xlii, an. viii ».

20. Itaque Pontifex non modo episcopo Tridentino subsidium trirremium negavit, verum etiam Marani expugnationem tunc minime esse tentandam significavit: de qua Pontificis sententia cardinalis Farnesius nuntium apud imperatorem fecit certiosum, die ultima Februarii¹:

« Quoad Maranum, illius loci occupatio suæ sanctitati valde displicuit, et postquam rex Romanorum non potuit illum, antequam rebelles possent se armis et annona munire, statim recuperare, sua beatitudo existimat forsan bonum esse consilium, non esse nunc experientiam expugnationem, quia præterquam quod recuperatio forsan male cederet, rebellibus se Turcis tradendi occasio daretur, quod si eveniret, non tam regis Galliarum, qui huius loci possessionem acceptare non vult, quam Ferdinandi culpa evenisse judicaretur, quia supradictum periculum non prospexerit, id est, homines terræ Turcæ in dominum, sicuti Budæ accidit, vocaturos esse, quando in desperationem adactos se conspicerent ». Sic Farnesius.

Occasione igitur horum perduellium Maranensium², Polinus, qui nomine regis Galliarum legatus ad Solymanum pergebat, Venetiis cum esset, cogere quodammodo illam rempublicam cogitavit ad fœdus ineundum cum rege Galliarum contra Casarem; ideoque in senatu perorans, minabatur, ni cum Christianissimo fœdus jungerent, regem Maranum Turcarum tyranno esse traditurum, quæ res in maximam perniciem Venetiarum redundatura esset. Non valuerunt Polini persuasiones et minæ ad senatum inducendum, ut cum rege Galliarum fœdus iniiret.

Quare ad concitandos Turcas in Casarem profectus Constantinopolim Solymanuo persuasit, ut maxima instructa classe ditones imperatoris invaderet, ut suo loco referetur.

21. *Mittit Paulus Montepolitianum ad Carolum pro pace.* — Prudentissimus Pontifex ex aucta immani istorum principum iniunctia, proxima. Estate sæviora bella oriunda esse cognoscens, Jo. Montepolitianum, singularis prudentiæ virum, in Hispaniam direxit, ut ad pacem istos principes adhortaretur, cui subjectas tradidit litteras³:

« Imperatori.

« Charissime. Remittimus ad majestatem tuam dilectum filium Jo. de Montepolitiano, camerarium nostrum secretum, laborem præsentium, pro ea causa, quam majestas tua, tam ex nuntio apud te nostro intelligit, super rebus publicis ac pace totius Christianitatis, quamobrem majestatem tuam in Deo Domino hortamur et studiose requirimus, ut eorum utriusque fidem habens, seipsum vi sancta cogere, omni-que posthabere salutis universali velit, quemadmodum, cum gratia Domini, confidimus, te pro tua singulari prudentia ac bonitate esse facturum. Datum Romæ xxvii Martii m̄xlii, an. viii ».

22. Montepolitianus vero rediit Romam vigesima secunda Julii, cum operam et laborem perdidisset. At post ejus reditum Pontifex exposito prius cardinalibus Christianæ reipublicæ statu, pacem totis viribus inter eos principes conficiendam fore decrevit⁴. Quare sine mora duos legatos videlicet cardinalem Contarenum ad imperatorem, et cardinalem Sadoletum ad Christianissimum decrevit. Quia vero Contarenus die xxv mensis Augusti Bononiæ decessit, Pontifex in ejus locum Michaelem de Sylva tit. S. Praxedis, tunc Basilicæ xii Apostolorum suffecit.

23. *Mors cardinalis Contareni, cujus fama injuste lesa defenditur.* — Cum in mortem cardinalis Contareni incidimus⁵, de tanti viri insignibus virtutibus, deque in morte ferenda constantia nonnulla alleremus. Cum amicus eum hortaretur, ut recuperandæ sanitati totis viribus incumberet, qua reddita, legationis munus ad imperatorem quantocius perficere posset, « subdidit ille statim hilari vultu (ut Joannes Casa testatur) ad alium longe majorem imperatorem sibi iter instare, idque ipsos brevi cognituros: neque tamen se hoc dicere, quia mortem valde perhorrescat, parumque animo æquo ferat se e vita discedere: intelligere enim se præclare, quot quantaque beneficia a Deo acceperit, quorum etiam pleraque commemoravit, non gloriæ causa ostentationisque, cui tunc locus minime erat, verum ut se gra-

¹ Ms. card. Bernard. Spada tom. Lxiv. p. 454. — ² Paul. Jov. l. xli.

³ Paul. III. lib. brev. an. viii. p. 161. — ⁴ Ms. card. Spada to. Lxxv. p. 439. — ⁵ Jo. Casa in Vita Gasp. Contareni.

tum erga auctorem illorum significaret. Inquit igitur, se ortum esse in ea civitate, quæ nulli earum cederet, quæ in universo terrarum orbe existunt: familiarque, quæ haud postremum locum in ea republica teneret: consecutumque itidem in ea honores non parvos: et ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum esse: utramque vitam se cum laude aliqua coluisse, et eam quæ in contemplatione rerum versatur, et eam quæ rebus agendis incumbit: pervenisse ad ætatis annum quinquagesimum nonum, quem terminum vitæ multum attingere non potuerunt, quare secum quoque hac parte non male actum esse: canereque se debere una cum sacro hebræorum vate carmen, quod ad æquum gratumque animum significandum pertinet, nomenque illius laude gloriaque cumulandum; quia vero non tam liberaliter se gesserit erga multos, neque tot bonis expleverit omnem populum, sibi opes defuisse. Unum tantum sibi molestum esse, quod, ut optabat, commodis quorundam tenuiorum hominum non prospexerit, qui sibi, postquam ad sacrum illum honoris gradum ascenderit, fideliter ministrarint: sperare tamen se Deum optimum Maximum, Pontificemque, cujus dignitati toto animo inservierit, fortunas suorum sublevaturos. Nec oblitus est suo opportuno tempore mandare custodi ipsius, ut privilegium, quod beneficii loco a Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abstergenda traditum sibi legeret, dum mente rationeque consideret. Cum hæc animo versaret, sane constanti ac forti, atque hoc sermone semet consolaretur, suos, qui præsentibus aderant (ii autem erant, ut quisque maxime illi acceptus probatusque fuerat) angebat atque ita perturbabat, ut lacrymas vix tenere possent, e quibus tamen sibi diligenter temperabant, quamvis intelligerent, ne magna quidem copia ipsarum spectante illo effusarum, posse ipsum commoveri, et e statu illo animi dejici. Eadem vero hominis providentia in intelligendo prædicendoque suis vitæ suæ finem, exitu ipso comprobata est, quæ in cæteris rebus iudicandis significantisque sæpe apparuerat. Crescente enim semper vi morbi, remediisque omnibus superatis, oppressus ille est, animamque efflavit... kal. Septembris circa meridiem ».

24. Audita optimi viri morte, Paulus Pontifex non modicum indoluit, ac de eo hujusmodi breve protulit elogium: « Amisimus profecto magnum virum, et valde utilem Republicæ nostræ civem, sed ut alia, ita hoc magno constantique animo ferendum ». Etiam fidei nostræ inimici cum summis laudibus extulerunt, ut supradictus Jo. Casa in ejus Vita sic testatur: « Nonnulli, qui ab eo vehementer dissidebant, de ratione vivendi, veroque cultu Christiani hominis, et acerrimi adversarii opinionum, quas ille in Germania defendit, extiterunt, magnifice

tamen de eruditione continentiaque illius, in illis ipsis libris, quibus sententias ipsius oppugnabant, locuti sunt, quod fere usu venire non solet, ut a quibus de veritate hominis dissentiant, non eosdem etiam conentur deformare, atque ita auctoritate omni spoliare ». At tamen non defuerunt momi, qui ejus gloriam denigrare tentarent. Opposuerunt enim illi, quod Oehino olim Capuccioorum primario, cum quo de moribus Romanæ curiæ postremis suæ vitæ diebus collocutus fuerat, ad apostasiam animum adauxerit, cum impiissimus et mendax apostata in suæ ab Ecclesia Romana defectionis defensionem hoc asserat. Sed Jo. Casa maculam tergit, clare demonstrans Oehinum, extremis vitæ diebus Contareni, non potuisse cum eo (ut scelestus apostata mentiens audacter scripsit) prolixè alloqui, quod ita probat:

25. « Ludovicus Beccatellus intimus a consiliis Contareni, nec minus studiosus famæ existimationisque hujus optimi ac prudentissimi viri, quem sibi in vita tanquam vivum quoddam exemplar probitatis proposuerat, notam quam optimæ vitæ ipsius inurere præposterus quidam amicus studuit, hoc pacto delavit. Narrat enim forte evenisse, ut illo ipso tempore, quo graviter Contarenius ægrotabat, Bernardinus Oehinus Bononiam venerit, Romam ad causam dicendam evocatus (insimulabatur enim in suis concionibus, quas Venetiis habuerat, nonnulla dixisse, quæ veteribus decretis Romanæ Reipublicæ adversabantur): additque habuisse illum litteras ad se scriptas a Gliberto episcopo Veronensi, quibus a se petebat, ut diligenter ageret cum legato, ut hortaretur hominem ad sistendum se in judicio, coramque ad ea, quæ ipsi objiciebantur, defendenda: quum cognovisset ipsum timide ad id descendere, egereque stimulo quopiam, et auctoritate magni alicujus et gravis viri: neque enim adhuc Glibertus hominis levitatem inconstantiamque perspexerat: is autem vesperi venerat, quem jam cœnassent omnes, legatus tamen adhuc in lecto vigilaret: qui cum speraret morbum postridie leviores fore, ut commodius eum audire posset, loquique cum ipso familiariter, jussit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent; contigisse vero contra, ut ea nocte morbus ingravesceret, quare mane legatum totum distentum fuisse in remediis (quæ medici adhibenda jusserant sumendis, novisque curationibus, unde factum fuerit, ut neque de hospite illo, neque de alia ulla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala sua mens malusque animus cognitus erat, atque umbras etiam (ut qui sibi alicujus scelestis consilii sunt, faciunt) reformidabat, cepit vereri ne astute illic defineretur: putabat enim fingere morbum legatum, quo metu homo oppressus (nam hoc verum esse, non multo post

consilio quod cepit, perfectum est) non cessabat Ludovicum urgere, ut rogaret legatum potestatem sibi faciendi abeundi, in quo ille ipsi non obtemperabat, putans brevi fore, ut melius esset legato : videbatur enim sibi perspexisse, cupere illum magnopere cum Bernardino loqui, qui sane usque ad illud tempus magnum sibi nomen ex facultate illa dicendi et opinione sanctitatis conciliarat. Cum autem magis magisque semper timore crescente instaret, Ludovicus importuno sane tempore coactus est, cum aëtu febris in lectulo legatus jaclaretur, eo irrumperere, rogareque ut pateretur ipsum abire, in quo sane humanissimus vir et morem gessit : cumque ad eum Bernardinus introductus esset hæc ipsa verba protulit : Vides quo in statu sim, accusatio hæc apud te justa sit, et ora, ut Deus Optimus Maximus mihi propitijs sit ; feliciterque institutum iter perage : cui ille tantum, demisso (ut moris est) capite respondit, se prorsus ita facturum : illioque abiit. Hic est sermo, quem Bononia habuit cum optimo et modestissimo viro Bernardino, nec verbum præterea auditum est, qui tamen posteaquam susceptam vitæ rationem deseruisset, acerrimumque se hostem Pontificiæ potestatis præbuisse, ut se sapienter id fecisse ostenderet, a perditæ causa et flagitijs nullis contaminata merito defecisse, habereque se multos socios ejus consilii probare vellet, non veritus est criminari amicum, memoriæque ac litteris prodere, questum secum esse eo tempore Contarenum de moribus institutisque Romanorum antistitum, et insectatione sæva atque injusta bonorum : huicsemodeque alia multa scribere prorsus inania, et quæ non solum a veritate abhorrent, sed etiam a vita ejus, cui adfecta erant, nullo modo convenirent, quæ cuncta Ludovicus (ut est vir optimus et omnis officii, quod in eo amicitia coli debeat, observantissimus) asseverabat, refellendi ejus mendacii causa, purgandæque innocentia illius viri mortui, quem vivum magnopere dilexerat : nec tantum hoc se ita habere, testimonio suo confirmabat, sed alios etiam testes hujus rei producebat, qui præsentibus illi adfuerant, etc. ».

26. Fuit cardinalis Contarenus, præter morum probitatem, eruditione multaque scientia ornatus, uti Codices ab eo editi declarant, de quibus hæc Jo. Casa refert : « Edidit juvenis adhuc (trigesimum enim tertium ætatis annum tunc agebat) librum contra judicium Petri Mantuani doctoris sui, de Materia, de Animi mortalitate in sententia Aristotelis disputantis. Scripsit de Elementis libros quatuor, in quibus viam omnem rationemque Aristotelis diligenter expressit. Addidit his in altiore Philosophiæ parte libros quatuor ; hi libri ei, qui attente legerit, nullo negotio palefaciant, quæ fuerit vis animi ipsius, et quanta prudentia in rebus gra-

viore tractandis. Cum juvenis adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis sacris adstrictam, occasionem hanc ejus rei nactus, quod familiaris ipsius pontifex Bergomas destinatus fuerat, ipsum instituire cupiens, duos libros scripsit de officio eorum sacerdotum, finxitque ita, atque informavit talem virum, quates si forent, quibus tantum onus commissum est, non laboraremus. Præterea, quum orta quæstio esset in senatu de Pontificis Maximi potestate, divinitusne illa stabilita fuerit, an humanis consilijs regeretur, quumque multum de ea re illic in utramque partem disputatum esset, domum reversus, ut quid ipse de eo sentiret, ostenderet, omnique errore cives suos liberaret, spatio unius noctis libellum confecit, qui nunc excusus in manibus versatur. Sed, ut iisdem etiam in suo proprioque ipsorum munere prodesset ; effugiemque ejus reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de Magistratibus, Reque publica Venetorum, qui itidem divulgati sunt. Postquam vero in amplissimum antistitem collegium cooptatus est, perfectis diligenter Synodis omnibus, quæ variis temporibus ob emendandum statum Christianæ reipublicæ coactæ sunt, in breve quoddam corpus gravissimas quasque illarum collegit, servato temporum ordine, materiaque omni quam persecutæ sunt demonstrata. Absoluto autem illo, par huic opus, et quod eundem finem haberet, aggressus est ; scripsit enim quatuor libros, de Ritibus Cæremoniisque nostræ religionis persuasionisque Christianæ, quæ Sacramenta appellant ; quibus libris complexus est materiam illam omnem, et quæ radix visque ipsarum fuisset, declaravit : quidque demum pie credi et custodiri de his deberet, veris rationibus argumentisque satis firmis probavit. Confecit etiam tanquam Institutionem quandam brevem Christiani nominis : collegitque, quæ magis mordere animum debent probra omnia, ut aperire ipsa oporteat cum dolore sacerdoti. Illustravit etiam Scholijs quibusdam suis Contarenus multos obscuros locos in Epistolis divi Pauli, quo sane studio toto animo occupatus erat, cum mors eum oppressit. Sed etiam Epistelas ipse non paucas conscripsit eruditas, et optimorum præceptorum plenas ». Hæc et plura alia Jo. Casa. Et vere fulgentissimam lucernam extinctam fuisse in Israel fatendum est, cum ex ejus lucubrationibus conjiciatur, quantum et civili dominatui et Ecclesiæ luminis affererat, optandumque esset, et Deus orandus, ut tales faces sæpe sæpius accenderet, ad illuminandos, et in Dei amorem accendendos fideles, tenebrasque errorum omnium discutendas.

27. *Pontifex regem Gallia hortatur ad pacem.*— Porro Pontifex Christianissimum regem, per alias litteras a Michaelæ de Sylva in Conta-

reni locum suffecto legato ei redditus ad pacem inflectere constantissime nisus est ¹ :

« Regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster. Etsi pacis curam ac tractationem inter majestatem tuam et serenissimum Caesarem toties a nobis frustra tentate, ut aliquando deponeremus, humana prudentia suadebat, tamen Deus animum nostrum requiescere non permisit, praesertim cum videremus vestris istis acerbis et infelicibus dissidiis cunctum Christianum nomen in interitum et ruinam trahi, et quidem si recta et vera ratio locum in utroque vestrum habeat, facilis sit pacis et concordiae conventio, sed veremur, fili charissime, quod cum magno dolore proferimus, veremur, inquam, ne, quod scriptum est, obscuraverit Deus oculos vestros, ne videatis, et cor vestrum, ne intelligatis. Nos igitur toties a vobis repulsi, toties frustra habiti revertimur, tamen ad suadendam pacem non tam sponte nostra, quam Dei Omnipotentis, ut dicimus, nutu excitati, qua spe nescimus, sed certe testatum Deo et hominibus relinquemus, etiamsi vos filii parum obedientes fueritis, nos tamen optimi patris officio esse functos : hoc itaque consilio, et cum maximo consensu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, duos ex eodem numero legatos a nostro latere ad utrumque principem elegimus, quorum alter Jacobus tit. S. Callixti presbyter cardinalis, qui ad majestatem tuam destinatus est, idemque tui nominis et honoris est studiosissimus, perferet ad te omnia mandata et preces nostras, quae ad cohortationem pacis pertineant, quem non audire patienter, et nostris per eum monitis non acquiescere, vide, fili charissime, ne ingratum et molestum Deo, tibi que propterea ac rebus tuis vehementer periculosum sit, sed meliora consulat Deus, tuque, Christianissime rex, Christianas maxime admonitiones nostras et vera consilia recipe, ipsumque Jacobum legatum nostrum audi benigne atque clementer, cui ut fidem plenam habeas, tecumque ut communicare nostras rationes possit, faciles aditus ut praebes, nos majestatem tuam in Domino enixe adhortamur. Dat. Romae etc. apud S. Marcum XVII Augusti MDXLII anno VII ».

28. Demulcere etiam Henrici Delphini animum nisus est Pontifex, ut parentem regem a bellicis curis ad pacis consilia inflecteret, universam enim Christianam rempublicam exitiali eo bello in extremum discrimen conjici, nec defuturas litium componendarum rationes, quas legatus expressurus sit, ipsumque summam in promovenda pace apud Deum gratiam promeriturum, aeternumque gloria deens apud omnes collecturum.

29. *Quintuplici exercitu Franciscus appredi-*

tur Carolum. — Interea Franciscus rex Galliae, quintuplici exercitu comparato, mense Julio Caesaris ditionem in Hispania citeriore, in Insubria, in Lucemburgensi Comitatu, in Brabantia, et in Atrebatensi Ducatu invasit, ambitioso quodam ad armorum ostentationem consilio, sed ad referendam victoriam inutili, nam si ex prudentum sententia tot exercitus in unum vel duos conflasset ¹, vel Insubriam recuperare, vel aliqua provincia Caesarem spoliare, aut insigni alia clade atficere potuisset. Eduxit quidem maximo terrore exercitum Henricus Delphinus in Hispaniam, ac Perpinianum milite imparatum opprimere potuisset, sed dum Helvetios adventantes expectat, et lento gressu copias movet, Hispani arcem praesidiariis copiis egregie muniverunt. Cumque ingens auxiliaris exercitus ad eum propulsandum instrueretur, nec Barbarossam ad intercludendas Auriarias navigationes, vastandisque Hispaniae littoribus distrahendas vires ea astate venturum Gallo regi nuntiatum esset, Delphinus a patre jussus est Perpiniani obsidionem solvere, incolumemque exercitum ex hostico reducere : ita illius expeditionis spes evanuit. In Taurinis cum Galliae vires flaccidae essent, Guillelmus Langæus ex aquo pugnavit cum Hispanis, Guersassium quidem iis eripuit, sed Vastius Insubriae praefectus Villanovam Astanorum illi ademit, et Carinianum, quod tamen mox Guillelmus Langæus recepit. Tertius Gallorum exercitus e Picardia eductus ab Antonio Borbonio duce Vindocinensi aliquot finitima oppida ignobilia cepit in Atrebatensi agro. Quartus exercitus, cui praeferebat Carolus Francisci regis filius princeps Aureliae, et Guisii dux, maximo terrore irrupit in Lucemburgensem Ducatum, ac munitissimas aliquot arces Damvillerium, Zodium, Monmedium expugnavit, ipsumque Lucemburgum ad deditionem coegit. Quintum exercitum e Menapiis et Sicambriis conflatum immisit Guillelmus dux Clevensis Gallorum regis federatus de Guedria hereditaria cum Caesare certaturus duce Martino Rossemio, qui Brabantiam ingressus, capto deditione Rostratis oppido, et copiis Aurasiae ducis fusis, regionem late populatus pace Antuerpiam intercepta, a qua, fremente ira milite, plurimo (ut ferunt) auro corruptus castra movit, Lovaniumque frustra tentavit. Ita Gallorum rex, tot excitalis bellis, exiguo fructus inde retulit, nam Belgae contracto exercitu, brevi omnia amissa oppida et arces ferme receperunt, tantummodo maxima innocentium et pauperum multitudo vexata, expoliata interemptaque est.

30. *Per litteras amantissimas Pontifex utriusque principis animum flectere nititur.* — Ad sedanda tam aspera bella populorumque cala-

¹ Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 338.

¹ Paul. Jov. l. XII. Mathias Bellains l. IX. Ludovic. Guicciar. Comment. l. VIII.

mitates levandas duo illi legati, qua maxima potuerunt celeritate, ad imperatorem et Gallie regem pervenire. At Cæsari ingrata fuit ea legatio¹, atque Visensem in colloquium quidem admisit, sed tristi atque aspero vultu illum mox a se dimisit, difficillimumque aditu se præbuit, cum a pace concilianda averso esset animo; quare secunda die Novembris datis litteris ex ea legatione a Pontifice revocatus est. At Sadoletus benigno facilitate aditu a Gallo regi exceptus est, admittendæque pacis spes illi injectæ, si Cæsar ad æquas leges descenderet. Cumque asperiora in dies crescerent bella, constituit Paulus ad eos reges pro incedo colloquio proficisci, susceptumque consilium in consistorio cardinalibus aperuit, ut referunt Massarellus et Gualterius. Deinde ad Cæsarem sequentes transmisit litteras, quibus illum amantissime admonuit ad pacem cum Gallo adeo rei Christianæ necessariam, ut ea infecta, nec Turcarum impetu propulsari possent, nec Concilium OEcumenicum rite celebrari, nec Christiana res ab imminente exitu vindicari, proindeque ad redintegrandas inducias et incedendum colloquium animum inllecteret²:

31. « Charissime in Christo fili noster, salutem, etc.

« Mirum fortasse majestati tuæ videri poterit, nos hunc laborem procurandæ inter te et Christianissimum regem pacis, toties a nobis alias, et novissime per legatum ad te missum frustra tentatum nunc repetere. Sed si eadem majestas tua officium nostrum, quale in hoc esse debeat, recordata fuerit, si statum afflictæ Christianitatis respexerit, profecto eadem majestas tua, qua est æquitate ac sapientia, et nos quod agimus valde necessario agere fatebitur, et æquiori animo has nostras leget, quas nobis Dei honor, salus populi Christiani, proximique ac gravissimi periculi imminentiæ metus et dolor expressit: quamvis omnium jam inde ab initio Pontificatus nostri, sicut tuæ majestati notum est, nihil antiquius nobis fuerit, quam lenire vestras iras, per quas viam infensissimo hosti aperiri ad Christianitatis exitium videbamus; atque ob eam causam litteras, nuntios, legatosque nostros sæpius ad vos miserimus, nosque etiam ipsi Niciam navigaverimus, licet hactenus a Deo (nostris forsan peccatis obicem inter nos et illius gratiam ponentibus) non meruerimus obtinere, ut nostræ preces et hortationes ad pacem a vobis exaudirentur: tamen quoad nobis suppetet vita, nunquam a nostro munere cœpæque cura cessandum nobis putavimus etc. » Et infra: « Nos considerantes, quod stante hoc

inter te et dictum regem Christianissimum bello, nulla eidem Turcæ poterit ratione obsisti, postea autem omnis providentia sera futura est; statuimus propterea, Dei adjutorio, ut nihil intentatum relinquamus, experiri iterum per nos ipsos id, quod hactenus per litteras, nuntios et legatos nostros assequi non potuimus, nunquam aetatis nostræ, vel temporis, aut alterius ratione habita, prodire ipsi ex nostra Sede, versusque vos iter facere, colloquii vobiscum habendi causa; sperantes, si non nostra, at ejus cujus vices gerimus, reverentia, vos nostrum congressum, pro salute præsertim publica, non esse recusaturos, sed aliquem ad locum nobis propiorem venturos, in quo, cum utriusque vestrum commodo et securitate congrredi vobiscum, eaque in hoc, utinam non extremo, Christianitatis periculo explicare vobis possimus, quæ Deus nobis Omnipotens inspiraverit ad publicam omnium fidelium vestramque etiam privatam utilitatem.

32. « Quamobrem, ita nos urgente officii nostri debito, majestatem tuam per Dei misericordiam rogamus, ut nobis facultatem hujus colloquii præbere, interim ab armis cessare, ac viam tabellariis et aliis per nos ad hoc mittendis, aperiri facere, Dei et Christianitatis causa velis ». Et infra: « Hortamur insuper serenitatem tuam, veli pro sua pietate curare atque perficere, ut omnes prælati tuorum regnorum, tam Hispaniæ quam Neapolis et Siciliæ, aliorumque tuorum dominiorum ad Concilium quantocitius proficiscantur, sicut ex officii sui debito, ac nostra etiam jussione facere tenentur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XII Novemb. M^oXLII, Pontificatus nostri anno IX ».

33. Simillimis sententiis Franciscum Gallo- rum regem permovere nisus est, ut instauratis induciis ad mutuum congressum cum Pontifice ac Cæsare descenderet, ut pace instaurata hæreses comprimi in Concilio OEcumenico possent, atque contra irrupturos in Italiam Hungariamque Turcas socialia arma expediri¹:

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Elsi vereri possumus, ne hoc nostrum officium suadendæ inter te et serenissimum Cæsarem pacis, toties jam a nobis frustra tentatum, quodque his litteris nunc repetere insituitimus, nimis crebrum aut immodicum tuæ majestati videatur, propterea quod jam inde ab initio Pontificatus nostri, continuata et nunquam intermissa cura litteris, nuntiis et legatis nostris, et ante, et nuperime ob eam missis, demumque nos ipsi Niciam profecti nihil aliud egimus; tamen si eadem tua majestas pro sua sapientia animum ad nostrum of-

¹ Petrus Paulus Aret. in Diario Ms. Act. Consistor. Ms. card. Spadæ sign. num. 133. p. 420. Ms. arch. Vat. et alia. Ms. sign. 3188. p. 209. — ² Paulus III. lib. brev. an. VIII. p. 361. Ext. in Act. Consistor. scriptis ab Alex. card. Farnes. Vicecancell. Ms. car. spadæ sig. 133. p. 440.

¹ Paulus III. lib. brev. an. VIII. p. 363. Ext. etiam in Actis Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 422.

ficiam, necessitatemque Christianitatis, et pericula illi impendentia retulerit; speramus eam, et boni consulturam esse hanc nostram toties repetitam instantiam, et aequo animo has nostras literas perlecturam, quod ut facere velit, studiosè ab ea petimus, si enim unquam antea, fili charissime, pax inter vos expetenda omnibusque modis procuranda fuit, hoc certe tempore magis est, cum hostes Turcæ illi quidem antea potentissimi, nunc etiam opinione maritimarum virium aucti, et his, quæ proxime apud Pestum in Hungaria sunt gesta elati, maximos terra marique exercitus in dies apparare dicuntur, sicut nobis certissime significatum est, nec vero possumus dubitare, quin his copiis afflictam dissensionibus, et attritam viribus Christianitatem, ipsamque præcipue Italiam Vere proximo invadant, nec sperare si invaserint, eis posse alia ratione obsisti, quam si Dei clementia per hujus, quam suademus, pacis beneficium nos a potentissimo hoste tueri voluerit: quamobrem cum nos hanc curam die noctaque volventes, ut si qua possimus, his malis occurramus, nullum aliud remedium post divinam opem, nisi in Concilio universali vestraque concordia reperiremus, cum ipsum Concilium jam pridem (ut tua majestas novit) indictum nuperime Tridenti convocaverimus, loco cum omnibus idoneo, tum ad tranquillandam Germaniam (cujus rei tenemur summo desiderio, ut debemus) maxime apto, illuc etiam tribus legatis nostris S. R. E. cardinalibus jam destinatis, restat nobis alterum, ut pacis inter vos curam repetamus eo nunc acrius, quo magis et propius urget periculum, ut, sicut facere debemus, nunquam ab officio nostro desistamus. Considerantes igitur omnem postea operam seram nobis et incassum futuram, si ad vestram discordiam extremum bellum et potentissimi hostis impetus accesserit, statimur, Deo coadiuvante, priusquam omnia corrumpant, experiri iterum per nos ipsos id quod per nostros nuntios obtinere non potuimus, nulla temporis, nec nostræ aetatis, aut alterius respectu ratione habita, prodire ipsi ex nostra Sede, iterque versus vos arripere colloquii vobiscum habendi causa, sperantes, vos, si non nostra, at illius cuius vices gerimus reverentia, nostrum congressum, præsertim pro salute publica, non esse recusaturos, sed aliquem ad locum nobis propiorem venturos, in quo cum utriusque vestrum commodo et securitate vobiscum congregari, eaque in hoc, utinam non extremo, Christianitatis periculo, vobis narrare possimus, quæ Deus Omnipotens nobis inspiraverit ad publicam omnium fidelium vestramque etiam privatam utilitatem. Quamobrem, ita nos urgente nostri officii debito, tuam serenitatem, id quod et pariter cum Casarea majestate facimus, per Dei misericordiam rogamus, ut nobis facultatem hujus collo-

quii præbere, interimque ab armis cessare, ac viam tabellariis et aliis, quos mittere pro hoc possimus, aperire, Dei et Christianitatis causa velis, decrevimus enim posteaquam qualicumque Dei iudicio, nec tali tempore, talibusque periculis in hoc loco reperimus, nullas præmittere partes, vel parentis, vel iudicis, quæ ad nos, nostrumque officium pertineant: sperare tamen volumus, quod vos, pro vestra singulari prudentia et bonitate, tum his periculis animadversis, tum quod nos nullo alio respectu movemur, nisi salutis publicæ, quæ etiam ad vestram privatam redundat, cum tanquam potentissimi principes plusquam ceteri amittere in communi ruina possitis, et plus Deo debeatis quam ceteri: propterea memores vestræ dignitatis atque officii, alicubi convenire nobiscum, et nostris fidelissimis monitis aures præbere non recusabitis, cum jam dudum perspicere potueritis, quod ad equalitatem nostri in vos amoris pertinet, nos omni affectu vacuos esse, atque hunc laborem nostræ certe aetati non levem nulla alia, nisi nostri officii, divinique obsequii, et publicæ salutis causa suscipere: hortamur insuper serenitatem tuam, velit, pro sua pietate curare atque perficere, ut omnes prælati tui regni ad Concilium quantocius proficiscantur, sicut ex officii sui debito, ac nostra etiam iustione facere tenentur. Dat. Romæ xii Novembris MDCXLII, anno ix ».

34. De his Pontificiis pro concilianda pace studiis, regibusque ad colloquium amantissime vocatis, meminit Massarellus, qui etiam ita subdit: « Imperator autem Pontifici respondens sanctitatis suæ studium in exquirenda pace probavit, quæ cur hactenus secuta non fuisset, regi Gallorum eam esse ascribendam, neque colloquium tunc commode haberi posse videbatur, cum regna sua Castellæ invisere jam proposuerit, longe id a sua in Italiam protectione remota, missis ad sanctitatem suam litteris sub data, Valentiaæ xxvi Decembris MDCXLII ».

35. Nec minus Gallorum rex malorum omnium causam et invidiam in Casarem conferebat, nec placari potuere ¹, cum nondum eorum furor ducentorum millium, et amplius, ut diximus, Christianorum sanguine satiatum esset. At ab his fueribus ad alia orationem traducemus.

36. *Expeditionis Hungaricæ contra Turcas infæustus exitus.* — Narrat Paulus Jovius ² recuperandæ tum Buda a Ferdinando præclaræ spem affulsisse, cum Turcarum copiæ imminute essent, atque Hungari pari consensione ad excutiendum barbaricæ servitutis jugum conspirarent, Germani autem (decreto bello triginta millia pedum, equitumque septem millia, a regulis et liberis civitatibus submissa contlas-

¹ Paul. Jov. l. XLII. ² Paul. Jov. l. XL. Isthuani. Surms in Comment. Flacense. Belcar. l. XLIII. num. 60 et seq.

sent, ac præter Austriacos, et Bohemos, Hungarocque, Styria præfectus decem millia equitum coegisset, Pontifex etiam tria millia lectissimorum peditum Italorum, duce Alexandro Vitellio, qui militare famam collegerat, auxiliaria misisset, sed ingens ille bellicus apparatus facile dissolutus est, cum Ferdinandus prudentiæ nomen in una securitate collocans, discrimini bellico se objicere defugeret, bellumque per legatos administraret, quare tam procul a fructu optatæ victoriæ, quam e periculo abfuit; gessit vero supremum militare imperium in exercitu Joachimus marchio Brandenburgensis parum rei bellicæ peritus, ac tam lentis itineribus in hostem castra promotæ sunt, ut hostis Budam strenue communerit, castris vero ad eam defixis in aliquot tumultuariis præliis Turcæ nostris superiores evasere, donec Vitellius dux Italus, et Perennis Hungarus erumpentes Turcas astu et virtute fregerunt, diverberatis dein mœnibus tormentis bellicis, lato hiatu muri prostrati sunt, tentatæque impressio hostilis in urbem. Verum Segemenes Turcarum præfectus infra murum latam et præaltam fossam duxerat declivi utrinque margine, structisque munitionibus retro Janizzeros collocarat, et muniterat omni instrumento bellico, ut cum Itali per ruinas in murum assilissent, magna cum strage fuerint propulsati, septingentis desideratis, Germanique et Hungari Italicæ virtutis otiosi inspectores, periculum adire recusarunt, demumque Joachimus Brandenburgensis, coacto militari concilio, recipiendæ ex Turca Hungariæ spe abjecta exercitum cum ignominia reduxit: abnuil enim in discrimen venire, ut Ferdinandus in otio Viennæ triumpharet, qui si vicisset, ab eo victore Protestantes (qui in exercitu erant) sibi timuissent: his addit Surius, miratos plerosque fractam adeo fuisse militarem Germanorum virtutem, ut comparatus potentissimus ille exercitus nulla lege recesserit ex hostico, adeo ut Turcæ Germanorum ignaviam effuse riderent¹, tum subdit: « Nunquam autem tot clades totque probra ex illis spurcissimis mancipiis Germania accepisset, si non religionis dissensio animorum quoque concordiam et mutuam benevolentiam abruptisset ».

37. *Lutherani contra Catholicos bellum movent, et ditiones Ecclesiasticas incidunt.* — Hungariæ porro expeditionis occasione Saxonie elector, et Lantravius Hassiæ cum fœderis Smalcedici sociis Henricum Brunsvicensem, principem Catholicæ fidei acerrimum vindicem

appetere bello (1) eumque dititionis finibus depulere, contempto Cæsareo decreto, ne religionis causa bellum cuiquam moveretur. Ferdinandus vero rex Romanorum iuanibus tantum verbis eos a flagitio deterrere conatus est, contemptusque non expeditiv arma, ne exorto civili bello, expeditio Hungarica disturbaretur; sed nullum ex ea fructum retulit, et Catholicum principem fœderatum ejus operam implorantem deseruit. Accepit vero ex Henrici calamitate summum dolorem Pontifex, atque internuntios suos apud Cæsarem et Ferdinandum operam navare jussit, ut eum principatui restituendum curarent, eidemque paternæ benevolentia pro tuenda asserendaque ejus dignitate plurima signa explicuit¹:

« Dilecto filio nobili viro, Henrico duci Brunsvicensi et Luneburgensi.

38. « Dilecte fili, salutem, etc. Recepimus litteras tuæ nobilitatis Landsuet quarta præsentis mensis datas, et dilectum filium Paulum Scubingerum a te missum audivimus, nec potuimus ob paternum amorem, quo personam tuam prosequimur, tot tuis calamitatibus et damnis publicis non dolere, quibus quidem omni sane respectu, præcipue vero pro conservatione veræ religionis et Catholicæ fidei, quantum nobis per Deum liceat, occurrere ac providere cupientes, scripsimus constanter nuntii nostris apud serenissimos Cæsarem et regem Romanorum, ut nobilitatem tuam eorum majestatibus ex parte nostra, omni cum efficacia commendarent, significavimusque præterea eadem nuntio apud regem Romanorum, ne ad proximum conventum Landsuet una cum dictarum majestatum oratoribus ire præmitteret, eum tamen admonentes, ut si ob motus rerum Hungariæ, contra Turcas ipsi Cæsari et regi dictum conventum differe videretur, vel ad ipsum conventum suos oratores mittere nollent, nos prius certiores faceret; ut rationes et causas, quibus moverentur, considerare possemus, ne dicti belli expeditioni sine tua utilitate nocentum aliquid inferretur; id vero te, fili, pro certo habere volumus, nos semper eam rerum tuarum curam habituros esse, quam tua inclyta pietas et erga hanc Sanctam Sedem merita exposcunt, sicut diffusus cum eodem Paulo locuti sumus, ad quem nos super hoc referimus, et cui fidem habere poteris indubiam. Dat. in civitate nostra Reatis die xxix Septembris M^oXLII. Anno viii ».

39. Exerucere etiam tyrannidem Lutherani in quos potuere episcopos, nam licet in Ratis-

¹ Surius in Comm.

¹ Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 442.

(1) Expeditionis ab electore Saxonie et Hassiæ lantravio in Henricum Brunsvicensem susceptæ alia profecto fuit quam religionis causa. Cum Brunsvicensis movisset in Goslarienses quos imperator proscripserat (quanquam proscriptionem deum principibus imperii intercedentibus suspendisse ait Chytraus) supplicis illis latari accurrerunt lantravius et Saxo qui Augusto mense, arce munissima Wolfembel expugnata, Brunsvicensis redegerunt in urdiem.

honens conventu, in quo de concordia egerant, polliciti essent Casari Catholicis arma non illaturos, Hildesheimensis episcopi ditionem invasere, atque inductis concionatoribus haereticis Hildesheimii Ecclesiam clausere, monasteria eorumque vectigalia invasere, de quorum grassationibus factus certior Pontifex episcopum Hildesheimensem ad Christianam in adversis constantiam his litteris excitavit¹ :

« Venerabili fratri Valentino episcopo Hildesheimensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Idem doloris aculeus, qui te speciale, nos quoque generalem, tuae Ecclesiae pastores vulneravit, audientes quod Catholicis, qui bona ejusdem tuae Ecclesiae occupaverant, expulsis, haeretici successerunt, multo quidem illis graviore, cum illi terrena tantum bona tibi ademissent, hi etiam animas Deo tam dilectas et caelo destinatas auferre tibi nitantur, sic enim nobis relatum est ». Et infra : « Te autem, frater venerabilis, quid exhortemur? quid moneamus: qui nunquam exhortationem nostram aut cujusquam expectasti? faciemus tamen, quod dicitur, ut stimulus tuae pietati sponte currenti addamus, etc. » Et paucis interjectis : « Ad Concilii Universalis Tridentini (jam indicti) determinationem cuncta rejicias, in Deo Patre misericordiarum et totius consolationis spem certam reponas, quod tibi praesertim tuum officium exequenti porriget ex alto dexteram, et cum non det in aeternum fluctuationem justo, tandem (quod brevi fore speramus) imperabit mari et fluctus compescet: nos quidem quantum hinc efficere poterimus, nulla in parte, aut officii, aut laboris, aut studii nostri tibi deerimus, jamque ad Caesaream majestatem scripsimus, ut sua imperiali auctoritate, opportunisque litteris et mandatis, tibi et tuae Ecclesiae adesse velit, quod illam pro sua pietate et causae honestate studiose facturam esse confidimus. Datum Romae v Decembris MDXLII, anno IX ».

40. Pari etiam furore Lutherani usi sunt adversus Merseburgensem episcopum, quem ferro flammisque persecuturos interminati sunt, nisi sacerdotibus conjugia, laicisque Calicis communionem permitteret, erant enim ii duo praecipui harpagones haereseos, quibus animae in praecipua impietatis trahebantur, de quibus factus certior Pontifex respondit, ut cum Tridenti Concilio esset indictum, nil contrarium majorum institutis in hiis statueret, intrepidoque animo minas haereticorum relineret² :

« Sigismundo episcopo Merseburgensi.

« Venerabilis frater. Licet, sicut nobis significare curasti, valde urgearis a tuis subditis, ut Ecclesiasticis conjugium, et laicis communionem sub utraque specie permittere velis,

minis etiam per eos, qui ad hoc suos subditos induxerunt, additis, quod nisi permiseris, tuam Ecclesiam invadent, nos tamen de fraternitate tua tanquam de nobilissimo et probo episcopo illam spem ac fiduciam gerimus, quod talia, sicut haecenus non permisisti, nec permittere potuisti contra receptum universalis et Catholicae Ecclesiae ritum, nunc multo minus permittes, cum Universale Concilium ob hanc praecipue religionis causam Tridenti jam indictum est: nam quod ad minas attinet, vel eas non credimus processuras, cum sicut tua fraternitas novit, in novissimo Ratisbonensi conventu Casareae majestati promiserint, non nocere Catholicis; vel si quid contra te auderent, pro certo habemus nihil minori te constantia et fortitudine futurum esse, quam multi alii Germaniae episcopi fuerint, qui quamvis vexati et gravissimas passi jacturas, omnia tamen divino honori ac suo officio posthabuerunt, non timentes eos, qui postquam corpus occiderint, non habent amplius quid faciant: quamobrem fraternitatem tuam non quidem, quod nedum executione alienissimum esse debet, tamen ex officio nostro et paterna benevolentia te hortamur et monemus in virtute etiam sanctae obedientiae, et sub vinculo juramenti per te praestiti, tibi praecipientes, ut memor generis munerisque tui, imo Dei omnipotentis, solita constantia ac robore animi utaris, ac improborum vocibus ita resistas, ut omnia sicut facere debes, integra eidem universali Concilio, ad cujus determinationem eosdem tuos subditos remittere poteris, reserventur, ad quod sane Concilium quanto citius tua fraternitas accedet, quemadmodum ex suo officio et nostra etiam vocatione facere tenetur, tanto celerius ac salubrius huic periculo suorum subditorum occurret. Datum Romae apud S. Petrum die v Decembris MDXLII, anno IX ».

41. *Livonia peste Lutherana infecta.* — Grassabantur etiam in Livonia atrociter Lutherani, opprimebantque Catholicos, quorum plurimi inter gravissimas molestias in corrupte fidei puritatem constanter servare: praebuit vero haereticis insolescendi occasionem Osiliensis episcopus, qui munere suo improbe perfunctus, tumultus graves in ea provincia concitavit, ad quos sedandos, comprimendosque Lutheranos Pontifex cruciferorum Livoniensium principem suis litteris sollicitavit.

Servit nunc infeliciter Livonia Lutheranae haeresi, extinctaque equitum Cruciferorum pietate, simul libertas illius provinciae extincta est divulsaque ab imperio, intempestivaque in Lutheranos mansuetudine Caesar eos ad impietatem magis ac proterviam exasperavit, quares maxime patuit ex Ratisbonensi colloquio; nam cum concordiae studio in suscepta impietate tolerati fuissent, armis tamen, dolisque

¹ Paul. III. l. 6. c. 1. an. VIII. p. 166. — ² Ibid. p. 569.

oppressere Catholicos, atque ex disceptationibus cum iis habitis, ut errorum discussa caligine veritatis orthodoxae radios exciperent, occasionem fingendarum calumniarum sumpserunt, quasi Catholicis eorum argumentis prostrati in eandem cum ipsis sententiam consensissent, vietasque manus impietati Lutheranae porrigerent, ad hanc vero Lutheranorum impudentiam oblerendam Joannes Eckius calamum strinxit, futesque Buceri calumnias elisit doctissimis scriptis, de quibus hæc refert Joannes Cochlaeus ¹:

42. *Eckius contra mendaces Lutheranos scribit.* — « In causa religionis bene longum edidit hoc anno librum clarissimus theologus dominus Joannes Eckius, quem inscripsit apologiam pro Catholicis adversus calumnias Buceri super actis comitiorum Ratisbonæ. In eo igitur libro primum ostendit longe plures et majores articulos controversos non esse conciliatos aut concordatos per colloquium illud, quam sunt ii quos conciliatos dicit Bucerus. Deinde per multas et varias annotationes declarat quidquid in libro, qui colloquutoribus propositus fuerat, reprehensione dignum sit in quolibet libri capitulo. Sunt autem libri capitula xxii: postea reprobatur multos errores Lutheranorum, qui habentur in ix scriptis eorum, quæ per litteras A. B. C. signata erant, item ad longum per xxi puncta revellit cavillos et calumnias Buceri, quas edidit contra responsum Catholicorum principum et statum de libro colloquii Cæsari datum. Item defendit etiam cardinalis Contareni legati responsa et declarationes, quas Bucerus calumniose singillavit. Reprehendit vero responsum, quod a Protestantibus Cæsari de articulis conciliatis et non conciliatis datum fuit. Si maledicentia (inquit) Buceri imitari vellem, non deesset, quo annotationem justiori et meliori causa huic responso affigerem. At quia maledici regnum Dei non possidebunt, nolo nobilissimos principes et status Protestantium offendere, suspiciens in eis donum a Deo datum, quod omnis potestas a Deo est. Et quia ex se principes ista non habent, sed spiraculum non vite sed mortis suggerit, quæ cum fide orthodoxa non conveniunt. Nam desertores Ecclesie, apostatae, grex Epicuri, prædicatores hæretici et schismatici excellentissimos principes istos et status, Deo permittente, lethali poculo alio trahunt, non deesset amplissimus campus versandi, quod tam anxie petunt sustolli recessum Augustanum, ac si Augustus noster Carolus a Deo coronatus, cum tot Catholicis principibus (qui suæ majestati fidem dederunt de conservando recessu isto) sint muliercularum more instabiles et inconstantes, cum Sede Apostolica, cum im-

periali, et regia majestale perseverare. O quam dicebat egregie dux Georgius Saxo beata memoria princeps! Nescire Neochristianos hodie quidnam futuro anno credituri sint. Hæc, et id genus multa in eundem Buceri ». Eodem quoque anno scripsit in eundem Buceri D. Albertus Pighius Campensis itidem apologiam.

43. *Legati a latere Tridentum deputati.* — Sublatum omnino volebant Lutherani decretum Augustanum dictum *interim*, cum stare Concilii Oecumenici decretoriae sententiae detrectarent, nec in eo ferendo Carolus V dissensiones sopiverat, sed magis accenderat, cum eo temporum intervallo auctus impiorum numerus fuerit confirmataque potentia, ut numero viribusque auctiores debellare non poterit, quos tunc piorum imperatorum exemplo facile debellare delereque potuisset. Quid vero a Paulo indicto Concilio celebrando actum sit percurramus ¹. Interim Pontifex appetente indicta Concilii die, ne aliqua in re Christiana reipublice deesset, duos nuntios, videlicet Joannem Thomam Cavensem, et Joannem Matthæum Veronensem episcopos Tridentum direxit, ut quæ ad Concilii celebrationem necessaria erant, disponerent: ac die xv Octobris deputavit tres a latere legatos, qui sacro Concilio præsiderent, Petrum Paulum fil. S. Balbinæ, Parisium, Joannem fil. S. Vitalis Moronum presbyteros, et Reginaldum SS. Nerei et Achillei diaconum Polum S. R. E. cardinales. His consentiunt Acta Consistorialia, quæ addunt, Paulum ad advertenda schismatis pericula, si vitam clauderet, quo tempore solemnes episcoporum conventus agerentur, decrevisse, ut Romæ tantum successor eligeretur.

Porro, ut narrat Angelus Massarellus, « legati præsidentes die xxi Novembris ingressi sunt Tridentum solemniter more legatorum de latere: hos secuti sunt », inquit Polus Jovius ², « aliquot præclari nominis episcopi, nam Pontifex ad representandam ejus ordinis dignitatem excellenti ingenio doctrinaque supra centum descriperat, qui de veritate rerum divinarum, saluteque labantis reipublice in consensu gentium omnium disputarent. Venientes Christophorus Madrutius Tridentinus episcopus, pari splendore humanitateque vir liberaliter excepit ³. Is erat presbyter cardinalis S. Casarii in Palatio, ad quem extant xxv Octobris Pontificia mandata.

44. *Helvetios, etiam hæreticos, ad Concilium invitavit Paulus.* — Interea non prætermisit Pontifex Germaniæ populos urgere, ut oratores mandatis idoneis fultos Tridentum mitterent, quo argumento extant ad Helvetios datæ subjectæ litteræ ⁴:

¹ Angel. Massarel. in Act. Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sig. 3188. p. 36. — ² Lib. iv. — ³ Angel. Massarel. in Bar. Conc. Trid. — ⁴ Paul. III. lib. brev. an. viii. p. 534.

¹ Coel. an. 1512.

« Dilectis filiis, Sculteto, consulibus, consilio et communi Lucernensi, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus.

« Sumus vobis, filii dilectissimi, non solum exemplo prædecessorum nostrorum, verum etiam propria inclinatione et voluntate nostra, ad quam etiam dilectus filius noster cardinalis Verulanus vestri amantissimus nos quotidie accendit, paternali ac benevole affecti, tantum spei pro defensione Christianitatis et hujus Sanctæ Sedis in vestra fortitudine et devotione collocantes, quantum ei, ex vestra præteriti temporis consuetudine, et ex præsentis erga Deum et nos fidelitate, nos collocare posse videmus, sicut et vos vicissim in nobis, et hac Sancta Sede speciali matre vestra, fiducialiter et merito potestis collocare ». Et infra : « Nos enim, si quis casus advenerit pro defensione supradicta, semper vestram nationem tanquam hujus Sanctæ Sedis filiam peculiarem plurimi faciemus; cum præsertim nunc in nostra Bononiensi custodia vestrorum militum fides ac virtus nobis plurimum satisfaciat. Quod reliquum est, speramus in Deo Domino brevi fore, ut Concilio Universali, quod Tridenti tanquam loco propinquiore et opportuno ad tranquillandam præcipue Germaniam indiximus, sicut noscitis, ut cuncta Germania, nisi sibi ipsa defuerit, vestraque præcipue natio, quod maxime optamus, ab intestinis discordiis liberetur: vos proinde hortantes id, quod etiam sine ulla adhortatione vos facturos confidimus, ut quemadmodum pios et Catholicos viros decet, pro divino honore, successuroque exinde vobis et omnibus commodo etc. velitis quantum in vobis fuerit ad prosecutionem promotionemque dieti Universalis Concilii intendere, etc. Datum Romæ XXI Decembris MXXII, anno IX ».

Simile Friburgensibus, Uraniensibus, Solodurensibus.

Pellicere quoque amantissimis litteris ad Concilium Tridentinum, ejusque opera ad veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem reintegrandam enisus est Pontifex Helvetios Zuingliana hæresi inquinatos, ad quos excipiendos se paratissimum significavit¹:

« Helvetiis universalibus Bernensibus, Basileæ et Scalfusæ, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus.

« Cum Concilium Dei munere jam indictum Tridenti in loco vobis propinquo et commodo habeatis, tempus advenisse videtis, in quo una opera Deo et hominibus reconciliari, atque in veterem vestræ confessionis unitatem, qua vigente, vestra crevit auctoritas, et deficiente, nonnihil deficit, restitui et reintegrari, auctore Domino, valeatis: quamobrem nos, etsi omnium Christi fidelium salutem, pacem et concordiam universaliter cupimus, vestram tamen

tanquam peculiariam hujus Sanctæ Sedis filiorum, specialius exoptamus, etc. Datum Romæ XXIII Decembris MXXII, anno IX ».

45. *Germaniæ præsules ignavia insignes.* — Hæserunt in pertinacia hæretici, qui ministros Sathanæ pro Apostolis colebant, eorumque impia placita tanquam Evangelica oracula excipiebant, nec Tridentum adire, imo etiam Germaniæ præsules insignem negligentiam atque inertiam notam contraxere, de quibus enim est Robertus Vanehop insignis theologus in litteris ad cardinalem Sanctæ-Crucis¹:

« Multos ex iis a celebrando Concilio abhoruisse, atque etiam alios, ne ad illud se conferrent, deterruisse, omnibus, inquit, viis conantur celebrationem Concilii impedire, et variis argumentis laborant inducere prælatos et principes Catholicos ad non comparandum in contemptum sanctissimi D. N. et Ecclesiæ, nunc timore difficultatum, lyemis et bellorum, nunc detractionibus et mendaciis, dicentes Pontificem dare solum verba, et quod indixerit Concilium in incapaci loco, et incongruo tempore, scilicet perturbationum et commotionum omnium lere principum Christianorum et provinciarum, sciens Concilium hujusmodi non posse sortiri suum effectum: et publice jactitant cum sanctissimi domini nostri offensione, unum, vel alterum prælatum accessisse Vicentiam, nunc vero affirmant, nec unum comparitum », et paulo post: « et vere (quod dolenter profero) invenio plurimos etiam Ecclesiasticos, plus inhærere eorum mendaciis et credere, quam litteris Apostolicis ». Et infra: « Multa impedimenta adduxit Augustensis, primo, ratione dietæ Norimbergensis; secundo, quod esset illic futurus commissarius Cæsareæ majestatis; tertio, allegavit periculum invasionis et devastationis suorum subditorum et possessionum Ecclesiasticarum per Lutheranos, sicut nuper contigit duci de Brunsvic imminere per ipsius et aliorum prælatorum elongationem et absentiam, etc. Saltzburgæ I Octob. MXXIII.

« Robertus Vanehop theologus indignus ».

46. Agebat in Germania internumtum Apostolicum Robertus Vanehop, postea archiepiscopus Arnachanus, felicemque Catholicis confirmandis et confutandis hæreticis operam dabat, multamque animarum colo inferendarum messem colligebat. Item vero libellum supplicem ad legatos decretos pro felici progressu Concilii scripsit, in quo monuit non ablandiendum hæreticis, maxime pertinacibus inque flagitio obfirmatis, in causa fidei non duccendum tempus, sed fidei regulam ad unum iota sive apiculum defendendam, ut magnus Basilius cuidam Valenti comiti respondit, non abstandum episcopis et principibus Germania

¹ Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 562.

¹ Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3230. p. 3.

non comparentibus, sed perstandum : si Cæsar et alii principes non compauerint, iterum ad-mo-nendos rogandosque.

Aliorum etiam regnorum præsules longio-res moras in protectione ad Concilium Tridentinum suscipienda extraxere, qua de re extant ad regem Lusitanæ litteræ xxix Decembris, ut Lusitanos præsules Tridentum proficisci iuberet, quo legati cardinales jam se contulerant.

47. *Cardinalium Gallorum et Hispanorum sequitiam litteris Paulus perstringit.* — Ad perducenda feliciter consilia versandamque rerum gravissimarum molem, exciverat jam ante Paulus cardinales in Urbem ex reliqua Italia, necnon e Gallia et Germania : at cardinales Galli et Hispani in capessendis imperiis Pontificiis, orandaque ad Pontificem protectione segniore extiterent, quos perstrinxit Paulus subjectis litteris, quæ Lotharingo cardinali inscriptæ sunt ¹ : « Cardinali Lotharingæ.

« Dilecte fili noster, salutem. Superiore anno considerantes, quod S. R. E. cardinales ad id creantur, ut Romano Pontifici in participatione curarum præsentibus assistant; eaque esse tempora, ut si quando antea illorum opera et consilium cuiquam nostrorum prædecessorum opportuna fuissent, nobis maxime necessaria tunc essent, cum Universalis Concilii instaret celebratio, ac de summa rerum totius Christianitatis, maximoque illius periculo ageretur, vocavimus ad suum officium circumspeditionem tuam, a quo tandem abfuerat, eique injunximus et in virtute sanctæ obedientiæ præcepimus, ut sine alia excusatione vel dilatione quamprimum commode posset, iter ad nos arriperet, ita ut in quarta feria Cinerum tunc secutura, et nunc elapsa, apud nos esset, quo ejus opera in tanta rerum ac temporum difficultate utili possemus. Licet autem complures cardinales, quos tunc vocavimus, ad nos postea venerint, atque eadem causæ, quæ nos ad id moverant, non solum ex tempore non cessaverint, verum (sicut circumspectio tua non ignorat) etiam auctæ fuerint, hodieque sint, crescente in dies hæresi, progrediente contra nos Turca, Christianisque principibus in mutuam perniciem se atterentibus, tamen eo usque toleravimus remansio-nem isthuc circumspeditionis tuæ, donec ipsum Universale Concilium ad kalendas Novembris proximo futuræ Tridenti indiximus, postquam indictionem

lapis jam tribus mensibus, reque ad omnium notitiam deducta, non putavimus fore ut circumspectio tua diutius ad nos venire differret, cum præsertim probe sciret, et ex nuntio isthuc nostro intellexisset, nos post indictum Concilium neminem cardinalium a veniendo excusatos esse; itaque mirati non parum sumus, te, audita ipsius Concilii indictione, nostræ vocationis et tui simul officii fuisse oblitum, nec nos aliquid de tuo ad nos accessu audire. Quamobrem eidem circumspeditioni tuæ per præsentibus demum injungimus, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut, omni prorsus dilatione vel excusatione remota, nullaque alia jussione a nobis expectata, quamprimum iter ad nos arripias, ita ut ad nos in proximo festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi omnino sis, qui et ipse tuo officio non desis ulterius, nosque tua opera, consilio, prudentia et auctoritate, sicut cupimus, in tantis rebus uti possimus. Datum Romæ xvi Octob. mōxlii, anno ix ».

Simile cardinali Borbonio, card. Turnonio, card. Le Veneur, card. de Giury, card. Parisiensi, card. Le Noncourt, card. Aurelianensi, card. de Castilliono, card. Scotiæ, card. de Gaddis, card. Ferrariæ.

Simile cardinalibus Toletan. Hispanen. Gebunen. Cibo, de Auria, Grimaldo, Moguntino.

Horum consilium meditabatur difficultatum occurrentium molestias lenire, ac salubriora expedire consilia, disciplinæ etiam instauranda sedulam operam navabat, ut ex Actis consistorialibus ¹ constat (1) :

« XIV Julii mōxlii, apud S. Marcum fuit consistorium. Factum est verbum de reformatione, dataque omnimoda facultas reverendissimo domino S. Clementis ac Rodulpho, ut examinet et executioni mandent reformationem alias scriptam ac promulgatam ». Nonnullis interjectis, addunt eadem Acta : « XI Octobris apud SS. Apostolos fuit consistorium. Fuit factum verbum de reformatione curiæ, de hæresibus ».

48. *Poloniæ episcopos monet Paulus ut hæresim in fomite præfocare studeant.* — Ingravescebat admodum earum furor; e Germania enim progressa hæresis Lutherana in vicina regna. In Polonia hæc magnos tumultus concitavit, cumque ex regum et populorum obsequio Romano

¹ Alex. Farn. in Actis Consistor. Ms. card. Spada sig. num. 133. p. 445.

¹ Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 366.

(1) Reformatio illa cujus in Actis Consistorialibus, hic in Annalibus productis, fit mentio, commissa fuit a Contarino, Sadoleto, Caraffa, Polo et episcopis ac theologis nonnullis quos Paulus Pontifex delegit ut reformandæ Ecclesiæ rationem scriptis consignarent. Eliderunt illi scriptum insigne in quo ea que reformatione indigebant ad certa capita redegerunt. Ac primo quidem ea descripsit que a Pontifice ut supremo Ecclesiæ capite desiderabantur; dein ea subjecerunt que illi ut Romana Urbis episcopo in melius reformandæ diocesis sue compete-bant. Scriptum istud typis sæpius vulgatum est. In nonnullis editionibus accesserunt supplementa loco Gaspari Contarini cardinalis hoc anno vita functi Epistolæ geminæ quarum alia est ad Paulum III Pontificem de potestate Pontificis in usu clavium; altera vero ad eundem exitum Pontificis potestatem in compositionibus. Utraque hæc Epistolæ abusus quosdam, sive qui in opiniones doctorum, sive in curiam irreperant, castigat et emendat.

Pontifici præstito, et sacrosanctæ auctoritatis veneratione religio orthodoxa inconcussa consistat, nonnulli proceres impii Polonos ab obsequio et auctoritate Pontificis divellere percontarunt, atque decreta nonnulla nefaria captata absentis regis occasione ediderunt, ad quæ abroganda Paulus regem his litteris commonefecit¹:

« Regi Poloniae.

« Charissime. Cum esset ad nos allatus nuntius, qui diceret, auditum fuisse ex quibusdam tuorum, qui non parvam in tuo regno auctoritatem habent, decreta quadam adversus nostram et hujus sanctæ Sedis dignitatem jurisdictionemque a proceribus et secularibus regni tui (te tamen absente) fuisse facta, etsi neque credere poteramus, in tam Catholico regno, Christianissimæque natione quidquam ejusmodi captum attentatumque fuisse, neque de re ipsa aliquid clari certique habebamus: tamen cum optime nosceremus majestatis tuæ virtutem, pietatem, sapientiam, duximus ad eum esse scribendum, nostræque mentis cogitata apud optimum et prudentissimum regem expromenda. Nos enim, filii in Christo charissime, cum reliquas tuas virtutes præstantes atque egregias semper amavimus, tamen illam moderationem animi tui, qua semper Christianis legibus subjectus, unum Deum, in cælo æternum et omnipotentem, et unum in terris ejus ipsius Dei Christianique vicarium tibi agnoscendum honorandumque proposuisti, summis laudibus dignam esse existimavimus, tantoque in honore semper habuimus, ut tuæ majestatis nomen nobis inter cætera præcipue amandum extollendumque videretur, et hoc etiam studiosius, quod vidimus Dei omnipotentis de te judicium cum nostris judiciis convenire. Etenim quis tibi taustos perpetuo felicesque successus, quis longævam vitam regnumque stabile inconcussumque concessit, nisi idem Deus, cui in hac re maxime inservivisti, quod unum ovile et unum pastorem, quantum in te tui, semper agnovisti? Nec vero quidquam omnino gratius esse Deo omnipotenti potest, quam unitatis inter ipsius cultores, charitatisque mutua conservatio, que si his temporibus aliquoties rupta et labefacta est, ab hacque sancta Sede, quam Petrus et Paulus beatissimi Apostoli et reliquorum principes suo pretiosissimo sanguine in caput Catholicæ Ecclesiæ consecraverunt, discessio facta, non potest tamen ulla humana mutatio jus divinum infringere. Est fortasse bono regi laboriosior hoc tempore, hujus, quam dicimus, Christianæ unitatis et Catholicæ veritatis in suis populis retentio, sed virtus tamen et diligentia hoc facientis illustrior, que tanto magis abs te, filii charissime,

requiritur, quanto tu, et majoribus virtutibus ornatus, et pluribus beneficiis a Deo affectus fuisti. At nos, qui nunc Dei providentia, non meritis nostris, in hoc Apostolatus fastigio constituti sumus, gravesque curas et infinitas pene sollicitudines animi sustinemus, quod videmus omnia circumcirca collabi et jam ruere, nec possumus tantis totque incommodis, ut vellemus, subvenire, quanta in rerum omnium desperatione essemus, nisi primum haberemus in Dei clementia misericordique fiduciam, deinde in iis regibus, qui vere membra Christi sunt, spem opis atque auxilii non parum poneremus, qui, si vellet omnes nobiscum una optulari detrimentis publicis, facilis esset rerum labentium sustentatio, et in meliorem statum restitutio: sed si non omnes volunt (qui utinam aliquando velint!) saltem quos sibi commodos et salutare sæpius experta est Christiana respublica, quosque magna ex ipsorum piis sanctisque actionibus gloria consecuta est, persistent licet et perseverent, ut aliquas tamen partes in Christiano genere habeat Deus, quas in sola unitate, Catholiceque concordia habere divina ipsius majestas potest. Tu ergo, rex semper piissime semperque Christianissime, qui tot tamque eximia de tuo præstante in Christianam rempublicam animo documenta præbuiti, solita tua pietate et religione, dignam tua regali providentia curam adhibe, quemadmodum tu pro tua veteri gloria et consuetudine per te ipsum facturum fuisse speramus, et jam fecisse confidimus, ut regnum tuum et populi in eo omnes in fidei unitate Christianoque officio contineantur, ne perpetua hujus sanctæ Sedis jura apud eos violentur, cum præsertim nos in gratiam tuæ majestatis multa isthuc prælati tui regni indulserimus, etiam de jure nostro remittentes, idque etiam ad petitionem tuæ majestatis, quam moderatione regia et se digna usuram speramus, quantum cum Deo et honestate facere poterimus, libenter facere parati erimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xxiv Junii mdxlii, anno viii ».

49. Munit etiam Pontifex Poloniae episcopos, ut impiorum molimina eliderent, ac Sedis Apostolicæ auctoritatem, a qua ipsorum pendebat auctoritas, tuerentur, discederent ex funesto Germaniæ lapsu præfocare hæresim in fomite antequam adolesceret, contempla enim Sedis Apostolicæ auctoritate mox Polonicam Ecclesiam malis innumeris obrutum iri, denique ad conceptum fidei sacramentum tuendum excitavit¹:

« Venerabilibus fratribus universis prælati regni Poloniae.

« Venerabiles fratres, salutem. Magna nos affecisset molestia rumor isthinc nuper allatus

¹ Paul. III. hb. brev. an. VIII. p. 298 et 329.

¹ Paul. III. hb. brev. an. VIII. p. 288.

de quibusdam per seculares istius regni attentatis contra jus et dignitatem hujus sanctæ Sedis, nisi ea, et absente vestro serenissimo rege, et vobis, ut debeatis, refragantibus minimeque consentientibus, gesta fuisse intellexissemus, speque certa teneremur, eumdem regem, cujus pietas, sapientia (inoffenso pede ad hoc ætatis et felicitatis, Deo illum remunerante) provecla est, alia omnino rejecturum esse, vobis præsertim illius auctoritatem sequentibus. Quamobrem, et si illo rege talibusque prælati, nihil quod illius bonitate vestroque officio indignum esset timebamus, tamen moti hominum fama, has ad vos dandas duximus, non minus, ut vos debita laude, quam ut hortatione non necessaria prosequeremur. Est enim hæc vestra in officio constantia, quamvis per vos debita, tamen laude et commendatione plurimum digna, sive fidem, sive pietatem, sive prudentiam vestram consideremus, illa fuit fides jusjurandum servasse in promissione vestra præstitum, illa pietas ab Ecclesiæ capite atque unitate non discedere, illa prudentia prospicere ac prævidere qualis ruina Ecclesiæ Polonicæ per hæc initia aperiri posset, quod quale sit, vicina vos Germania edocere potest, cujus Ecclesiæ iisdem fuit paulatim concussæ sunt, ita ut multæ earum, conviventibus ad primos motus prælati, rem dignitatemque suam occupantibus laicis amiserint, quod Deus a vobis longe dignetur avertere, sed tamen qui caput Ecclesiæ nunc petunt, mox si obtinuerint, nequam membris parsuros esse credatis : quod si id quod de vobis firmiter sperandum est, quodque sine summa impietate prætermittere non possitis, unitatem in Ecclesia cum vestro capite sub illius obedientia conservaveritis, solitamque reverentiam ac recognitionem huic sanctæ Sedi in honorem Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum continuaveritis, tanto jam tempore, tantoque gentium Christianarum consensu observatam, tum vos quoque vestram dignitatem vestraque jura tuto retinebitis, quod Deus omnipotens vobis perpetuo concedat, idque futurum nobis post Dei clementiam vestra dignitas ac probitas, vestrorumque serenissimorum regum pietas firmiter pollicentur. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum XXIV Junii M^oXLII, anno VIII ».

50. In accipiti eo rerum discrimine, quod a novarum rerum cupidus imminabat, visum est archiepiscopo ¹ Gnesnensi Poloniæ primati congregandam esse Synodum in qua de placanda divina ira, ob quam tot consurgebant hostes adversus clerum, deque elidenda impiorum audacia atque improbitate, collegiisque procrudienda pietate et doctrina orthodoxa juventule ageretur :

¹ To. XIII. de Conc. Ms. Arch. Vat. sig. 3200. p. 157. syn. in Polonia Archiepis. Gnesnensis.

« Articuli, de quibus in proxima Synodo deliberandum et consultandum erit.

« I. Quandoquidem invalescunt mala, quæ Ecclesiam in præsentia nostra perturbant, et ordinem Ecclesiasticum subruunt, neque ullum remedium quod tentatum sit profecerit, dubitare nemo potest quin digitus Dei sit hic, cujus furor et indignatio effusa super nos. Quamobrem querenda erunt causæ tantæ indignationis, et inveniendus modus earum tollendarum, ac placandi Dei, si forte conversus respiciat nos, et iram suam avertata nobis. II. Quid cum pertinacibus et obstinatis blasphemis Ecclesias occupantibus, sacrosancta prophanantibus, synagogas novas extruuntibus, in tanta effrenata audacia et licentia, ubi nullum in legibus et magistratibus præsidium est, faciendum sit. III. Querenda erunt viæ, quibus ii qui discesserunt ab unitate Ecclesiæ et in tot sectas scissi sunt, sanari et ad unitatem Ecclesiæ reduci possint. IV. Inquirendum erit, si aliquis abusus, superstitiones cum doctrina et pietate Catholica pugnantes invectæ sint, et quomodo sine offendiculo et scandalo tollendæ erunt. V. Consultandum erit, qua ratione reformatio cleri aggredienda est, et quatenus extendenda, ne infirmioribus occasio detur ad hæreticos transfugiendi.

« Cum tanta sit inopia sacerdotum et clericorum, ut multæ Ecclesiæ deserte sint, non sine magno animarum periculo ; sacerdotia quoque minora, redditibus eversis, extincta, querenda via erit, qua seminarium aliquod institui possit, et dispiciendum anne expediat collegia Societatis Jesu in celebribus locis, utpote Cracovie, Poznanæ, Mazoviae, Leopoli et Vilnæ, aut saltem in aliquibus horum institui, ex quorum integritate, doctrina et miro instituendæ juventutis compendio ingentem profectum ad pietatem Viennæ vidimus, et unde sumptus, et ad docendos et ad alendos petendus sit ». Et paulo post :

« In conventu, qui proxime præterit, tantus impetus tantaque impulsio ab hæreticis, qui per speciem tuendæ libertatis publicæ, inter multos Equestris Ordinis facile primum locum obtinent, eosque cæteri etiam Catholici sequuntur, facta in nos fuit, quod cum sustinere nequaquam possemus, coacti fuimus ex sententia, qui aderant, omnium Ecclesiarum Cathedralium prælatorum promittere Synodum sub ipsius proximi conventus tempus nos esse habituros, atque ibi de omnibus istis controversiis quæ nobis cum Ordine Equestri interveniunt, amice et fraterne acturos, et quanquam in eo illi non acquieverint, atque rebus infectis discesserint, majestatem tamen sacram regiam ex ea nostra promissione litteris publicis testatam esse accepimus. Quamobrem consultandum erit, quid facere nos oporteat.

« De eo etiam agendum erit, qua ratione,

et quatenus disciplinæ Ecclesiasticæ extendere jura et libertates Ecclesiarum retinere possimus et debeamus, clerumque plus nimio oppressum sublevare valeamus. Illud quoque in deliberationem veniet, quandoquidem a Summo Pontifice requisili sumus, ut Concilio Generali, quod prope diem indicturus est, intersimus, existimamus ad id requisilos esse ibidem et alios reverendissimos dominos episcopos nostros, num liceat expediatque nos his in periculis temporibus ab Ecclesiis nostris abesse. Deinde, qui mittendi sint Provinciæ totius nomine, qui et intersint Concilio, et approbent Sanctitati ejus et Concilio causam absentium, etc. ».

51. *In Scotia res penitus labefacta morte Jacobi regis.* — In Scotia res turbari cœptæ sunt, quæ postea penitus labefacta ceciderunt; extremo enim anni mense Decembri Scoti cum exercitum eduxissent adversus Henricum Angliæ tyrannum¹, incuria sua, magis quam hostium virtute, fusi fugatique sunt, ex qua clade Jacobus ejus nominis V maximo merore confectus lethalem morbum contraxit, ac die decimo tertio Decembris obiit maximo rei Catholicæ damno, cum religionem Catholicam maximo pietatis ardore defendendam suscepisset. Reliqui hæredem Mariam filiam unicam in ætate imbelli ex Maria Lotharinga suscepam. Cum vero in Scotiam pervenisset hoc anno S. Ignatii socii, qui internuntii in Hiberniam decreti fuerant a Pontifice, atque in eo regno pietatem latius propagare percuperent, Paulus iisdem prærogativis, quas in Hibernia contulerat, eos affecit.

52. *Hæresis Calviniana Galliam implet suis erroribus.* — In Gallia hæresis Calviniana clam sepebat, cum plures novarum opinionum audiendarum curiosa prurigine incitati, pestiferos Hæreticorum libros, ac novas Calvinii hæresiarchæ institutiones leclarent, ac mellita eloquentiæ lenocinio illecti, impia simul venena, quibus conspersæ erant, haurirent, de quibus factus certior Pontifex, Senonensem archiepiscopum admonuit, ut implorato regio auxilio, in eos qui hujusmodi venenatos libros tenerent, aut venderent vel emerent acriter animadverteret² :

« Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Senonensi.

« Venerabilis frater. Cum cæteras virtutes tuas sæpe ac merito laudavimus, tum præcipue illam, quod tu tanquam bonus pastor et diligens, clamorem audiens ululantium luporum, ita tuam dioccesim tuasque caulas hætenus custodivisti, ut iidem lupi rabiem Lutheranae hæresis inferentes, illas intrare ovesque tibi commissas lacerare nequiverint, de quo plurimum gaudemus, ut debemus, tam Dei omni-

potentis ac nostra, quam tua etiam causa, nihil ambigentes quin eandem diligentiam atque curam sis adhibiturus, et nunc, et in posterum, sicut tuæ probitati, consuetudini atque officio convenit; nos enim tibi, ut omnia, quæ ad hoc pertinuerint, facere, et præsertim ne libri ipsius hæresis a quibusvis laicis aut clericis tui diocesis emanent, teneantur aut legantur, sub pœnis tam Ecclesiasticis quam pecuniariis prohibere, et contra prohibitionem tuam facientes, etiamsi ipsi clerici a tua jurisdictione ordinaria per Apostolicam Sedem exempti quomodolibet fuerint, per easdem pœnas ac etiam interdicti appositionem, et si opus fuerit, auxilii brachii sæcularis invocazione debite coercere possis et valeas, Apostolica tibi auctoritate tenore præsentium concedimus, non obstantibus ipsis exemptionibus ac litteris Apostolicis super illis expeditis, cæterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus etc. mentionem. Datum Romæ xxii Decembris m̄xlii, an. ix ».

53. Hoc anno Joannes Calvinus¹, qui hætenus Lutheranorum more realem Christi præsentiam in Eucharistia scriptis professus erat, impietate auctior, eam e suis institutionibus expunxit, ut observat Claudius Espenæus doctor Sorbonicus. Moliebatur Calvinus novam religionem conflare, atque adeo diem Veneris pro die Dominico celebrandum indixit, ut illius secla cum Mahumetica consociaretur; sed illi a sectariis paritum non fuit. Ensis pariter est cum Joanne Vireto, et aliis auctoritatem ferendi anathematis sibi arrogare, sed magistratus hærelci se illi subjicere in ea re detrectarunt.

Cæterum, infelicissima illius secta latissime propagari cepit, cujus sequaces fuisse deteriores paganis probat Guillelmus Rossæus: « Vastum, inquit, blasphemiarum pelagus est, et quo longius in eo quis fuerit proventus, eo majorem atheismi altitudinem et abyssum deprehendit ». Et infra: « Evangelici, quibus persuasissimum esse debebat primitivam Ecclesiam, quasi Christo et Apostolis proximam, sanctissima verissimaque fide præditam fuisse, Luciferiana superbia eam aspernantur, et singuli hæretici, Calvinus cum suis potissimum, in quibus primitiva Ecclesia ab eorum placitis discedit, in iis primitivam Ecclesiam totam ignorantæ et stupiditatis damnare non verentur. Si quis eos premat auctoritate non unius, sed omnium simpliciter Ecclesie primitivæ Patrum, ut probet Purgatorium, et præces pro Defunctis: Scimus, inquit, fuisse vetustissimam Ecclesie consuetudinem, eamque Patres Apostolici tradentibus ascribere, sed querimus, Num in eo recte fecerunt? Aerium contra sentientem, hæreticum judicantur, sed immerito ».

¹ Lud. Guicc. in Com. — ² Paul. III, lib. brev. an. VIII, p. 555.

¹ Espenæus in lib. de ador. Euchar. Jacobus Lantgens in Vita Calvin. Guill. Bossæus p. 215.

Si dicas, fidem approbarunt sacrificium, et Prophetarum oraculis tanquam Christianæ fidei articulum astruxerunt : Ita quidem (aiunt) sed tamen « in ea magis ignoscendum est eorum inscitia, et sepeliendum dedecus », quam prædicanda auctoritas, aut ei confidendum.

Si ad penitentiam pro peccatis agendam, et dignos satisfactionis fructus edendos ejusdem Ecclesie exemplo et doctrina, alium voluptuarium ex hoc grege discipulum adhortaris, respondet ut a Magistro suo instituitur ¹ : « Parum me movent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter) omnes fere, quorum libri extant, hac in parte lapsos esse, aut nimium aspere et dure locutos. Neque vero excusari ullo pacto potest immodica veterum austeritas ». Si Quadragesimæ saltem paucis septimanis acriore jejunio corporis lasciviam reprimendam esse, si sacerdotibus a conjugio abstinendum, quo plenius Dei cultui precibusque incumbant, disputas, tota primitiva Ecclesia utique horum sutragantia : « Fate-mur, inquit ², tunc invaluisse superstitionem Quadragesimæ observationem, qua et vulgus exitium aliquod se præstare Deo existimabat, et pastores eam commendabant pro sancta Dei imitatione, sed mera fuit cacozelia, et superstitionis plena », illud vero alterum « de conjugio Sacerdotibus interdicto ³, factum est mera tyrannide, et fanatici homines erant » illi Concilii Nicæni patres, qui celibatum sacerdotibus imponere volebant.

54. Addit idem auctor de Calvinistarum erroribus ⁴. Ut plurimam animam mortalem esse summa contentione urgent, et ea fide innumeros Evangelicorum greges inficiunt, una tamen ad tempus breve addunt eandem animam cum corpore olim resuscitandam, ut extremo judicio sistatur : ita plurimi rursus totam eam Catholicorum de Resurrectione fidem ridiculam et papisticam esse concionantur, nec quidquam tale unquam expectandum, figurisque et metaphoris solito Protestantium more ludentes, illas ipsas suorum catervas ad explodendam penitus resurrectionis fidem promovent, id quod ingenue fateor Petrus Martyr ⁵ : « Hodie, inquit, emergerunt Libertini, qui corporis Resurrectionem derident, et Scripturas conantur eludere, quasi loquantur de resurrectione animorum, qui cum mortui essent peccato, per Christum et fidem in eum vitæ restituntur. Neque dici potest quam facile inhæreant hi sermones in auribus infirmiorum fratrum, et tamen resurrectionis articulo sublato, cuncta nostræ fidei mysteria funditus evertuntur ».

55. Nec dissimile est Calvini de sui Evan-

geli sectatoribus judicium ¹ : « Vix enim, inquit, eorum decimus quisque est, qui fidei puritatem ad extremum usque retinet : omnes fere ad corruptelas degenerant, et a magistris licentia delusi prophaneunt (hoc est, evadunt Athei) et quamvis præclarum Evangelii zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies ple-nos perfidia, fraudibus et dolis ».

Distinguit Calvinus hoc genus Evangelicorum in duas sectas, sed adeo late patentem, ut sub earum altera longe maxima Protestantium pars comprehendatur. Sic enim ille : « Illominis animam alii a morte ad iudicii usque diem, quo a somno suo expergefiat : sine memoria, sine intelligentia, sine sensu dormire putant. Alii nihil minus quam substantiam esse volunt, sed vim dumtaxat vitæ, quæ ex spiritu, arterie aut pulmonum agitatione ducitur, et ideo cum corpore interire et evanescere fingunt, donec totus homo suscitetur ». Utrosque autem ad opinionem quam latissime disseminandam summo studio elaborasse, eam ob causam, ut cum Luthero Pontificum de Purgatorio et Sanctorum invocatione doctrinam a fundamentis convellerent, idem Calvinus in eodem loco testatur, qui etiam recte monet, hos, etiamsi verborum forma multum discrepare, tamen et priores, qui animam vivere verbo quidem largiuntur, omni autem sensu et intelligentia privant, re non minus quam posteriores eandem interficere et extinguere, cum sensum et intelligentiam eripiunt, in qua posita est animæ vis tota et energia. Hoc enim si sustuleris, anima non magis eo nomine vocanda est, quam corpus organicum illud quod mortuum est, et in cineres dissolutum.

56. *Ochinus Cappuccinorum Generalis ab Ecclesia deficit.* — Serpere etiam in ipsa Italia animadversa est hæresis, adeo ut non laici modo, sed etiam religiosi impietate Lutherana polluerentur, et quod maximum piis omnibus stuporem et offendiculum attulit, Ochinus magister supremus Cappuccinorum Ordinis pietatis laude florentissimi ad Zuinglianos turpissime transfugit hoc anno, ut narrat Petrus Paulus Gualterius ². « In principio (inquit) Septembris frater Bernardinus de Senis generalis congregationis Cappuccinorum, qui diu sanctissimæ vitæ habitus fuit, discessit ex Italia, et profectus est Genavam ad Lutheranos; causam ambitionem fuisse puto », pensasse illum cardinalatum ferunt, speque sua deturbatum se prostrasse.

Hic itaque dum in Draconem versus sub Agni veste hæresim Veneticæ ac Neapolitanis, Ecclesiastica abusus eloquentia, instillaret, Cajetanus Thyenæus, Theatinorum Ordinis insti-

¹ Calvin. Inst. l. III. c. 4. § 38. l. IV. c. 22. § 8. — ² Ib. l. IV. c. 12. § 20. — ³ Ib. § 23. — ⁴ Guill. Boss. p. 212. — ⁵ Petrus Martyr. in I Cor. cap. 15.

¹ Guill. Boss. p. 191. Calvin. in II Epist. Pet. c. II. n. 2. Guill. Boss. p. 221. Calvin. in Pycopamichna p. 2. Petrus Paulus. — ² Gualter. in Diario.

lutor¹, qui nomine Sanctorum fastos ornavit, pro Christo munere exploratoris functus, de perfidi hypocritæ improbitate cardinalem Theatinum, qui sacro inquisitionis officio præerat, admonuit, a quo in jus vocatus, mox impius hæresiarcha (ne credere enim aliis hæreticorum signiferis videretur) nova hæresion monstra conlavit, projecta larva, in hæreticorum oras per fugit, ac Italiam importuno impietatis monstro liberavit. Audita fuga Ochini et defectione, Carafa cardinalis, qui in Pontificatu Pauli IV nomen accepit, parenticam ad eum scripsit Epistolam. Cujus partem hic repetere operæ pretium duximus :

« Quid tibi in mentem venit, Bernardine ? Quis te Domini malus velut reprobum, olim Israeliticum regem arripuit Spiritus ? Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus, quem paulo ante, quasi in spiritu et virtute Eliæ ascendente mirabamur in Cælum, quid modo cum curribus et equis Pharaonis descendente dolemus in infernum ? Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris ? Quid orbatum lugebum et sterilem, quem innumerabilem videbamus patrem lactantum filiorum ? O delire senex ! quis te fascinavit, ut alterum tibi conflingeres Christum, quem a Catholica Ecclesia non didicisti, ut te ad aliud converteres Evangelium, quod ab uberibus matris tuæ non suxisti ? Ah ! quam magnus eras in oculis omnium, si in oculis tuis parvus esse voluisses ! Consartus ille saccus tuus rudis rubentes pileos et Pontificum mitras superabat. Scribis enim in illis tuis præclaris quæ vulgo circumferuntur apologeticis litteris, hactenus te Christiano populo velatum Christum prædicasse : deinceps vero verum illum, ac liberum producturum te comminaris. Quid est quod loqueris, Pater ? An non vides luis te teneri laqueis, tuis pedicis irrehri ? An putas te impune jamdudum Christiano populo illudere potuisse, qui Antichristum pro Christo prædicaveris, qui Pharisæicum fermentum pro sacra doctrina, qui pharmacum pro vero lacte propinaveris ? Siccine simplicem gregem infecisti ? Siccine innocentes oves carum sermonum tuorum lenocinio ad lanienam atraxisti ? Et quam fidem tibi posthac adhibendam sperare possis, qui impiissimis mendaciis auditores tuos seduxeris ? Qui tandem divinum verbum adulteraveris ? Vides ad quod saxum impingis. Attende quam male tibi non constas, quam periculose te ipsum mutas. Si veritatem tibi esse constabat apud Lutherum, si Petrum et Paulum eorumque Ecclesie successores non recte videbas ambulare in sinceritate Evangelii, si quæ in populis prædicabas, non secundum Catholicam fidem esse sciebas, cur tandem sististi ? Cur Dei veritatem in justitia detinuisti ? »

Et infra : « Ubi tu ipse, qui prædicabas non lurandum, luraris, qui non mechandum, mecharis ? qui abominabaris idolum, sacrilegium facis ? ubi tu ipse Magister, totum id operis destituis, quod ante docebas ? quis dabit capiti meo aquam et oculis fontem lacrymarum, ut nocleam, ut luce plorem baculum Ecclesie confractum, magistrum obcæcatum, pastorem in lupum conversum, sapientem patrem in reprobum sensum commutatum, Christi præconem diabolum effectum ? Quis magnum suscitet Samuelem ? Quis proferat Evangelicum patrem, qui a meretricibus revertentem prodigium filium recipiat ? si forte surgas, si forte ad eum redeas, et dicas : *Pater, peccavi in Cælum et coram te.* An non tibi melius existimas reverti ad patrem tuum, ad domum genitricis tuæ, ubi abundans pambus, quam in longinqua adeo regione pasceus porcos, mori ? Quid tibi in barbaris gentibus ? quid tibi cum noverca ? Agnosce abera quæ te laceraverunt, agrosce vocem vocantis, vocem explorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelso clamantis : *Revertere, dilecte mi, et assimulare capræx hinnuloque cercorum super montes Bethel.* Vocat te Romanus Pontifex, vocal te caput Ecclesie, nihil adhuc comminatur, vim nullam intentat. Tu ad vocantis vocem nuditatis tuæ conscius te abscondis ? etc. » Hæc eleganter fortiterque cardinalis Theatinus, at obtinatum Lutheræo adamante Ochini pectus pervadere minime potuit.

57. *Armeni fidei Catholicæ exemplum eximium profitentur.* — At dum impius Ochinus deficit a fide Catholica, Armeni eam magnifice sunt professi ; ut Acta cardinalitis senatus testantur, in quo cardinalis Burgensis relator legit exemplar quarundam litterarum fratrum et laicorum S. Mariæ Omnium-Sanctorum civitatis Nozovanensis in Arniema, quarum tenor talis est :

« In Nomine Unigeniti Filii Dei, qui sua gratia et miseratione de Virgine nasci dignatus est. Anno Domini MXXII, in die B. Andreae Apostoli congregati, pater beatissime, nos, qui sumus oves vestre et provincie in spiritualibus subjectæ vestræ sanctitati, vos autem caput nostrum estis, et in seculo omnibus superior, et nos sub vestre sanctitatis obedientia. Vos vero ecclestem potestatem habetis, et gratiam a Deo ad regendum mundum et angelos ecclestes in societate vestra, et estis principes totius Ecclesie, et caput capitum, et principes prælatorum totius mundi, et estis vicarius Christi in omni loco, ubi fidem ejus duodecim Apostoli prædicaverunt, et vos veram et rectam retinetis fidem, ad cuius Sedem omnes fideles et Catholici Christum concurrunt, et estis omnium lætitia et exultatio ; qui quemadmodum de vino dicitur, corda hominum lætificatis, et estis verus successor S. Petri, qui mundum universum manu

¹ Jo. Baptista Gastald. in Vita B. Cajetani c. 6.

continentis, et quodcumque ligatis et solvitis in terra ligatum similiter et solutum erit in cœlis, et estis fundamentum totius Ecclesiæ Dei. O pater sancte, quem mundus in partibus nostris non cognoscit, nos frater Andreas vicarius Casalis, seu villæ, quæ dicitur Coranch, et subprovincialis totius Provinciæ Armenorum Catholicorum, frater Azarias prior Villæ Sabonis, frater Joannes prior Abarrenor, frater Joannes prior Cascasini, frater Joannes Abbareundis, frater Zacharias prior Salitach, frater Thomas prior Carna, frater Petrus prior de Ganza, omnes illi Christiani Catholici et fratres Ordinis prædicatorum S. Dominici, subjecti et filii obedientissimi sanctitatis vestræ, parati ad omnia exequenda. Et Petrus de Gianck, Petrus Joannes de Sabonis, Mirans Abbarener, Saphar de Cascasini, Acciech Abbarevendi, Putach de Carva, Agabech Salitach, Silvan de Gan laici omnes, et capita seu priores villarum suprascriptarum, omnes filii.

« O pater sancte, mortuus est episcopus noster, et alium pastorem et caput loco ejus cupimus substitui nobis. Conferentes autem inter nos, invenimus virum idoneum, fratrem videlicet Benedictum filium Boerzati de Nascioban Ordinis S. Dominici, quem adire fecimus regionem et Urbem vestram, quem elegimus in episcopum nostrum post biennium a morte prænominati, et prædicti Nazovensis episcopi nostri, die videlicet et anno supradictis: O pater sancte, papa Paule, conservet vos Deus omnipotens, et S. Petrus et Paulus, et omnes sancti cœlestis curiæ, et ita commendatum habeat vestra sanctitas electum nostrum, qui est bonus et Catholicus Christianus, qui neque Latinam loqui linguam, neque Italicam novit, unde compatiatur eadem sanctitas vestra. O pater sancte, quidquid boni facietis huic fratri Benedicto electo nostro, re-

tribuent sanctitati vestræ sancti Dei Apostoli Petrus et Paulus.

« Nos infidelibus subjecti sumus, a quibus ipse jam electus captus et catenatus est, et in vinculis et catena per novem menses habitus, unde ut ipsum redimeremus, paramenta Ecclesiæ et calices et cruces vendere coacti sumus: et ita cum trecentis aureis redemimus, et venit in sanctam civitatem vestram. Nunc autem sanctitas vestra tantum boni ipsi contribuat, quantum illi Deus in mentem dederit, et ille qui scripsit osculatur pedes sanctitatis vestræ frater Joannes Abbarevendi supranominatus filius Cosigian ». Quibus perfectis sanctitas sua confirmavit dictam electionem de dicta Ecclesia Nazovensi vacante per obitum Gregorii filii Azator, id est, Deodati, et providit de persona dicti Benedicti.

58. *Auctus cardinalium senatus.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus a Paulo III, ut referunt Acta Consistorialia ¹: « II Junii M^oXLII, assumpsit in S. R. E. presbyteros cardinales RR. DD. Jo. Episcopum Mutinensem, Marcellum Crescentium episcopum Marsicanum, Joannem Vincentium de Aquaviva episcopum Melphitanum, et Pompeium Cecium episcopum Nepesinum, Robertum Puccium episcopum Pistoriensem, necnon religiosos viros Thomam Badium magistrum Sacri Palatii, et Gregorium Cortesium Ordinis S. Benedicti. XXI, contulit titulos reverendissimo domino cardinali Crescentio tit. SS. Joannis et Pauli, reverendissimo domino de Aquaviva tit. S. Martini in Montibus, reverendissimo D. Cecio tit. S. Cyriaci in Thermis, reverendissimo D. Puccio tit. SS. Nerei et Achillei, reverendissimo domino Sac. Palatii tit. S. Silvestri ».

¹ Ms. card. Spade to. CXXXIII. p. 414.

PAULI III ANNUS 10. — CHRISTI 1543.

1. *Imperatoris oratores coram legatis Apostolicis exponunt quibus de causis Cæsaris clientis ad Concilium se conferre non possint, et ipsi*

Tridento discedere cogantur. — Anno a partu Virginis quingentesimo, Indictione prima, afflicta maxime est res Christiana, Cæsare et Gallo

in mutuam exitium bella gerentibus, hæreticis in Catholicos omni dolo et vi grassantibus, Solymano in Hungaria Christianas urbes expugnante, quibus malis et aliis gravioribus impendentibus ut occurreret Pontifex, omni studio et contentione Concilium OEcumenicum, jam ante Tridenti indictum, celebrare annisus est; quæ ut sint gesta, ex ipsis Concilii Actis nitide asseremus¹ :

« Die viii mensis Januarii MDCXLIII, applicuerunt Tridentum tres oratores Caroli V imperatoris, videlicet illustres et reverendi domini Nicolaus Perenottus dominus a Gravella, Antonius Perenottus episcopus Atrebatensis, et Didacus a Mendoza ».

Venere illi in legatorum Apostolicæ Sedis conspectum; habitaque oratione de Concilii celebrandi necessitate pro hæresi comprimenda et morum puritate restituenda, attulere causas, ob quas Carolus V difficillimo a Gallo rege appetitus bello accedere non posset, utque ipsi ob paratas sibi a Galii insidias tardius accessissent; flagrante vero atrocissimo bello, in quo Gallus Turcas auxiliares exciret, præsules Hispani, vel alios Cæsaris clientes ad Concilium scilicet se conferre non posse, excusarunt. De quibus confecta hæc publica documenta extant :

« In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCXLIII, Indictione I, die IX Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Pauli divina providentia papæ III anno IX, existentibus reverendissimis in Christo patribus et dominis Petro Paulo S. Balbinæ, Joanne S. Vitalis presbyteris, et Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono S. R. E. cardinalibus, ac sanctæ Apostolicæ Sedis et prædicti sanctissimi domini nostri papæ ad OEcumenicum Concilium per suam Sanctitatem in hac civitate Tridentina ad sedandas hæreses anno superiori indictum de latere legatis, in adibus sive hospitio prædicti reverendissimi S. Balbinæ in aula aditum, in qua aderant nonnulli proceres et nobiles, comparuerunt ibidem illustres et reverendissimi Cæsarei oratores, videlicet illustris dominus Nicolaus Perenottus, episcopus Atrebatensis, et illustris dominus Didacus a Mendoza ad Concilium hujusmodi per serenissimum et invictissimum principem Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, etc. specialiter deputati; dirigentes sua verba ad prædictos cardinales, locuti sunt per vocem et organum dicti reverendissimi domini Atrebatensis, in hæc verba :

2. « Prolixa oratione multisque verbis nobis opus esset, reverendissimi amplissimique patres, si de origine, institutione, forma, atque

auctoritate Conciliorum, singulorumque ordinum ad illa officia, et quam exacte ab omnibus vere Catholicis observanda sint, dicere institueremus, quod videretur causæ ratio exposcere, nisi apud vos ageremus, quibus ista multa lectione longoque rerum usu sunt quam notissima. Hoc autem dicemus, si unquam, nunc certe maxime Concilii celebrationem necessariam esse; neque hæc res explicationis enarratione opus habet, aut perspicuis argumentis celebranda est, cum nemo sit, proh dolor! qui aperte nimis id non intelligat (si modo prudenter expendere velit) quam infirma sit reipublica Christiana, quam dissidio religionis labefacta, et suis perpetuis hostibus sit exposita, Turcis ac Mauris assiduè illam preliis infestantibus, accedente ad extremum illud malum et controversia in religione, bello intra hujus viscera ab uno e potentissimis ejus principibus renovato pluribus locis uno fere tempore, et non alieno, in quo ad propulsandos fidei nostræ hostes, terra marique exercitus parabantur. Neque multis verbis referendi onus nobis sumimus, quam sollicita cura, continuoque labore et studio, summisque officiis Concilii indictionem et celebrationem Cæsarea majestas petiverit, cum et sanctissimo domino nostro et sacrosancto collegio ista cognita sint, et a frequentibus ad hoc susceptis perfectionibus Romæ et ad alia Italiae loca, ad Suam Sanctitatem et Clementem prædecessorem, ex continua ministrorum et oratorum, hujus petitionis amplissimum testimonium sumi possit. Quare sermonem huc converteremus, ut a nobis intelligatis, suam majestatem, quæ tam studiose Concilium semper expetivit hactenus, nunc maxime illius celebrationem, primisque votis, optare, per quam discordia religionis componatur, et sit utilis reipublica Christiana, cum intelligat nullo alio pharmaco ab hoc tam gravi morbo posse illam convalescere; seilicet et reformatione quoque opus esse, quam Sua Sanctitas frequenter obtulit et promisit, et pro qua Cæsarea majestas toties et proprio et ordinum sacrosancti imperii nomine institit, ut pro re necessaria, et sine qua, neque præterito malo mederi, neque, ne in priora incidamus, ulla ratione vitare possumus: quod tibi, reverendissime cardinalis Morone, experientia probatum existimo. Et autem de celebratione Concilii his præmissis agamus, cupimus memoria vestre succurrere, ne repetitione sit opus, ea quæ sua majestas superioribus comitiis imperialibus Ratisbonæ habitis reverendissimo quondam cardinali Contareno, tibi reverendissimo Morone, tunc Suae Sanctitatis nuntio responderit, cum utique illi explicassetis, statuisse Suam Sanctitatem celebrandum OEcumenicum Concilium indicere, neque ea vobis excidisse puto, quæ sua majestas respondit die xxv Augusti ad Bullas indictionis, et privatas

¹ Angel. Massarel. in Diario Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3218. p. 63.

litteras sue Sanctitatis, quibus illi indictionem Concilii hic celebrandi significavit. Ex iis sua Sanctitas intelligere potest, si conjungat cum operibus diligentem Concilii petitionem, qua sit sua majestas voluntate, et quae in genere dicta scriptave faere, huc pertinere, ut revera et cum fructu celebretur. Ne autem sua majestas, earum, quibus imperiali et regio officio obligata est, quidquam prætermitteret, dato amplissimo mandato nobis tribus, et illustri Marchioni de Anguillara, qui apud Suam Sanctitatem suae majestatis oratorem agit, singulisque nostrum jussit, ut ejus nomine adessemus, illius absentiam, quodque neminem hactenus miserit, excusaremus : diligentem præterea navarem operam in his, quae ad ipsius Concilii cum fructu celebrationem, pietatem, Ecclesiae unionem, fidei atque religionis stabilimentum et reipublicae Christianae commodum pertinere videbuntur. Non admodum laborabimus in excusanda sua majestate quod non intersit : existimamus enim huic parti satisfactum per eas litteras, quas ad Suam Sanctitatem scriptas diximus. Quis enim non intelligit, motum illi bellum tot locis uno tempore, et in quo nimis aliena, ne quid pejus præter occasionem hoc loco dicamus, ab omni jure divino et humano, servata est ratio, excusare debere ? Haec autem omnibus Christiani orbis ordinibus nota, Suae vero Sanctitati notissima putamus, quod sit tunc motum bellum cum indictum Concilium, ob idque cognoscere potest legitimum impedimentum, dum illa, et resistendo et conatus hostium reprimendo fuit occupata. Nostis quoque, reverendissimi amplissimique patres, non desesse, quae illum nunc et suis regionibus non patientur egredi, dum provide illi sua munienda sint, ne proximo anno ita invadatur, ut superiore, cum id sua majestas ageret, ut terra marique, se suasque copias communi vero Christianorum inimico operam, cum tam sancta occupatio tutam illam ab omni invasione reddere deberet, præter inducias, opera et maximo cum labore sanctissimi domini nostri federe partas, quibus tanta auctoritate firmatis fidentum videbatur. Accedit quod ordines sacrosancti imperii invasore, tum significaverunt constituisse se (necessitate ad id cogente) conjunctis viribus cum sua majestate et Sanctitatis Suae auxiliis, aliorumque ordinum Christianae reipublicae, qui rem tam sanctam juvare vellent, Turcas ex Hungaria pellere, petiveruntque, ut secundum ea, quae tam magnifice per suas litteras obtulerat, auxiliares ex suis copias mitteret, nec saltem ne quid occupatis illis in nostro orbe moveret, quam petitionem ita contempsit, ut mox huic contraria molitus sit. Cæterum, si quis nobis objiciat, quod serius venerimus, dicatque debuisset nos, aut alios, imperatore legitime occupato, ejus nomine prius

venire, istuc facile deberemus, eodem argumento, quo pro Suae Majestatis excusatione sumus usi, bello scilicet impedito fuisse nulla fide relicta litteris, quibus sine periculo transitus olim concedebatur. Cumque terra tuta non fuerit, profecto minus certe mare ; non solum enim ab iis, quos bellum movisse diximus, sed a Turcis quoque, et aliis qui a fide nostra alieni sunt, cavendum erat, cum illi publice minarentur, hos in perniciem suae majestatis et regnorum ejus esse venturos. Quid autem tentatum fuerit, et quid voluntate designatum fiducia expectationis hujus adventus, noverunt omnes, neque tutela, quam sanctissimi indicti Concilii auctoritas præbere debuerat, ulla ratione fidentum fuit, id enim res ipsa docuit, nam etsi intellexissent Galli a Caesarea majestate D. Gravela missum, ut huic Concilio nomine ejus interesset, tamen ut illum interciperent, viginti duas tremeas, et aliquot naves Turcicas longas minores sive Liburnicas instruxerunt, itaque transfretationem necessario distulimus, ut coactis majoribus viribus sine periculo navigaremus. Haec certe magis legitima excusatio nostrae morae, quam cum vellemus secundum quam aliis judicandum permittimus, sicutne ad Concilium utilem celebrationem admodum animati, qui ista perpetrant, si adjungantur alia, de quibus Sua Sanctitas frequenter fuit admonita, et ea vos non latere existimamus. Expectabat etiam sua majestas, ut ingenue id, quod res est, profiteamur, explicationem nonnullorum a sanctissimo D. N. de quibus scripserat, quae videbantur a sua majestate prius expedienda esse, quam quisquam huc ab illo mitteretur ; illis etsi responsum non est, tamen ne suis partibus argui posset, multum sibi pollicens de opinione, quam de sua Sanctitate concepit, sperans illam officium suum impleturam, nos huc mittere voluit. Dabimus et apertis testimonium Caesareae voluntatis, pollicemur illam, quod saepe coram per litteras suosque ministros obtulit, adfuturam, nisi præter voluntatem suam impediatur. Si tamen hujus Concilii celebratio ita instituat, ut res tam sancta Suae Majestatis praesentia debeat promoveri, tum etiam praesules missuram, eosque, qui celebrando Concilio et suis regionibus interesse debent, modo illis tuto accedere liceat, quod profecto hactenus non licuit, fractis crudeliter in hac novissima invasione regnorum suae majestatis legibus contra eos qui immunes a vi bellica esse debebant ; quamobrem sua majestas nobis commisit, ut illos excusaremus, et illorum nomine significaremus, paratissimos semper futuros, ut suo officio satisfaciant. Ut autem absolvamus, paucisque, quae dicturi eramus, concludantur, venimus, reverendissimi amplissimique Patres, maxima qua id fieri potuit celeritate, habemus a sua majestate mandata amplissima, parati nunc

secundum ea, ejus nomine imperiali et regio Catholico, et nomine regnorum ejus et provinciarum ei subditarum, ad omnia quæ ad celebrationem Concilii videbuntur pertinere, ne quidquam prætermittatur eorum, quæ imperatoria et regia dignitas, totque provinciarum administratio et moderatio illam obligat adjuvante Spiritu sancto Paraclete, qui et afflictam Ecclesiam suam, rempublicam Christianam, consolari et necessario pharmaco recreari, et a malis, quibus circumsepta est, liberare sua immensa bonitate et ineffabili misericordia dignetur». Quibus dictis, et fine facto loquendi, petierunt lectionem fieri mandati Cæsarei, et vigore cujus dicebant se comparere. Quod quidem mandatum lectum fuit et illius tenor talis est, videlicet:

3. « Carolus V divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae etc. rex, archidux Austriæ, Flandriæ, Tirolis etc. Recognoscimus, et notum facimus tenore præsentium universis. Cum primis votis semper expectaverimus in publica administratione ita versari, ut voluntatem et studium nobis nunquam defuisse omnes intelligerent, tractandis iis rebus, quæ ad Reipublicæ Christianæ, studio partium et dissensionum in religione pæne labefactatam instaurationem et salutem pertinerent, et ad reducendam illam et revocandam ad Christianam et firmam concordiam. Cujus rei amplissimum dant testimonium suscepta jam toties magno cum sumptu summoque labore ad id itinera et quotidiana nostræ actiones, quibus illum scopum constituimus. Existimamus hoc tempore nobis diligentem navandam operam, in quo beatissimus in Christo pater et dominus D. Paulus, divina providentia Pontifex Maximus, Universale Concilium Tridenti kalend. Novembris proximis celebrandum indixit; cui interesse cuperemus, et ipsi præsentibus totoque conatu ea promovere, quæ ad publicam utilitatem pertinere existimaremus. Sed cum præsens rerum status id non patiatur, decrevimus oratores nostros eo mittere, qui vices nostras gererent. Hinc est quod nos confisi de probitate, pio zelo fidei, religionisque studio, morum integritate et in tractandis rebus experientia et fide illusterrimorum et venerabilium Nicolai Peronotti domini a Granvela consiliarii nostri supremi, rerum status vicesgerentis et oratoris nostri generalis ad Germaniam et Italiam, Don Joannis Fernandez Manriquez Marchionis Anguillare, Antonii Peronotti Episcopi Atrabatensis, et D. Didaci de Mendoza consiliarii nostrorum, et devotorum et fidelium dilectorum, eosdem conjunctim et separatim fecimus, creavimus, constituimus et ordinavimus, atque ex nunc, tenore præsentium, ex certa animi nostri scientia, et

omnibus aliis melioribus modo, via, jure et causa, quibus validius et efficacius possumus et debemus, solemmiter facimus, constituimus et ordinamus nostros veros, certos, legitimos et indubitatos oratores et mandatarios: dantes eis et cuilibet ipsorum in solidum, amplam facultatem et potestatem, ut ipsi quatuor, tres, duo, aut unus ipsorum, nomine nostro, in dicto Concilio universali comparere, in omnibus sessionibus nostrum locum, ut oratores et mandatarii nostri habere, res et negotia religionis et fidei, et alia quæcumque in prædicto Concilio tractanda, una cum aliis statibus reipublicæ Christianæ eorumve legatis, oratoribus et mandatariis consulere, agere et tractare, illisque omnibus et per omnia adesse, consilium, votum, decretum nostro nomine dare, impartiri et interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere et exercere debeant et possint, quæ ad Dei gloriam, fidei unionem, exaltationem, et reipublicæ Christianæ honorem, commodum et augmentum pertinere, Concilio expedire visa fuerint, et quæ nos ipsi agere, tractare et procurare possemus, si præmissis omnibus et singulis personaliter interessemus, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigent magis speciale quam præsentibus est expressum; ponentes idcirco præfatos oratores et mandatarios nostros, quoad prædicta, in locum et vicem personæ nostræ, promittentes in verbo nostro Cæsareo, nos habituros ratum et gratum, quidquid per ipsos oratores et mandatarios nostros, aut tres, duos aut unum ipsorum ad modum prænaratum, actum, procuratum et gestum fuerit, dolo et fraude penitus semotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appositione munitarum. Dat. in civitate nostra Barchinonæ die xvii Octobris anno Domini m^oxl^oii, imperii nostri xxii et regnorum nostrorum xxxvii ».

« CANONIS ».

4. Perfecto eo mandato¹ dominus de Granvela, suo et aliorum oratorum nomine, flagitavit, ut Tabula publica conficerentur, comparuisse ipsos coram legatis, et excusasse cur tardius venissent ipsi, ac præsules non possent accedere, sequæ ad publicam rem Christianam tuendam agendamque, et celebrandam Synodum paratissimos obtulissent, ni moto a rege Christianissimo bello distraherentur. X Januarii m^oxl^oiii significavit Nicolaus Granvellanus, proximo die ad Norimbergensem conventum profecturus, cardinali Morono religionis res in Germania in dies collabi, Ratisbonam recenter defecisse, in Lotaringia Metim et alia circumjecta loca descivisse, de Belgio quoque formidari, ne a Catholica fide excideret, licet regina

¹ Tom. x. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 2197, p. 11 et 12. Ex Itala.

Maria pro ea provincia in officio continenda omnem operam collocaret: cuncta in exitum proina videri; omnem tamen laborem pro Ratisbona et Metis ad officium revocandis, apud Romanorum regem et Bavariæ principem, et Lotharingæ duces, pro Belgio apud reginam Mariam extulisse; imperatorem pietate Christiana excellere, mentemque optimam gerere: se præcipue Concilii promovendi causa missum, ac si jusserint legati, Tridenti moraturum: rediturum vero ex conventu Norimbergensi (si litteris redire a legato fuerit jussus); Concilium omnino necessarium, atque a Cæsare ardentibus votis exambitum: ab eo præsules Hispaniæ delegatum iri ad Concilium, si tuta fuerint itinera: Galliæ regem captum detinere indigne Valentinum archiepiscopum, cum maxima Sedis Apostolicæ et Christianæ religionis injuria: episcopis Gallis liberi commeatu syngrapham datum iri, modo non alia, quam quæ spectant ad Concilium pertractent: cardinalem Moronum optime consciunt esse, quantis precibus comitia imperii ursissent Cæsarem, ut Ecclesiastica disciplina instauraretur, utque ille de ea restituenda tum Lucæ, tum Romæ cum Pontifice egisset: mirari, nullum Romæ, nullum in Italia effectum operis consecutum: si in Germania rem perficere non posset, non videri admodum alienum a ratione, ut non emendatis Romanæ curiæ corruptelis, se Concilio opponeret; hæc dici ex summi cultus in Sedem Apostolicam observantiæque officio. Questus etiam est de Galliæ rege, qui Turca concitato regem Romanorum Germaniamque in discrimen adduceret.

Responsum illi a legato est, instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ navalatam in Italia fuisse anno superiore, tum in Germania operam Pontificio nomine: principes vero Lutheranos Ecclesiasticis obtulisse, ne Ecclesiastica jurisdictio exerceretur, ac sacerdotes, ne emendarentur, subornasse, ut deticerent ad Lutheranos; atque ideo Pontificem restituendæ disciplinæ provinciam ad Concilium rejecisse, ut ex Pontificio Diplomate constat. Cui subjecit Granvellanus, eripiendam Concilio occasionem novandarum rerum, atque adeo maculas prius eluendas.

5. *Concilii congregandi studia strenue navata a Paulo qui Bononiam se confert ad invendum imperatorem.* — Addunt Acta ¹ Cæsares oratores Tridento recessisse, cum ardente gravissimo bello dari operam Concilio celebrando non posse assererent. Non his deterriti sunt legati Pontifici a cæptis, sed ad cogendum Concilium animos viresque obfirmarunt, tum movere Pontificem, decretum Norimbergæ conceptum fuisse ex formula decreti Ratisbonensis, Cæsaremque pollicitum ordi-

bus imperii, ni decem et octo mensium flexu Concilium Generale aut nationis Germanicæ Synodus celebretur, conventum imperialem coactum iri, in quo de religionis rebus decernatur; id vero tempus proxime effluxurum, cum tamen nondum Concilium inchoatum sit; Granvellanum in Germaniam proficisci, ut Germanos in concordiam redigat ad Turcarum Gallorumque molimina retinenda: vim facere Lutheranos, ut concionatoribus suis prædicandi Lutherismi diffundendæque hæreseos facultas concedatur, atque utraque species laicis, conjugia vero sacerdotibus permittantur: at Pontifex promovendi Concilii studio Cæsarem ex Hispania venientem convenire decrevit, ut illum ad pacem cum Gallo dlecteret. Hæc pia celebrandi Concilii studia cum strenue navata a Pontifice accepisset Sigismundus Poloniæ rex, gratulatus Paulo est, illum non jam amplius verbis, sed operibus Lutheranorum fingentium Pontificem defugere Concilium et aversari, calumnias obterere, cui respondit Paulus, se pro conciliandis regibus, ad Cæsarem in Italiam accessurum proficisci decrevisse; rogavitque, ut Polonos præsules ad Concilium Tridentinum mitteret.

6. *Impeditis militum copiis itineribus continebant se in suis Ecclesiis episcopi, ne militari licentia spoliarentur, ac Tridenti infrequentes erant cætus, ad quos augendos, iterum Paulus Encyclicis litteris præsules ursit, ut ad Concilium se conferrent.* Ne denique ullas pro congregando Concilio diligentiae partes prætermitteret Pontifex, Cæsarem ac Ferdinandum regem vehementissime ursit, ut præsulibus darent imperia, ut præsentia sua Concilium cohonestarent, ac publicam Ecclesiæ salutem quibusvis privatis commodis ac periculis anteferrant: at Cæsar licet sentire ægerime episcopos Tridenti congregatum iri, tamen Pontificis postulatis assensit; nec dissensit Ferdinandus, quem rogavit Paulus, ut præsules, qui conventus Norimbergenses adierant, impelleret ut ad Tridentinum Concilium proficiscerentur.

7. *Conceptæ sunt iisdem sententiis litteræ ad Ludovicum Palatinum Rheni electorem, quo etiam argumento tum ad Ferdinandum, et alios principes, et archiepiscopos, et episcopos, et nobiles viros in Norimbergensi conventu congregatos extant conceptæ litteræ, quas Otho Truchses Baro Walpurgensis delulit, quibus significavit, tres legatos cardinales Tridenti consistere ad celebrandum Concilium, ad quod ut se conferrent permanenter contendit, ob tardiores enim Germanorum præsulium moras, aliarum provinciarum remotiorum præsules hæcenus retardatos fuisse.*

Misisse Ferdinandum ad indictum Concilium Tridentinum oratorem Franciscum e Castello-Alto tradunt ejusdem Concilii Acta, necnon

¹ To. x. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 13.

Germaniæ episcopos procuratores suos ad illud decrevisse, sed non admissos, cum episcopi suo ipsi munere in re gravissima perfungi deberent.

8. Pellicere palerno studio conatus etiam est Pontifex Helvetiorum Zuinglianorum proceres, ut cum jam ante post adversa illa prælia, quibus a Catholicis, quos vi opprimere affectabant, fracti fuerant, consensissent dissidia omnia de religione permittenda Concilio OEcumenico, decretoriamque illius sententiam se excepturos spondidissent, redintegrandæ veteris concordiæ occasioni præclarissimæ non deessent, seque ad eos palerno sinu complectendos paratissimum amanissime exhibuit.

9. Interea Pontifex Bononiam appulsi pro incundo cum Cæsare colloquio, in qua urbe xi Maii designavit pro constituendis rebus Concilii reverendiss. DD. decanum de Moule Guidiccionum, atque Crescentium, et de Sancto-Sylvestro cardinales, quibus tres alios addidit, videlicet de Grimanis, de Sancta-Cruce, et de Cortesio. Et die xv in congregatione generali decrevit, ut reverendissimus Parisius legatus ad sacrum Concilium ex Tridento Bononiam se conferret pro rebus nonnullis cum eo communicandis, quæ ad Concilium spectabant.

Promovebat eo ardentius indicii Tridentini Concilii celebritatem Pontifex ¹, quo Lutherani grassabantur dolis, et omni contentione conventiculum Germanicæ nationis cogere ambiabant, ut in eo emenita restituendæ pristino nitori Ecclesiæ specie religionem turpissime deformarent, et Catholicos ab Apostolica Sedis obsequio divellerent: vehementissime vero illi a Concilio Tridentino ex omnium gentium episcopis cogendo abhorrebant: Catholicis vero præsules ob Cæsaris, Gallorumque regis bella Tridentum accedere decretabant.

10. Imperator vero ex Hispania discessurus, ante omnia Philippum filium, ejus nominis secundum, agentem sextum decimum ætatis annum, Hispaniæ regem appellavit, et totius regni civitatum oratores illi sacramento obstrinxerat: præfeceratque illi ad regendos mores, molemq; negotiorum tractandam Covos prudentia singulari conspicuum: militare vero copiarum imperium supremum Ferdinando Toletæ, Albæ duci, contulerat, felicitique navigatione usus Genam affecto jam Maio applicuit. Ad quem humanioribus officiis prosequendum Genam primum a Pontifice missus Alexander Farnesius cardinalis, ut refert Angelus Massarellus.

11. *Non Bononiæ, ad quam accedere abnuit imperator, sed in castro Bureti tandem possunt iniri colloquia, quæ nihil proficiunt.* — Cum autem hoc eodem tempore Bononiæ Pontifex mo-

rarelur, certior redditus, imperatorem non esse Bononiam accessurum, ut cum eo congregarelur, consilium in Consistorio a cardinalibus peliit, an esset consentaneum, ut se ad imperatorem conferret, cum ille Bononiam venire abnisset, et decreverunt hoc non decorum fore. Sed cum postea cardinalis Sadoletus, prius absens, Bononiam venisset, ejus sententiam magni Pontifex faciebat, denno res in consultationem adducta fuit, quam tamen contractam hac lege temperarunt cardinales, nisi spes meliores certioresque sciendiæ pacis ostenderentur: tum enim ut Pontifex ad imperatorem accederet, sese assensuros. Contraria autem fuit sententia cardinalis Sadoleti; videlicet ut omnimode Pontifex se ad imperatorem conferret, quare ejus rationibus auditis, Pontifex et etiam cardinalium collegium in ejus sententiam descenderunt. Sed audiamus ipsum cardinalem loquentem in Epistola ad Paulum Sadoletum: « Postridie, qui fuit sexto idus Junii, senatus iterum vocatus est; causa convocandi fuit, quod cum superioribus diebus fuisset de consilii sententia decretum, si Cæsar Bononiam venire recusaret (properare enim dicebat, nec spatium habere longe ab itinere declinandi) ut ne ulterius procederet Pontifex, sed vel illum Bononiæ exciperet, vel si id non conlingeret, inappellatum abire pateretur, cum tamen, si quid in congressu agendum esset, id millendis munitis facile posset sarciri. Ratio autem ita decernendi fuerat, quod videbatur hoc dignitati et gravitati Sedis Apostolicæ maxime non convenire, simulque ætatem Pontificis pergravem tot itinerum laboribus objici non placebat; ergo, hæc eadem ipsa res iterum adducta est in disputationem, placeretne ultra procedere, neque? Nam Cæsar quidem Parmæ se ostenderat cum Pontifice libenter conventurum: hic quinque ante me rogati in sententia pristina manserunt, cum exceptione tamen, nisi certa spes aliqua de pace esset oblata, quæ iter suaderet, tum enim ire oportere censuerunt. Ego rogatus contrarium sententiam dixi, de valeudine et incolumitate corporis ad Pontificis judicium rejeci. Dignitatem in eo dixi positam, si quæ utilia et commoda republicæ Christianæ essent, agerentur, hæc unam me agnosceret, neque aliam præter eam ullam in Ecclesiasticis hominibus dignitatem. (Hoc utinam consilium tam salubre Ecclesiæ bene perciperetur!) Inquirere certam spem in iis rerum eventibus, quod suæ potestati Deus reservasset, non esse nostrum, velle et conari bona quæ in nobis essent, ad nos id pertinere; me tamen sperare, cum Cæsaret tempus anni, et Pontificis ætatem laboremque conspexisset, habiturum illam officii rationem, et ad pacis consilia, si non prompte (quod tamen ipsum a tanto Pontifice expectandum non esset) attamen inductum pudoris stimulus facilis de se perac-

¹ Ms. card. spade sig. num. 134.

turum in hac quidem re suadenda, et plus effecturum esse præsentem Pontificem, quam si absens per nuntios hæc eadem ageret. Postremo, vel hac una ratione necessario dixi proficiscendum, ut rumores hominum comprimerentur; erat enim sermo late dissipatus, ortus esse Pontifici cum Cesare similitates, quare si fuisset colloquium denegatum, non sine periculo alicujus suspitionis ulterius hominum mentibus opinio insedisset. Hæc a me sententia dicta, ab omnibus deinceps in eandem est descensum. Itaque Parmam venimus, hærique Pontifex ingressus urbem est ».

12. Nonnulli malevolentia suffusi piam Pontificis mentem in sinistram interpretationem detorsere, quasi profectionem hanc suscepisset affecta ætate, non ad pacem inter reges conciliandam ac rem Christianam restituendam, sed ad privata familiæ commoda consecranda: sed hanc suspicionem adversam, inanesque calumnias ita refellit inter alios cardinalis Sadoletus: ¹ « Illud mihi maxime molestum est, quod non potest persuaderi hominibus, ex hoc congressu aliud quippiam quæri, nisi privatam aliquorum commodum. Itaque mira jaectantur in vulgus, quæ vobis quidem audita esse arbitrator. Ego, quoquo animo fuerint alii, integrum me quidem ab omni labe servabo ».

13. Cum igitur Paulus consilium cardinalis Sadoleti secutus, ab aliis cardinalibus approbatum, ad imperatorem accedere statuisset, mox atque Parmam pervenit, duos legatos Petrum Paulum Parisium et Marcellum Cervinum cardinales ad imperatorem misit, qui de colloquio inter Pontificem Cesaremque inuendo pertractaret. Itaque vigesima prima Junii Pontifex ingressus est Castrum Buxeti, ibique cum imperatore per tres horas colloctus est; necnon quatuor sequentibus diebus.

14. Incubuit summo studio in iis colloquiis Pontifex, ut Cesari Hungariae et Ferdinandi fratris pericula in oculis collocaret, misereretur gentis de re Christiana deque Germania optime merite, quæ duobus sæculis Turcarum alluviones suis cervicibus sustinuisset, subacta Hungaria arsuram brevi barbarico incendio Austriam, nisi acquissimis de pace propositis conditionibus assentiretur, Concilium etiam Oecumenicum Gallicæ bello disturbatum iri, Lutheranorumque potentiam civili Catholicorum regum bello ita auctum iri, ut Cesarem brevi contemptura esset. At Cesær cum Anglico rege tunc fœdere junctus flecti ad concordiam non potuit, itaque pacem abnuente Cesare Pontifex postulavit, ut postquam ipse hortando nihil profecisset, cardinales de concordia et Christianæ reipublicæ commodo verba facturos audire minime gravaretur. Cumque id Cesær honori senatus tri-

buisset, paulo post vocatis cardinalibus Marinus Grimanus ejus ordinis princeps hæc inter alia fatus est: ¹

« Patere, generose pieque Cesær, ut si quid prædurum in intimis sensibus obcalluit, id totum Christiana pietate molliatur, honestissimis siquidem, nominique maxime decoris conditionibus, quas prudentum et reipublicæ amantissimorum hominum judicio descriptas dudum perlegisti, rex Gallorum petit affinitatem, opes, copias offert, occupata restituet, ut Mediolano tua liberalitate beneficiarique juris nomine recuperato, communem hostem barbarum conjunctis armis persequatur: ut nihil porro, vel occulta fraudis, vel parum sinceræ fidei pertimeas (qui nihil unquam invicti animi fretus altitudine timere didicisti) cuncti fere principes inita societate fœderum sponsore vadesque aderunt, ut justis armis sanctas pacis leges, juraque omnia tueantur: hæc a te pacis conditionem ante alios oral Carolus Allobrogum regulus innocentia tantum sua depulsus regno, et quod longe miserrimum videtur, per septem annos ancepsitum duorum propinquorum injuria fatigatus. Hanc item Veneti tanquam ex fœdere debitam reposcunt; eandem regna perpetuis tributis enervata, tuorumque præsertim ac hostium rapinis crudelissime divexata suppliciter efflagitant: valeant aliquid, obsecro, Cesær, fraterna pericula, Hungarorum supplicantium lachrymæ, senatus preces, valeat ipsa sacrosancti Pontificis auctoritas, piis atque optimis nunquam spreta regibus, ut Christianus orbis luctu, miseriis et Barbarorum metu liberatus post impetratam tuo incomparabili munere pacem atque concordiam fœcundissime refloueat ».

15. Atamen Cesær flecti nequaquam potuit: ideoque tantam Christianorum calamitatem Jacobus Sadoletus ob Caroli ac Galliarum regis dissidia exortam ita deploravit ²:

16. « Cum nostri principes, qui maxime tueri et regere Christianam rempublicam deberent, nihil videantur sibi habere propositum, nisi exitium et eversionem earum ipsarum nationum, quarum præcipue salus a præpotente Deo illorum est fidei commendata et credita. Cumque ea illi sola consilia exquirant, quæ sibi ipsis (omissa consideratione reipublicæ) arbitrantur utilia, in quo falluntur quidem, sed doctorem monitoremque non recipiunt, seque ita gerunt, ut quasi mercede a Barbaris hostibus Christiani nominis conducti, operam illis ipsis in profliganda re Christiana strenue studeant navare ».

17. *Concilium differt Paulus ob bella inter Cesarem et regem Galliarum.* — Dejectus conciliandæ pacis consilio Pontifex, ac miratus rationem et studium æquitatis, et veræ gloriæ decus,

¹ Ms. arch. Vat. p. 86.

¹ Paulus Jovius l. XLIII. — ² Jacobus Sadoletus l. XVI.

Christianæque rei salutem Caesaris animum ad bella propensum minime inflectere, deplorans-que Concilium OEcumenicum celebrari non posse, Casare in Belgium per Germaniam contra Gallos properante, ne præsulibus in pericula graviora, obsessis milite itineribus, coniceret, et operam et auctoritatem frustra perderet, indictum Concilium Tridentinum suspendit, ut refert Massarellus¹. Conceptæ sunt eæ litteræ subiectis verbis :

« Paulus, etc. Ad futuram rei memoriam.

« Quam enixe nos semper OEcumenici et generalis Concilii celebrationem concupiverimus, et quo propterea studio et animi sollicitudine huic rei, ac inter Christianos principes paci et concordie incubuerimus, tot labores per nos, præsertim cum ea de causa Niciam nos contulimus, suscepti, tot nuntii et legati ad eosdem principes propterea a nobis missi, tot super ea re a nobis ad illos data litteræ, toties per nos denique indictum Concilium hujusmodi, totque prælati, et alii, qui ad illud venire tenentur, ut omnino accederent transmissa mandata et hortationes reddunt testimonium veritatis. Concilium enim ipsam Mantuæ primum, deinde Vicentiæ, ad quam propterea tres a latere nostro ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium numero legatos misimus, et novissime Tridenti per nostras litteras sub data Romæ apud Sanctum-Petrum XI kal. Junii anno Incarnationis Dominicæ MXXIII, in quibus ne idem referamus, cur in Mantuana et Vicentina civitatibus præfatis Concilium hujusmodi celebrari nulla ratione valuerit, explicavimus, ad kal. Novembris, quæ proxime præterierunt, incipiendum et proseguendum, et Domino adjuvante ad ipsius laudem et gloriam, et Christiani totius populi salutem, absolvendum indiximus, annuntiavimus et convocavimus ex omnibus locis, tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, quoscumque, quibus jure aut privilegio in Conciliis Generalibus residendi, et sententias in eodocendi permissa potestas est, requirentes, hortantes et admonentes, ac eis in viam juramenti nobis et Sedi Apostolicæ præstiti, et virtute sanctæ obedientiæ, ac sub certis tunc expressis penis mandantes, ut ipsimet, nisi forte justo delinquerent impedimento, aut per suos procuratores et nuntios huic sacro Concilio omnino adesse et interesse deberent : necnon charissimos filios nostros Carolum imperatorem semper Augustum, et Franciscum regem Christianissimum, ceterosque reges, duces et principes Christianos, ne Dei causam et negotium desererent, sed ipsimet ad sacri hujusmodi Concilii

celebrationem venirent, et si venire non possent, saltem viros graves, legatos cum auctoritate, qui personam principis sui et prudentia, et dignitate in Concilio possent referre, mitterent : curarentque, ut ex suis ejusque regnis et provinciis, episcopi et prælati, sine tergiversatione et mora ad Concilium proficiscerentur, rogavimus et obsecravimus, sperantes OEcumenici Concilii celebrationem hujusmodi, ad quam pro agri Dominici purgatione sæpe antea devenire (ut præfertur frustra conati eramus, et saltem tempore, Dei benignitate et elementia, omnino successuram esse : litterisque nostris prædictis publicatis, cum postquam nuntios nostros speciales pro pace inter dictos principes tractanda destinaveramus, odia et similitates inter eosdem principes auferri.

« Et jam cum ab unoquoque eorum per alterum ab induciis nostro interventu Nicie inter eos factis discessum esse prætenderetur, arma tractari et bellum novari cerneremus, duos summe auctoritatis viros, inter cetera animi ornamenta, pacis studiosissimos, S. R. E. cardinales a latere legatos ad eosdem Carolum imperatorem et Franciscum regem misimus, qui ipsis nostro nomine, in quanta pericula ex eorum discordiis universa respublica Christiana Domini nostri brevi esset ventura, exponerent, eosque per viscera Jesu Christi ad pacem inter se multo complectendam, et rempublicam Christianam a tot tantisque imminentibus periculis liberandam, quam maxime possent, hortarentur : ac appetente jam die, pro qua, ut præfertur, Concilium indixeramus, cum in eodem proposito et desiderio illud omnino celebrandi persisteremus, dilectos filios nostros Petrum Paulum Sanctæ-Balbinæ Parisium, et Joannem Sancti-Vitalis Moronum titulorum presbyteros, et Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin, tunc SS. Nerei et Achillei diaconum Polium nuncupatos S. R. E. cardinales, nostros et dictæ Sedis legatos de latere, summe virtutis, doctrina et auctoritatis viros, ad ipsam civitatem Tridentinam, ut episcopos, prælatos et alios ad Concilium venientes exciperent, atque ea, quæ ad Concilii celebrationem hujusmodi necessaria essent, seu opportuna facerent, destinavimus : necnon quamplures ex eisdem præfatis singulis ad illos nostris datis litteris admonuimus, ut frequentes Concilio hujusmodi interesse vellet.

« Demum cum spe pacis per prædictos legatos nostros inter eos componenda ex iis, quæ ab eisdem legatis acceperamus, penitus destitueremur, ne quod reliquum erat in facultate nostra omitteremus, præfatos Carolum imperatorem et Franciscum regem diversis nostris ad eos datis litteris admonuimus et hortati sumus, ut pro concilianda inter eos aliqua concordia nobiscum in aliquo commodo loco, ad quem, ætali

¹ Angelus Massarell, in Actis M. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. 3188, p. 80. Est etiam in Ms. arch. Vat. sig. num. 3190, p. 19, incip. Etsi omittit, et in Ms. sig. 3232, p. 29.

nostrae non parentes, nos profecturos esse pollicebamur, convenirent; ulque desiderium nostrum pacis colloquii et Concilii celebrationis huiusmodi re ipsa comprobaremus, e nostra propria Sede profecti Bononiam venimus, ut molis, quod sperabamus, per appropinquationem nostram ipsorum principum animis, concordia, statui, celebrationique ipsius Concilii securius et ferventius instari, et fluctuanti reipublica Christiana aliquod salutare remedium afferri posset; iterumque post adventum nostrum huiusmodi praefatos per diversas alias nostras litteras admonuimus, ut exemplo quamplurimum praefatorum, qui ex Urbe nostra ad locum Concilii de mandato nostro se contulerant, ad illud accedere amplius non tardarent.

« Cum autem dicti Carolus imperator et Franciscus rex, suorum regnorum et dominiorum tutitioni intenti, cui se propter urgentia inter ipsos bella vacare oportere asserbant, nobiscum convenire recusaverint; ac licet postmodum Petrus Paulus, et Joannes, ac Reginaldus cardinales, et legati praedicti, pro praedicto Concilio ad dictam civitatem accesserint, ac ibi sex menses et ultra, non sine aliqua dictae Sedis indignitate, expectando permanserint; nihilominus praeter eos, qui ex alia Urbe, ut praefertur, venerant, admodum pauci praefati ibi convenerint; quinimo sicut provinciarum diversitas affert, diversimode se excusaverint, et alii bellorum motus, alii itinera non tuta ac viarum pericula, alii alia impedimenta obtulerunt; nos propterea praedictos Petrum Paulum, et Reginaldum cardinales et legatos, ut ab eis, quo in statu res essent, et quid super celebratione Concilii sperari posset intelligeremus, accersivimus. Cumque eundem Carolum imperatorem Germaniam petere, et per Italiam iter facturum esse intelligeremus, nos apud eundem Carolum imperatorem, cum quo in oppido Busseti convenimus, tam per nos ipsos, quam per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, qui tum nobiscum aderant, pro pace huiusmodi omni cura et diligentia (quod etiam cum praefato Francisco rege non minori studio antea pluribus litteris egeramus) institimus; cum vero nihil haecenus proficere potuerimus, et a Petro Paulo et Reginaldo cardinalibus et legalis praedictis, ac ex praefati Joannis cardinalis et legati, necnon caeterorum praefatorum in dicta civitate Tridentina existentium litteris, quorum fere singulorum super ea re sententiam exquisivimus, cognovimus (et nos ipsi clare perspeximus) vigentibus tot in locis inter eosdem principes bellis, ac immanissima Turcarum tyranno, cum validissimo exercitu Hungariae regnum invadente, ejusque copiosa et multissima classe jam Mare Inferum ingressa, cujus conatus, quantum vires nostrae, licet impares, suppetent, resistere, ut tenemur, in-

tendimus, non posse ad praesens, Domino forsitan ob peccata nostra sic permittente, nostram super huiusmodi Concilio intentionem impleri; quinimo eandem actionem Concilii in aliud opportunius et commodius tempus, quo dignitas et frequentia Concilio, et reipublicae Christianae praesentis salus afferri possit, differendam esse, sperantes ex Dei bonitate et misericordia post lenebras lucem, et aliquando tandem, quod brevi futurum speramus et optamus, Concilium ipsum celebrari posse: Volentes interim generale Christianorum defensionem a periculis propter infidelium mare et terras instantium impetus imminentibus, quantum in nobis erit, procurare, et almae Urbis sedi nostrae ac orbis capiti omniumque perfugio, quae nobis ab ea diutius absentibus ob ipsorum infidelium incursiones non leve periculum subire posset, nostra praesentia, quod necesse est, caeterisque praesidiis succurrere, ac conscientias et commoditatibus praefatorum, qui ad ipsum Concilium venire tenentur, ne propter ipsius Concilii celebrationis inchoationem, molestia aut incommodum afficiantur, paternae charitatis consulere: habita super iis cum eisdem fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu celebrationem Concilii huiusmodi, usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum, Apostolica auctoritate tenore praesentium suspendimus, et suspensam esse nuntiavimus, ac penas contra patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates et alios in posterioribus litteris indictionis Concilii huiusmodi comprehensas sub perjurii, ac alius in eisdem litteris contentis penis, Concilio praedicto, juxta formam ipsarum litterarum, adesse et interesse volumus, recedendi licentiam concedimus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter configerit attentari. Non obstantibus, etc. Nulli ergo, etc. Datum Bononiae anno Incarnationis Dominicae M^oXLIII. Pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno IX.

18. *Expositio principibus causa dissoluti Concilii.* — Extant de extracto in aliud commodius tempus Concilio, Pontificis ad Moguntinum, Treverensem, Salsburgensem, Bremensem, Gnesnensem, Bisuntinum archiepiscopos

Encyclicæ litteræ ¹, quibus etiam dedit imperia, ut clericum sacris precibus pro divina placanda ira, extinguendisque civilibus Christianorum bellis incumbere juberent :

« Tibi memoranda ad hoc duximus, ut et tuis posses suffraganeis significare, te et illos hortantes, ut vestri cleri jejuniis et orationibus divinam iram placare studeatis, quo, sublatis præsentibus impedimentis, tranquillitateque temporum restituta, celebrationem ipsius Concilii Universalis tam salutarem ac necessariam, quanto citius resumere et prosequi, Deo favente, possimus. Dat. Bononiæ die x Julii M^oXLIII, anno IX ».

Dissolvendi porro Concilii indicti præcipua et arcana causa hæc fuit, quod præsules Germaniæ apud Pontificem de non adeundo Concilio se excusarint, Lutheranorum infidorum metu, ne, dum illi Concilio gladio spiritus certanturi interessent, Lutherani ferreo gladio eorum urbes invaderent, ad quos coercedos pax esset necessaria, ut reges impiorum insidias et contumaciam armis frangere et retundere possent, quæ Pontifex Sigismundo Polonia regi, necnon consumptos in jungendo cum Cæsare colloquio, illustri quidem et pia conscientia, sed volorum impote irritos labores significavit ² :

19. « Regi Poloniae.

« Charissime, etc. Sperantes fore ut, Dei misericordia nostras actiones coadjuvante, aliquid in proximo colloquio, quod cum serenissimo Cæsare habuimus, ad concordiam inter eum et regem Christianissimum proficere, tuamque serenitatem tanquam optimum principem et erga publicam utilitatem semper optime animatum eo nunto latificare possemus; sed factum est nostris et populi Christiani peccatis, ut omnem laborem et viam et operæ nostræ frustra insumperimus, nec quidquam vel ad frequentationem Universalis Concilii Tridentini indicti, quod nostræ personæ appropinquatione frequentius nos reddituros credebamus, proficere potuerimus; nam quamvis legati nostri tot jam mensibus cum nonnullis prælati hinc a nobis protectis Tridenti expectaverint, ut ceteri prælati præcipueque ex vicina Germania et locis ei propinquis convenirent, tamen paucissimi, ac fere nulli convenerunt, sed alii propter bella inter Christianos principes vigentia, alii pro diversitate provinciarum aliis de causis, nonnulli ob vicinitatem Lutheranorum suas Ecclesias tuto deserere, ac personaliter ad Concilium venire non posse se nobis excusarunt. Quamobrem nos considerantes, id quod omnibus manifestum est, in tanta perturbatione rerum, tantoque concursu bellorum tum terrestrium, tum maritimarum, quibus universa Christianitas, sicut tua majestas andree potuit,

hoc miserabili tempore concutitur, cum suas omnes curas ad sua quisque vel a fidelibus vel ab infidelibus defendenda convertere cogatur, impossibile esse ipsum Universale Concilium nunc celebrari, propterea meliora tempora expectare coacti sumus. Interea prælatorum ad Concilium non venientium conscientias ullius illaqueatas non tenere, nostramque Urbem, Sedem, et statum temporale sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui sane adventu classis Turcarum per mare Tyrrenum, haud procul nostro statu nunc vagantis, sunt maxime perterriti, nostro reditu ac præsentia firmare et tueri (quanquam invit) decrevimus, itaque re mature perpensa, ac diu deliberata, tandem de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, celebrationem ipsius Concilii Universalis eoque suspendimus, donec per Dei clementiam meliora, et ad id aptiora se offerrent tempora, quæ ab eodem Deo nobis quamprimum concedi, et optamus et humiliter petimus. Hæc autem omnia, licet ex aliis nostris generalibus litteris propediem sub plumbo expediendis plenius appariturus, tuæ tamen serenitati particulariter significanda duximus, ut et ipsam rem nosset celerius, et facti nostri ratio ei constaret, quam illi ut amantissimo filio nostro, et pietissimo regi speramus et cupimus probatam esse. Dat. Anconæ xxi Julii M^oXLIII, anno IX ».

20. In eandem etiam sententiam scripsit Pontifex ducibus Baviaræ ³, religionis Catholice præclarissimis defensoribus, nec colloquio Buxelano concordiam, aut frequentiores Concilii Tridentini cælus promovere potuisse significavit, atque adeo in meliora tempora actiones Concilii extractas fuisse, sequæ ob terrorem Romæ injectum a Turcica classe hærente in finitibus ejus littoribus, ad urbem sua præsentia confirmandam proficisci :

« Dilectis filiis nobilibus viris Willelmo et Ludovico Baviaræ ducibus, etc.

« Cum nos, quas ob causas, nostra Sede relicta, Bononiam veneramus, nihil proficere potuissemus, nec circa concordiam Christianorum principum, nec circa frequentationem ipsius Concilii Tridentini indicti, cum et paucissimi prælatorum, etiam quos principes eorum conventuros nobis promiserant, convenissent, eorumque alii ob bella inter Christianos principes vigentia, alii pro diversitate provinciarum alias ob causas, nonnulli ob propinquitatem Lutheranorum suis Ecclesiis timentes, ad ipsum Concilium personaliter venire non posse se nobis excusassent, nos animadvertentes id quod omnibus manifestum est in tanta perturbatione rerum, tantoque concursu bellorum, tum terrestrium, tum maritimarum, quibus universa

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX, p. 300. ² Ib. p. 301.

³ Paul. III. lib. brev. an. IX, p. 380.

Christianitas hoc miserabili tempore concutitur, omnesque suas curas ad defensionem propriam convertere cogitur, impossibile esse ipsam Universale Concilium nunc celebrari ». Et infra : « Coacti etiam necessario sumus alicui Urbem nostram statumque sanctae Romanae Ecclesiae ex Turcarum classe, qua nunc etiam in propinquitibus Urbis et statui nostro locis haeret, perterritam, nostra praesentia confirmare et tueri. Ob haec omnia, quae nemini esse possunt dubia, re diu ac mature pensitata et deliberata, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, celebrationem ipsius Concilii Universalis eo usque suspendimus, donec per Dei clementiam meliora et ad id aptiora se offerent tempora, etc. Dat. Aenonae XXI Julii MDCXLIII, anno ix ».

Consentiunt dictis, quae memorat Joannes Cochlaeus¹ de indicto Concilio Tridentino ob bella civilia dimisso :

« Fuit eodem anno (inquit) indictum a summo Pontifice Generale Concilium ad civitatem Tridentinam, quo tres misit cardinales legatos; quoniam vero propter bella, quae inter potentissimos erant monarchas, perpauci episcopi comparuerunt, revocatis Romam legatis, suspensum est ad tempus Concilium illud.

« Cochlaeus Tridentum ad Concilium Wratislavia proficiscens, dum Campidunum usque pervenisset, comperit ibi solum esse conventum indictae Synodi, et vidit ibidem die xv Julii Caesarem ex Italia cum exercitu tendentem in Germaniam inferiorem adversus ducem Clevensem, qui ab eo ad regem Franciae defecerat, atque ducatum Gueldriae occupaverat, ac multa Brabantinis damna (Caesare absente) intulerat; Caesar intra paucos menses victum ac subjugatum proinnata clementia sua rursus in gratiam recepit ».

21. *Hermannus archiepiscopus Coloniensis in haeresim Lutheranam lapsus.* — Additque Cochlaeus², gravissimum offendiculum piis hoc tempore injectum ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi (1), qui ad Lutheranam impietatem sceleratissime descendit : « Bucerus impia fraude

Coloniensi insinuat archiepiscopo Hermanno (qui natalibus Comes erat a Weda) gravissimam suscitavit inter illum et clerum ejus discordiam in religione. Induxit enim illum in Lutheri haeresim, reclamante frustra non solum reverendo et illustri capitulo majoris Ecclesiae Coloniensis, sed etiam universo clero totius civitatis, totaque Universitate Coloniensi ». Praefuerat Hermannus multis annis archiepiscopatum Coloniensi multa cum laude, atque etiam Synodum ad excindendas Lutheranae impietatis propagines celebravit, ab alicuius vero corruptus, ac delictis sensim enervatus, cum sacrorum litterarum et Theologiae scientiae imperitus esset, specie componendorum religionis dissidiorum, a Bucero (apostata tribus incestis nuptiis infami) fascinatus, et in rabidum lupum ex pastore versus, omni contentione oves a Christo illius curae commissas dilaniandas Lutheranis objecit, excitis in provinciam Bucero et Melancthone haesiarchis, et aliis flagitiosa et impia eloquentia clarissimis concionatoribus, ad quod scelus, praeter libidinum lenocinia, abripi se sinit caeca mentis perturbatione et ulciscendi cupidine : nam cum praeter Coloniensem archiepiscopatum, etiam alios episcopatus Mindensem, Osnabrugensem et Monasteriensem, opibus florentissimos conjunxisset, necdum his satiata ejus avaritia, alia optima sacerdotia exambiret, quae ipsi, violato aliorum jure, permitti non poterant a Pontifice, violato sacramento Pontifici praestito, impie rebellavit, conditaque intus venena effudit, in litteris enim parentheticis ad eum datis haec verba descripta fuere, licet lenitatis studio postea inducta linea oblitterata sint : « Superbia et iracundia adversum nos inflatus, non ob aliam causam, quam quia justitiam, qua totus orbis regitur, contra te super certis beneficiis Ecclesiasticis administrari passus fuimus, propterea odium tuum ad Dei offensam religionisque detrimentum convertisti, eodem enim tempore, quo de justitia contra te decreta rescivisti, Lutheranos ad te vocasti, ut sic te contra nos ulcisceris ».

22. *Colonienses et Monasterienses ad fidem servandam hortatur Paulus.* — Porro mox atque de impia hac Coloniensis archiepiscopi defectione certior factus est Pontifex, senatum Coloniensem et clerum illius urbis ad constantiam

¹ Joan. Cochl. in actis et scriptis Lutheri. — ² Cochl. in actis et scriptis Lutheri.

(1) Quoniam Hermannus Coloniensis archiepiscopi lapsus anno huic ab omnibus quotquot legi chronicis assignatur, alius tamen vacillationem ejus in fide repetendam esse suspicor. Quia nec forte anno MDCXXVI, cum Synodum Coloniae habuit, in novatores animum prorsus alicuius gerebat. Sunt quidem in Actis Concilii hujus Catholica omnia; sed quod omissem sit dogma de Purgatorio parvis a cardinali Sadoleto lib. XIV, Epist. IX suspiciosis arguitur. Id quidem casu omitti potuisse fateor; sed potuit etiam de industria fieri; cum forte jam tunc Hermannus vacillare in his dogmatibus poluerit, quae non adeo perspicue in S. Scriptura expressa sunt, quo nomine purgatorias penas heterodoxi rejiciunt. Utrumque tamen ea res habeat se-se, profecto constat Hermannum ante praesentem annum a fide palam recessisse, cum anno precedentis MDCXXII, Martini Bucero accitum Bononiae sacrum Evangelium praecone in ea urbe constituerit; quae sane non obscura erat Lutheranismi professio. Quare errasse mihi exploratum est continuatore historiae Ecclesiasticae de Fleury, qui omnino post aliquod tempus ab absoluta Nurembergensi dieta Hermannum fidei Catholicae nunquam remisisse affirmat. Confessus enim ille eventum Januario ad Aprilium usque consistit; Hermannum vero ante exitum Januarii Lutheranismum professum fuisse oportet, cum Pontifex die 1 Februarii hujus anni litteras ea de re ad senatum et clerum Coloniensem dederit, d. quibus analista hic num. 22. Si enim incipiente Febuario Hermannus lapsus jam Romae innoverat, exploratum est utique aliquando ante exitum Januarii aequo non absoluta Nurembergensi dieta Hermannum ad Lutheranos defecisse.

in fide orthodoxa defendenda hortatus est in eunte Februario :

« Senatui Coloniensi.

« Cum ex hac plena sollicitudinum et curarum specula, in qua nos Deus omnipotens hoc tempore collocavit, hunc infelicem statum inclytæ nationis Germanicæ intuemur, quæ olim non solum belli gloria, principum nobilitate, imperiique dignitate cæteras nationes anteibat, sed quod plus erat his omnibus, in vera et Catholica religione, et Sedis Apostolicæ reverentia, nulli provincia aut regno cedebat, nunc pluribus in sancta fide dissensionibus in partes contracta et miserabiliter disrissa est; magnum sane dolorem capimus, et ejus damnis, tanquam nobilissimæ Christianorum partis, permovemur, nec sane in hoc tam nostras et diætæ Sedis injurias attendimus, a ejus reverentia, sicut a fidei obedientia nulli beneficiorum ejus obliiti recesserunt, mater enim omnium et magistra fuit quam contaminatum fidei Catholicæ sensum, ablatum Dei sanctis honorem, cultum ipsius Dei imminutum, persecutionem cleri et religionum, moniales antea Deo dicatas, mox monachis nuptas, spoliatas Ecclesiæ, et per hæc irreparabilem tot animarum jacturam dolore, quo debemus, comploramus. In his autem nostri animi vulneribus non levem ex eo consolationem recipimus, gratiasque Deo omnipotenti agimus, quod ejus clementia ipsius Germanicæ corporis non minuatam partem adhuc incolentem præstitit, multos nobilissimos principes, multasque insignes civitates integras ab hac labe conservando, quorum in numero vestram imprimis esse eo magis gaudemus, quo semper illa Apostolicam Sedem speciali ab ea affectu dilecta specialius coluit et venerata est. Quamobrem, etsi omnium Ecclesiarum generalem curam, vestra tantum peculiaris gerimus, vestramque constantiam præteritam dignis in Domino laudibus commendamus, vos, filii, hortamur, ut sollicite caventes, secundum Apostolum, ne quis vos seducat, provideque attendentes, non esse in Catholica religione sine Ecclesiæ auctoritate quidquam recipiendum, præsertim quod universali Ecclesiæ et tot sæculorum observantiæ adversetur, in ea, quam a Patribus accepistis, et illi per tot sæcula observatam ab Ecclesiâ vobis per manus tradiderunt, fide ac religione, soliti constantia perseveretis, certi quod Deus et Dominus noster Jesus Christus sicut promisit, cum Ecclesiâ et fide Petri, pro qua ipse oravit, usque in finem sæculi permanebit, nec iste hæreses, quas, exigentibus peccatis, idem Dominus pullulare permisit, alium finem sortientur, quam cæteras, quas etiam amplioribus visis vobis eodem auctore Domino, extinetas. Datum Romæ 1 Februarii

MDXLIII, anno IX». Exlantalia eodem argumento ad clerum datæ litteræ :

« Capitulo et clero Coloniensi.

« Dilecti filii, salutem. Etsi mirabiles sunt hoc tempore elationes maris¹⁾, cum mundanarum tempestatum fluctus adversus Ecclesiam isthæ gravissime intumescant, tamen sperare, filii, debetis, quod idem Dominus, qui nunc (exigentibus peccatis) Ecclesiam suam agitari procellis et fluctibus conculi permittit, tandem suæ misericordiæ recordatus, surgens ventis imperabit ac mari, nec ad postremum, aut suos deseret, aut permittet impios de sua iniquitate gloriari, qui licet de suis superbiunt excessibus, recordari tamen debent de exitu ac fine cæterarum hæresum, et quod nihil est infelicis peccantium felicitate: nos quidem, sicut novit Dominus, et vos etiam audire potuistis, nulla in parte officii nostri deluimus hæcenus, aut in præsentiarum desumus, tum in suadenda Christianis principibus concordia, e qua omnium status dependet, tum in promovendo, quantum nos facere possumus, universali Concilio, quod Tridentini in ipsis Germaniæ partibus ob id maxime indiximus, ut per illud una cum multis aliis Christianitati salubribus vestra præcipue pax et tranquillitas constitui posset, cui sane rei quamvis validus adhuc obstat discordiæ ventus, nos tamen quantum undique efflicere poterimus, tanquam pater pro filius et caput pro membris, nostramque rem agentes, omni nostro studio vere ac sincere quidquid alii dicant intendemus. Interea, filii dilectissimi, donec tempus misericordis Domini adveniat, quod brevi fore speramus, ad eum in tribulatione clamemus, et sicut Dei ministros in sortem ejus vocatos decet, constant in ipsius sancto servitio atque in vero fidei Catholicæ sensu perseveretis, etc. Datum Romæ 1 Febr. MDXLIII, anno IX ».

23. Monasteriensem pariter, Osnabrugensem et Mindensem clerum, datis vigesima secunda Martii litteris, ad inducendos in adversis lortes animos spemque in Deo, qui concitatum impam procellam esset sedaturus, collocandam exortavit; monuitque nil infelicis esse temperaria peccantium felicitate; tum exente Martio senatum Monasteriensem meritis laudibus exultit; qui cum sollicitaretur ab eorum nequissimo proditore pseudoepiscopo ad Lutheranam impietatem amplectendam, missis ad eum theologis, monere, imple sentire eum Lutheranus desineret, ac si in flagitio perstaret, interminati sunt de prædicendo sibi meliore episcopo operam non infermissuros²⁾ :

« Capitulo e Senatui Monasteriensi.

« Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus

¹⁾ Paul. III. lib. 6. c. 1. an. IX. p. 63.

²⁾ Paul. III. lib. 6. c. 1. an. IX. p. 68. — H. p. 197.

totius consolationis, qui nos in tribulatione nostra consolari nuper dignatus est, et vobis talem animum et in fide Catholica constantiam concessit; perfusi enim sumus gaudio audientes, quod cum vester episcopus pravis, ut dicitur, eorum, quos circa se habet, consiliis petitum quam sua voluntate ductus, vobis proponi fecisset de Lutheranismò recipiendo, seu quadam nova ordinatione assumenda, vos, filii, capitulum, obliuò suum munus episcopo, vestrum recordati, præpositum et scholasticum ad ipsum episcopum misistis, cum eo nomine vestro ac totius patriæ expostulantes viriliterque requirentes, ut suum pastorale officium recte ageret, alioquin cogere mini de opportuno remedio, melioremque antistite cogitare, qua vestra fortitudine animalversa, impii illorum conatus, tanquam ad solidam et firmam petram allisi rejecti fuerunt. Agimus igitur Deo omnipotenti pro vobis gratias, ei enim honorem reddidistis et fidem servastis, proficientes vobis ad meritum, et aliis ad exemplum, utinamque hanc et vestram (filii, senatus), pietatem cum eodem capitulo conspirantem sicut laudibus prosequimur, ita pro meritis aliquando remunerari possumus, nunquam certe ex animo et memoria nostra deponemus, quandoquidem non dubitamus, ex hoc vestro facto confusus fuisse improbos, confirmatos dubios, bonos meliores effectos, atque hæc quidem vestra laus tanto major est, quanto rarior, caput enim alias regere sua membra consuevit, vos membra caput vestrum existis, nutansque tenuistis, ne rueret, capiteque conservato totum Ecclesiæ corpus in ista civitate et diocesi conservastis, unde nunquam vestra constantia apud homines debilitur, nec apud Deum suo præmio fraudabitur. Quo igitur feliciter agerent civitates Germaniæ infelices ab Ecclesiæ corpore nunc avulse, si vestram pietatem imitantur! Quid enim boni hæc novatio religionis eis attulit, nisi effusionem civis sanguinis, Turcarum roborationem, Germanorum debilitatem? Nunc autem miseræ quid agunt? Quid cunctantur? Cur ad Concilium, quod tantopere instabant, non accedunt? Ecce illud Tridenti indictum, ac propinquum habent, episcopisque et omnibus expositum patet, cur suas rationes eo non deferunt, si illis confidunt? Sin diffidunt, cur in illis obstinate cum tanta suæ patriæ jactura perseverant? Sed ad vos, filii, revertimur, quos merito ut peculiare nosros et Ecclesiæ filios complectimur, vos hortantes per eum, qui in vobis habitat, Dominum Jesum, ut in fidei Catholiciæ vestrique officii constantia perseveretis, et ad modicum suscineatis, et sperantes quod ipse, qui pro fide Petri oravit, et vobis eum suis fidelibus usque ad consummationem sæculi se futurum promissit, non dabit in æternum fluctuationem justis, sed permissa Sathanae ad tempus evagandi po-

testate, probatis per tentationem fidelibus, pacem brevi reddet, adversariis vero vestris eundem exitum, quem antiquarum hæresum fuisse legitis, tribuet, sicut disparia vestra et eorum merita postulant. Datum Bononiæ XXX Martii MXXLIII, anno IX ».

24. *Coloniensium constantia.* — Licet sacerdotum ordo¹ ac senatus impiis Hermannii pseudoarchiepiscopi molitionibus constanter adversaretur, plures tamen instabiles anime, illius ac Lutheranorum laqueis irretite, a fide Catholica turpiter desciverunt, rufpiscine claustris, profervi monachi et lascivæ moniales ad incestas nuptias (ementita conjugii specie) provolarunt, tum Lutherani rabulæ blasphemias voces et convitia contra religionem orthodoxam libere in pluribus urbibus effuderunt, qua fristi fama accepta, Pontifex iterum in eunte Junio Colonienses canonicos de fractis sceleratis Hermannii apostata conatibus, et pluribus finitimis populis in sacrosancta vere religione confirmatis commendavit² :

« Dilectis filiis canonicis majoris Ecclesiæ Coloniensis.

« Dilecti filii, salutem. In tanta animi nostri sollicitudine ac dolore, quam pro vestro officio ex vesania archiepiscopi vestri capimus, valde nos consolatur fortitudo ac pietas vestra, qua illi talia molienti vos non modo non consensisse, verum etiam viriliter restitisse audivimus, quod sane non solum vobis, sed etiam convicinis populis et Ecclesiis certam salutem attulit, nisi enim illius furori, tanto impetu se ferenti, vestra divina virtus se opposuisset, profecto et ista insignis Ecclesia ac civitas, et illius auctoritatem secuta cætera ejusdem provinciæ Ecclesiæ et civitates Deo amissæ nunc essent, etc. Datum Bononiæ i Junii MXXLIII, an. IX ».

25. Refert Surius in Commentariis admonitionum officii a primariis cleri Coloniensis viris Hermannum, cui inter alia propositum esse S. Ambrosii exemplum³, qui jussus a Valentiniano imperatore Auxentium Ariantum in Ecclesiam Mediolanensem inducere, ita respondit : « Absit a me, ut tradam Christi hæreditatem ». Et infra : « Faciat, quod imperatoris est, imperator. Prius est, ut animum mihi quam fidem auferat ». Tum subjungere : « Scio vulnere hæc, quæ pro Christo excipiuntur, non vulnera esse, quibus vita amittitur, sed propagatur, sic te quoque, reverendissime princeps ac dominus, Lutheranis et Zuinglianis suggestoribus et consultoribus pessimis respondere debuisset : Absit, ut ego hæreditatem patrum sanctorum Severini, Cuneberti, Brunonis, Hereberti, Peregrini, Annonis, et omnium retro fidelium episcoporum antecessorum meorum, qui per tot collegia et

¹ Suri. in Comm. hoc anno. — ² Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 240. — ³ Amb. tom. III. l. V. post Ep. XXXII. Baron. tom. IV. Annal. an. 357. num. 1.

monasteria, quæ suo ære et labore fundaverunt, cultum et laudem Dei, et sanctorum ejus memoriam ac venerationem adauerunt, tradam in manus tam rapacium luporum ac publice damnatorum hæreticorum, qui Ecclesiarum collegiarum et monasteriorum hostes sunt nefandissimi. Quis prædecessorum meorum unquam ita fecit? Tali sane responso servares bonam ad Deum conscientiam, bonam fidem Christo principi pastorum, cujus tibi commissæ sunt oviçula, debitam erga summum Pontificem et Romanorum imperatorem, dominos et superiores tuos, obedientiam atque fidelitatem, apud exterarum nationum Christianas laudem, apud clerum et populum Coloniensem, qui tot jam annis unanimi tecum consensu istas perditionis damnatas sectas abominati ac detestati sunt, benevolentiam pristinam, atque præcaveres infinita in plebibus Christi scandala, quæ de hoc facto tuo non sine multorum gemitu audiuntur ».

26. In defendenda religionis causa conjungere se Coloniensi clero senatus et consules Colonienses, quos Paulus Pontifex ob constantiam in tuenda fide Catholica, et pia monita defectori archiepiscopo suggesta, ut ab immani flagitio quo se devinxerat respiceret, merita laude ornavit, hortatusque est, ne Bucerus et alios impios concionatores, hærescos virus ad perdendas animas diffundere paterentur¹ :

27. « Dilectis filiis burgimagistris et senatus Coloniensi.

« Vestra illa pietas et constantia semper laudata, et in ore omnium celebris, nuper splendidius fulsit, cum vester archiepiscopus, si is hoc nomine jam dignus est, corrupta sua diocesi, etiam civitatem vestram corrumpere, atque a veteri fide et usu Catholice Ecclesie avertere conatus est: ei enim ad viriliter restitit, et postmodum non destitit omni studio et diligentia suadere, ut a tanto scelere desisteret. Benedictus igitur Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui nos in tribulatione consolari dignatur, qui si hoc tempore peccatis ita exigentibus) permisit venena, etiam antidota nobis concessit ». Et infra: « Quapropter vos, filii, hortamur, et per Dominum Jesum, qui in vobis nunc habitat, rogamus, ut in cepta pietate et constantia perseveretis, modis omnibus providentes atque impediētes, ne Bucerus et Lutherani concionatores, nunc in vicinis locis rugientes, et quærentes quem devorent, in vestra civitate prædicare aut populum seducere possint, etc. Datum Bononiæ i Junii mxxiiii, anno ix ».

Confirmati etiam fuere eisdem Colonia magistratus Cæsareis litteris, ut fidem Catholicam tuerentur, strenueque Lutheranis obsisterent,

quod cum summa laude ab iis perfectum est, ut licet Lutherani mille artibus Coloniensem constantiam expugnare pertentarent, impia tandem eorum molimina irrita ceciderint, ut narrat Surius his verbis¹ :

28. « Moguntia Cæsar dat litteras ad senatum Coloniensem, quibus eorum laudat in fide Catholica constantiam, quod non cesserint quibusdam concinatoribus, qui eos a Catholica religione avertere modis omnibus attentarint, hortatur, ut perseverent, et populum in officio continent. Idem fere scribit ad illos etiam Pontifex Paulus III. Senatus itaque convocato populo mandat, ut his edictis pareant. Diei vix queat, quot dolis, quot cuniculis, quot modo occultis, modo apertis machinationibus maius Dæmon per suos administratos hanc urbem, multis hominibus longe celeberrimam, conatus sit ab una vera Catholica fide in istos deterrimos et pugnantissimos novi Evangelii errores abducere, quibus tota jam tere Germania misere periiit, sed (quæ Dei est singularis benignitas) nihil hactenus efficere potuit, senatu prudentissimo et gravissimo diligenter invigilante, ne homines pestilenti voto suo potiri queant. Multæ sunt artes Cæcodæmonis, et habet ille suos satellites, qui ubi vident nihil aperto bello posse consequi, vertuntur ad insidias, transferunt se in Angelos lucis, nihil nisi pacem et pietatem præ se ferunt, donec hæc perniciosissima simulatione apud incautos, præclaræ ejusdem existimationis, magnæ pietatis, non dubiæ integritatis famam sibi concilient. Tum vero sensim virus effundunt suum, et sub pietatis prætextu, etiam illos non raro a Catholica Ecclesie pace et unitate avellunt, quos neque Lutherus, neque alii omnes ex professo Ecclesie hostes exvertere potuerunt. Vigilandum est igitur omnibus, quibus sempiterna animarum suarum salus cordi est, ne circumveniantur a Sathana. Habet semperque, quando hic stabilis orbis, habebit suas laudes eximias inclita et præclara Colonia Agrippina, quod, tam multis in Germania ab avita eademque sanctissima religione deficientibus, ipsa constantissima permansit, nec eam fidem et religionem puerili levitate sibi deserendam putavit, quam longe ante mille annos accepisset, et in hunc usque diem a sanctis majoribus suis integra fide, velut per manus sibi tradita, religiose conservasset, licet sæpe incredibilibus astutissimorum Sathanae satellitum fraudibus et technis, armis et machinis oppugnata. Oraudus autem est Deus, ut eandem etiam deinceps (ut bene speramus) constantiam servet, præsertim cum nunquam cesset Sathana novos texere dolos et novas meditari artes, quibus vel tandem etiam constantissimos expugnet, nec desint, qui hæc eximiam laudem inclite Urbis

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix, p. 217.

¹ Surius in Comm. hoc anno.

invideant, quam illi tribuit Scriptor quidam vetustus, his verbis usus : Postquam fidem suscepisti, civitas prænobilis, recidiva non fuisti, sed in fide stabilis ».

Asserendæ apud Colonienses religioni multum profuit Adolphus ex comitum Schwemburgensium inelyta prosapia satus archiepiscopi coadjutor, ad quem extant subjectæ Pontificis litteræ.

29. *Pontifex archiepiscopo Coloniensi scribit, ut respiciat.* — Quod ad Hermannum infelicem pseudoarchiepiscopum affinet, cum is in Lutheranorum castra transfugisset, immane facinus aggressus est, ipso enim die Festo Paschæ, celebrata Germanico idiomate divina re, populo non expiato rite præmisso sacræ exhomologeseos sacramento, Eucharistiam sub specie utraque, contra Ecclesiæ instituta, more Lutherano tradidit, non reputans illud Apostoli : *Probet autem se ipsum homo, et sic de illo pane edat* etc. Lapsum itaque in hæresim Pontifex ex illo impietatis ceno, amantissimis monitis excitare amissus est, avulsisque verborum aculeis, quos rei indignitas expresserat, humanitate pia ad officium aberrantem revocare conatus est, antequam graviori censura ex sacris decretis illum perecellere cogeretur ¹ :

« Hermanno archiepiscopo Coloniensi.

« Venerabilis frater, ex fama undique publica et ex multorum fide dignorum relatione intelleximus, te, licet pro boni archiepiscopi, et principis electoris officio tuam diocesim et provinciam in ea fidei Catholicæ puritate atque observantia, in qua illas a tuis prædecessoribus acceperas, conservare et cum sancta Romana universaliq; Ecclesia in eadem fide consentire debuisses, prout tanto antea tempore conservaveras, et consenseras, tamen a paucis citra mensibus repente immutatum, eiecisti orthodoxis, vocatisque Lutheranis prædicatoribus, introduxisse per eos Lutheranismum in diocesim tuam, habitaque etiam per te oratione coram trium statuum tuæ provinciæ deputatis, suasisse omnibus ac præcepisse, ut ipsum Lutheranismum reciperent, cumque illi palam obisterent, teque orarent, ut ab incepto tam pernicioso desisteres, nullis nec monitis, nec precibus eorum te flecti potuisse, imo in die sancto Paschæ Sacrificium missæ in lingua vernacula celebratum, præmissaque publica et generali tantum confessione et Absolutione, prout in Lutheranis civitatibus fieri consuevit, cætera Lutheranismum congruentia subsecuta fuisse, quæ omnia non solum in animæ tuæ et tuæ curæ commissarum perniciem, perpetuamque tui nominis infamiam, verum etiam in totius universalis Ecclesiæ, cui tantum præjudicium tua temeritate inferre præsumpsisti, violationem et offensam

manifestam redundarunt, atque eo etiam graviora fuerunt, quod nulla aut senatus, aut populi tui, sicut alibi accidit, tumultuantis, Lutheranismumque optantis, seditione ac necessitate compulsus, sed tuam voluntate, contra capituli, senatus, eleri et universitatis egrege in fide Catholica animatorum voluntatem, eo maxime tempore hæc ausus es, quo Universale Concilium a te et cuncta Germania tantopere eflagitatum Tridenti in ipsi Germania portis habebas, neminemque ex Germanis episcopis videbas, qui suam Ecclesiam non viriliter tueretur, multos etiam ex eis admirari poteras, qui potius exulare ac persecutionem pati, quam Lutheranismum recipere elegissent. Sic tu, qui exemplum constantiæ aliis esse debuisses, primus omnium prælatorum ab universali Ecclesia et fide Catholica, a qua tanto tempore perseveraras, defecisti, nullamque nec officii nec jurisjurandi a te toties in tuis promotionibus præstiti habuisti rationem, quin Deo et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a qua nunquam offensus, et toties, præsertim in confirmatione tui archiepiscopatus vigore cuius etiam elector sacri imperii ornatus fueras, ingratus et repente hostis existens, quo sane factio, non tu quidem nobis, aut universali Ecclesiæ, cum qua se Dominus usque ad finem sæculi futurum promisit, ac Petri cymbam, etsi quandoque fluctuare, nunquam tamen mergi permisit, sed tibi ipsi nocuisti, qui in districto Dei iudicio, non solum de tua, sed de tot millibus animarum, quas tecum perdidisti, rationem redditurus es. Quamvis autem omni nostra humanitate et gratia te indignum reddideris, tantum facinus attendendo, tamen ex benignitate Apostolicæ Sedis, antequam ad alia procedamus, præmittere hoc tecum volumus Christianæ charitatis officium, te etiam atque etiam hortantes, atque monentes, ut a defossa tibi fovea pedem quamprimum retrahens, ad universalis Ecclesiæ gremium atque consortium revertaris, nec tantam tibi ac tuo generi et cunctæ Ecclesiæ Germanicæ notam inuras, ut tu, qui una ex solidioribus columnis es, illum sustentare debes, eam primus deseras. Vide, inquam, quid agas, recole qui sis, memorare quantum Deo Omnipotenti debeas, officium juramentumque tuum ante oculos tibi ponas, coepiscoporum tuorum constantiam imiteris, prudentique meditatione perpendas, quam infelices fructus hæc innovatio religionis in Germania præbuerit, effusionem scilicet civilis sanguinis, Turcarum roborationem, Germanorum debilitatem; Lutheranos proinde ejicias, Catholicosque concionatores restituas, tuosque subditos (sicut optant) in veteri Christianæ religionis cultu perseverare permittas, quod si feceris, et illis et tibi melius consulas, sin autem in cæplis perseveraveris, nos sane nec nostrum officium, nec tot anima-

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 231.

rum salutem negligemus, nulloque pacto differemus, ea contra te agere, quae secundum sacros canones et sanctorum statuta Patrum agenda fuerint. Dat. Bononiae 1 Junii MDCXIII, anno IX ».

30. *Commendat Paulus pietatem ducis Bavariae.* — Conjunxit cum Pontifice Jo. Cochleus pia studia, ut archiepiscopum ad mentem revocaret, at obdormit in perfidia veluti alter Judas proditor Hermannus pseudoarchiepiscopus, ac plures ficta, impia et deformatissima religionis reformatione, in scelus pellicere conatus est, quem demum exauctoratum munere archiepiscopali et principatu depulsum visuri sumus. Eodem tempore Bavariae principes egregia pro tuenda re Catholica studia explicuere : quorum pietatem Pontifex his litteris commendat ¹ :

« Ducibus Bavariae.

« Dilecti. Reversus istinc ad nos dilectus filius doctor Scotus, Ecclesiae Armachanae administrator, ea nobis de singulari vestra pietate, et ad conservandam fidem Catholicam indefessa constantia retulit, qua semper omnes retulerunt, ipse autem eo particularius ac certius cueta nobis explicavit, quo diutius in istis vestris locis ex voluntate nostra commoratus est. Itaque quamvis minime nova, maxima tamen laetitia affecti fuimus ex ejus sermonibus, in quibus, commemoratis multis a vobis pie fortiterque gestis et in vestras effusus laudes nostraque erga vos benevolentiam fieret cumulationem, quamvis antea fuisset tanta, ut nihil ad eam addi posse videretur. Agimus igitur, sicut saepe egimus, Deo Omnipotenti gratias, quod adversus has gravissimas Ecclesiae fluctuationes, nos amantissimis filiis consolari ac munire dignatus est, quorum praesidio hanc procellam sustinere possemus, etc. » Addit, mitti eundem doctorem Scotum vitae puritate et doctrina praestantem, cecitate ipsa admirabilem, una cum Claudio Jayo et sociis, ut in Bavaria, et germani fratris Salisburgensis provincia fidem teneant, aberrantesque convertant. « Dat. Placentiae XIV April. MDCXIII, anno IX ».

Extant de iisdem insignibus viris, pietate conspicuis, litterae ad Salisburgensem archiepiscopum, cum eximiiis dotibus ornatu, et ad confirmandos in fide orthodoxa Catholicos et Lutheranos ab impietate ad Ecclesiae castra revocandos missi essent ² :

« Archiepiscopo Salisburgensi.

« Reputantes et messem esse multam, operarios autem paucos, Scotum, Ecclesiae Armachanae administratorem, ad te et eosdem fratres tuos cum Dei nomine et aliquot facultatibus ei concessis, quibus gratuito ad Dei servitium uti possit, remittimus, ut is divino auxilio vestro-

que fretus favore, una cum dilecto filio Claudio Jayo, quem isdem reliquit, et aliis suis coadjutoribus in tota tua et eorumdem fratrum tuorum dilectione, ac in aliis etiam locis, praesertim circumvicinis, ubi necessarium ac tutum duxerit, opere, verbo et exemplo, ad salutem animarum, correctionem morum, relinendosque in fide Catholica populos et aberrantes reducendos, quantum poterit, re prius tecum et cum aliis ordinariis eorumdem communicata, sataget, laboret et intendat, quaedamque etiam tibi ex parte nostra referat, etc. Dat. Placentiae XV Aprilis, MDCXIII, anno IX ».

31. *Claudius Jayus, et Petrus Faber ex primis decem sociis S. Ignatii pro fide laborant in Germania.* — Fuit porro Claudius Jayus ex primis sociis S. Ignatii, de ejus piis laboribus in Germania exortum memorat Orlandinus ¹, narratque, ab illo multa Ratisbonae a Lutheranis, tum a sacerdotibus concubinarum familiaritate contaminatis, quos a vitis deterrebat, tolerata, deque ejus constantia haec addit : « Ipse vero cum cruce undique et pericula intentarentur, triumphare gaudii cepit, et munitibus praerupta Danubii respondebat intrepidus, in Caelum tam facile aqua, quam terra ire posse. Nec defuerunt, qui ei aut mortifera exitia veneni, aut subitum molirentur exilium : complures tamen viri boni Catholicique, atque inter hos civitatis episcopus in oculis eum ferebant, palamque exaltabant, et quod tam constanter ille se facinorosus opponeret, et innocentis vitae speculo facilitateque permira, haud contemnendos suae tolerantiae fructus ferret ». Ab hoc et Petro Fabro, quem Pontifex ex Hispania revocatum in Germaniam proficisci jussit, propagata est Societas Jesu in Germania, ex qua innumeri viri insignes pietate et doctrina prodire, qui Lutheranorum argutias egregie confutarunt, suscepisque gymnasiis pro instruenda juventute, haeresi ne latius propagaretur, fortissime restiterunt : egebat vero Germania hoc tempore horum piorum doctorum opera, cum Joannes Eckius et Albertus Pighius acerrimi religionis Catholicae propugnatores, Lutheranorumque mallei, hoc incunte anno, e vivis excessissent, ut Cochleus narrat, qui de aliis rebus Germanicis haec commendat historia ² :

32. *Conventus imperialis habitus Nurembergae.* — « Hoc anno rursus Nurembergae, absente adhuc Caesare in Hispaniis, per regem Romanorum habitus est conventus imperialis a mense Januario usque ad Aprilem, cujus recessus factus et publicatus fuit die XXII April. Adjuncti fuerunt regiae majestati ad id negotii tres commissarii a Caesarea majestate, utpote Christophorus episcopus Augustensis, Fridericus comes Palatinus Rheni dux Bavariae, et Joannes

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 139. — ² Ib. p. 143.

¹ Orland. hist. Soc. Jesu. l. II. — ² Ibid. in actis et scriptis Luth.

de Navis, quorum primus in illo conventu Nurembergæ obdormivit in Domino. Tractatum est autem et ibi præcipue de ratione belli adversus Turcas gerendi, deque præsiidiis subsidiisque et constitutionibus in tempore constituendis. De causa vero religionis nihil aliud constitui commode potuit, nisi ut publica pax utique servetur, ne religionis prætextu ulli vis inferatur aut injuria ».

Habiti quidem sunt in Germania maximi delectus contra Turcas, sed cum Germanicæ vires distractæ essent a Cæsare in Belgium contra Clevensem ducem et Gallos profecturæ, tum etiam ob Lutheranorum dissidia debilitatæ, irrisi conatus coniderunt, Turcicumque imperium (victis Christianis) propagatum est a Solymanno, de cuius terrifico adventu in Hungariam duces Bavariæ Pontificem certiores redderunt, promissaque ab eo in colloquio Buxetano quatuor Italarum peditum millia subsidiaria expetierunt :

33. « Sanctissimo in Christo Patri et domino, D. Paulo III, sacrosanctæ Romanæ atque universalis Ecclesiæ summo Pontifici, domino nostro colendissimo.

« Beatissime in Christo pater et Domine D. colendissime. Post pedum oscula beatorum. Rediit hodie ad nos per equos dispositus bonus accursus Gygnæus consiliarius noster, ex cuius accurato sermone intelleximus ea, quæ nuper a sanctitate vestra Buxetano in colloquio in causa orthodoxæ religionis nostræ tractata sunt: quæ quidem omnia cum sancte et mature a beatitudine vestra, tamquam parente optimo ac pietissimo considerata esse videamus, maximas sibi propterea et agimus et habemus gratias, summum vero gratiæ largitorem assidue precantes, ut eas sibi uberiores retribuere dignetur. Quoniam autem Cæsaream majestatem, ipsa id a nobis efflagitante, propediem conventuri, cum eaque rem sacrosanctæ religionis nostræ omni fide ac diligentia tractaturi sumus, singula idecirco, quæ ibi inter nos, sive occurrent, sive concludentur, sanctitati vestræ admissum significare non intermitteremus. Cæterum hac hora certiores facti sumus, Turcarum tyrannum cum omnibus suis copiis Hungariæ regnum aliquot jam ante dies ingressum tripartito exercitu, Austriam versus contendere, ut Viennam magna tormentorum vi ac mole, atque omni belli apparatu oppugnet; quare Beatitudinem vestram eo reverentius, quo possumus, comprecamur, velit quatuor illa promissa Italarum peditum millia (nulla interjecta mora) eo mittere mature, ne quid detrimenti eorum tarditate intercipiatur, cuius summæ benignitati nos omni humilitate commendamus, et totos tradimus. Dat. in urbe nostra Landshut die penultima Julii MDCXIII.

« Ejusdem sanctitatis vestræ.

« Obsequenlissimi filii ac servitores. Vilhelmus utriusque Bavariæ dux, etc. »

Datam fidem egregie exsolvit Pontifex, ut Paulus Jovius refert ac ipse Pontificiæ litteræ ad Ferdinandum regem testantur¹ :

« Regi Romanorum.

« Charissime. Mittimus ad tuam civitatem Viennensem a communi hoste Turca pro nostra virili defendendam quatuor millia delectorum peditum Italarum, quibus regendis dilectum filium nobilem virum Joannem Baptistam Sabelium, nostrum secundum carnem affinem, nostræ custodiæ generalem præfectum, virum insignis virtutis et auctoritatis, capitaneum præfecimus, etc. Datum Arimini xv Julii MDCXIII ».

34. Non Viennæ oppugnationem² meditabatur Solimanus, sed Strigonium et Albam Regalem aliasque Hungariæ urbes expugnare, et Turcico imperio subijcere ambiebat. Primos impetus immisso duce Amurata, effudit adversus Watponium oppidum ad Dravi fluminis ripam positum non longe ab Exechio, feda Austriaci exercitus clade jam ante nobilitatum; licet vero oppidum egregie munum esset, tamen præsiidarii vim Turcicam non tulere, atque in dedicationem sunt accepti, inde ad Soelos promoti Turcica castra, pugnatumque est accerrime ab Hungaris, qui irrupentes Turcas vulneribus debilitatos propulsarunt, demum Soclenibus consternatis ac muro recedentibus, cum sustinere hostilem impetum non possent, in arcem confugere, cumque dedicationem nuncupassent, ad unum omnes contrucidati sunt. Tunc exploratis pronisque omnibus ad victoriam, cum universo terrestri navalique exercitu ad Strigonium expugnandum provolvavit, fugiente Paulo Vardano archiepiscopo, ne si interciperetur, horrendo mortis genere interimeretur, quod a Solymanno ad Ferdinandum defecisset. Præerat urbi Liscanus Hispanus fastu quam belli peritia nobilior, Turcarumque impressiones non infeliciter frangebantur ab Italis Germanisque præsiidiariis, cum senex Calaber proditor, tormentorum librandorum arti assuetus, ad Turcas transfugit, perfidiæ pudorem obvelans, quod Ferdinandus rex sibi stipendia plura non persolvisset; is expugnandæ turris præcipue modum barbaros edocuit, qua capta, Strigonium potrentur, in qua oppugnanda cum vires intenderent Turcæ, obsessisque auxiliorum desperatione animi frangerentur, demum Liscanus præfectus, auro ex continua præda congesto prædives, cum aurum magis rapto partum servare, quam Strigonium vellet, vitam liberlatemque pactus, contra militum spem voluntatemque, hostem in urbem induxit, moxque omni auro, et torque, et suppellectili exultus est,

¹ Paul. l. IX. p. 202. Paul. Jov. l. XXXIV. — ² Paulus Jovius Sarius in Comment. Isthanff.

ac dein a Ferdinando ob admissum flagitium in custodiam traditus. Solymanus vero Strigonio potius principem Ecclesiam prophanavit, ac Mahumelicæ impietatis superstitioni addixit: tum accitis Buda fabricis, atque omni genere militum ad opus coacto urbem firmissimis propugnaculis munivit, adeo ut illius recuperanda spem Christianis adimeret. Inde Barbarus adversus Tattam, dictam olim Theodotam, signa extulit, atque præsiidiis extremos cruciatus, si vim experirentur, intentavit; at illi ob caplum Strigonium terrore perfunsi, deditione nuncupata, mox abeundi potestatem acceperunt, atque a victore sericis vestibus donati sunt; mox vero arx illa eversa est, cum Turcæ disciplina militari, raris sed validissimis præsiidiis provincias contineant: demum ad Albam-Regalem, ita dictam, quod Hungaricæ reges in ea urbe regum diadema accipere soliti essent, castra delixa sunt tantusque terror obsessis ofusus est, ut quingenti equites Hungari, dicti Usarones, quod latrociniis vivere soliti essent, includi in civitate detrectarint, abierintque in sylvas, dumque nimias moras Ferdinandus necit in submittendo auxiliari exercitu, quod aerario exhaustus esset; Barbari, virgullis et arena congestis, fossam exæquarunt, et propugnacula subruere cœperunt, ut demum licet Italica cohortes virtutis militaris plurima signa explicuerint, demum post eladem insignem acceptam, Albam, vitam, libertatemque pacti Itali Germanique, reditu ad Ferdinandum impetrato, Barbaro se dederunt. Exultans tanta victoria Barbarus, parta gloria contentus, Viennam progredi non ausus est, cum Pontificicæ cohortes Joanne Baptista Sabello et Julio Ursino ducibus, Viennam jam pervenissent, et Ferdinandus Bohemorum Marcomanorumque auxiliis succinctus, ascensuro hosti occursurus esset, tum ad Comaram insulam aditum in Danubio hostili classi præsepsisset. Descendente vero Constantiopolim Solymano, Ferdinandus rex, qui perditis jam rebus sero advenerat, Autumnatis temporis imbribus impeditus est, ne quid regio nomine dignum conficeret, et qui nimia ambitione pati non potuerat, ut Joannis regis filius pacato regno potiretur, maxima Hungaricæ parte in Turcicam servitutem redacta, Austriæ timere cepit.

35. *Aquilegensis Ecclesia ab ejus administris concalcata.* — Visus vero est divino patrocinio in tot adversis destituti, cum sacerdotum Christi patrocinium desereret, quippe administri licentia frena ita laxabant, ut Ecclesiasticos concalcarent, atque immania etiam sacrilegia patrarent, de quibus Pontifex subjectis litteris questus est ¹:

« Regi Romanorum.

« Cum antea solum temporalis jurisdictio

ejusdem cardinalis patriarchæ (nempe Germani Aquilegensis et episcopi Tusculani) a tuis ministris perturbata et molestata fuisset, postea iidem tui ministri temporali jurisdictione ab ipsa Ecclesia in totum ablata et erepta, etiam spirituales jurisdictionem in eum statum infelicitatis deduxerunt, quod in illa Ecclesia tam insigni, utpote patriarchali, et in qua tua majestas et serenissimus imperator frater tuus canonici estis, cultus divinus extoto intermissus, ac penitus desertus est: siquidem canonici ipsius Ecclesiæ injuriis ministrorum turum eorundem coacti sunt ipsam Ecclesiam deserere, in quorum locum milites illam inhabitare, et quadam in parte bruta etiam animalia stabulari dicuntur, tum vero ipsum sacrarium Eucharistiæ contractum, et reliquæ Sanctorum violatæ, multaque alia attentata in dedecus et opprobrium Ecclesiæ et religionis fuisse dicuntur, quæ nos nunquam credemus scitu aut voluntate serenitatis tuæ facta esse etc. » Addita preces, ne administrum flagitiis conscientiam regiam maculari patiat, et cuncta pristino statui restitua. « Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XVI Februarii MDXLIII, anno IX ».

Fuisse quidem Ferdinandum primum ad pietatem testantur auctores ¹, verum ejus facilitate abusus administrum avaritiæ et rapinis inhiasse. Hactenus de Ferdinandi jacturis, ac Turcicis in Hungaria victoriis, nunc de classe Turcicæ a Solymano, duce Barbarossa, in inferi Maris littora immissa agendum est.

36. *Classis Turcica, a rege Galliæ excitata, gratia Christianis affectu damna; Nicia tamen ex Turcis recipitur.* — Exciverat eam in auxilium Franciscus Gallorum rex ², nulla quidem ipsius utilitate, imo gravi damno et magna Christianorum multitudinis, quæ Turcicis grassationibus abrepta est in servitutem impiorum, calamitate, plurimumque oppidorum excidio; ac nisi divina providentia Christianorum miserta vim Barbarorum avertisset, longe graviora exilia intulisset. Primo quidem impetu Rhegium in fretu Siculo, cum cives profugissent, captum incendit, arcemque tormentis muralibus quati ceptam in deditionem accepit, præsiidiariosque ac plures cives, qui in eam perfergerant, servituti addixit. Inde Brutorum oris vastatis, ad Terraciniensium littora delatus, mox Ostiam pervenit circa festum S. Petro principi Apostolorum dicatum, tantusque terror ex ejus adventu Romano populo incussus est, ut deserere Urbem cogitaret, nisi Polinus Galliæ regis orator, qui in Turcica classe versabatur, scriptis litteris Romanos confirmasset, eam classem a Solymano ad præsidium Galliæ missam, nec Romanis, nec Pontificiam oram incolectibus ullum damnum affaturam. Verum quia barbarorum

¹ Paul. III. lib. lxxv. an. IX. p. 31.

² Paul. Jov. l. XLII. — ³ Paul. Jov. l. XLIII.

fides suspecta ex commodo infida est, raptim undique auxilia contracta sunt ad tuendam Urbem, quæ milite vacua præferoce hoste opprimi poterat: sed eam mentem a Barbaro Deus avertit, nec si capta fuisset, valuisse blanditiæ Gallici oratoris jactantis, Franciscum regem nil habere antiquius, quam ut rem Romanam, non modo incolumem, sed maxime florentem, atque ab omni impiorum injuria defensam vellet: facta vero adæquatione ad ostium Tyberis, Barbarossa triduo post inde discedens Etruriæ et Liguriæ oram sine maleficio prætervectus Massiliam contendit. Dum ea classis centum trirēmibus egregie instructis et biremibus decem conflata per Mediterraneum mare volitabat, secumque per omnia littora terrorem circumferebat, Pontifex Melitensibus equitibus dedit imperia, ut suam classem cum Pontificia conjungerent ad Christianorum littora ab injuria Turcarum vindicanda¹:

37. « Dilectis filiis magistro et conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

« Dilecti filii, salutem, etc. Superioribus diebus vos hortati fuimus, ut quoniam classis Turcarum Mediterraneo mari volitans, et in visceribus totius Christianitatis inclusa, maximam nostris populis, quocumque se verteret, calamitatem illatura formidabatur, vos pro vestro officio, vestraque consuetudine, huic communi hosti vos opponeretis, vestrasque triremes et naves cum nostris triremibus ad defensionem nostræ et cæterorum Christianorum oræ maritimæ conjungeretis. Quamobrem cum commiserimus locum tenenti earundem nostrarum triremium, ut eas cum vestris conjungeret, vos hortamur, ut ad communem omnium Christianorum littorum defensionem cum eisdem nostris triremibus conjuncti, contra eandem classem Turcarum, ubicumque illa fuerit, procedatis, publicamque salutem conjunctis animis et viribus defendatis. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum etc. xxv Augusti M^oXLIII, an. IX ».

38. Cum Turcica classis Massiliam applicuisset, Galliarum rex², quid de ea ageret, aestuare cœpit, nec facile agitata consilia explicabat, adeo ut Barbarus de cunctatione Gallorum quereretur, resque ad dissidium vergeret: demum a rege decretum est, ut conjuncta classe Gallica eductoque exercitu Nicia provincia, olim Sabaudia regulo oppignorata, quæ oblata ampliore pecunia, nunquam in Gallo restitueretur impetrari poterat, oppugnaretur; ac post varias impressiones hostiles propulsatas, non sine Turcarum cæde, Nicienses cives extremam cladem veriti, Gallis pactione militari urbem dederunt, qua in potestatem redacta, ad arcem situ loci inexpugnabilem et opere munitis-

mam expugnandam conatus versi sunt, quo tempore Marchio Vasti, qui Insubria præerat, auxiliarem exercitum expedire cepit, ac Pontifex in pluribus Italiae et Hispania provinciis, clero unummaria auxilia et ad solvenda exercitui Niciam contra Turcam prefecturo stipendia imperavit, ne si Turca arce potiretur, e littore illo deum in mediterranea loca excurreret, exitali-que bello Christianam rem obtineret; ut ex subjectis constat litteris¹.

39. « Herculi S. Mariæ-Novæ diacono cardinali Mantuæ.

« Dilecte fili noster, Moti gravissimo periculo, quod prima facie littoribus Italiae imminet, sed mox nisi obsistatur in tempore, et ad Mediterranea et interiora ipsius Italiae, quod Deus avertat, penetrabit, cum classis Turcarum duce Barbarossa civitatem Niciæ jam ceperit, et arcem ejus obsideat: nos, ut pro nostro officio huic periculo, quantum possumus, occurramus, et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, ejusque duces, præsertim Marchionem Vasti, qui ad dictam civitatem recuperandam, arci-que subveniendum cum exercitu occurrit, etiam contributione Ecclesiastica coadjuvemus, quinque decimas cum in nonnullis aliis locis, tum in civitate et ducatu Mantuæ, Marchionemque Montisferrati, quos pro nepote tuo gubernas, imposuimus, etc. Dat. Marini Albanensis Diocesis iii Septemb. M^oXLIII, anno IX ».

Exarate sunt eodem argumento ad alios litteræ cum incendio illud², antequam latus flammam spargeret, extinguendum esset. Pius affuit Deus, nam Alphonso Vastio cum exercitu ad ferendam obsessis opem imminente, Turcæ et Galli obsidionem arcis solverunt, in quo discessu tumultuario Turcæ, Gallorum, quibus urbs tradita fuerat, nullo respectu habito, urbem diripere, incendiisque deformarunt, et cives fidem Gallicam secutos in servitutem abripere. Cumque jam discessisset hostis, Carolus dux Sabaudia, et Marchio Vasti, Germanicis, Hispanicis atque Italicis copiis succinit, per Tendanos montes subsidio venire, atque Aurlana classis in Villæfranchæ portum invecta est, quo tempore exorta procella quatuor triremes ad scopulos misere sunt allisæ, ac Barbarossa delenda classis Caserea occasione divino nutu tum defuit, missis vero expeditionibus triremibus Hispaniæ portus evastavit, congestaque præda Algerium exportata est: miserat etiam Barbarossa Constantinopolim quatuor naves præda onustas, quibus quinque milia Christianorum Italorum utriusque sexus, et elegantium forma virginum Deo sacrata ducentæ vehebantur, ut ad Sofymanni Iupanaria traherentur, sed

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 274. — ² Paul. Jov. l. XLIII. Martin. Bellaus Comment. l. X.

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 370. — ² Paul. Jov. l. XLIII. Martin. Bellaus l. X.

Garzias proregis Neapolitani filius, cum ab evastanda Turcica ora cum sua classe rediret, in eas Turcicas naves incurrit, ac maximo Dei beneficio, Christianos Messanam perductos pristinae libertati restituit. Vasti¹ vero Marchio exercitum ad Nicia arcem adducto bene usus, Montemvicium, atque Carinianum, et nonnulla alia oppida Gallis in Subalpinis eripuit: vicissimque Buterius prorex Gallicus captis nullis oppidis Subalpinis, Vercellas obsidione cinxit, irrito tamen exitu, cum obsessi muris disiectis internum aggerem excitassent, dum ob Caesarei ducis adventum hostilis irruptio retardaretur.

40. *Motus Tunetani.* — Eodem tempore expeditionis a Barbarossa ducte occasione, maximi in Africa motus conciliati sunt (1), nam cum Muleasses Tuneti rex, Caesaris cliens metueret vim Turcarum, qui aliquas regni urbes, Constantinam, antiquitas Cyrtam dictam, Lep-timum parvam, quae hodie Africa dicitur, et Adrumetum praesidiis firmissimis obtinebant, inpro-vide in Siciliam trajecerat, ut a Caesare Genuam devecto majora praesidia impetraret. Dum autem Neapolim jussu Caesaris subsisteret, ejus filius Amida, qui praefectus erat exercitui, sparso falso rumore, Muleassem patrem Neapoli extinctum, fratremque Mahometem Christiana sacra suscepisse, regnum invasit, minores fratres trucidavit, paternasque concubinas constuprav-it, quo audito Muleasses duobus circiter auxi-liarum Neapolitanorum milibus conscriptis in Africam trajecit: cumque repente adventu se Amidam oppressurum putaret, irrueretque non expectatis propinquorum Numidarum auxiliis, fallacibus aliquorum principum promissis illu-sus, ab hoste, qui insidias paraverat fusus cap-tusque est, cassis in praelio mille et trecentis Neapolitanis, cui filius impius, eandem scal-pello proscissis pupillis, oculorum lumen ademit, addita objurgatione, illum atrociora pro-meritum, ob immanitatem in fratres exercitam, paulo vero post cum Bisertam abiisset, Tovarris Hispani Galeate praefecti opera, qui ipsi Abdamelechum regiae stirpis principem opposuit, regno pulsus est, quo tamen brevi extincto ite-rum recepit, adversantemque sibi Joannem Pe-

rellum Tarentinum equitem fortissimum Chri-stianum, exsecris virilibus, in foro vivum com-bussit, cujus eximia fuit constantia, ut oblato vitae munere adduci non potuerit, ut a Chri-stiana religione deficeret.

41. *Caesari Clivensis dur se humiliat.* — Cae-sar¹, qui immortalis nominis sui gloria Hunga-riam defendere, vel etiam Christiani imperii limites latius preferre potuerat, in Clivensem ducem et Gallos arma convertit. Expugnavit itaque impetu Duram, arcem munitissimam Geldriae, eamque cadibus, rapinis et incendio funestavit, Juliacum deinde petiit infesto exerci-tu, quod vacuum recepit, postea ad Ruremunda-m castra defixuro cives se illi dederunt, ac pariter Venloviium, Zutphanium, et alia Geldriae oppida Caesarem jugum accipere; quibus ad-versis fractus Guillelmus Clivensis dux, deserta Gallorum amicitia, ad Caesarem supplicem acces-sit, ejuratisque etiam Danico et Suecico foederibus, veniam obtinuit iis legibus, ut Geldriae juri renuntiaret, fidem Catholicam in Principatu inviolatam assereret, ad quem in fide continen-dum postea Ferdinandi fratris filium nuptui dedit, cum sponsalia cum Henrici regis Na-varrae filia celebrata dissolvisset. Adscripsit tum militiae suae Martinum Rossevium, atque adver-sus Gallos cum ingentibus copiis est profectus, excivitque Henricum Angliae tyrannum, cum quo foedus junxerat, ut ex composito duobus exercitibus Galliam invaderent. Ceperant vero jam ante Landrecium Galli, ac firmissimis propugnaculis ita munierant, ut ex eo in Belgium magnas excursions agerent, dux etiam Aureliae Lucemburgum pactione militari receperat. Caesar itaque ad Landrecium recuperandum co-pias admovit, quod cum comaeatu indigeret, Franciscus rex, instructo exercitu, comaeatum et militare auxilium illi intulit secunda Novem-bris, inspectante Caesare cum suis Germanicis, Belgicis, Hispanicis et Britannicis copiis: cum-que recedente rege post datam bidni spatio praelii libertatem, Caesar expeditum equitatum ad insequendum agmen postremum immisisset, ille a Delphino in insidiis constituto caesus dis-jectusque est. At Caesar, cum omnia in dies

¹ Surius in Comm.

¹ Paul. Jov. l. XLIV. Surius in Comm. Ludovic. Guic. in Comm. Martin. Bellaus. l. IX et X.

(1) Historia motuum Tunetanorum paulo diligentius retexenda est; cum praesertim indiligentia etiam chronologica peccare annalistas comperitur sit. Agens Neapoli Muleasses de fili sui Amidae defectione certior factus est, raptim coacta militari manu in Africam trajecit, ubi in insidiis a filio opportuno in loco collocatis incidens amissis multum sintoni quingentis, ut historici quidam scribunt, vel mille ferentibus, ut annalista ex alio notat, ipse in hostis filii manus devenit, a quo oculis orbibus carcerique traditus est, e quo nonnisi Mahomete puero regnante se liberavit. In hunc modum Amida occupatum regnum brevi pacavit atque composuit. Sed non diu post cum ipse Bisertam petisset, Abdamelech ejus frater cum Jovappi Hispano Galeate praefecto cum conveniens Tunetum occuravit, regnoque fratrem expulavit. Novus hic rex intra dies sex et triginta obiit, ejusque in locum ab optimatibus filius ejus Mahometus duodenus puer substituitur. Haec toto isto anno in regno Tunetana gesta. Succeedenti anno MEXLXV teste Mimbrio in historia sui temporis, Amida in spem recuperandi imperii exercitum comparavit, usque feliciter optimatum Tunetanorum favore puerum extraxit, totamque ad se rem Tunetanam convertit. Da ejus aetatis historici omnes, sequi hist. Florent. Mombri. hist. sui temp. Adriam. hist. sui temp. qui de Muleasse addunt iter in Siciliam instituisse, ubi publicis sumptibus jussu imperatoris sustentatus diu egit, tum Neapolim contemdit, ac tandem Romam, ubi a cardinali Fatensi susceptus convivio ac orem ad Pontificem introductus, nunquam, ne mentis quidem, genuflectere consensit, sed aliquantulum inclinatius genui Pontificis osculatus est.

acerbiora fierent ob imbres et morbos, soluta obsidione, Cameracum liberam civitatem, ditionisque Episcopalis, pendentibus ex terrore portas civibus, intercept, illique arcem imposuit, in eaque hyberna traduxit.

42. *Conventus ordinum imperii Norimbergæ primum, dein Spiræ continuantur.* — Celebrati sunt in Germania duo conventus ordinum imperii¹, primus, ineunte anno, Norimbergæ, secundus, devexo atque affecto, Spiræ: in primo Norimbergensi actum est a Cæsareis legatis de comparandis auxiliis ad propulsandos Turcas, deque Henrico Brunsvicensi principe a Protestantibus ditione sua spoliato in principatum suum restituendo; is enim leges Cæsareas adversus vim ac tyrannidem Lutheranam implorarat, ut erga Catholicos propensioem, gradu submoveri, aliosque constitui, ni id fieret, nulla auxilia contra Turcas se conjuncturos denuntiarent: cumque responsum iis esset, dicta causa iudices amoveri non posse, neque Henricum jura implorantem deserere, rogarenturque, ut controversias religionis Tridentino Concilio jam indicto deferrent, flecti non potuere, atque professi sunt se Concilio non parituros. Remotis itaque Protestantibus Ferdinandus rex cum reliquis ordinibus Catholicis de propulsando Turca, religioneque Catholica tuenda, nonnullisque aliis rebus decretum edidit, cui decreto Protestantes se minime consentire professi sunt. Rem ita narrat Surius²: « Verum Protestantes aiunt non approbare Concilium. Interim nihilominus decretum facit Ferdinandus cum aliis ordinibus de certis quibusdam rebus, cui decreto Protestantes se minime consentire profitentur. Quis non videat, quam hæc ad certam Germaniæ perniciem pertinuerint, nisi Deus nobis pepercisset. Has animorum offensiones et dissensiones peperit nobis Lutheri Evangelion, cujus protasim (sive propagationem) longe tristissimam jam pridem vidimus, catastrophem vero longe turbulentio rem expectamus ». De horum comitiorum Actis ab episcopo Casertano internuntio Apostolico transmissis ad Pontificem meminere Acta Consistorialia his verbis³:

43. « Bononiæ XIX Martii MDLIII, fuit congregatio reverendissimorum cardinalium, lectæ litteræ reverendissimi Casertani de his, quæ aguntur in Dieta Norimbergensi, primo de subsidiis dandis a Germanis contra Turcas, et de rebus quæ ad religionem pertinent. Factumque est verbum a sanctissimo de observanda reformatione, præsertim, ut proximo Concilio sententias et exempla præbeant.

Molitos in Norimbergensibus comitiis Protestantibus suadere Germanis, ut repudiato Concilio Tridentino Concilium nationis Germanicæ egerent ad eos a conjunctione Romanæ Ecclesiæ avellendos, conflandamque pro ipsorum libidine novam religionem, ostendunt litteræ Joannis Moroni cardinalis legati Tridentini ad Alexandrum cardinalem Farnesium XXVI¹ Maii hujus anni exaratis, in quibus narratur, ut Granvellanus, qui Norimberga Tridentum redierat, ut venienti in Germaniam Cæsari occurreret, retulerit legato, se in comitiis Norimbergensibus Protestantium molimina discussisse, ne fieret Concilium nationale, ac reformationem judicii cameræ imperialis a Lutheranis obtrusam, quam a Cæsarea majestate impetrasse falso contendebant, disturbasse, ideo Lutheranos noluisse subsidia adversus Turcam Romanorum regi conferre: ingravescere vero in dies (ob plurium defectionem) Lutheranae sectæ potentiam, ad quos Colonienensis idemque Monasteriensis episcopus desciverit; ac ni eos Cæsareus adventus confineret, in Moguntinum arma conversuros. Laudavit vero Granvellanus ducem Baviariæ in propugnanda religione pietatem, adversasque omnes de iis suspiciones conceptas amotas esse addidit; conquestus vero est de revocatis Tridento duobus legatis, idque tota Germania pervulgatum, atque ex eo Lutheranos efferrî, deprimique Catholicorum animos. Cui a legato responsum, non ad dissolvendam Synodum, sed ad deliberandum evocatis: quia Scotis favebat Gallus, Cæsarem de fœdere appellatum ab Anglo, qui ipsum adducere contendebat ad leges contra Sedem Apostolicam, quas ille reputit: ex Hispania Genuam advolasse, ut eam ad Gallum deficientem in officio confineret: rogatum Pontificem, ut studeret magis Cæsari quam Gallo, qui Turcam adversus Christianum imperium juncto fœdere concitarit, inducias cum Cæsare violarit, licet culpam rejiciat in imperatorem, totius rei judicium deferentem Pontifici, quod Gallus recusavit.

44. Ex quibus videtur culpam non redintegratæ sequestratæ pacis Gallo regi hæsisse; is tamen ad Pontificem amplissimas litteras VI idus Martii hujus anni misit, quibus Carolum V in invidiam afflictæ Christianiæ reipublicæ adducebat.

45. Cæsar e contra traducere in suas partes annitebatur Pontificem, ut armorum societatem iniret adversus Gallorum regem, sed Paulus nunquam a communis parentis officio deflectere consensit, ut pacis interpretem inter dissentientes reges ageret: quod constat ex litteris cardinalis Farnesii ad regium internuntium in aula Cæsarea²: « Quoad illud (inquit) quod scribis, et Monsopolitanis ore retulit, de instantia, quam

¹ Act. Consist. — ² Surius in Comm. — ³ Ms. card. Spadæ sig. 133. p. 125.

¹ Pag. 18. ex lit. ad card. Farn. XXVI Maii 1543. — ² Ms. card. Spadæ to. LXXXIV. p. 453.

libi et illi fecerunt, ut Pontifex se imperatori conjunctum declararet; scias eadem, et Marchionem de Aghilar, et reverendum de Burgo suae sanctitati non semel retulisse. Multa respondendo scribere possem, cum res, de qua agitur, magna subministraret; attamen quia ex le oppositas rationes cognoscere potes, non est necesse tibi illas longo sermone repetere. Sua majestas certa esse debet, quod sua sanctitas semper parata erit, pro illo omnia agere quae gradus et honor illi repellant. Hoc autem a praesenti petitione plurimum distat, quia cum imperator et rex Galliae duo principes Christiani sint, inter se, salva fidei Catholicae integritate, dissidentes, suae sanctitati, cum sit amorum communis pater, non licet, unum ut amicum, et alium ut inimicum respicere». Cumque Caroli nomine Caesarei oratores iterum Paulum urgerent, ut ob conjunctum a Gallo armorum foedus cum Turcarum imperatore adversus Christianam rempublicam censuras Ecclesiasticas distringeret, eundemque armis persequeretur, respondit, Galliae regem pari ratione implorare leges, ut in imperatorem consurgeret, damnaretque illum ob armorum foedus percussum cum Henrico Angliae rege damnato haereseos, pro invadenda Gallia religioneque in ea evolvenda: secundo addidit, si arma adversus Gallum expediret, nulla auxilia periclitanti Hungariae adversus Turcas a se afferri posse, nec classem instrui adversus Turcarum excursiones maritimas. Proposuit tertio ex eo foedere contra Gallum admissio graviora pericula impendere, ne Gallia a Pontifice abalienata ad obsequium Sedem Apostolicam, fideique defectionem inclinet. Quarto subdidit, se hactenus clementissimi patris officium gessisse, omnemque operam ad illos inter se conciliandos consumpsisse; jam vero iudicis officium exercere decrevisse ad tot ingentium malorum in universam rempublicam Christianam redundantium reum pro meritis justis censuris deligendum. Accepto eo responso Albanus dux Mediolani praefectus prolixis litteris ad cardinalem Farnesium datis Pontificia argumenta multis argutiarum fucis ligentisque refringere conatus est, asseruitque Pontificem maximam gloriam, si Caesari contra Gallum Turcarum foederatum se conjungeret, collecturum: at Pontifex in suscepta priore sententia inconcussus stetit.

46. De inita cum Solymanno societate Franciscus prolixiore oratione apud Pontificem, ut supra innumus, se purgare nisus est, cujus summam Franciscus Belcarius¹ episcopus Metensis ita retulit: « Postremo loco de societate cum Solymanno inita se purgare conatur: hic gravissimus Caesariis accusationis locus est, in quo etiam magis Franciscus commoratur:

neque veteri, neque novo Testamento piorum cum idololatris interdicta esse foedera, Davidis, Salomonis, caeterorum Iudaeorum regum exemplis probat: neque Christus, neque Paulus magistratibus impiis pios salva pietate parere vetat: recentia Venetorum, nonnullorumque aliorum cum Turcis foedera adducit, ut Galli quondam regni Hierosolymilani compotes, Graecique imperatores senescente memoria praetermittantur. Ut commercia inter se ac Solymannum libera essent, ne privata in causa alter alterum offenderet, ut quantum Christiana fides pateretur, multus inter se amicitiae muneribus fungerentur, convenisse palam fatetur». Attamen quod rex sibi licitum fuisse contendit, ipsi Galli execrati fuere; quare idem Belcarius mox subjicit: « At si Christianissimi regis haereditarium cognomen tucri vult, quomodo cum tyranno omnium, quorum Historia meminerint, ferissimo, Christianae persuasionis hoste infestissimo, longissimis terrae marisque spatiis separato, societatem aeternam nisi ut vicinis Caesaris, Ferdinandi caeterorumque Christianorum provincias atque insulas illi in praedam objiceret, flagrantissimumque invidiae suae atque odii erga Caesarem aestum tot innoxiiis Christianis interfectioni esse pateretur? De Nauplio atque Epidaurio dictum est: Joannes Vaivoda, quod Pannonia regnum Solymanno tulisset acceptum, a Romano Pontifice malis divi devotus, et Christianorum coetu exterminatus fuit: quem nihilominus Franciscus et Solymanno commendavit, ac clam adversus Ferdinandum, quod potuit, juxit, atque aliquanto post ejusdem viduam Isabellam Hungarosque proceres ejusdem factionis, ut ad Solymannum illidem confugerent induxisse et pro isdem intercessisse fertur. Quid, quod Enobarudum ad Niciam oppugnandam accersivit, et ut tot Christiani eundo redeundoque in servitutem raperentur in causa fuit? Quin etiam ut a Solymanno frater appellaretur sustinuit: crudelissimi, inquam, tyranni frater, in cujus familia, qui rerum politur, caeteros statim trucidari jubet: haec immanitas, quae a suis incipit, quanta in alios esse solet, quis non satis colligit? Cum hoc monstro ullane Christiano homini fraternitas, aut societas esse potest? » Caetera hujus Apologiae capita prosequenda non putavi.

47. Decreverat etiam Franciscus rex ad Norimbergensem superiorem conventum oratores Joannem Bellaium episcopum, Franciscum Olivarium praesidem, et Malleium praetorem Divionensem: sed ii in Germaniam penetrare non potuerunt, prohibiti enim sunt aditu a Caesare, ne Lutheranos in Caesarem, Gallos Turcis conjungerent: ii vero III nonas Martii hujus anni MXXIII Naulii¹ promulgarunt Apologiam

¹ Lib. XXIII, XXVII.

¹ Naulii III non. Martii 1543.

pro Francisco Primo rege, cujus nomen tanquam Christiani nominis proditoris ab omnibus ob Turcam in Christianos concitatum diris omnibus defigebatur, parique impudentia negarunt admissum flagitium, qua ipse illud admirerat :

« Negamus (inquiabant Francisco Franco- rum regi cum Solymanno fœdus ullum intercedere intercessisse, præter vulgare illud commerciorum et quietis publicæ ergo, quale Venetis, Polonis et aliis quibusdam Christiani nominis gentibus esse omnes scimus ». Deinde conquesti sunt de Germanis atque Italis, proposito capitali supplicio, vetitis stipendia sub Gallo facere, deque aditu in Germaniam intercluso, junctoque cum Latheranis fœdere :

« Pedite extero nobis opus est, ut multis ante sæculis opus fuit, quoties bellum maximum gerendum fuit, hoc Cæsar, qui sat cognitum haberet, proposuit edicta, ut levissime dicam, severissima, ne quis Germanus miles Franco militet, qui militaverit Franco, capite luat, cum uxore quidem ac liberis mitius aliquanto agatur ; Italis autem, quod his fere utamur duabus nationibus, pœna prope consimilis infligitur ; quicumque aut in Galliam, aut in quascumque regis ditiones patent militi aditus omnes magnis diurnis nocturnisque præsidiiis circumsepsit ; quicumque in itinere adhuc sunt, trucidari omnes jussit, neminem ad regem penetrare, quoad potuit, sivit. E diverso gentem, quam ut prophanam atque impiam decenium fere est execratas, nunc posteaquam sese in nos incitari passa est ad militem evocandum ad Germaniam, in conspectu vestro omni juvenutis robore spoliandam summis præmiis invitata, neque enim licere nobis vult omni Europæ auxilio exulis, aliunde, neque ex Africa, neve ex Asia militem evocare, si evocaverimus, sceleratos, impios, instabiles pronuntiat. Deus immortalis ! quæ lex gravior feratur, quæ atrocior pœna statuatur, quam quæ in nos statuitur adversus eum, qui victus, qui proligratus, qui bello captus vitam precario agere cogatur, si, et nova ista plusquam imperatoria adversum nos edicta locum habeant, et omni externa ope nihilo secius excludamur, quid nobis denique fiat ? Quid miseris et infelicibus Francis cognatis vestris supersit, nisi ut ferreis vincti compedibus, adamantinis obstricti, jugulum irato hosti hauriendum, cervicem victori, quod ipse jam præ se fert implacabili feriendam præbent, etc ».

Tentarunt Galli oratores iterum misso ad Spirenses conventus præcone militari (quem haraldum vocant) liberi in Germaniam aditus tesseram impetrare, ut ad eos accederent, sed tanquam hostes imperii repulsi sunt.

48. Coacti sunt in Spirenses conventus mense Decembri, ad quos Hungarici regni ordines ex

Novizoliensibus comitiis oratores misere, ut Germanos excitarent ad instaurandam expeditionem pro Hungaria a tyrannide Turcica liberanda, exponerentque jam ante in superioris anni Spirensibus comitiis petita fuisse auxilia pro Turcis propulsandis, atque dum ea decernerentur, Budam a Turca expugnatam, partemque Hungariæ evastatam, sollicitatisque iterum per litteras Germanis, ut suas copias in hostem promoverent, tardius eas venisse, et Pesto obsesso, citius quam oportuit, contra Hungarorum Itatorumque sententiam obsidionem solvisse, Turcasque ex eorum discessu effratiores factos. In Norimbergensi vero conventu hujus anni celebrato non quadraginta armorum millia, ut antea, sed tantum viginti quatuor millia promissa fuisse magno Hungarorum dolore ; at nec illa opportuno tempore movisse signa, adeo ut Turcæ Strigonium et Albam-Regalem, duasque arces munitissimas, quibus nomen est Sodos et Walgo, in suam potestatem redegerint, jussique sunt oratores palam contestari, se Turcico jugo colla subdituros, ni Germani idonea subsidia ferant, atque ex Hungaria in Germaniam victorem hostem penetraturum, cujus mandati formula subjectis verbis concepta erat ¹ :

« Instructio prælatorum, baronum, ac nobilium, aliorumque ordinum et statuum regni Hungariæ in conventu Novizoliensi pro festo beate Elisabeth anno MCLXIII celebrato congregatorum, reverendiss. D. Martino Rechethii episcopo Vesprimiensi, ac magnifico domino Francisco de Batiun consiliariis regiæ majestatis, et egregio Georgio Baroscii vicecomiti comitatus Thuurozii oratoribus ad imperialia comitia Spire celebranda delectis data.

« Post salutem et servitiorum officiosam commendationem referent oratores nomine ordinum et statuum regni Hungariæ, reverendissimis, illustrissimis, generosis, magnificis ac reverendis dominis, principibus, electoribus, cæterisque ordinibus et statibus sacri Romani imperii in comitiis congregatis, recenti memoria tenere eosdem dominos principes et status imperii, ut cum instructione delecti fuerint anno ab hinc quarto ex Hungaria speciales oratores ad imperialia comitia, quæ tunc Ratisbonæ celebrabantur, præsentibus sacratissima Cæsarea et Catholica majestate, ac serenissimo Romanorum rege, quamquam copiose et diligenter in gravissimo illo Christiani orbis Concilio ab oratoribus illis expositus fuerit regni Hungariæ status, quem post varios casus, post graves et diuturnas calamitates, post ingentia pro Christiana republica, pro fide et religione suscepta pericula, natio Hungarica, olim inter alias non postrema, tandem immodica, vi hostis pro-

¹ Ms. Franc. cardin. Barb. sig. num. 2678. p. 93.

pinqui dejecta est, et quantum etiam, tum prope addeset extremum illius nationis excidium, nisi præsentanea adhiberentur remedia, neque huius solum, sed et circumvicinarum provinciarum ampla jam pateret ruina, quarum sane tutela, ac defensio ad imperii principes ac status, velut Christianæ fidei columnæ, potiores in primis spectaret, quemadmodum ea tunc luculenter ab ipsis oratoribus Hungariæ in prædictis comitiis peracta fuisse recte constat.

« Nec illud sane præterit eosdem principes ac status imperii, cum non multo post Turcarum tyrannus magna victoria recens in Hungaria potius, Budam regni caput in potestatem accepisset, extemploque initia jam nimium manifesta extarent multo ante prævisi excidii, status atque ordines Hungariæ iterum per literas, cum propter temporis brevitatem legali mitti non possent ex priori conventu Novizoliensi affatum significasse principibus et statibus imperii, quanto in discrimine res versaretur, et quam mature hostem et visceribus regni eici oporteret, nisi paulo post, et Hungariam, et vicinas omnes provincias illius furori et libidini deditas vellent, et quam etiam extremis rebus Hungari ad interitum usque pro patria, pro fide et religione Christiana depugnare, dummodo a principibus Christianis non desererentur, expositis videlicet et commemoratis tunc his omnibus, quæ ad excitandos primos tantorum principum ad justissimum bellum in tam justa causa pertinere videbantur.

« Recordentur et pariter domini principes ac status imperii, quo pacto, sive legationibus, et scriptis Hungarorum, sive quod est verisimilius, avita virtute sua, et persimili etiam magnitudine commoti iidem ipsi principes ac status imperii pro sua singulari pietate in religionem Christianam decernendum sibi eo ipso duxerint, tum pro continua regni defensione ad triennium, tum vero pro generali expeditione, hostiumque exterminatione de firmo validoque exercitu, præstantissima, nec multo post illustrem D. marchionem Brandeburgensem principem electorem cum ingentibus copiis in Hungariam expederint, ad quem quidem ducem et exercitum pro oppugnanda civitate Best descendente, constat principibus et statibus imperii Romani, quæ et quales copię, cum sacratissimo Romanorum regni maiestatis, et summi Pontificis, tum vero ex omnibus lere ordinibus et statibus Hungariæ magno numero atque apparatu confluerint, quanta cum admiratione exterorum omnium acies Hungarorum assidue sub obsessa urbe cum hostibus congressæ sint, ut facile reliquæ bellicosissimæ nationis esse apparuerint.

« Et quamvis magna spes erat expugnandi Best, inceptamque expeditionem divina ope feliciter conficiendi, perspectum est tamen domi-

nis principibus et statibus imperii cum et Hungari et Italicis pediatibus acriter provinciæ insistendum esse instarent, exercitum tamen imperialem contineri diutius in officio non potuisse, atque ita re infecta, insequente nemine, pedem retulisse, adeoque multitudinem illam omnem brevissimo tempore dispersam esse et dissipatam. Submissa quidem alia præsidia, sed instante Hieme, aliisque rationibus obstantibus, gentes illæ adduci non poterunt, ut progredirentur ultra Posonium, atque ita maiestatem regiam, regiam expeditionem in aliud tempus oportuit rejicere.

« His igitur sic peractis, tametsi status atque ordines Hungariæ frustrati spe maxima et liberalibus oblationibus a Christianis principibus sibi factis, et jam animis consternati tot tantisque calamitatibus, hostem ferocem intra viscera habentes, et malis undique circumventi in desperationem jure videantur prolabi potuisse, nihilominus generosum illum spiritum majorum et animum retinentes, et Dei Optimi Maximi in primis auxilio freti, accepta rursus benigna regni Maiestatis oblatione in discessu ex Posonio facta de generali capessenda expeditione in proximo sequenti Vere, ideoque ipsi omnes animati, intentique, vel patriam liberare, vel pulcherrimam mortem oppetere penes regem ipsorum, si ita res feral, congregati in hunc locum ea omnia inter se communibus suffragiis, quibus cum præsentii Hieme tueri se suosque fines, tum ineunte Vere, maximis quibus poterunt copiis, præsto esse suæ maiestati in generali expeditione.

« Cum autem status atque ordines Hungariæ existimare non possint quacumque de causa oblata præsidia proximo anno neglecta sint, domini principes et status imperii pro sua majorumque excellenti virtute, pro magnitudine animi, et quod ipsorum proprium et peculiare est, Christianos populos ab injuriis et vi crudelis hostis sollicite vindicare, oppressosque asserere in libertatem, ipsi quoque Hungariam jam iam ruentem in interitum delensam ac conservatam velint, et cum in memoria habeant majores nostros clarissimos viros, jam inde ab initio fidei nostræ Christianæ in hoc regno propriis viribus Hungariæ fines longo tempore, non solum tutatos esse, verum etiam protulisse longe lateque per hostis ditionem, cum summa ipsorum gloria et utilitate totius Reipublicæ Christianæ, ac tibi sensim labescere res cepit, aneta nimirum per cæteras orbis partes hostis potentia, victaque vi virtus est, tum demum simul cum Hungaria reliquis quoque provinciis, et regna circumvicina furorem hostis, indigno eorum malo, experiri oportuisse, et nihilominus Hungaros nullis unquam cladibus, nullis jacturis, aut periculis regno sint ex ea relicta, triennisque illa instituta expeditio, un-

decumque accidit, vix in trimestris spatii progressum evaserit. Quo quidem facto, hostibusque quo plus erant tanti exercitus formidine perculti, eo magis repentino ejusdem exercitus discessu irritatis, et animis erectis, constat principibus, et statibus imperii, quanta rursus contentione, quibus precibus status atque ordines Hungariæ egerint, per litteras ac conventu proxima Hyeme Posenii celebrato, ut in sanctissimo suo decreto persistentes principes ac status imperii continuum præsidium in Hungaria tenerent, hostemque curarent ex ea exterminandum, nec ab incepto deterrerentur, quavis ratione persuasum plane habentes pacem et tranquillitatem suorum regnorum et provinciarum ex Hungaria pendere, intelligentesque Hungaros continuis bellis nimum jam attritos ac debilitatos propriis viribus diutius non posse subsistere eosdem, nisi deserantur a quibus maxime defendi oporteret, facturos more majorum, ut in excidium nominis Christiani intelligant omnes homines extrema eos quoque subire paratos. Ad quas litteras sic ¹ :

« Ex Nurembergensi conventu proxima Hyeme responsum fuisse constat, sic sane regiam majestati a principibus ac statibus sacri imperii firmiter oblatum, ut viginti quatuor millium hominum subsidium cum semestri solutione .Estate proxima majestas regia ad nutum suum in Hungaria expeditione sese habituram sciret, et majora additum iri, si ingens necessitas exigeret. Quo quidem responso elsi non parum Hungari erant commoti, priorem deliberationem tantorum principum immutatam jure admirantes, quod tamen videbatur ne hoc quidem mediocre futurum subsidium, quodque cæteris quoque principibus Christianis defensionem Hungariæ curæ fore sperabant, ita seipos compararunt, ut cum ex pecuniario subsidio inter se decreto regni lines ad initium .Estatibus usque ab insultibus hostium tutati sint, tum vero instructos armatosque viritum insurrecturos ad proximam generalem expeditionem penes regiam majestatem et imperii exercitum unanimiter deliberarint.

« Vere autem hoste formidabili, initioque .Estatibus magna vi regnum invadente, consiliaque et conatus Christianorum principum celeritate preveniente, munifissimæ duæ arcēs Sodus et Walgo primo impetu, cum civitate et Ecclesia Quinquelesiensis ditionis suæ fiunt, nec nullo post idem hostis arcem Strigoniensem obsidione cinctam ditione caput, postremoque Albam-Regalem, haud diu obsessam expugnat, sicque expugnatis minimo negotio potioribus regni munimentis, quæ ex superioribus cladibus reliqua erant, iisdemque validis præsidii firmatis (insequente nemine) prius ipse

reditum instituit, quam ullæ unquam Christianorum copiarum in perniciem ipsius apparerent.

« Et quanquam majestas regia solita sua sollicitudine indefessa, virilique studio nusquam milites conscribere, armare classem, delectos habere per regna et provincias suas prætermiserit, omniacque diligenter pararet, quo priusquam hostis abiret, victoriam illi de manibus eriperet, sic tamen res cecidit, ut prius ille, peractis quæ proposuerat, quæque præmissa sunt, in reditu essent, quam sua majestas regia, cum exercitu e suis regnis et provinciis coacto Posenium in urbem venire potuisset. Quo quidem tempore intelligere potuerunt principes ac status imperii, quamvis nullus imperialis adesset exercitus, perpaucæque admodum auxiliares copiarum conspicerentur, status tamen atque ordines Hungariæ paratos (uti statuerant) viritum penes suam majestatem cunctis viribus insurgere summa contentione instituisse, ut gentes externæ, quæ cum sua majestate Posenium convenerant, institutam expeditionem exequerentur, utque majestas regia incepto itinere ad interiora regni penetraret, neque occasionem pulcherrimam recuperandi, quæ paulo ante amissa erant, præteriret, nec absterreretur, et ab imitandis vestigiis majorum, qui semper pro rerum magnitudine denuntiavere imminencia pericula principibus Christianis.

« Ob has igitur aliasque rationes orabant legati, obtestabanturque dominos principes et status sacri Romani imperii, ut considerato extremo periculo, quod supra caput cunctis adstat, sine mora et ipsi majoribus quibus possunt viribus Hungariæ subveniant, sanctissimumque propositum defendendi jugiter Hungariam, usque ad hostis exterminationem in manus resumere, ac firmo unanimique decreto confirmare et re exequi velint, neque ulla de causa hoc, quod præcipuum ipsorum institutum esse debet, posthabendum curent, certi fore perbrevis, ut amissa penitus Hungaria, tum demum intelligant, quanti fuerit illam, vi et furori hostis expositam, lueri, aditumque ad reliqua regna et provincias præcludere, experienturque tanto difficilior in posterum reliqua defendi, quanto bellicosiore natione destituti, illos ipsos adversarios paulo post cogantur sentire, quos nunc in communis causa acerrimos oppugnatores secum sunt habituri. quemadmodum in cæteris Christianis populis et gentibus, paulo ante a Turca subactis, magno omnium malo ætas nostra sensit. Addidere demum Hungari, se satis majorum gloriam fecisse, ac si se ab aliis nationibus deserere conspexerint, ac statum reipublicæ Christianæ pro nihilo haberi, pro servanda vita Turcicum jugum subituros, cum satis jam præteritarum ab Hungaris rerum gestarum, et præsentis eorundem fortunæ fama terrarum orbem fore ubique pervagata sit ».

¹ Ms. card. Franc. Barb. sig. 2673. num. 96.

49. *Instructio data Sfondrato nuntio in Germaniam destinato.* — In iisdem conventibus Spirensibus cum Lutherani ad deprimentam religionem Catholicam more suo plura molituri essent, Pontifex ad eos Franciscum Sfondratum internuntium misit, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini ¹: « Cum (inquit) Cæsar imperialem dietam Spiræ celebrandam indixisset, in qua inter alia de religionis controversia tractanduro erat, sanctitas sua, ne officio suo et in hoc quoque deesset, reverendissimum dominum Joannem Franciscum cardinalem Sfondratum, tunc in minoribus agentem, episcopum scilicet Amalphantum ad dictum Spirensium conventum die prima Decembris dicti anni destinavit ».

Postulare plura in iis conventibus non veritos Protestantium oratores, quæ ad Catholicorum damna hæreseosque incrementa vergebant, nec tamen Cæsarem, quamvis potentissimorum hostium armis peteretur, ad vota inflectere potuisse, refert Surius ², missum vero Sfondratum ad Ferdinandum Romanorum regem, atque ad alios principes Catholicos, ut de pace redintegranda pro celebrando Concilio, et propulsandis Turcis ageret, cui tradita fuit sequens instructio ³:

« Instructio pro Francisco Sfondrato nuntio in Germaniam destinato.

« Cum Sua Sanctitas ab initio sui Pontificatus prudenter considerasset, quanti impedimenti bono Republicæ Christianæ essent discordiæ inter imperatorem et regem Galliæ, et quæ ruinæ imminerent, non tantum ob eorum dissensiones et bella, sed etiam ob internas seditiones, maxime religionis, etiamque ob potentiam periculis plenam Turcarum, jam ad totius Christianitatis oppressionem excitatam, ideo Sua Beatitudo, paterno desiderio et permaxima sollicitudine tantis malis occurrere cupiens, in principio sui Pontificatus uti communis pater, nemini tamen singulariter addictus, cepit istis principibus se opponere, ut dissensiones odiaque eorum extingueret, pacemque inter ipsos firmaret, ut ex ista radice fructus Concilii oriretur, quo religionis dissidia, et in Germania præcipue, ad concordiam adducerentur, et reformatio rerum multarum induceretur, quæ sicuti ex temporum variatione semper accidit, incrementa majora quotidie sumpserunt, non solum spirituali regimine, sed etiam apud sæculares principes Christianos, et præterea in eodem Concilio, post Christianorum reformationem, inembere, et invitare omnes ad liberandos a crudeli tyrannide Turcarum populos Orientales, et ad nostram sanctam fidem in illis regionibus, in quibus initium habuit et valde floruit, restituendam.

« Et igitur ad optatum finem et pacem et omnia alia perduceret Sua Beatitudo, nec labori nec sumptibus pepercit, ad Deum confugiens, et semper hæc cogitans, suasque actiones omnes ad hoc dirigens, et continue, modo cum nuntiis, modo cum legatis, modo cum propria persona, seipsum in ista decrepita ætate exponens multis et plenis periculis itineribus; qui labores, Deo, ob populorum peccata, sic permittente, quamvis aliquoties spem attulissent, fructum aliquem reddiderunt, ut quando induciæ Niciæ firmatæ fuerunt, et cum Venetis fœdus contra Turcas sancitum fuit, attamen istorum duorum principum suspiciones et durities contrarium effectum menti Suae Sanctitatis producerunt, quia ex induciarum seissione majus belli incendium exarsit, et non solum vires Turcarum repressæ non fuerunt, quinimo ipsi Hungariæ regnum sibi subjeecerunt; qui eventus et labores, absque fructu a Sua Sanctitate suscepti, eum, ne amplius in isto pacis negotio se interponeret, removere deberent; attamen Sua Sanctitas, ne suo officio deficiat, et necessitatem multo majorem esse præsentibus diebus, quam in aliis præteritis annis, aspiciens, cum Turca et Germaniæ et Italiæ ex parte terræ proximior sit, cum jam totam Hungariam occupaverit, et ex alia parte potentissimam classem in visceribus nostris teneat, cum qua totum excurrens mare, terris maritimis Italiæ, Hispaniæ, Africæ et omnibus Christianis insulis ultimum afferexitium, et cum bellorum præteritorum inter istos duos principes experientia docerit, quam difficulter unus alterum vincere possit, quandoquidem ex eorum bellis nihil aliud, quam aliarum pauperum regionum devastationem, retulerunt, multas expensas et mortem strenuorum hominum, qui ad reprimendam Turcicam audaciam apli fuissent, ita ut si bellum producat, pro certo habere possumus, quod cum nulla alia res effectum habeat, præter alterutram consumptionem, regionum vastationem, pecuniarum dispendium et militum mortem, Turcis devincendi totam Europam occasionem præbebunt, sicuti Constantinopolitano imperio accidit, quod in manibus Turcarum cecidit, ob discordias principum Orientalium, quemadmodum nunc eadem discordiæ vigent inter Occidentales. Sua Sanctitas igitur supradictas rationes considerans, oplausque tandem Concilii coadunationem ad effectum perducere, in bonitate Dei, quæ nostra vincere solet demerita, confidens, et aliquando sola sua gratia, quod difficiliter ad concedendum videtur, et quod multoties negavit, concedit, noluit prætermittere, demum reposcere ab istis duobus magnis principibus, ad quos, si ætas gravis, et conditio, et temporis brevis non obstitissent, propria persona accessisset, non solum ut ostenderet, quo animi ardore istam pacem cupiat, sed ut auctoritate illi

¹ Angelus Massarel. Ms. arch. Vat. p. 22. — ² Suri. in Comm. hoc anno. — ³ Ms. card. Spald. 10. xv. p. 751.

a Deo concessa, et vivis rationibus præsentium necessitatum et calamitatum Christianitatis, animos siliceos istorum principum emolliret; ideoque misit reverendissimum suum nepotem cardinalem Farnesium, ut sic, quoad fieri possit, suam ipsam personam representet, cui commisit, ut omni conatu euret istam pacem obtinere, et præter supradictam necessitatem, Sua Beatitude censuit, tempus præsens novam opportunitatem ad hoc tractandum præbere, cum Hyeme superveniente, isti duo principes arma deposuerint, et Dei gratia, cum honore utriusque partis lucusque bellatum sit, cum rex Gallie terras parvi momenti amiserit, et imperator Geldria ducatum recuperaverit, et absque sanguinis effusione suam bellicam virtutem ostenderit, offensionique, quam anno præterito acceptam dicebat, satisfecerit, dum in Galliam propria persona arma intulit, ipsumque regem multoties et fortis animi principes, et Germanici imperii dignus ad campestre prælium invitavit.

« Sed quia in tractatu pacis, sicut tractationes ostenderunt, multe difficultates propositæ fuerunt, Sua Sanctitas magnitudinem auctoritatis imperii principum considerans, et quantum eam isti duo principes magnificere debeant, et cum certus sit, ipsos, et prudentia, et bonitate, qua sunt præditi, cernentes Christianitatis pericula, desiderantes remedia illis præbere, semper pacem suasuros, decrevit suo nomine mittere, ad orandum et hortandum, ut cum imperatore et rege Gallie pax sequatur, omne studium ponant, utrisque demonstrantes, sicut eorum dignitatibus decet, cum tam imperii honoranda sint membra, de illo, ejus causa pax non sequetur, quaerenda necessitatem, illisque omnes rationes, quas illorum prudentia suggeret, aptas ad pacem inter istos duos principes componendam, exponentes.

« Sed cum elapsis annis, dum de pace inter istos principes concilianda tractabatur, diversæ fuerunt propositæ conditiones, in quibus, sicut in rebus magni momenti accidit, varias et graves difficultates apparuerunt, et ideo modo, quando tali ex causa conditiones pacis ad conclusionem deduci non possent, Sua Sanctitas iudicavit, quod melius esset, vel fœdus, vel firmas inducias obtinere, et jura, de quibus disceptant, et quæ utraque pars in diversis provinciis et regnis sibi debere contendit, ad futuri Generalis Concilii decisionem, vel si in hoc convenire non poterunt, ad idoneos arbitros remittantur. Ex istis induciis armorum, non solum saltem hoc bonum sequetur, scilicet, discrimen, damnum et probrum belli inter Christianos de medio tollere, sed etiam Concilium adeo desideratum, quæsitum et necessarium, tandem incipere, et vires ad Turcarum defensionem conjungere. Ideo Sua Sanctitas hortatur dietosque

principes oral, ut secum laborem conjungant, et si aliud medium præ manibus habent melius ad consequendum supradictum effectum, placeat illi communicare, quia Sua Sanctitas, omni seposito respectu, omni sibi possibili conatu curabit, ut adeo concupita reconciliatio sequatur. Istis rationibus, aliisque similibus, quas nuntius cogitare possit, Germania principibus persuadere conabitur, ut imperatori et regi Gallie amicitiam, pacem et armorum inducias suadeant.

« Sed quia tota nuntii intentio est dirigenda ad promovendum, ut isti principes quantoque pacis vel induciarum negotium promoveant; et quo magis eos Sua Sanctitas hortatur, eo magis in hoc incumbant, ut promptius hoc ad effectum perducant, et verbis Suae Sanctitatis majorem fidem præstent, erit etiam nuntii officium, omnem falsam opinionem, quam forte conceperunt, quod Sua Sanctitas non serio, et ex toto animo hanc pacem promoveat, ex illorum mentibus, quoad poterit, auferre. Quod facile faciet, illis præcipue, et ordinate omnes tractationes, quas circa hanc pacem sua Sanctitas fecit, narrando, eandemque justificationem de Concilio addendo; de quo juxta suæ Sanctitatis Bullam, summariam rationem reddere poterit, illis declarando, ultimam suspensionem Concilii Tridentini factam fuisse, causa salis clara impossibilitatis celebrationis, cum tota Christianitas ab intestinis externisque bellis, ut satis notum est, arderet et vere nomen Concilii contemni videretur, et sic remedium unicum et valde efficax malorum omnium vanum existimaretur, cum Sedis Apostolicæ legati per octo continuos menses, expectant eo quod ulla Concilii forma appareret, absperant: tamen certos eos reddere poterit, suam Sanctitatem non revocasse animum, nec locum Concilii, nisi quando ob publicum bonum aliter existimaretur, et firmata pace et armorum induciis, totus animus et diligentia in hac celebratione posita erit. Circa istum Concilii articulum, bonum consilium erit, nuntium curare, ut cardinali Moguntino, archiepiscopo Salisburgensi et Trevirensi placeat, istam suæ Sanctitatis mentem notam facere suis suffraganeis episcopis et imperii principibus: etiamque episcopo Augustano, ut hoc negotium assumat, præcipere, quia multum ista justificatio et exhibitio ante Dietæ imperialis coadunationem valebit, etiamque si cardinalis Moguntinus iudicabit expedire, cum sit animorum volubilitas maxima, archiepiscopo Coloniensi, vel saltem ejus suffraganeis nuntiare, et quomodocumque sit, utile valde est, ut talis opinio juxta veritatem imprimatur in animis non solum episcoporum, sed etiam principum sæcularium, et Ecclesiasticorum, qui ad Dietam convenire debent, et etiam inter populos promulgare.

« Et quia aliquis sæcularis princeps de abusibus, quos esse in Dei Ecclesia, et præcipue in hac Romana aula dicent, nuntius semper quod verum est affirmabil, suæ Sanctitatis tempore non irrepssit, nec ejus voluntatis esse eos confirmare, quinimo ut hi abusus tollantur valde desiderare, qua de causa Concilium semper maximopere optasse; sed animadvertat querelam facient nuntius, et abstineat se a contentionibus circa istos abusos, et circa fidei Catholice dogmata, quia in præsentiarum istud non est suum negotium; et tantum de his rebus loquetur, quantum ad modeste defendendam veritatem sufficit, simulque hoc modo animas illorum, cum quibus de his loqui oportuerit, ædificare curabit.

50. « Quando nuntio acciderit alicui mandata exponere, quoad poterit, ipse per se et non per interpositam personam faciet, et præcipue cum Guillelmo et Ludovico ducibus Bavariæ, qui forte simul morabuntur, sic se geret.

« Et postea comiti Friderico Rheni Palatino, qui cum in dielis præsidere loco imperialis gubernatoris soleat, magni ejus persona est facienda, nomine Suæ Sanctitatis dicet, Suam Sanctitatem semper in memoria res Daniæ retinuisse, ob quas etiam inter dictos duos principes pacem desideravit, qua firmata, illud regnum pro sua persona esse recuperandum, firmiter credendum est. Postea ad electorem Palatinum, ut imperii præcipuum partem, accedet: illique significabit, Suam Sanctitatem auctoritati et prudentiæ suæ in negotio pacis et in rebus Germaniæ bene dirigendis valde confidere. Poterit etiam prædictis ducibus Bavariæ et archiepiscopo Moguntino animum suæ Sanctitatis confirmandi, et magis firmandi fœdus Catholicum clare exprimere, significabitque etiam, cardinalem Farnesium habere in mandatis, et auctoritatem omnia que oportebit concludendi, et hoc idem ducibus Bavariæ notum facere poterit. Non deest nuntius, quando occasio aderit, omnibus episcopis, cum quibus in itinere conveniet, juxta supradictam informationem, suadere, et præcipue animum eis addere, et demonstrare, quod si in dieta de religione agatur, tota eorum dominatio et spiritualis et temporalis in discrimen ventura sit. Postquam cum comite Palatino egerit, ad cardinalem Moguntinum accedet, cui omnibus amoris declarationibus palerum Suæ Sanctitatis erga eum affectum ostendet, et quod pro religione usque ad hoc tempus operatus est, commendabit, etiamque ut imposterum perseveret hortetur, ei ostendendo, hoc sui esse munus, et quia est cardinalis, et quia præcipuus imperii elector, et Magdeburgensis archiepiscopus, qui est primus Germaniæ, cum ex illa perillustri familia Magdeburgensi originem trahat, que

semper Catholica et veræ religionis auxiliatrix fuit; postea rogabit, ut suum credentiale Breve marchioni electori Brandeburgensi nepoti suo mittere placeat, notumque illi facere solum, quod nomine Suæ Sanctitatis circa pacem, Concilium et Turcarum defensionem nuntiatum ei fuit, eumque adhortari, ut suos oratores pro pace mittat. Trevirensis postea urbem petet, eademque cum illo electore archiepiscopo communicabit, addetque ei, quod si pax cum rege Galliæ firmabitur, suæ regiones, quæ continua vexatione ob finitimas Cæsareæ majestatis laborarunt, pacem in Concilio assequuntur. Et istis omnibus principibus, ad bellum dissuadendum et pacem promovendam, diuturnas populorum querelas, supra vires exactionibus præteritis oppressorum, et discrimina valde clara tumultuum et rebellionum populorum ostendat.

« Accedat postea Coloniam, vel Bonnam ubi Colonia archiepiscopus moratur, et cum ipso de pace generaliter agat, et de Concilio, cum omni certitudine ostendens, quam bonæ mentis sit sua Sanctitas erga ista duo puncta, etiamque pericula, in quibus versatur ob res Geldriæ demonstrabit, sicuti et multo magis propter discordias civitatis Coloniensis, religionis causa, super quas, quo sit animo, intelliget. Nuntius procuret illius cives certos reddere de optima Pontificis voluntate erga pacem et Concilium, laboresque quos ob istas res sustinet exponat, eosque hortetur constanter in vera religione permanere, quod officium agendum erit cum primariis senatoribus, quibus mos est, publicas personas ad eorum urbem accedentes inviscere, et cum clero præcipue.

« Sed nuntius animadvertat, quando necesse fuerit, ut aliquem principem alloquatur, longiorem producere viam, et sic diu proferre adventum in Belgium, ut esset ad archiepiscopum Salisburgensem et marchionem Brandeburgensem accedere: litteris eo eventu suppleat, communicans omnia, ut supra dictum est, cum ducibus Bavariæ et archiepiscopo Moguntino, et Breve cum Epistolis mittat, excusando temporis brevitatem et necessitatem conveniendi cum imperatore, et opportunas causas cognitiones, juxta Suæ Sanctitatis mandatum, afferri curet. Et cum dictus nuntius simul erit cum ducibus Bavariæ et episcopo Augustano, notitiam sumet, ubi isti principes morentur, et dum, quia valde distantes cum eis convenire non possit, opera episcopi Augustani, affectione cum Sua Sanctitate conjunctissimi, utatur. Nuntius etiam debet ex Augusta vel Spira omnia nuntiare, Epistolasque Laurentio Bologna tabellariorum præfecto Tridentum transmittere, eique imponere, quod si non adsit occasio præsens Epistolas ad Urbem transmittendi, illas Bonnam statim mittat, et si aliquid grave negotium acciderit, quod non est nostrum providere, proprium tabella-

rium cursoribus equis transmittat, juxta quod ipse nuntius judicabit negotium exigere. Spiræ episcopum Hildesheimensem inveniet, cui commissa est Cameræ imperialis Judiciorum reformatio, cum eo, qui fidelis est, et cui bene sunt notæ res Germaniæ, consilia communicabit, eumque confirmabit, ut in sua perseveret solita constantia, dicetque illi, Suam Sanctitatem ejus Ecclesiam res apud Cæsarem, ut agat cum duce de Brunsvich, commendasse, et præcipiet iterum (quamvis in mandatis hoc habeat) cardinali Farnesio, ut hoc idem cum imperatore agat, et quia, sicut ipse desideravit, pro ipso ad imperatorem Breve scriptum fuit, illud ei assignabit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris, anno Domini MXXLIII, die ultima Novembris, Pontificalus sanctissimi domini nostri Pauli anno x ».

51. *Per litteras et nuntios paci principum Christianorum totus Pontifex.* — De misso in Germaniam Sfondrato internumtio certiore fecit Pontifex Ferdinandum regem Romanorum¹, significavitque periclitanti rei Christianæ unicam salutem in eo sitam, ut inter Carolum Cæsarem et Franciscum regem extinctis veteribus odiis pax firmissima sanciretur, ad quam conciliandam concitatissimis equis provolare internuntius jussus esset, qua sancta, et Turcica tyrannis ingravescens comprimi, et Concilium Œcumenicum ad Lutheranos ab impietate suscepta revocandos, morumque integritatem restituendam celebrari posset.

« Regi Romanorum.

« Charissime, etc. Ut a nostro officio, quoad nobis vita suppetet, nunquam desistamus, et miseram Christianitatem in extremum pæne ad ductam discrimen, modo quo possumus, nostræque interpositione auctoritatis juvemus, curam pacis inter serenissimum Cæsarem fratrem tuum et regem Christianissimum toties a nobis tentatæ in præsentia repetendam et resumendam duximus. Quandoquidem non alia via Turcis obsisti, et Universale Concilium per arma necessario interruptum resumî ac celebrari posse videmus, quod sane, nisi eisdem armis prohibeamur, omnino prosequi et celebrare intendimus, itaque ob hanc causam mittimus ad dictas Majestates dilectum filium Alexandrum cardinalem de Farnesio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium, nepotem ac legatum nostrum. Cupientes vero in hoc sancto opere etiam a serenitate tua ac principibus Germaniæ coadjuvari, misimus in Germaniam dilectum filium Franciscum de Sfondrato electum Sarnensem nuntium ad hoc nostrum, ut per equos dispositos omni celeritate adhibita, cum omnis mora valde periculosa sit, insigniores principes nostro nomine adeat, et ad nos in hoc sancto opere

coadjuvandum, suamque operam et auctoritatem apud ambas majestates interponendum hortetur, et requirat, deindeque pari celeritate usus, cum responsionibus ac litteris dictorum principum ad residentiam tui serenissimi fratris convolet, ut in tempore, quo dictus cardinalis legatus eo venerit, adesse possit, quæ omnia etsi plenius ex relatione nuntii apud te nostri, cui scribi fecimus, eras intellecturus, volumus tamen ipsi ad serenitatem tuam his nostris litteris perscribere, tuam serenitatem maxime hortantes et requirentes, ut pro tua sapientia perspicuus, quo in periculo tota Christianitas ex hujusmodi discordiis versetur, velis pro tua singulari pietate et regia sublimitate, utilitati communi consulere, animumque ejusdem serenissimi tui fratris ad pacis consilia reddere promiorem, quo et Universale Concilium celebrari, et pericula a Turcis imminente, quæ omnibus quidem Christianis, sed tua præcipue majestati imminuent, repelli possint, etc. Dat. Romæ xxii Novembris MXXLIII, anno x ».

Rogatus pariter est Joachimus Marchio Brandeburgensis, ut oratores pro urgenda pace transmitteret² :

« Dilecto filio nobili viro Joachimo Marchioni Brandeburgensi sacri Romani imperii principi electori.

« Dilecte fili, salutem. Quamvis nostra consilia, quæ ad suadendam inter Cæsaream et Christianissimi regis majestates concordiam semper sint directa, sicut omnibus apparere potuit, sæpius antea, ac nuper proxime, ex tanto inter easdem majestates armorum apparatu, ac pæne concursu interrupta fuerint, tamen, ut primum deductis in hyberna illorum exercitibus, armorum strepitus aliquantum quietos animadvertimus, ne unquam ab officio nostro desistamus, et miseram Christianitatem eo modo, quo possumus, nostræ interpositione auctoritatis apud ipsas majestates juvemus, nostrum officium suadendæ pacis resumendum, et hoc beneficio Hyemis utendum duximus, priusquam Vere proximo iterum illorum iræ atque arma in suam et totius Christianæ reipublicæ perniciem forsitan erumpant, quod Deus Omnipotens dignetur avertere, etc. Dat. Romæ xxviii Novembris MXXLIII, anno x ».

Extant eodem argumento litteræ² ad Ludovicum electorem comitem Palatinum Rheni, tum ad Fridericum comitem Palatinum, ad duces Baviaræ, ad Moguntinum cardinalem, ad Trevirenses, Coloniensem et Salisburgensem archiepiscopos, ut placato bello instaurataque concordia, Concilium Tridentinum celebrari posset.

52. De Alexandri cardinalis Farnesii legatione a Paulo III ad Cæsarem, et Franciscum

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 453.

² Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 444. — 2 lib. p. 161.

Galliae regem decreta, hæc memorat Angelus Massarellus¹: « Non destitit inquit Pontifex, tum hortando, tum monendo, principum animos ad unionem revocare, quare reverendissimum dominum Alexandrum cardinalem Farnesium Apostolicæ Sedis legatum ad comitem, et Gallorum regem pro tractanda inter eos pace die XXI Novembris dicti anni in sacro Patrum senatu creavit ». Fit de ea mentio in Actis Consistorialibus, in quibus additur, accessisse ad Consistorium Cæsareum oratorem, et litterarum exemplum et instructionem regis Galliae ad ducem Aurelianensem filium suum protulisse, in quibus landtgravi Hassiæ amicitia posebatur, ostendebatque se paratum esse, Lutheranismum in ducatum Lucemburgensem inducere. Sic Acta: « Præterea lectum fuit ab oratore Cæsareo exemplar litterarum Francisci Galliarum regis, et ejusdem instructiones Caroli ducis Aurelianensis ad Hassiæ Landtgravium, quibus idem dux ejus societatem appetebat, seque paratum fore ostendebat Lutheranismum in ducatum Lucemburgensem introducere, requisitisque reverendissimorum cardinalium votis, rejectum est negotium in aliud consistorium, cum res tanti ponderis maturiore deliberatione indigeret ». In ista eadem congregatione cardinalis Parisius, sic jubente Pontifice, dissevit super Pragmatica libertati Ecclesiæ obnoxia a Cæsare in Hispania edita. De scripturis autem contra regem Gallie, cum exemplaria et non originalia essent, decretum fuit, ut legatus et nuntius de istis querelis verba facerent, audirentque quomodo se a culpa liberarent, legatque ad reginam Gallie imperatoris sororem sequentes litteras ejusdem legati commendatitias tradite fuerunt²:

« Reginæ Franciæ.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem. Semper intelleximus quantum tua majestas discordiis viri et fratris tui dolens, studio pacis inter eos conciliandæ flagraverit, non modo amatissimæ uxoris atque sororis, verum etiam pietissimæ ac præstantissimæ reginæ officium peragens, et Deo acceptissimum præstans obsequium, quamobrem, cum sicut necessitas afflictæ Christianitatis postulat, in presentia pacem inter illos toties a nobis tentatum demum repetere, ac suadere, quantum in nobis fuit, amittamus, atque ob hanc causam dilectum filium Alexandrum cardinalem de Farnesio vicecancellarium nepotem ac legatum nostrum, ad eosdem mittamus, hortamur et rogamus sere-

nitatem tuam in Christo Jesu, et omni quo possumus affectu ab ea petimus, ut operam, studium et auctoritatem tuam ad nos in hoc opere tam sancto ac laudabili apud eosdem virum et fratrem tuos, coadjuvandum enixe interponere velis, omnique cura contendere, ut hæc sanctissima pax conciliatur, quam si a Deo consequi medio tuæ serenitatis merebimur, nihil erit majestate tua, vel apud homines illustrius, vel apud Deum dignius, cui post terrenum regnum etiam celeste concedat, etc. Datum Romæ XXVII Novembris MDCXLIII, anno X ».

53. *Solennes supplicationes indictæ.* — Tot calamitibus attritum fuerat Christianum imperium, ex civili Hispanorum Gallorumque bello, ut ducenta et amplius Christianorum millia iræ et ambitioni principum suorum immolata in variis præliis, ex quo Carolus V et Franciscus I mutua odia contraxerant, ceciderint, ac Turca ex iis dissidiis insolens, plures provincias subegerit, atque hæretici offerationes effecti, venena latius propagaverint, quare ad placandam divinam iram indite sunt a Pontifice solennes supplicationes, noxarumque venia oraturis Deum pro instauranda principum conjunctione proposita, ut Diaria³ horum temporum referunt:

Cæterum cum in tanta hæresum dissensione bellorumque tempestate, tantisque excitationibus, viribus suis non satis fideret Pontifex, cogitatus suos in Dominum conjecit, publicasque processiones et preces die XI Decembris præfatis per universum Christianum orbem indixit, totque indulgentias pro hac principum unionem et pace orantibus, concessit, quot vigesimo quinto quoque anno jubilei tempore Apostolorum principis limina visitantibus tribui consuevere, necnon XVI ejusdem mensis Pontifex ipse, una cum reverendissimis dominis cardinalibus, qui tunc in Urbe viginti quatuor erant, et quinquaginta septem præfatis, totaque Romana curia, a palatio Apostolico ad Ecclesiam Divi Petri per civitatem Leoninam profectus est ».

54. *Henricus Angliæ rex bellum movet contra regem Scotiæ.* — Appetierat bello Henricus Anglus Jacobum V Scotiæ regem, cum variis artibus ad impietatem pellicere atque ab obsequio Pontificis divellere frustra pertentasset, ob patrata enim scelera suspicacis ingenii princeps, subditos, quos tyrannide attriverat, exosus, meluebat, ne conversis rebus, ex Scotiæ ad eum evertendum bellum moveretur (1). At Pontifex accessitum ab hoste Scotiæ regem omni

¹ Ms. card. Spadoleto, CXXXIII, p. 422. — ² Paul. III. lib. boev. an. IV, p. 459.

³ Ex Diar. Concl. Trident. Angel. Massarell. Ms. arch. Vatic. pag. 33.

(1) Infelix Scotorum cum Gallis prælium anno MDCXLIII Decembris mense commissum est; tantisque ejus amissi dolor Jacobum regem corripuit, ut non diu post, nempe tertianidua Decembris interierit, quod ex Buchananò notat Calvinus. Litteræ igitur Pontificis hæc in Annubus recitæ post Jacobi regis obitum scriptæ sunt, cum Romæ de morte ejus ac turbi pacis eventus nuntium nondum pervenisset, quod sane mirum est, cum a commissa pugna usque ad diem IX Januarii mensis plenus intercessisset. Postea Jacobus annis XXIX et mensibus tribus regnavit. Hereditas devota est ad Mariam infantem ante octiduum natam, cujus tutela ex patris voluntate us comissa, de quibus in Annalibus.

praesidio adjuvare enisus est, sacerdotumque decimas illi addixit, ad quem has litteras ¹ antequam acceptae cladis et contracti lethalis morbi fama in Urbem afferretur, transmisit.

« Regi Sctorum.

« Nuper cum audissemus perditionis et Sathanae filium Henricum, qui pro rege Angliae se gerit, bellum tibi, quod antea Deo et virtutibus intulerat, intulisse, agerrime scilicet ferentem, quod te, quem saepissime tentavit, secum in perditionem trahere non potuerit. Nos hae honesta et iusta occasione se nobis offerente, sponte ipsi nostra, ac te nihil nunc a nobis petente, sex decimas fructuum Ecclesiasticorum unius biennii in tuo regno imponendas, et in huius belli subventionem ac tui regni defensionem convertendas duximus, illarum generalem collectorem dilectum filium nostrum cardinalem Scotiae deputantes, sicut ex aliis nostris litteris Majestati tuae plenius constabit, ex quo apparere potest, nobis, qui eadem nunc fecimus quae superiori anno denegavimus, honestam tunc facultatem defuisse potius, quam voluntatem, atque utinam, fili charissime, facultates Sedis Apostolicae non essent ita attritae atque exhaustae (sicut non ignoras) certe non destituissemus hinc quoque, missa pecunia, serenitati tuae opitulari, sed tamen te in bona spe esse volumus, quod si necesse fuerit (quod Deus avertat) nos tibi etiam de amplioribus decimis tui regni, et de proprio nostro subsidio, quantum nobis licebit, non deerimus, cum pro te tanquam praestantissimo rege ac piensissimo filio nostro, et contra illum communem hostem omnia facere cupiamus et debeamus. Tu ergo memor tuae causae, imo Dei Omnipotentis, quam tueris, alacriter procedas, ac fortiter praelium Domini praelaturus, ipse enim Dominus, cujus interdum auxilio unus mille et duo fugant decem millia tibi deesse non poterit, sicut speramus, cum tu honorem ejus Ecclesiae, reverentiam, fidei sinceritatem in tuo regno conservaveris et defendas, quas e contra ille tot sceleribus et crudelitatibus foedavit, ac de suo penitus ejecit. Datum Romae apud S. Petrum, etc. die IX Januarii MXXIII, anno IX ».

De indictis decimis extant ad clerum Scotiae litterae, in quibus haec ratio dati mandati exprimitur ² : « Rex Henricus nihil aliud molitur, nisi ut regnum Scotiae occupet, et Catholicam ac Orthodoxam Fidem in eo, sicut in Anglia fecit, destruat ». Quod vero ad prosperos successus ejus belli expectatos a Pontifice, visum est aliter Deo, qui gravissimis calamitatibus pios interdum exercet, quod a Propheta praedictum est ³ : *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Fusus est enim ingenti clade Jacobi regis Scotiae

exercitus, ex qua tantum dolorem cepit, ut contracto morbo lethali, brevi extinctus sit, relicta filia Maria regni haerede, ac testamento Betonium cardinalem S. Andreae, ac tres alios regno administrantibus praefecit. Verum... Aravia comes regni procuracionem invasit, ac cardinalem captum custodiae tradidit, de quibus adversis Pontifex his litteris condoluit ¹ : « Summus maximo constituti in more, quod illum praestantissimum et omni laude dignum regem (nempe Jacobum) alienissimo sui regni tempore, quod orbatum belloque implicitum reliquit amissum, tum quod ea spes conservandi illius regni, quam in te in primis habuissemus, ea nos in praesentiarum destituit, te in potestatem perfidorum redacto, etc. Dat. Bononiae xxv Martii MXXIII, anno IX ».

Misit vero Pontifex in Scotiam Marcum Patriarcham Aquileiensem, ut pro tuendo regno, asserenda fide Catholica, ac Betonio cardinale in libertatem vindicando operam conferret.

55. Cui instructio tradita fuit, continens ea, quae cum rege Galliae agere debebat, cujus consilio nuntio in omnibus uti praecipiebatur, et inter caetera talia habuit mandata, scilicet ² : « Notam faciat facultatem exigendi a clero regni sex decimas, ut petitioni, de qua demortuus rex supplicaverat, satisfactum sit, adhortabiturque clerum, ut liberet eas persolvat, curabil cum consilio reginae et regni gubernatoribus, ut unus vel plures homines probi et bonae estimationis et fama, uti thesaurarii earum decumarum eligantur, illisque pecunia exacta custodienda tradatur, posteaque arbitrio reginae et regni gubernatorum, expendatur; urbanitates graves et affabiles, sed non nimis exquisitae sint; facultates concessae, ad honorem Dei, aedificationem populorum, et utilitatem regni solummodo serviant, quapropter super tuos ministros vigiles, ne avaritia excaecati aliquid extorqueant, et in hac re cardinalem Polum, et alios, qui annis praeteritis, legationis et nuntiatuere munus illis in regnis exercuerunt, tibi proponas ad imitandum ». Et inter multa Brevia quae illi Pontifex ad principes Galliae et Scotiae dedit, subjectum fuit ad regni gubernatores directum ³ :

« Venerabili fratri et dilectis filiis tribus deputatis ad regimen Sctorum.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem. Superioribus mensibus cum esset ad nos allatum de bello per Henricum pro Angliae rege se gerentem, contra clarae memoriae Jacobum regem vestrum moto, nos, qui ipsum Jacobum tanto amore prosequeremur, quanto ejus erga Deum pietas, sincerusque in religione animus postulabat, ut ipsum ac regnum ejus aliqua ope juvaremus, ultro ipsi sex decimas super fructibus Ecclesiasticis istius regni ad defensionem

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 57. — ² Ib. p. 7. — ³ Ps. 43.

¹ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 84. — ² Ms. card. Spadae to. XV. p. 703. — ³ Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 222.

ejusdem regis ac regni, imposuimus, litterasque nostras complures tum super ipsa impositione, tum ad ipsum regem, atque etiam ad dilectum filium nostrum cardinalem S. Andreae, quem collectorem ipsarum decimarum deputabamus, directas, istuc misimus, additis etiam alteris litteris, per quas de adversariis vestris repulsis eisdem regi ac cardinali gratulabamur, sed heu! miserabilem humanarum rerum instabilitatem, paucis post diebus, nostrum illud gaudium in amarissimum luctum versum est. illius præstantissimi ac pietissimi regis obitu primùm, deinde etiam captura dieti cardinalis auditis, quæ nobis animum gravi doloris aculeo merito vulnerarunt, non solum immaturam talis regis mortem, indignumque ipsius cardinalis casum miserantibus, verum etiam anxii et sollicitis de salute istius regni, quod quidem ob ipsius fidem erga regem et religionem erga Deum, omni laude dignum, specialique nostra dilectione et cura prosequendum existimamus. Novissime per nos audito, quod ipsius regni status vos ad ejusdem regni regimen interea deputarunt, dolorem nostrum non parum mitigavimus, sperantes, quod idem Deus, cujus nutu ad hanc vestram deputationem illi impulsus fuerunt, vestro felici regimini, et ipsius regni securitati clementer aspirabit: unde nos pia ac paterna cura de isto regno incensi, ne vobis et eidem regno in eo auxilio decimarum, quod vivente rege decreveramus, nunc cum illud magis necessarium vobis est, desimus, cum ea spe quam in dicto cardinale habere potuissemus, sinus frustrati, nullius istuc dedita opera venerabilem fratrem Marcum patriarcham Aquileiensem latorem præsentium, virum prudentia, nobilitate ac dignitate insignem, et cujus opera in alijs gravissimis rebus usi sumus, collectorem decimarum prædictarum in locum ejusdem cardinalis, cum opportuna facultate deputantes, ei mandavimus, ut dictas decimas diligenter exigi, exactasque penes idoneum depositarium a vobis eligendum deponi, fideliterque in defensionem et securitatem istius regni juxta providam ordinationem vestram expendi, ac dieti cardinalis liberationem, si nondum liberatus sit, omnibus modis apud vos curet, generaliterque quacumque in re nostram auctoritatem, et suam operam esse putaverit utilem ad ejusdem regni tutelam pie ac sedato vobis nostro nomine impartiat, etc. Datum Bononiæ XXI Martii MDCXLII, anno IX.

Restitutus est libertati Gallicis auxilijs a Francisco rege submissis cardinalis Betonius, atque Henrici Angliæ regis grassationes compressæ sunt: exarsisse vero postea maxima de religione dissidia, pietatisque Catholice in eo regno nitorem deloruisse visuri sumus.

36. *In Polonia se hæretici intrudere tentant.* — In Polonia res Catholica novatorum arti-

bus insidiisque adducta est in discrimen, significavit enim internuntius Pontificius¹, moliri nonnullos hæresi pandere aditum, novisque rebus studere, ac si seniorem regem e vivis tolli contingeret, periclitaturam Poloniam, ne ob arces minus munitas, dissensiones civiles, Turcica irruptione vastaretur: ad novatorum vero nefaria molimina evitanda, Pontifex Sigismundum seniorem hortatus est, ut partam Catholicis principis in Polonia ab hæresi vindicanda gloriam tueri pergeret, Apostolicæque Sedis auctoritatem integram illibatamque contra nonnullos proceres novarum rerum cupidos, assereret, obstaret impijs initijs, atque ex Germaniæ incendio infelici eductus, primas dissensionum in Polonia oriundarum faces extingueret²:

« Regi Poloniae.

« Charissime, etsi laudatione potius quam hortatione cum tua majestate uti debeamus, propterea quod cum superiore anno ad te scripsissemus ne jus et auctoritatem hujus sanctæ Sedis, sicut a nonnullis ex proceribus et secularibus tui regni attentabatur, imminui patereris, fructum optatum tuæ majestate dignum retulimus; tamen cum illos eosdem in proximo Petricoviæ conventu idem conaturos esse nobis significatum fuerit, existimavimus id, quod illi clam a tua majestate (sicut credimus) moluntur, ad majestatis tuæ notitiam per nos esse deducendum: non enim, fili charissime, Sathanas dormit, sed fremens ac rugiens invidia et dolore ardet, quod quanquam finitimis fere omnibus perniciosæ hæresi contaminatis, tuum tamen regnum, cura ac pietate majestatis tuæ videt esse incolome, proptereaque his paulatim initijs pertentat, ut idem tuum regnum in eandem vicinorum trahat ruinam, quod Deus Omnipotens avertat, et majestate tua tuoque nato pietissimo rege viventibus, timere non posse confidimus: sed tamen cum omnis mutatio ac novitas, præsertim in his quæ ad Religionis obedientiam pertinent, periculosa sit sicut ex propinquo Germaniæ incendio majestas tua perspicere potest, nos propterea, quamvis illam abundare sciamus sapientia, et flagrare pietate, nec egere cujusquam monitis in his quæ recte agenda sunt, eandem majestatem tuam paterna benevolentia et charitate per Dominum Jesum requirimus, hortamur et rogamus, ut repressis suorum hujusmodi conatibus eandem in suo regno Apostolicæ Sedis reverentiam, juriunque ejus conservationem fovere velit, quam a suis accepit et ipsa hæcenus pie custodivit; si hoc fecerit, longævam ætatem, præstantissimumque filium regni hæredem, foris victorias, domi tranquillitatem, ubique felicitatem a Deo consequutura est in terris, nec dubitamus quin post vitam tam pie actam majora consequatur in

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 371. — ² lb. p. 385.

cœlis. Datum Velitris die xv Septembris M^oDLIII, anno ix ».

57. *Petri Vermilii defectio a fide.* — Hoc anno Petrus Vermilius Canonicus Regularis, Theologicis artibus et litteris Latinis, Græcis et Hebraicis excultissimus, et sacre eloquentiæ laude florentissimus, ex impiorum librorum lectione hæresim adeo avide suxit, ut ad hæreticos transfugiens, cathedram pestilentie conscenderit, atque inter impios claritatem flagitio collegerit, apud quos Martyris nomen falsum sibi ascivit : digressit vero scholastico more hæreticas argutias orthodoxamque religionem acerrimi ingenii contentione oppugnavit, adeo ut etiam Calvinum improbitate æquaverit vel vicerit. Vocatus is fuerat in iudicium ob errores Neapoli sparsos, sed nimia in eum adhibita clementia abusus, et Lucam relegatus, eam urbem maxime infecerat, ad quam cum Pontifex se conferret, metu percitus Genevæ provolvit : nec defuere in religiosis Ordinibus plures hypocrite, qui a vera pietate aversi hæresim simplicibus afflare niterentur, ad quæ mala avertenda Pontifex ordinum comitia celebrari jussit, atque in iis suspectos de hæresi a publicis muneribus dimoveri, tum a concionum habendarum exhomologeseconque audiendarum officio inhiberi, qua de re Congregationis Lateranensis Canonicis Regularibus, qui Placentiæ, et Prædicatoribus qui Parmæ, et Minoribus Conventualibus qui Anconæ, et Augustinianis qui Romæ congregandi erant, subjectas litteras dedit ¹ :

58. « Dilectis filiis Hieronymo Scripando priori generali, ac definitioribus, et vocalibus, cæterisque Ordinis Eremitarum S. Augustini in capitulo generali dicti Ordinis Romæ proxime congregandis.

« Dilecti filii, salutem. Cum instigante Sathana, Lutherana hæresis (quod dolenter referimus) quotidie pullulet, atque ejus mali causa a verbum Dei prædicantibus, qui venena hujusmodi in miseros auditores spargunt, plerumque procedat, ideo, filii dilectissimi, convenientibus vobis in unum, ut capitulum generale vestri Ordinis de more celebretis, inter cætera ad officium vestrum, ad Dei honorem, ad animarum salutem pertinentia, hoc in primis curandum et omni opera salagendum vobis est, ut singulos vestri Ordinis, quos verbo Dei prædicando, et confessionibus etiam audiendis præficere consuevistis, diligenter excutiatis, illorumque famam, sensus et voluntates sedulo perscrutemini, et quos hac hæresi infectos, aut de ea quomodolibet suspectos cognoveritis, ab officio prædicationis et confessionum audiendarum penitus amoveatis, imo etiam canonica pœna tanquam morbidas oves afficiatis ne sanas inficiant, et in eorum locum illos substituat, qui

hæc suspicione omnino careant ; his vero, quos substitueritis, vel alias deputaveritis, certam formam ac normam præscribatis, quam egredi in prædicando non possint. Denique taliter in hoc provideatis, curam adhibeatis ita sollicitam ac diligentem, ut deputatorum a vobis peccatum culpa vestra non sit, utque nobis, qui cum nostris prædecessoribus hæc officia prædicandi et confessiones audiendi in vestro Ordine, aliis tunc bene utentibus, hactenus manere permisimus, nunc vobis et aliis abutentibus, necessarium non sit, ut ipsa officia ad alios melius usuros transferamus ; sed hæc vestræ charitatis admonendæ gratia a nobis dictum sit, non quod de sinceritate universali vestri Ordinis dubitemus, sed tamen, si hæc cura atque solertia, in initio hujus mali fuisset adhibita, nunc certe iam periculose non laboraremus. Vester igitur Ordo semper fidei Catholice Sanctæque Ecclesiæ defensor ab his zizanii et sentibus repurgandus vobis est, ut solito splendore niteat, utque non solum isto capituli habendi tempore, verum etiam postea, assidua et jugi cura invigiletis, ut deputati a vobis ad utrumque officium illud catholice ac pie, juxta sensum Universalis Ecclesiæ exerceant, et novas atque hæreticas opiniones nec recipiant ipsi, nec aliis sua venena propinent ; quod si qui in hunc errorem labantur, statim a vobis arripiantur ac debite puniantur, ut ipsorum pœna aliis transeat in exemplum, atque ut hæc efficaciter, sicut vestri est officii, faciatis, vos hortamur, monemus et in virtute Sanctæ obedientiæ per Apostolica vobis scripta præcipimus, acrius provisuri, nisi feceritis. Datum Bononiæ xxx Martii M^oDLIII, anno ix ».

59. *Georgius David hæresiarcha.* — Hoc anno Georgius David Major in Frisia hæresiarcharum numerum auxit, fascinatus enim a Dæmone etiam magicis artibus imperitam plebem adeo fascinavit, ut tanquam novus Christus ab ea coleretur, ac muliercula se beatas prædicarent, si ab eo contaminarentur, de quo hæc Surius ¹ : « Ille insanus non dubitavit se De nepotem appellare, cum feris et avibus, quocumque esset collibito idiomate colloquia miscuit, et ab illis alimenta accepit, haud dubio præstigiis et Dæmonum opera usus. Aiebat Cælum esse vacuum, se divinitus missum, ut regni hæredes accerere, multaque id genus alia ridicula et absurda, quibus tamen non defuerunt, qui fidem commo- darent, ut est hoc sæculum pudenda levitate et plusquam anili stoliditate avidum, in res novas quantumcumque alioqui absurdas et impias ». Sed ab impio ad piissimum sermonem traducamus.

60. *S. Francisci Xaverii miri labores in India.* — Hoc anno S. Xaverius ², Goa profectus,

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 196.

² Sur. in Con. — ² Hor. Turs. S. Franc. Xav. Vit. l. II. c. 5.

ad Paravas Malabares Promontorii Comorinensis accolas, gemmarum piscatores, ut eorum animas pretiosiores geminis piscaretur Christiſque coronæ adderet, barbarum populum fide Christiana excoluit. Tota regio triginta constabat insignioribus oppidis, ac viginti ex iis millia sacro quidem baptismo fuerant initiata, sed divina prorsus ignara lege, destitutaque a sacerdotibus ob sterilitatem loci; magna vero aduſorum infantumque multitudine adhuc Baptismo abluenda supererat, necnon decem oppida adhuc in idolorum cultu perstabant: maximos vero labores interprete usus in iis Christo aggregandis erudiendisque sanctissimus Legatus pertulit: accedentes ad fidem quotidie salutari unda abluēbat, idolorum sacrificia impediēbat, sponſos sponſasque rite in matrimonia collocabat, dissidentes revocabat ad pacem, Christianæ disciplinæ capita in Malabaricam linguam conversa cum mandasset memorie, mox tintinnabulo puerorum greges ac virorum cogens obibat, coactis in unum locum eadem inculcabat, puerorum etiam opera usus, ut suos quisque parentes, cognatos, domesticos vicinosque omnes paulatim doceret ea que in schola didicissent. Sialicubi idola colī accepisset, contracta puerorum manū, eo contendebat, eaque confringi, conspuī conculcarique pedibus curabat, dæmonisque cultum vertebat in ludibrium: tantus vero numerus sacra Christiana capessentium fuit, ut inter baptizandum, manibus brachiisque defatigatis, sæpe langueret, viros enim totos, non semel, singulis diebus expiavit, confirmavit vero Deus insignibus miraculis prædicatam ab eo fidem. In Tutuchurino pago honesta mulier tertium jam diem difficultate partus periclitata, cum inanes deos frustra implorasset, a Francisco Xaverio, qui cum interprete occurrerat, atque (desperata corporis salute) animam consuleret, baptizata, mox innoxia fœtum effudit, atque e moribunda vegeta evasit, quo miraculo primum domesticī, dein oppidani Christo nomina dedere, multi (ab eo recitato Evangelio) ægroti sanati, nulli emergenti liberati. Tres etiam in eodem Comorinensi tractu mortui ad vitam revocati, ut narrat Tursellinus ex fide dignissimis monumentis: « Punicale oppidum est in ora Comorinensi, haud sane ignobile. Illic adolescens quidam minime obscuro loco natus, moriem obierat, qui confestim ad Franciscum delatus a suis cum ingenti comploratione, ad ejus pedes ponitur, itaque cum Pater manu prehensum Christi nomine surgere jubet, ille continuo surgit, haud dubie redivivus. Id Xaverius humilitati suæ indulgens, quantum potuit, dissimulatio suppressit, sed frustra, neque enim testes præconesque magna rei defnere, et huic miraculo consimile deinde adfirmavit fidem. Ibidem Christiana mulier Franciscum adiit, et flens ac

suam orbitatem deplorans, suppliciter obsecrabat, ut ad parvum filium, suum nuper in puteo extinctum accedere, ne gravaretur, tum ille negans puerum esse mortuum, bono esse animo mulierem jubet: eique profinus morem gerit. Ad ejus lecta ubi ventum est, procumbit in genua, Deum aliquandiu precatur, exanime pueri corpus signat Cruce, extemplo exiit puer eferetro non vivus modo, sed etiam valens, enimvero circumstantes Christiani circumstrepere et miraculum clamitare. At Xaverius enixe eos obtestatus, ut rem omni ope tacerent, repente inde proripuit se. Cæterum illi, ut rem tam admirabilem silentio supprimerent, nequam sibi temperare potuerunt. Et Xaverii dissimulatio illustriorem insuper ejus sanctimoniam fecit. Porro Joannes Triaga Lusitanus (ut de aliis laceam) vir juxta pius et gravis, idemque Francisci familiaris, post ejus discesum a Goani episcopi vicario rite interrogatus, pro testimonio dixit: Punicali interfuisse se, cum Franciscus puerum quemdam, itemque puellam revocaret ad vitam. Accepisse etiam se a nullis, alium præterea ab eodem in vico, cui Bembari est nomen, a mortuis excitatum. De quo interrogatum ab se Xaverium ita rem humilitatis studio suppressisse, ut tamen suppressa veritas emerret, et hæc satis testata, atque ab India prorege Lusitani regis jussu conquistata obsignataque penes nos habemus ». Cum deessent sacerdotes in ampla religione ad continendas in disciplina Christiana Ecclesias, quas constituerat, in omnibus locis singulos vel binos viros virtute præstantiores præfecit, qui vicem Curionum supplerent, Baptismi rationem iis tradidit, ut si necessitas urgeret, infantibus baptismalia sacra conferrent, Ædem sacram curarent, bis in die Catechismum tum Latino, tum patrio sermone, mane viris, post meridiem mulieribus repleterent, nuptias contrahendas de more promulgarent, connubiorumque impedimenta inquirerent, natorum eo anno puerorum numerum, vel habentium pelliceas vel similtates exercentium Xaverio referrent, ut his malis mederetur: ad eos vero stipendiolo sustentandos perfecit cum regina Catharina, ut vectigal, quod a Paravis in illius soccos, et crepidas pendebatur, in pitum hoc opus converteretur, persuasitque non alios soccos, quibus ipsa caelum scanderet, futuros aptiores, quam acephytorum preces. Sapius Brachmanas in eorum superstitione confudit, paucos famen horum ad fidem convertit¹. Tanta autem in his locis Xaverii animum gaudia divina perfundeabant, ut ingentis sui laboris, sollicitæque in proximos charitatis fructum quemdam vel in hæc vita præcipere, et in celo conditam prægustare mercedem sibi quodammodo

¹ Orlandin. l. iv. hoc anno,

videretur : et ille quidem, cum Romam ad suos scriberet, disertis verbis affirmavit tantam esse vim gaudiorum, quæ Deus in ea excolenda barbarie sedulo laborantibus elargiebatur, ut si quid esset solidi in hac vita gaudii, id nunquam ibi esse videretur. Idemque sæpius auditus est

inter eos labores, cum cælestis se jucunditas superflueret, exclamare : « Quæso te, Domine, noli me tantis in hac vita obruere gaudiis, aut si pro tua infinita liberalitate, his me circumfluere omnino placeat; transfer me hinc ocius in istas sedes, regionemque beatorum ».

PAULI III ANNUS 11. — CHRISTI 1544.

1. *Cæsar pacis verba respuit et ad comitia Spiraë cogenda se convertit.* — Horrendi bellorum fragores detonare in Christiano imperio, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo quarto. Sed demum divino imperio, fulgurantis cæli terrores in suavissimum concordie rorem abiere, ut reintegrandi Concilii expectatio reviviscere, et melior rerum spes retlorescere cæperit, in quo propheta oraculum illud suspexerunt pii : *Et statuit procellam ejus in mare, et siberunt fluctus ejus, et lætati sunt, quia siberunt.* Ubi vero res gesta sit, ordinem temporis secuti eam percurramus.

Conciliandæ paci inter Cæsarem et Franciscum Gallie regem ardentissimo studio navata est opera, decretisque a Pontifice legatus cardinalis Farnesius (ut vidimus) in Belgium se contulit ad Cæsarem; sed jam ille Belgio egressus, in Germaniam ad Spirensia comitia properabat, eumque in itinere consecutus, plurima cum eo de reintegranda cum Galliarum rege concordia, pro publica Christiani imperii salute asserenda, pro Lutherana hæresi comprimenda, pro cogenda OEcumenica Synodo, pro coercenda frangendaque Turcica tyrannide verba fecit, quibus Cæsar ira vehementiore in Gallum, qui Solymannum adversus Christianos cum æterno sui nominis dedecore concitarat, elatior, aures clausit, omnemque pacis actionem disiecit: cumque Vornatiam pervenisset, legatum re infecta a sedimisit, de quo Pontifex expediti cursoris opera factus certior decrevit viii Januarii incuntis hujus anni in ea causa gravissima, in qua Christianæ rei salus vertebatur, posthac non ut patrem et pastorem se

gerere, sed iudicis munus exercere, ut docent Acta Consistorialia: quibus addit Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini Farnesium cardinalem legatum reversum in Urbem, eamque prima die Martii ingressum.

2. Omni itaque pacis tractatu dissoluto imperator ad comitia imperii Spiraë agenda, quæ jam ad kal. Novembris anni præteriti indixerat, se convertit. Celeberrimi fuere ii conventus Spirenses, quibus non modo Carolus V imperator, sed etiam Ferdinandus Romanorum rex, et electores omnes interfuere, et Germania principes fere universi, et in hac dieta Fridericus elector Saxonie Ferdinandum Cæsaris fratrem, ut regem Romanorum agnovit. De hoc conventu ita Surius ¹: « Cæsar hujus anni initio e Belgio Spiram proficiscitur ad imperii ab ipso indictum conventum, qui quidem cum primis celebris fuit, præsentibus illie electoribus omnibus, quod raro fieri solet, et ipso quoque Ferdinando rege, et principibus plerisque omnibus. In hoc conventu Cæsar contra Gallicum regem ab omnibus imperii ordinibus grandem pecuniæ summam in sex menses impetrat: cum Danie rege, qui cum Gallo fœdus percusserat contra ipsum omnino transigit. Saxonie quoque elector Ferdinando regi observantiam promittit ».

His addit Belearius ²: « Etiam Spiram misit Franciscus rex Gallie, ut tesseram liberi aditus legatis suis impetraret; Cæsarem enim de se apud imperii ordines questurum prævidebat; legati autem (hi erant: Joannes Bellaius cardinalis, Franciscus Olivarius, qui postea cancellarius fuit, Africanus Melleius prætor Divio-

¹ Hoc anno in Comm. — ² Lib. XVIII, LIV.

nensis) jam nuntium appulerant. Heraldus solemnī veste indutus, regis litteras ad Cæsarem atque imperii ordines scriptas Granvellano offert. At jussus redire domum, ne quis eum illo quiequam communicaret, adhibita custodia, quadriduo post graviter increpitus dimittitur, in magnum capitis periculum incurrisse, cum rege enim Germaniæ hoste, jus gentium in Germania haud esse communicandum, Cæsarem litteras ejus nec velle, nec recipere debere, ne propter vana ejus promissa nonnulli circumscribantur. Itaque cum cæteris remissus est, re cum principibus imperii non communicata, quod a Germanorum conventum more alienum fuit. Redeuntī comites dati, qui nuntium usque deducere, quo responso accepto, regis legati in Galliam revertuntur. Interim dum nuntii heraldi reditum præstolarentur, Christierna Christierni Daniæ regis filia, Cæsaris e sorore neptis, Antonii autem Lotharingiæ reguli nurus, Spiram, socio instigante, pacem procuratura concessit; ut quam Antonius non poluerat, ac ne quidem Paulus ipse summus Pontifex, precibus et lachrymis obtineret: quanquam enim Antonius neutram in partem inclinaret, idque ut sibi liceret longe ante impetraret, tamen sine gravi provinciarum suarum jactura bellum istud geri non posse sapienter providebat. Cæsar consiliorum suorum pertinax excecator in instituto suo persistit. Quinto idus Februarii nonnulli imperii principes, Cæsare admonente, litteras ad Paulum Pontificem scripserunt, ut Allobrogis opem ferret, neque munitissimam Niciæ arcem in Turcarum potestatem venire permetteret, quin potius classem Turcicam e nostro mari expelleret, quarto kalend. Martii respondit Paulus », cujus litteras hic subjicimus ¹:

3. *Paulus ad conventus Spirenses rescribit se defensurum Niciæ arcem, et aliunde Christianitatem totam illis commendat.* — « Dilectis filiis nobilibus viris sacri Romani imperii principum electorum consilii, aliisque principibus, statibus et ordinibus, absentiumque oratoribus et commissariis in comitiis imperialibus Spirensibus congregatis.

« Dilecti filii nobiles viri, salutem. Legimus libenter litteras vestras defensionem arcis Niciæ nobis commendatas, quod enim ex nobis ipsis et egimus superiore anno efficaciter, et agere in presenti, quantum nobis licuerit, intendimus; gaudemus etiam in eo nos nobilitatibus vestris tanquam amantissimis filiis, et ea dignitate principibus gratificari, quibus sane pro nostra in eas dilectione semper gratificationum cupimus, sperantes etiam illas pro sua ingenti pietate instigante auctoritate, qua apud omnes merito pollent, sicut hujus Niciensis, ita cæterarum

Reipublicæ Christianæ partium generalem curam suscepcuras esse, perinde ac vestra dignitate et Romani imperii fulgore dignum est, ac nos quidem jam inde ab initio Pontificatus nostri, quales nos pro communi salute contra hunc commune hostem gesserimus, omnibus notum est, in omnium enim oculis gestum est, utque omittamus sigillatim recensere tot auxilia, milites, duces, classes contra eundem hostem in Austriam, Hungariam, Africam, tam frequenter a nobis missa, brevi comprehendemus, nullum nostri Pontificatus tempus, quod decennale jam est, a nostra hujus hostis submovendi et Christianorum cervicibus repellendi continua cura vacavisse, tantumque auri a nobis in hoc ipso negotio fuisse profusum, in diesque profundi, quantum exhaustæ nostri ararii vires (antea quoque per se attenuatæ) optime sentiunt, eaque fecimus et facimus in maximis Apostolicæ Sedis jacturis, obedientiaque, et auctoritate ejus tot in locis, vel prostrata penitus, vel insigniter diminuta; quid vero interea laboris, et sollicitudinis pro communi Christianorum salute nos suscepimus, quam crebro nos itineri dedimus, legatos et nuntios nostros, quos sæpe ob eandem causam misimus, longum est censere, quam inquietos nos in hac nostra ætate cum nostra curia habuerimus, ut aliis quietem et securitatem pareremus. Jam Œcumenicum Universale Concilium exoptatum a vobis et omnibus salutare et necessarium Tridenti pro foribus Germaniæ indiximus, ut et vestra inelyta natio tranquillaretur, et mores depravati reformarentur, et multa præterea necessaria, principumque in primis Christianorum concordia, Turcarumque repulsio in isto Concilio decernerentur, sed omnibus his tentatis apparuit id quod est, curationem hujus morbi, quo Christianitas tota conficitur, ab una eademque causa pendere, que quoniam abscondi nostris tot curis non potuit, ipsa Christiana respublica in dies contabescens, ad manifestum fertur iteritum. Quamobrem quod nos humiliter ac pie ad arcem Niciæ defendendam nostrum affectum in Domino collaudatis, ita vobis respondemus, nos, quantum licuerit, nostrarumque virium tenuitas sufferet, non solum ipsam arcem Niciæ, verum nec cæteras reipublicæ Christianæ partes negligemus, etiam reliqua Christiana regna Catholicasque provincias, ne cum perversis pervertantur, contra Turcas et contra cujuscvis generis impios et infideles proposuisse defendere, et ad extremum usque spiritum nostro officio non desse, non enim tantum ejus arcis, vel hujus aut illius loci, verum totius corporis incolunitas a nobis procuranda est, totum enim Christianitatis corpus laborat valdeque ægrum est, illi toti subveniendum est, sic et paribus ejus subvenietur. Nos igitur, sicut a vobis particularem ejus arcis curam rogati sumus, ita vos pro vestra apud

¹ Paul. III. lib. brev. 26. x. p. 17.

omnes maxima auctoritate ac pietate ad universalem curam et medelam afflictæ Christianitatis vocamus, quæ quanto in periculo constituta sit, videtis. Una autem communis salutis, quod et ipsi perspiciatis, ratio est, si Christianorum principum discordiæ, a quibus horum malorum omnium causa et origo processit, tollantur, tum deinde omnia mala tollentur; tenetis enim memoria, ante has discordias nec in Germania hæreses, nec in Hungaria, Austria et Italia fuisse Turcas, post ipsas vero discordias, et ab ipsis omne malum prodiisse, hæreses, rebelliones, Turcas, intestina arma, et per hæc Universalis Concilii impedimentum. Ergo in priore pacis statum redeundum est, ut his incommodis, quæ ex contrario invecta sunt, careamus, ac si, ut boni medici facere solent, causam morbi absciderimus, omne exitii periculum evademus, pax siquidem bellum, et Turcas, Universale autem Concilium, quod sublatiis armis libere et tuto, et prorsus plene celebrari poterit, hæreses, ac pravorum mores, cæteraque fæda fugabunt, paulatimque in suum nitorem afflictæ Christianitatis revertetur. Hanc igitur pacem, in Christo filii dilectissimi, pro communi totius Christianitatis salute omnibus modis curare et perficere nobiscum debetis, aliter, nec defensio arcis Niciæ, nec ulla localia, aut particularia remedia (quamquam nec illa negligemus) ut diximus, huic universali Christianitatis ægritudini opitulabuntur, quin (quod Deus Omnipotens dignetur avertere) omnes una ruina involvemur. Datum Romæ xxvi Februarii mdxlv, anno x.

4. *Carolus prudentia motus humana edicit decretum cujus venenum annotationes subnixæ demonstrant.* — In hoc ordinum imperii conventu Spirensi Cæsar xxiv Februarii orationem habuit, in qua magnifice exposuit, quantos bellicos labores pro Christiani imperii salute ad propulsandos Turcarum impetus sustinuisset: sed in tanto opere Franciscum Gallie regem juncto cum Turcarum tyranno Solymanno fœdere sibi adversatum, in quem aculeatis sententiis omnium odia veluti in communem hostem, nominisque Christiani proditorem phalerata eloquentia accendere enisus est, ut a principibus provinciisque Germaniæ militaria auxilia adversus illum eliceret, eoque fracto ac confuso liberius arma Cæsarea adversus Turcas, qui Germaniæ jugum tyrannicum imponere exambiebant, exercere possent, politum autem votis Sleidanus refert his verbis¹: « Pecunia Cæsari decernitur semestris adversus Gallie regem, in equitum millia quatuor, peditum viginti quatuor, ejus vero pecuniæ partem aliquam Cæsar communicabit Ferdinando fratri, qui loca finitima Turcis muniat; in futurum bellum Turcicum colligi placet pecuniam viri-

tim per omnem Germaniam pro cujusque facultatibus atque censu, nec immunitas ulli datur: ne quis exteris militet, Gallie regi præsertim, gravissimis pœnis edicitur, et magistratui permittitur, ut in eos vindicet qui deprehensi fuerint ». De hac principum et Germaniæ populorum societate contra regem Gallie, et de auxiliis contra ipsum ab omnibus præstitis, etiam Surinus et Adrianus loquuntur.

In eodem vero conventu imperator, cum ingenti bellorum mole premeretur, magnoque indigeret erario, ac major principum ac civitatum pars Lutherana impietate infecta esset, eorum amicitiam divino honori quodammodo prætulisse visus est: ad corradenda enim ab iis subsidia pecuniaria², edictum Lutheranae factioni augendæ faustum exoptatumque ab impiis, Catholicæ vero parti infaustum promulgavit: ac licet Catholici illi minime assenserint, necessitate tamen adacti illi parere, ut memoratus Sleidanus hæreticus narrat his verbis: « Decretum hoc minime laudabant Pontificii, totisque viribus impugnabant, sed cum Coloniensis et Monasteriensis episcopus staret a Protestantibus, Clivensis etiam et Badensis arbitrio Cæsaris omnia permetterent, qui viam hanc veluti mediam et utrisque tolerabilem, post multam disceptationem ostenderent illis, bona sua parte diminuti, non se quidem assentiri, sed ne Cæsari modum in ea præscribere, nec ipsius derogare potestati, sed tolerare velle dicunt ».

De hoc pariter decreto ita loquitur Coelaus: « Hoc anno celebris fuit conventus imperialis, a Cæsare præsentè Spire habitus, in quo septem principes electores (quod raro fit) præsentès fuerunt, tractatum ibi rursus fuit de ratione belli defensivi contra Turcas, et de sumptibus atque contributionibus ad bellum illud necessariis, fuit et de causa religionis ibi serio actum, et Lutheranis ad importunam eorum instantiam nonnihil concessum, quod Summo Pontifici per omnia placere non potuit ».

Præcipua vero capita illius decreti, quo laxate sunt furenti impietati Lutheranæ habena, concussaque Catholicæ rei firmitas, ac quam detestandum et religioni Catholica obnoxium, quale fuerit, ex Sleidano² percipiamus, qui sic loquitur:

« Quia dissidium religionis in his bellicis occupationibus tractari non potuit, ad proximum conventum, inque mensem Decembris ejecit. Interea Cæsar negotium se daturum ait viris bonis atque doctis, qui piam aliquam emendationis formulam conscribant: ut idem quoque principes faciant hortatur, qua post in futuris Comitibus facta collatione, de communi consensu statuatur aliquid, quod ad publicum orbis Concilium usque servetur in Germania:

¹ Lib. xv, an. 1544.

² In act. Lutheri an. 1544. — 2 Ubi supra.

pacem interea colant omnes, nec turbæ quicquam de religione excitentur: Ecclesia, cujusque sint religionis, utrobique facultates suas obtineant, earumque bona dividantur Ecclesie ministris solis et egestate pressis. Camerae iudices locum suum retineant, usque ad tempus eis præfixum: cum eum exierint, tunc in eum concessum recipiantur omnes promiscue, non habita ratione religionis. Edictum Augustanum, et lites omnes motæ Protestantibus, doctrinæ professionis causa, Goldariensis etiam, et Mindensis proscripção suspensa maneat, ad proximam futuram usque tractationem. Anabaptistæ penam subeant eam olim decretam; magistratus tamen, viros doctos atque pios adhibeant, qui commostrato errore, ad sententiam ipsos revocent. Decretum hoc minime laudans Pontificiæ ». Huc usque Sleidanus. Et quantam perniciem fidei Catholice, quantumque favoris hæreticis Lutheranis hoc decretum attulerit, si quis scire desiderat, sequentes audiat Adnotationes:

5. « Advertenda circa articulos religionis, pacis et justitiæ ¹ :

Circa articulum religionis.

« Ex nono, articulus religionis et controversiæ ejusdem in presentibus comitiis conciliari et concordari non potest, et commodius quam in Concilio Universali componi non poterunt, ideoque de Concilio Generali indicendo et celebrando Casarea majestas cogitabit.

« Et quia incertum est, quando Generale Concilium haberi poterit, ideo modo alium conventum imperialem Casarea majestas indicet: in nono de eodem articulo religionis componendo agetur kal. Octob.

« Et interea per viros doctos, pertractabiles ac pacis amantes, Christianam reformationem Casarea majestas confici et ordinari curabit, et status et ordines imperii etiam hoc per suos theologos et doctos fieri curabunt, quod reformatio in dicto proximo conventu statibus proponetur et deliberabitur, ac consultabitur de controversiis religionis articulis conciliandis, et ad ordinandum quid medio tempore, et interim quod Concilium Generale fieri non poterit, super illis in Romano imperio debeat.

« Non dicit, quia papa rogari debeat vel moneri, ut legatum seu nuntium ad conventum indicendum mittat, vel quia reformatio illa et ordinatio debito modo fiat, et etiam est advertendum circa istam Christianam reformationem, tunc offerendam statibus, ne per impios et sceleratos fiat et concipiatur, ac Casari obtrudatur ad majorem confusionem et perturbationem

negotii religionis, uti fuit factum in conventu Ratisbonensi anno MDXLI.

Circa articulum pacis.

« Præterea in eventum in quem in conventu imperiali proxime habendo controversiæ religionis componi non possint, et ad Concilium nationale seu generale pro conciliatione eorumdem deveniendum et procedendum foret, ut interim pacifica omnino et quieta in Romano imperio et natione Germanica permaneant, tractabit Casarea majestas cum statibus imperii de articulo pacis publica, et administrationis justitiæ, in quibus ex plenitudine potestatis imperialis, et pro officio Casareo, ex nono consensum omnium statuum desuper habere nequivit, ordinavit intranscripta.

« Primo, ut publica imperii pax servetur, et propter religionem neutra partium alteri vim seu violentiam inferat, statuit conventum imperialem, seu Concilium nationale vel generale, et illius determinationem expectabunt.

« Nota. Non dicit, ordine, modo, et legitime assistente summo Pontifice, quando est habendum.

« Et attentata per Lutheranos circa religionem post recessum Ratisbonensem habitum repurgabuntur, et in priorem statum restituentur.

« Nota. Nullam tamen adjicit penam et seu quomodo ad hæc Lutherani loqui debeant, fructus, redditus et proventus Ecclesiasticos, tam antiquæ religionis, quam Protestantium, Ecclesiasticis ex omnibus dominiis, tam Catholicorum, quam Lutheranorum principum solvantur.

« Nota. Illic ergo ad fructus et proventus Ecclesiasticos pariter Lutheranos et Catholicos clericos.

« Lutherani et Protestantes status, principes, et eis adhaerentes, libere Catholicis presbyteris et clericis, fructus, redditus et proventus solvi permittent, detractis tamen ante omnia necessariis, pro eorumdem concionatoribus, scholis, hospitalibus et elemosynis.

« Nota. Hoc pacto talis fiet detractio, quia nihil remanebit Catholicis presbyteris de fructibus hujusmodi in totalem perditionem Catholicorum presbyterorum.

« Item status Protestantium, qui se composuerit et concordaverit cum Catholicis statibus occasione bonorum Ecclesiasticorum, hoc est, bonis monasteriorum, Ecclesiarum collegiarum, vel aliis, concordia facta observari, et bona eisdem remanere debent.

« Nota. Non dicit concordias rite et recte, ac debito modo, et legitime factis, sed quibuscumque etiam uniuscuique factis, et ita etiam quamvis juris ordinationem, et dispensationem fore

¹ M., card. Pitt sig. fo. 61. p. 106.

approbandam in præjudicium perpetuum Catholicorum, quales concordie exortæ sint initiæ.

Circa articulum admissionis justitiæ.

« Judicium camerae ultimo mensis Julii proxime futuri suspendetur, et deinde alii novi assessores et iudices indifferentes præponentur, tam per Catholicos quam per Lutheranos, sive etiam præsentandi sint Catholici sive Lutherani.

« Nota. Ita purificantur ad actus legitimos et ad judicia Lutherani Catholicis, qui tamen jure ab omnibus actibus civilibus excluduntur, et ita erunt Lutherani iudices Catholicorum, quia bonorum Ecclesiasticorum occupatores, et occasionem non habent, nec pro spoliis, nec pro sacrilegio, quia bona illa converterunt in meliorem usum ad rectum et debitum cultum divinum, missas Papisticas, idololatriam, blasphemias et impietatem esse judicant et asserunt, a quibus quales sententiæ expectari debeant, facile cognosci potest.

« Juramenta novi iudices et assessores præsentandi et assumendi, et reliquæ personæ iudicii camerae de novo assumendæ præstabunt ad sancta Dei Evangelia, ultimo per Deum et sanctos ejus, donec per Cæsarem majestatem aliter ordinabitur.

« Nota. Hic trahitur in dubium veneratio sanctorum contra Ecclesiæ Catholicæ observationem, et ritum hactenus inviolabiliter observatum.

« Item, status Protestantium debent posse stare in iudicio, tanquam actores et tanquam rei contra capitula, intelleximus de iudiciis, quamvis sint publice excommunicati et declarati hæretici.

« Nota. Hæbitatio ista per papam fieri debet, quia sibi reservavit absolutionem in Bulla edita contra Lutherum et ejus adhærentes, ac etiam in Bulla Cœnæ Domini.

« Item, jura communia et omnes recessus imperiales, hactenus facti adversus Lutheranos, quamvis illi recessus religionem concernant, usque ad finalem concordiam et compositionem negotii religionis suspenduntur.

« Nota. Per hoc purificantur bona et personæ Lutheranorum per omnia Catholicis, quia adduntur actus civiles et judiciales, nec ad illas pœnas contra hæreticos ordinatas, contra eos procedi poterit, et ita eis in futurum omnia licentur.

« Item, omnes processus et causæ religionis, sub quo verbo Lutherani etiam spolia Ecclesiarum et honorum Ecclesiasticorum comprehendunt, usque ad prædictam finalem determinationem contra statum religionis suspenduntur.

« Item, omnes processus judiciales, etiam in causis profanis post prætensam recusationem Protestantium contra iudicium camerae habiti et facti, antequam de ejusdem recusationis validitate cognoscatur, cassantur et annullantur.

« Item, Bannum imperiale contra civitates Goslarensis et Müdensis latum, suspensum sit et suspensum remanere debet.

« Item, in præmissis omnibus Cæsarea majestas super incidentibus seu emergentibus dubiis et differentiis, sibi declarationem reservat ».

6. *De Spirensi decreto gravissime queritur Pontifex tam apud imperatorem quam apud alios principes.* — Hoc decretum Spirensis dietæ in consistorio fuit lectum, ut indicant Acta Consistorialia ¹ : « Romæ die Mercurii, quarta Julii MXXIV fuit Consistorium, et in eo lectæ fuerunt quædam scripturæ actæ in dicta Spirensi per Cæsarem majestatem, et fuit decretum, ut mitterentur reverendissimis per manum ». De quo etiam decreto cardinalis Farnesius in Epistola sub die vigesima tertia Julii ad nuntium Poggium ² apud imperatorem loquens, sic ait : « Nuntius Verallus Romam misit paucos ante dies recessus Spirensis exemplar, et in Latinum idioma conversum ; quanto plus expensum examinatumque fuit, eo magis officere nostræ Catholicæ religioni et auctoritati Sedis Apostolicæ cognitum fuit, quare propter nocentium magnitudinem Sua Sanctitas, nec tacere, nec dissimulare potuit, ideoque, ut suo gradui in tanta re etiam satisfaceret, ipsemet de hoc imperatori, et longius, et peculiariter scribit ». Hoc idem refert Massarellus ³ :

« His tantis reipublicæ incommodis et calamitatibus accessit (id quod plurimum suæ santitatis animum turbavit) quod Cæsar in conventu imperiali, Spiræ habito, quædam religionem concernentia cum Lutheranis tractaverat atque concluderat, quæ ipsius Pontificis ac Sedis Apostolicæ dignitati et auctoritati adversabantur. Quare non parum commotus Pontifex, litteras in forma Brevis ad ipsum imperatorem scripsit, quibus intrepide magna animi constantia majestatem suam admonuit atque reprehendit, quod ea, quæ Pontificis Summi essent, sibi arrogaret, incipientibus litteris prædictis : « Ex edito majestatis tuæ Acta conventus tui Spirensis « cognovimus ». Datum Romæ apud S. Marcum die XXIV Augusti MXXIV ».

Et etiam Coehleus eadem refert : « Recessus ergo (inquit Coehleus) publicus datus fuit Spiræ x die Junii, cujus sane tenorem abi Romæ Pontifex accepit, paterne admonuit per quamdam Epistolam Cæsarem majestatem ut in causa

¹ Ms. card. Spadae Rom. CXXXIII. p. 438 — ² Ibid. to. LXXXIV. p. 313. — ³ Angel. Massarell. in Summar. Concil. Trid. sub. Paul. III. Ms. arch. Vat. sig. num. 8190. p. 243.

fidei et religionis, more majorum nihil velit inconsulto Romano Pontifice statuere, aut permittere in Sedis Apostolicæ præjudicium ». Quæ autem Pontifex Cæsari scripserit, se habent ut infra ¹ :

7. « Quæ in recessu a Spira tamquam acla reliquisti, dilecte fili rex, magnam profecto multis admirationem, nobis autem etiam ingentem dolorem ingesserunt, qui de imperatore Augusto multa diversa ab illis et meliora sperabamus. Ut enim facile ipse agnosceas, quid secundum fidem ac religionem, quam Deo debebas, perperam egeris, quod non nostri esse muneris nescimus, obsecramus te pro palerna atque erga te peculiari dilectione nostra, ut querelam atque expostulationem nostram, et iustam et necessariam patienter audias.

« Concordiam et pacem inter Germaniæ principes te primum intendere exponis, hactenus rem sane bonam atque optandam, modo ne fuerit illa pax, quam Dominus non venit in terram mittere, sed exlurbare. Subdidisti id minime fieri posse, nisi quæ sunt fidei et religionis inter illos controversa simul componerentur, et hoc non abesse a veritate existimamus. Adjecisti tu, nec per te stetit, quominus legitimo, libero et Generali Concilio, hæc jam essent definita. Quo in loco nescimus, an subtacite nos insinuare volueris, quod satis ipsa reliqua gesta videntur pretendere, tanquam per nos steterit, ne Concilium haberetur : quod quam sit veritati proximum, in promptu est consecuta, cum jam ab exordio assumptionis nostræ fere continuum de habendo Concilio tractatum habuerimus, nec unquam detrectavimus illud, quin sæpius ac pluribus in locis indixerimus, et novissime Tridenti, ut postulationi tuæ satisfaceremus. Quod autem per temporum calamitates hoc colligerit, flagrante universo Christiano orbe discordiis ac bellis, ne aspiciam cogi potuerit, principum interim Christianorum amnis exacerbatis, qui non perspicue cernit, profecto in luce meridiana cæcutiet. Forte nos esse in causa, quod hujusmodi bellorum incendia viguerunt, quispiam objiciet? scilicet quia toto tempore, quo Pontificium munus obivimus, nihil magis acceptius curavimus, quam ut videremus tandem aliquando pacem in diebus nostris, ita ut nec amnis nostris pepercimus molesta itinera, et in hac arte grandæva admodum periculosa sæpius arripentes, et ut jam testimonium advocare nobis valeamus.

« Quo pacto tu, imperator, res fidei et religionis, ac tanti ponderis controversias componendas esse in tuto isto a Spira recessu delinivisti? Primum Nationale Concilium spondidisti? Primum Nationale Concilium spondidisti, ut ibi de fidei nostræ dogmatibus controversiæ dirimerentur, quem usum, quæ omnia, quis

prudens ac sapiens non admiretur? Tum quia illa tibi et Nationali Concilio arrogaveris, quæ minime gentium ad vestram agnitionem et jurisdictionem pertineant, tum vel maxime, quod allenaveris quod scire poteras per legatum nostrum dilectum fratrem recolenda memorie Gasparem Contarenum, vobis esse, et nostro nomine, ac speciali mandato, vivis etiam rationibus, interdictum : namque tibi ad eum primum spectare, qui Christi vicem in terris gerat, jam ex innumeris sanctorum Patrum sententiis ac gestis poterat esse perspicuum.

« Præterea, quæ tibi videtur in nationali Concilio poterit esse absque nobis ulla determinandi facultas, ea quæ ad fidem, et Christianam vitam, et Ecclesiasticos ritus pertinerent? Cum et istic pæne cuncta sint violata, perturbata, confusa et jam præjudicium factum adversus veritatem. Nemini dictum fuit nisi Petro : *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua; et tu aliquid conversus confirma fratres tuos.* Et cum hæc ita se habuerint, et quam latissime pateant, tu tamen, Cæsar, præsumpta auctoritale (quod tua pace dictum velimus) declarasti, quæcumque erunt ibi determinata, etiam rata fore usque ad Generale Concilium, ita ut si forte, imo si non forte, sed etiam certe, quæ factio Lutherana prævalitura ibi, mordicus tenet, et omnibus vere pius atque Catholicus execratur, determinarentur, ea ex nunc tu statuis esse rata, adeo incircumspectus, ut prius approbes quam scias esse probanda, imo postquam probabiliter noveris improbanda, tu tamen illa esse rata constituis. Ac unde hanc arrogare potestatem potes, vel statuendi, vel approbandi contra fidei veritates, qui neque illam habes licentiam fidei veritates decernendi absque nobis? cum te deceat audire, et non docere; et jam statuta probare atque recipere; non statuere aut probare, quin etiam illos gladio, quem per nos accepisti a Deo, tueri, atque defendere usque ad sanguinem, et non adversariis partibus quovis modo adharere aut favere; nam ejusmodi audere, quæ tu audes, quid est aliud, quam miserabiliter Ecclesiam scindere? imo etiam turpiter atque infeliciter ab ipsa Ecclesia temetipsum rescindere et segregare, et reliquam Germaniæ partem, quæ (Dei gratia) hactenus a tanta labe permanserat incontaminata, uno exemplo tecum idem in barathrum errorum adducere, ut, relicto fonte aque vive, convertantur ad cisternas dissipatas. Nos autem qui hæc interim fieri per imperatorem videmus, quanto putas mœrore afficiamur. Et per eum imperatorem Carolum, cui Dominus tanta dedit, tanta eredit, quanta post primum Carolum nemini alteri, quæ et nos tibi servari, et adhuc multo majora cum Dei benedictione augeri veris perpetuo augmentis magnopere cupimus. Audivimus enim libenter, atque docemus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, modo

¹ Ms. card. Pal. sig. 16. LAMV. p. 109. Lat. apud card. Pallavic. l. V. c. 6.

et tu libenter audias, quæ sunt Dei Deo serventur, non autem abs te praripiente, ejus petitorium erat, si ab alio vindicarentur vindicem esse. Si enim tu quæ jura Cæsaris esse putas, tanta cura, tanta militia tueris et vendicas, existimas Deum omnipotentem non sua futurum aut vindicaturum? Si quis autem, etiamsi Cæsar, eriperet, an non cogitas fidelium animas, quas Baptismo regeneravit Ecclesia in spem vivam, et suo sanguine Jesus Christus redemit, esse ipsius Dei et peculium ipsius Christi? Porro carum curam numquid Cæsari demandavit? Numquid Cæsari dictum est: *Pasce oves meas?* an uni Petro, et in ejus persona cunctis successoribus ejus? Hæc sunt fidei nostræ fundamenta, quæ qui ignorat, certe aberrat a finibus, et non putamus esse domesticum: qui autem violat, etiam hostem experiatur, cum qui hujusmodi est, ea quæ Dei sunt sibi, ut fur et latro surripiat. Quæ tibi, Cæsar, non convenire, ea tantum ratione putamus, quia hoc non a tuæ mentis bonitate, sed per subreptionem aliquam malignorum abs te obtenta atque extorsa esse existimamus: quod nobis probabit Cæsarea circumspectio, si quæ perperam acta viderit, profinus, ut speramus, revocaverit. Nam illud, quod in eisdem actis abs te præsumptum perpeximus, quantum possemus unquam justa reprehensione prosequi, cum tumet ille Cæsar, qui in Augustensi et imperiales in eos leges vigere decrexisti; tu (inquam) illemet Cæsar (si modo nunc ille idem) quæcumque abs te recte riteque ac magnifice pro Christiana religione gesta fuerant, nunc a novo conatu revocasti et reprobasti. Quod adeo improbum factum, cum omnes pii, qui sunt in Germania, detestentur, ut mitiore minusque inonesto vocabulo linires, ne immodice religiosa pectora exulcerares, suspensionem vocas, quam nos abrogationem penitus interpretamur. Cumque in nationali conventu, quæ probanda sunt, facile quisque valeat divinare, hæc in re quis summopere non admiretur, te illud egisse, per quod nulli hominum magis, quam tibi contumeliam feceris, et detrimentum, nullumque magis quam teipsum damnaveris? Si enim quos jam hæreticos censuisti nobiscum et judicasti, eos etiam nunc tales putas, nulla esset tibi profecto causa tuam revocandi aut suspendendi sententiam, ne imperatoriæ leges in eos viceant, cum tanto magis nunc hæretici sint, quanto pertinaciores ac duriores tanto tempore in sententia perstiterint. Si autem eos nunc hæreticos inficeris, a te ipso recedens, tuamque sententiam damnans, non aliud agis, nisi quod manifeste declaras, te in eorum aggregare societatem, et illam fidem profiteri, quam scelerata et adultera illa factio prædicat, et quam Sedes Apostolica cum omnibus Catholicis Ecclesiis anathemati subdit: quod quam sit gloriosum, quamque isto cul-

mine imperatorio dignum, tuæ prudentiæ tranquilla mente judicandum relinquimus: nos enim tremendum ac maxime perhorrendum tibi maxime existimaremus, non ob judicia bonorum tantum, apud quos tuæ bonæ famæ dispensandum pateris, nec ob nomen, quod transmittis in posterum, cum in eorum historiis, qui gesta hujus sæculi enarrant, inter eos te adnumeratum perspicunt, qui hæreticorum fautores, et Ecclesiæ sanctæ Dei persecutores fuerunt, et infelices exitus habuerunt, verum ob judicium Dei, de quo dictum illud verbum audimus: *Potentes potenter tormenta patientur.* Quod si vita nostra quovis modo a Dei ritibus disjuncta esset, et illi per te periclitarentur, daremus hoc forte Cæsari, obstaremus, dissimularemus; at cum fieri nequeat, ut contempta auctoritate despectisque judiciis nostris, non simul etiam Dei auctoritatem despicias, jam nobis dissimulare non licet, sed expostulare cogimur atque admonere, ut ceptum pessimum meliore consilio retractes irritumque facias, ne in te iram Dei de terra provoces et de caelo. Attende, oramus te, atque in Domino obsecramus, quod ex ore nostro summus tibi Deus præfatur; quid enim miri si Pontifex de Cathedra intonans, profiteatur: Ego (inquit) Dominus Deus exercituum, o Cæsar, *Ego sum, qui sum, per me reges regnant,* et potentes ducuntur justitia, et in manu mea cor regis, meumque est dare et conferre regna atque imperia, ego qui novi super aspidem et basiliscum ambulare, et conculcare leonem et draconem; ego qui aufero spiritum principum, terribilis in reges terræ, regens illos in virga ferrea, et quasi vas figuli confringens eos. Et nunc, o Cæsar, intellige, et audi, qui judicas terram; recote majorum tuorum gesta et exempla, qui illam ascenderunt celsitudinem in qua tu es, considera tam tristes eorum exitus, qui ad impietatem conversi meam Ecclesiam sunt persecuti, non eos tibi commemorabo, nec aliud quidquam objiciam, nisi in mentem redigas, quam ob causam, ego imperium ad Germanos ex Græcis per meos vicarios transtulerim, eamque gentem despexerim, hoc tibi in magni commentarii locum relinquo commemoratum. Hæc ipse Christus per os meum insinuat tibi, dilectissime Carole, cujus vocem vehementem velim non obaudires, ne frustra jactam esse interpreteris, nam cum schismatico rege et Catholicæ Ecclesiæ hoste acerrimo iniisse fœdera, qui te insigni injuria affecerat, reginam amitam tuam, veram ejus uxorem, tanquam concubinam et secum adulteram infando repudio ab se segregans, quem pro horrendo scelere Romana Sedes (etiam te postulante) damnavit, Pragmaticam in regno Hispaniæ sanxisse, Augustensem tuam sententiam et aliorum imperatorum sanctiones nuper revocasse, nationalem Synodum hæreticis promi-

sisse, et ejus acta antequam appareant, rata nihilominus fore constituisse, denique nullum ulterius Concilium futurum, nisi quod celebratum fuerit in Germania, nulla etiam nostri nominis et auctoritatis facta per te mentione, quasi nihil ad nos negotia religionis pertinerent et spectarent? Quis adeo prorsus stupidæ mentis non sentiat, quid hæc sibi velint? Sunt enim certa nimis indicia, quia a parte Ecclesiæ ad partes hostiles defecisti, quod dum memoramus, etiam tui gratia contremiscimus, et stupore quodam invadimur, dum cogitamus hæc ab illo imperatore Carolo emanare, qui tantum fidei ardorem in omnibus suis actis antea proferebat. At qui dices, quia ego detuli generali Concilio, si quod liberum et Christianum fuerit, verum cum locum adjicis, scilicet in Germania celebratum fuerit, non queat esse liberum et Christianum, alterum vero quia ibi demum Christianum et liberum, ubi maxime Lutherana factio viget et præstalat cæteris, ut illud juxta tuam mentem, liceat interpretari Christianum esse, quod fuerit Lutheranum.

« Nonne sentis, Cæsar, nonne sentis spicula veritatis acerba, et nonnihil ad salutem facientia, si respicias? Nam rursus quæso, quod putas meditari. Ais te velle Generale Concilium? hoc si vere, et ex animo, cur illis promittis nationale? cum etiam Tridenti per nos fuerit indictum, cur de illo verbum nullum? et tamen, si ita necesse fuerit, ut alibi et in Germania celebretur Concilium, fidentes in Domino non abnuemus. Modo illud reliquum conveniat, quod suo jure vera Concilia deposcunt, videlicet, ut liberum sit et Christianum, cum sit scriptum: *Non sedebo cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo, odium Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Tu ergo vide an liberum esse possit, ubi ad arma concurritur, et ibi Christianum, ubi Christi vicarius dicitur antichristas, et tamen ibi nihil est Christi, nisi obstentationis ac pretextus gratia, et nuda vox, quanquam hæc contumeliam (si me solum percellit) ejus exemplo, qui etiam Dæmonium haberi insimulatus est, mansuete omnino ferre deberemus, atque blasphemiam habet in se contra Dominum clausam, ejus (licet indigni) vicem gerimus, ob istam gratiam, nec a nobis libenter accipienda est, neque a te patienter ferenda, cui dedit gladium Deus, non enim frustra portas, si ad Christiani nominis defensionem, non ad Christi sanguinis effusionem. Nolumus, o Cæsar, duris ulla verbis exulcerare, et tamen veritatem continere non possumus, ad quam, si æquo animo respicias et suspicias, erit tibi protecto salutaris. Id enim si cepta prosequeris, ea certe facies, quibus quæcumque hactenus præclara gessisti, magnopere obscurentur, coinquantur, atque nomen tuum nota sempiterna inuretur. Quid

ignominiosum tibi magis? quid diu majorem tibi potest contlare invidiam, quam quod dicatur imperator Carolus Lutheranus. Quocirca tuum erit, dilectissime fili Carole, consulere nominis tui et providere salutem, et vocem Patris audire, sedulo ac paterno amore monentis, nec in tua et confederatorum quantavis potentia fidere, cum enim omnis humana potentia sub Deo, Dei omnipotenti comparata, jam non est potentia, sed infirmitas. Nos autem, ne quod habeas unde conqueri de nobis possis, pollicemur tibi animum nostrum ad omnia quæcumque petieris, promptum esse, modo divinam majestatem non laedant. Vis Concilium? damus Concilium, nec ulla per nos interponetur mora quin fiat. Vis illud in Germania? nec nos abnuimus, modo queat ibi esse liberum et Christianum. Ut enim sit Christianum non oportet illic hæreticos commisceri, tanquam sint illi pars Concilii, qui jam non sunt, et seipsos segregaverunt. Qui autem sint ejusmodi, non erit Casaris aut alterius ejus cumque id cognoscere et declarare, sed nostrum, qui hoc judicium accepimus ab ipso Christo. At vero ut sit Concilium liberum, tum erit hoc facere, quod et fiet, si jusseris arma deponi, si animum inclines ad pacem, aut saltem ad inducias, fideles etiam ad pacem pravenias, interim omni causa vestra controversie ad cognitionem sanctæ synodi remissa. Has leges et condiciones, quæ ad pacem faciunt, si tu recipis, pacem certe reddes orbi. Siu autem hactenus apud Dei majestatem excusa bimur, quia te paterne monuimus, et quæ tibi adversa erant, pertractavimus, ut minus acerbus futurus sit nobis luctus, si forsitan (quod minime vellemus) paternas spreveris admonitiones nostras, nec minus tamen quæ nostræ erunt partes, cum omnipotentis Dei auxilio et favore, ut mature meditabimur, ita firmo animo exequemur ».

8. Excepit benevola mente Pontificia monita Cæsar, ut in historia Concilii Tridentini serie visuri sumus. At Lutherus satanica effertus rabie, lectis Pontificiis litteris, impia scripta blasphemis et spurcissimis vocibus adeo conspersa edidit, ut ne quidem a sectariis honeste legi possent. Scripsit etiam Pontifex multis aliis maxime apud Cæsarem auctoritate pollentibus, ut in officio et religione Catholica confirmaret, inter quos hæc ad Granvellanum ¹:

« Domino de Granveta.

« Dilecte fili, salutem. Cum in eo recessu, qui nuperrime Spiræ in conventu imperiali factus est, multa legerimus et compererimus Catholica fidei et unitati Ecclesie adversantia, scribentes super his ad serenissimum Cæsarem, eum de omnibus amanter ac paterne admoneamus. Sciens autem qua auctoritate apud

¹ Paul. III. lib. brev. an. X. p. 369.

ipsum merito polleas, volumus etiam ad te scribere, hortantes et studiose requirentes, ut pro tua erga Deum pietate et in ipsum Casarem fide, omnia considerare diligenter velis, ac pro tua prudentia, quantum in te erit, providere, ut in omnibus ipsius Caesaris, et in primis Dei omnipotentis honori debitus respectus habeatur, sicut te omnino facturum esse confidimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xxiv Augusti m̄xliv, anno x ».

Admonuit quoque Dominicum e Solo ¹, quem Casar sacris exhomologesibus audiendis sibi adhibebat, multa in decreto Casareo Spirensi Catholice religioni exitialia contineri, iisque malis occurrere jussit.

« Dilecto filio Dominico de Soto Ord. Prædicatorum professori, serenissimi Caesaris confessori.

« Dilecte fili. Elsi credimus pro tua pietate, quod tu, cum quotidie audire et videre possis, quid serenissimus Casar agat, præsertim in rebus quæ ad salutem animæ, cujus curam eum tibi commisisse intelligimus, pertinent, officio tuo apud suam majestatem non deesse, tamen cum præteritis diebus legerimus recessum ab eo Spire imperialem nuperrime factum, quoniam multa non solum saluti animæ ejus, verum etiam unitati Ecclesiæ damnosa ac præjudicialia in illo comperimus, sicut de iis ejus majestatem paterne admonere per nostras litteras volumus, ita quoque visum est nobis, idem officium tecum etiam peragere, cum ad id teneri videamur, quippe qui veram ejus majestatis gloriam, una cum publica Christianitatis quiete conjunctam, summopere exoptemus, quamobrem injungimus tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut tam ista Germanica, quam cætera hujusmodi, quæ minoris momenti et ponderis non sunt, bene consideres ac perpendas, atque ita tuum officium administres, ut Deo in primis, deinde et nobis, qui ejus Filii in terris vicarii, licet immeriti, sumus, rationem tui muneris reddere cum laude possis. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xxv Augusti m̄xliv, anno x ».

9. Conquestus est etiam gravissime Pontifex apud Ferdinandum regem Romanorum de Spirensi decreto, atque Dei et religionis causam ei enixe commendavit ² :

« Regi Romanorum, etc.

« Cum superioribus diebus eorum, quæ in conventu Spirensi decreta fuerint, ad nos notitia devenerit, non mediocri molestia affecti fuimus, quod illa in pluribus capitibus Apostolicæ Sedi et Catholice religionis unitati adversentur, nec deesse potuimus, quin paterne (ut nos decet) ipsum Casarem monuerimus, sicut ab ipso nuntio nostro plenius intelliges. Itaque

nobilitatem tuam hortamur in Domino et efficaciter quo possumus studio requirimus, ut ipsum Joannem Thomam episcopum et nuntium nostrum, super iis omnibus tecum locuturum, fide adjuncta, libenter audias, et talem te Deo et piæ causæ præstare velis, qualem dignitas, tuaque probitas, et pietas Christiana nobis pollicentur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xxvii Augusti m̄xliv, anno x ».

Eodem argumento scripsit Pontifex ad principes electores Ecclesiasticos et seculares.

10. *Colonienses pro tuenda Catholica religione ad Pontificium nuntium scribant.* — In his Spirensibus conventibus pseudoarchiepiscopus Coloniensis Casarem in Lutheranam hæresim impellere nisus est, illique suadere, ut fictam ab hæresiarcha Bucero profligatissimam reformationem admitteret, qua religio Catholica evertebatur, Ecclesiæ vertebatur in prostibula, sacerdotes ab altaribus et divino cultu ad concubinarios thalamos trahebantur, sacra polluebantur, ac impietas (versa pietate) in solio et aris collocabatur, at Casar cum hujus nefandissimi apostata nequitiam aperte aversari et contereere debuisset, politiciis causis adductus, ne Lutheranos a se abalienaret, quorum arma in Gallos effundere decreverat, dissimulavit nefas, ac frigide religionis causam tutatus, nec eam impiam et hæreticam reformationem aperte et constanter (ut pium decebat Casarem) damnavit, ex qua dissimulatione gravissimo dolore Colonienses perculti sunt, atque internumtium Apostolicum rogavere, ut Casarem ad damnanda impia hæretici hominis molimina in Casareo decreto Spire edendo incitaret ¹ :

« Reverendissime in Christo pater, ac domine D. observandissime. Sparsus est hic non ita multis ante diebus rumor quidam, etiamsi non ita certus, adeo tamen bonis omnibus et nobis potissimum ingratus, ut amicos plane sollicitosque habeat quotquot veteri Ecclesiæ adhuc strenue bene volunt. Asserunt enim passim nonnulli reverendissimum D. archipresulem Coloniensem reformationem illam suam Germanicis dudum pariter, et nunc Latinis excusam characteribus imperatorie majestati domino nostro clementissimo in comitiis porrexisse, precibusque apud serenissimam majestatem suam postulasse, ut ejus auctoritate comprobata recipi ab omnibus velut Catholica et orthodoxa referretur; majestatem vero Casaream post exactum breviusculi temporis spatium, nec lectam fortassis, necnon penitus aliquanto inspectam reformationem illam, sic reverendissimo D. archiepiscopo nostro pro admirabili sua et divina plane sapientia respondisse ferunt, non posse ullo modo sese eam

¹ Paul. III. lib. brev. an. x. p. 362. — ² Ib. p. 332.

¹ Paul. III. lib. brev. an. ix. p. 232.

reformationem ea in forma, qua exhibita est, sive recipere, sive approbare, cum non omni ex parte sibi arrideat, nec Ecclesiae Christi toleranda censeatur. Quamobrem si res ad istum modum sese habet, reverendissimi praesul, neque aliter mentem hanc suam et voluntatem de reformatione ista pietissimis Caesar litteris in lucem datis expresse declaraverit, ingens est ac praesens nobis periculum, ne digressus istius, et ad suos reversus archiepiscopus noster, ac opinionem semel arseptam pergens retinere, mordicus persuadere multis reformationem suam a Caesarea majestate per conviventiam approbatam esse, ut nusquam hodie desunt, prohi dolor! qui tanquam corvi hiantes ad innovandas et invertendas res Ecclesiasticas et caeremonias bonas anhelant, qui ex re, quando nobis una cum toto clero, populoque, et plebe Coloniensis dioecesis ingens perturbatio ac subversio hand dubie sit exoritura, securitaque religionis omnis et fidei Christianae extrema quaedam apud nos perniciēs, cum videmus Bonnæ, Andernaci, Lynsi, Kompis, et aliis hujusce dioecesis in locis, religionem nostram veterem a Caesaris ambitione nihilo in melius versam, quin potius in longe deterius esse prolapsam. Hinc occasione sumpta ad reverendissimam paternitatem vestram supplices confugimus, eamque etiam atque etiam rogatam volumus, ut nunc in avertendis imminuentibus hisce malis, apud Caesarem nostrum elementissimum velit nobis esse auxilio: hoc fiet, non solum facile, verum etiam ex animi nostri sententia, si cum Caesarea majestate diligenter agere non gravabitur, ut nequaquam laconico illo suo responso, et apud paucos admodum fortassis dato, sit contenta, sed ubi Caesarea majestas in recessu Spirensi hujusmodi Coloniensem reformationem publice reprobare, et nullam ac invalidam esse, quod vehementer cuperemus, declarare non poterit, saltem editis ad clerum, et Universitatem, ac status Coloniensis dioecesis litteris, quid et ipsa de nullitate ac invaliditate et inefficacia reformationis Coloniensis sentiat, et alios cum omnibus pseudoconcionatoribus, ac subintroductis novationibus Caesareae majestatis auctoritate remotis, abjectis et ab hac dioecesi procul ablegatis, sentire velit, ac jubeat, et palam faciat, quo sic tandem, et archiepiscopus noster clare intelligat ubi gradum oporteat sistere, tum nos una cum reliquis omnibus, qui sese in veteris et verae Christianae Ecclesiae pomerio adhuc continent, liquido persciamus, quid nobis in serenissima ejus majestate spei sit reliquum, quod ut superis bene fortunantibus consequamur, pro voto reverendissimae paternitatis vestrae potissimum in manu est, quam D. Jesus Ecclesiae suae, et sacrae Caesareae majestati, ac nobis omnibus pulchre valentem in Nestoreos usque annos servet. Ex Agrippina Co-

lonia X kal. Maias anno a restituto genere humano MDXLIV ».

Reverendiss. Paternitatis Vestrae

Deditissimi deputati servi

Designati domini ex clero civitatis Coloniensis.

11. Agebat tunc Coloniae Petrus Faber primus sancti Ignatii socius ¹, qui a Pontifice ex Hispania in Germaniam se conferre jussus erat ad propagandam pietatem asserendamque contra haereticorum artes: is vero Caesaris dissimulationem in religionis Catholicae damnum vertere indoluit, atque haereticos exultare, quod Caesar impiam illam constituendae religionis vel potius evertendae formulam non damnasset, monuitque internatum Apostolicum, necessarium esse ad infringendam haereticorum impudentiam, ut Caesar apertis verbis commentitiam illam reformationem damnaret, monuitque collegii canonicorum principem defecisse ad Lutheranos, ac pseudoarchiepiscopo adhaerescere, et percipere Colonienses (quantumvis haeretici judicium religionis Caesari deferant) ne quidquam admittatur, quod Pontificia auctoritate confirmatum non sit ²:

« Reverendissimo in Christo Patri, ac D. D. Poggio episcopo Tropiensi nuntio Apostolico apud Caesarem, et Domino meo, et patrono observandissimo.

« Scripsi me expectare ex dominatione vestra abundi copiam, et ut intelligam istius dietae finem. Universitas Coloniensis, et caeteri, qui religionem Catholicam luentur, maxime timent, ne archiepiscopus suus plura mala prioribus, postquam isthinc redierit, contra haereditatem suam molitur: audiunt enim reformationem ejus Caesareae majestati esse olensam, unde facile fieri possit, ut spargatur rumor per mendaces homines Caesarem vidisse, et non reprobasse: sic enim loquuntur haeretici, summum judicium religionis in Caesarem majestatem referentes, non propter conscientiam, sed propter timorem: haeretici enim nulli potestati, quantum ad ea quae sunt religionis, subditi sunt propter conscientiam, timor tamen videtur facere, ut aliquid Caesareae auctoritati in hac etiam parte deferant, sed et populus confortatur intellecta Caesaris voluntate et mente: propter hoc nobis parcendum est, dum non sumus contenti nisi expressis scriptis viderimus mentiri haereticos, aut falsa opinari, si dixerint Caesarem, vel dissimulando tacere, vel aliud agendo non esse ipsius contrarium: hoc igitur nunc effectum vellent domini Colonienses, ut Caesarea majestas expressis verbis statibus hujusce dioecesis significaret, se nullo modo velle, ut haec reformatio admittatur, sed nec aliud quidquam quod auctoritate Romana Ecclesiae ipsius confirmatum

¹ Oclandin. lib. III. — ² Ext. apud Paul. III. lib. boev. an. IX. pag. 233.

non fuerit. Ego dico desideria piorum hujus civitatis, etc. Coloniae XXII Apr. MDCXLV

« servus et capellanus minimus
« Petrus Faber ».

12. *Conatus internuntii et supplicationes cleri Coloniensis ad Caesarem.* — Illis, ac superioribus Coloniensium litteris admonitis internuntius muneri suo non defuit, ac respondit Coloniensibus libellum reformationis ab archiepiscopo datum Caesari, qui perlegendum tradiderit viris peritis, qui senserint archiepiscopum impie moliri religionem in suo principatu extinguere, verum se in spem efferrī, iniquos ejus conatus a Caesarea pietate demum obtritum iri :

« Coloniensibus.

« Perspexi (nempe ex litteris Coloniensium) quam sollicito essetis animo quidam Caesar decreturus sit de impia religione, quam in ista amplissima ac nobilissima civitate vester archiepiscopus instituire deliberaverat. Caesari quidem de istiusmodi rebus libellum dedit, sed ita ab iis, quibus erat demandatum negotium, fuit lectus, ut nihil aliud illum conari judicaverint, quam sanctissimam istie delere religionem, quod Caesarem minime passurum speramus, et profecto quotidie magis confidimus, cum aut ipsum Caesarem alloquimur, aut ejus familiares et ministros convenimus : est praeterea sperandum, Deum nostram causam vel suam potius minime deserturum, quam spem, si certam et exploratam habuerimus, ea nos profecto nunquam fallet : hic nobis curae erit, ut archiepiscopum a suo iniquo et detestando consilio Caesar, et privatim et publice deterere conetur, quidquid de nefando libro sentiat ut vobis per litteras significet, quod quidem eum libentissime facturum haud dubitamus. Vos ad omnia sustinenda forti animo cohortarer, nisi nunc et multo ante vestram mentem, animum et consilium cognitum et perspectum habuissem, quae sane quibus maxime possem laudibus extollerem, nisi vobis injuriam fieri putarem, qui enim fieri potest, ut ii qui pro Christo pugnant, non fortissimi constantissimique sint contra istos praesertim, qui ita aperte sunt improbi, ut nemini eorum possit esse ignota malitia ? nec tantam istorum esse ingenii aciem existimare debemus, ut ea in nostra religione videant, quae majores nostri viri sanctissimi nec viderint, nec intellexerint, quorum animi bonitatem imitari potius debemus, quam istorum non occultam malitiam, praesertim cum praecleara cernamus, quotidie nihil aliud quaerere, quam sanctissimi Corporis Christi membra discernere ; sed confido fore, ut brevi et divino auxilio, et religiosissimi imperatoris studio et ope, tantae improbitati et malitiae occurratur, etc. Valet V Non. Maii MDCXLV ».

Jo. Poggius nuntius.

13. Pervincere non potuit internuntius Apostolicus apud Caesarem, ut apostatae archiepiscopi conatus impios ferro elideret, obtinuit tamen ut Colonienses verbis ad constantiam, ne quid in religione novarent, hortaretur, offeratus enim odiis in Franciscum regem, permissa tunc Lutheranis grassandi in Catholicos licentia, debellandae Galliae inhabat, et inane nominis sui gloriam divinae gloriae anteferebat, cui nefario bello, dum vacaret Caesar, Hermannus apostata omni contentione clientes suos pervertere conatus est, cui summa constantia et praeclearissimo virtutis exemplo Colonienses restitere, ut narrat Surius ¹ : « Dum Gallicum ferveret bellum, Hermannus Coloniensis archiepiscopus pergit urgere suae diocesis infamam planeque Buceraam reformationem. Clerus sese opponit, hortatur et obsecrat principem, ut rem differat ad Oecumenici Concilii cognitionem et definitionem, nam si secus faciat, ad supremum magistratum sibi confugiendum, easque vias excogilandas, quibus possint conscientis suis satisfacere. Princeps male persuasus mansit in sententia. Itaque clerus et qui ad eum pertinent, Octobris octava die cum in unum convenissent, inter alia commemorant, quae ante annos viginti tres Wormatiae, ubi Lutherus a Caesare eunctis fere illi principibus suffragantibus damnatus fuit, quae item postea Augustae et Ratisbonae, atque recens Spiraee decreta fuerint, quibus omnibus posthabitis, Hermannus archiepiscopus res novas attentarit, Buceraam apostatam et Sacramentarium, qui jam alteris sese incestis nuptiis contaminarit, Argentina evocaverit, concionandi munus, et illi, et passim aliis levibus hominibus demandarit : horum vero suggestionem quandam reformationis formam conceptam et principis mandato evulgatam : se quidem modis omnibus principem dehortatos, sed nihil promovisse, jam vero diocesis pessime habere, omniaque ad summam perturbationem spectare : quamobrem necessario ipsos provocare ad summum Pontificem et ad Caesarem majestatem. Id ubi rescivit episcopus, scripto publico testatur, nullam eos provocandi justam causam habuisse, se nihil praeter officium fecisse, (o impudentiam haeretici hominis, et satanicum mendacium !) proinde eam se appellationem rejicere, sperareque ipsos a debito non discessuros. Quod si non faciant, se tamen in ceptis progressurum, simul etiam non mediocriter Lutheri et Buceri scripta commendat, sed haud dubio ab aliis male institutus. Tum vero summam Aedis canonici totius diocesis Coloniensis ordines ad se evocant, principis conatus explicant : Caesaris quoque mandatum, ne quam mutationem admittant gravissime jubentis, exponunt, hortantur omnes, ut in Catholica

¹ Surius in Comm.

et quam ab Apostolis acceperint atque hactenus conservarint, religione, cum ipsis permanent: principi vero, ut ab appellatione cessarent et quædam alia hortanti, prolixè scribunt, et ut Summi Pontificis atque Cæsaris, quibus ipse quoque subtilius sit, sententiam expectet monent, multaque alia, quæ nimis longum esset hic adscribere, hisce litteris canonici primariæ .Edis, itemque divi Gereonis, et Universitas sua sigilla appendunt ».

14. Confugit etiam ad Cæsarem clerus Coloniaensis, atque supplicibus hisce litteris cum rogavit, ut Hermann archiepiscopi plura adversus Catholicam religionem novæ molientis, impietatem imperiali potestate coerceret :

« Supplicatio prælatorum, abbatum, capitulorum Coloniae Agrippinæ contra archiepiscopum.

« Invictissime et gloriosissime imperator, Auguste, domine clementissime, sub finem comitiorum Spirensium sacratissima majestati vestræ uti unico nostro post Deum præsidio statum sacrosanctæ nostræ religionis, ut tunc illa apud nos habebat, significavimus, ejusque opem, qua majoribus et periculosioribus novationibus, quantum nisi tempestive obviam iretur, non temere metuebamus futuras, supplicibus votis et flagitavimus. Hactenus vero ad ea nostra scripta, quæ extrema sane necessitas, ut præsens rerum conditio satis indicat, extorsit, nihil responsi retulimus, nisi quod de majestatis vestræ optima voluntate in defendenda prisca nostra sancta et vera religione bene sperare jussi sumus, et persuasi quoque, ut si reverendissimus archiepiscopus noster a comitiis illis adversus Catholicam traditionem quid ulterius novare pergeret, eam suo imperiali officio, quod Ecclesiæ Christi debet non defuturam: hæc spe, qua nos utcumque sustentamus freti, ad majestatem vestram rursus confugimus, ipsi non sine gravi dolore amicorum nostrorum, quam humillime exponentes, quod is timor quem jam pridem timebamus advenerit, et quod verèbamur acciderit, adeo etiam præfatus archiepiscopus noster post habita comitia ab instituto illo suo non cessavit, ut longe etiam vehementius quam antea illud irserit ac promoverit. Interea enim schismatici illi prædicantes, quos in hanc diœcesim infautis auspiciis jam dudum induxit, ad illius suæ obtensæ reformationis perscriptum, atque adeo sæpe deterius, sua improbata dogmata ubivis spargere summo conatu adnituntur, veris et legitime vocatis pastoribus necessitate illis cedendi imposita, qui et nunc jubentur sacramentorum illis administrationem permittere, non quidem ad Ecclesiasticam et Catholicam formam, sed in lingua Germanica et novo more, quemadmodum præ-

dicantibus ipsis videtur, hoc est, non sine veterum solemnium precum et piarum cæremoniarum a temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei ad sacramentorum exhibitionem usitatarum, necnon etiam a tot sæculis observatæ missæ, ac sacrosancti canonis abrogatione.

« Ante comitia Ecclesiarum ordinariis pastoribus, aliisque presbyteris, et clericis adhuc, ut par est, licuit, cuique sua Ecclesiastica officia suis solitis et statutis locis in incensis peragere, nunc vero eo ventum est, ut ejusmodi ordinariis ministris subinde mandetur, ne vel prædicando vel cantando breviter, ne verbo vel facto præessendo Ecclesiis illis ullo impedimento sint, ut laceamus, quod ab eo tempore libellus quidem apostatæ monachi Joannis Mermerhagensis, qui se ministrum Ecclesiæ Bonnensis appellat, qui et recens se incensis nuptiis polluit, sub titulo blasphemis et impietatibus refertus, publice denuo expositus fuerit, et nunc denique prostet liber illæ obtensæ reformationis archiepiscopi nostri Francfordiæ etiam in præsentibus nudinis, jussu ejus, ut accipimus, distrahendus, quæ omnia quamlibet ea, ne fierent, suam celsitudinem humiliter et sedulo deprecati et obstestati sumus) in præsentiarum, apud nos aguntur, piis ad hæc ingemiscensibus, aguntur autem id quod nobis longe gravissimum et acerbissimum est) sub eo prætextu, perinde atque sacratissima vestra Cæsarea majestas ipsi præfato principi nostro, (sicut etiam nuper quidam ex suis consiliariis ad nos retulit ea agendi fecerit potestatem. Et quamquam adduci non possumus, ut id fecisse ullo modo credamus, scimus enim, quid majestas vestra per suas scrias litteras his, deinde quoque suo ipsius oraculo, nuper personaliter præsens, denique quod per suum vicecancellarium, post comitia in diversam longe sententiam nobis mandari curaverit, ut hinc facile intelligamus archiepiscopo nostro non aliam a majestatem vestram potestatem factam esse, quam forsitan prædicandi Evangelii, verum non ea præcise dubio mente id ut per schismaticos et hæreticos adulterantes verbum Dei facere liceret, sed tantum per pastores aliosque ministros canonice vocatos ad Apostolicam et Catholicam traditionem, quia tamen hic prætextus nobis multum in præsentiarum accessit molestia, neque videmus ulla alia ratione imminenti aversioni veteris religionis, quam schismatici illi per absentiam majestatis vestræ in hac diœcesi fortiter urgent, occurrere posse, quam si majestas vestra suis patentibus imperialibus litteris ad nos omnesque alios prælatos, capitula, abbates, conventus, pastores, et animarum curatores, universumque clerum, necnon comites, barones, nobiles, ac communa oppidorum, omnesque fideles hujus diœcesis, conjunctim ac divisim dirigendis, aliis quoque ad senatum hujus in-

claya civitatis destinandis palam faciet ac declaret suae mentis nunquam fuisse, archiepiscopo nostro permittere, et curare in hac civitate et dioecesi per aliquos verbum Dei praedicari, quam per idoneos et canonicè vocatos pastores et Ecclesiasticos legitimos ministros, idque secundum Apostolicam et Catholicam traditionem, non autem per sectarios, haereticos, schismaticos et hypocritas ministros, aliosque veteris religionis eversores, nobisque et aliis omnibus et singulis incolis nobis adhaerentibus serio districtè demandet, ut veterem religionem mordicus retinentes, missum demum hisce pseudoecclesiasticis locum, nullasque novationes contra priscam Ecclesiam et Catholicam, ordinationes vel praeflexu commemorare obtense reformationis, nostri archiepiscopi, vel alias invectas, seu invehendas admittant, denique si nos in vestrae majestatis singularem tutelam et protectionem recipere non gravetur. Hoc igitur beneficii, ut majestatem vestram pro sua erga Christum, et Ecclesiam suam sponsum matrem nostram indicibili pietate nobis, quam humilissime supplicantibus collaturam, et plane per hunc nostrum tabellarium, idque quam maturissime transmissurum plane confidimus. Ita idem semel collatum nulla unquam apud nos aut posteros nostros delebit oblivio. Quod et in primis ipse Christus Jesus, qui majestatem vestram suae sponsae advocatum potentissimum fecit, immortalis mercede remunerabit, et nos piis precibus pro felicissimi imperii majestatis vestrae propagatione, et de hostibus suis referenda victoria Deo sedulo fundendo pensare nunquam intermitteremus, qui majestatem vestram nobis et universi orbis Christiani salutem unicum vitae pietatis et religionis asylum incolumem perpetuo servet et prosperet, et evanescens Germaniae pacificandae restituit. Datum Agrippinae Coloniae nonis Septembr. sub nostris videlicet majoris et metropolitanae atque divi Gereonis Coloniensium Ecclesiarum sigillis anno ab Incarnat. Domini MDXLIV ».

Sacratissima Caesarea majestatis vestrae longe devotissimi praefati, abbates, capitula et monasteria, totusque clerus Agrippinae Coloniae.

15. *Archiepiscopus Coloniensis obtulit in haeresi.* — Disceptata etiam est apud subsellia Apostolica Hermanni antiarchiepiscopi Coloniensis causa, quem de haereseos crimine postulatam referunt Acta Consistorialia ¹ :

« XXII Decemb. MDXLV fuit consistorium publicum. Dominus Achilles Maffeus advocatus consistorialis pro parte procuratoris fiscalis proposuit causam Coloniensem contra Hermannum episcopum Coloniensem, qui suae salutis et dignitatis immemor, labe haeresis se

indicere, et quod pejus est, his non contentus, cum sacerdotibus Coloniensibus ad id vi secum adducere conaretur, idque obsistente Georgio Ecclesia Coloniensis viro sanctissimo, et orthodoxae fidei defensore efficere non posset, divina humanaque omnia committere lentavit, et fuit commissa causa R. D. auditori camerae, qui moneat Dom. Hermannum episcopum et complices, et fautores suos ad comparandum personaliter in curia, prout in commissione continetur ».

Non deliravit est sapientissimis Coloniensium monitis, nec Caesaris metu, nec Pontificii iudicii terrore Hermannus apostata a cepta impia tyrannide; nec Sathanae praecones Lutheranos a se amovit, sed in pluribus oppidis religionem Catholicam evertit, ac rudem plebeculam haereticorum erroribus illaqueatam, in aeternum exilium perduxit, ut vero principatu fuerit deturbatus, cum jam Caesar, bello Gallico composito, a Lutheranis, qui viribus auctis confirmatisque rebellant, lacesseretur, suo loco dicitur : nunc de ipso bello cum Francisco rege et pace redintegrata agamus.

16. *Ardet bellum initum inter Caesarem et Franciscum regem : Anglus etiam in Galliam irrupit.* — Refert Cochlaeus ¹, Caesarem in comitiis Spirensibus pronuntiasse hostem imperii Franciscum Galliae regem, atque Protestantium arma in eum versa fuisse, verum antequam in Galliam Caesar et Henricus rex Angliae irrumperent, Caesariana res in maximum discrimen adducta sunt in Italia, nam cum Galli Carinianum obsidione premerent, Alphonsus Davalus, Marchio Vastus, Germanicis Italicisque succinctus copiis opem laturus esset obsessis, commissa in Cerosolano agro pugna, die decima Aprilis eodemque Festo Paschatis maxima clade deletus est ab Anghiano duce, acceptoque vulnere aegre fuga evasit, de qua pugna haec refert Paulus Jovius ² : « Pugnatum est ad Cerosolanum postridie idus Aprilis, quarto et quadragesimo anno supra quingentesimum atque millesimum Christianae salutis. Occisa autem referuntur ad duodecim millia hominum. Sed multa maxima ex parte Germanorum, neque enim, quum in acie utrinque aequato fere numero supra quadraginta millia peditum constitissent, omnino incruenta victoria Gallis obtigit, sinistro praesertim eorum cornu magis caedis et fugae detrimentis affecto, et aliquot ex illustri Gallica nobilitate desideratis ».

Poterant Galli consternatam Insubriam invadere, ac latius victoriam proferre, sed Angliae rex cum ad excipiendos Caesarem irruptionis impetus se pararet, auxiliares copias non submisit, celerum Anghianus in Cariniani obsi-

¹ Acta Consist. Ms. card. Spadae sig. num. 123. p. 149.

² Cochlae. in act. et scriptis Lutheri. Petrus Paulus Gualt. in Diar. Paul. Jov. l. XLIX. Marth. Bellius l. 8. — Paul. Jov. l. XLIV.

dione hæsit, ac demum pactione militari eo potius est, cujus victoria sparsa fama, Florentini exules et alii Gallicarum partium studiosi circa Mirandulam exercitum ad decem millia bellatorum conflant, atque in Insubriam excurrentes terrorem intulere, sed opportune submisso equitatu a Cosmo duce Florentiæ is exercitus dissipatus est. De quo hæc Petrus Paulus Gualterius in Diario refert: « Hoc mense Junii decem millia pedum, quos Petrus Strozzius cum exercitu regis Franciæ in Lombardia conjungere studebat, fuerunt in transitu caesa et fugata a Cæsarianis, et ipse Petrus cum paucis evasit ». Porro Anglianus dux nil ultra tentandum censuit, cum de belli Gallici eventu ancipili esset sollicitus, nam Cæsar cum Henrico Angliæ rege Gallis infestissimo, ita fœdus percusserat, ut Galliam certa lege cum eo partiretur, atque ad Lutetiam ipsam regni sedem in nequissimi persecutoris Ecclesiæ communibus armis redigendam se obstringeret, quod Jovius¹ sile non potuit: « Tantum (inquit) Cæsaris odium valebat adversus Gallos ab avorum usque memoria conceptum, ut gravissimarum offensionum ex repudiata adactæque ad necem matertera penitus oblivisceretur, nec iniquum et fide sua indignum existimaret ad contumeliam Pontificii nominis cum eo rege fœdere conjungi, qui propter eversa sacra, despectamque et convulsam Romani Pontificis existimationem, Christiano jure anathemate a Romano Pontifice damnatus, ipso præsertim Cæsare id orante postulanteque, cum se in Britanni regis gratiam nunquam redditurum jurasset, nisi Pontificiæ dignitati Henricus satisfaceret, et ad veteres sacrorum ritus pristinaque Romani Pontificis auctoritatem se conferret ».

17. Irrupturis in Galliam Cæsare et Henrico Anglo, Franciscus rex honestissimo et pio consilio Barbarossam a se dimisit, licet ille ad evasendam Hispaniæ maritimam oram ad Gades usque se offerret, sed rex sapienter perpendit Turcicam societatem non profuisse hactenus, sed multum obfuisse, cum Protestantes ea de causa ad decernendum contra ipsum bellum adducti essent, et ipsorum Gallorum animos a se abalienaret ea societate impia, tum etiam Turcæ quoscunque possent provinciales abriperent in servitutem, neque ex insontium Hispanorum calamitate per Turcas inferenda ullum deus vel commodum, sed divinas tantum iras et publica odia promeriturum, tum quia Turcas excivisset non ad laudandos Christianos, sed ut a Casarea tantum classis injuria se lucretur. At Barbarus ad Christianorum cades et damna anhelabat, et querebatur, se non sine contumelia sui nominis retineri, cum neque Gallo utilis neque Casari intestus foret (addens,

inquit Jovius): « Si juberetur, et rex Cæsari implacabili suo hosti in Galliam irrumptenti æquo jure nocendum putaret, se paratum fore, ut expedita et strenua excursione totius Hispaniæ oram summis ferro atque igni illatis detrimentis, a primo Pyrenæi promontorio ad Gaditanum usque fretum pervasaret; id consilium rex ab insita sua pietate prorsus alienum, quanquam amicissime oblatum, continuo repudiavit. Cur enim Christiani nominis gentes nihil tale meritas, parentesque tantum imperio Cæsaris, immanibus Barbaris delendas concederet? cur in hoc tam atroci facto sui vetusti cognominis oblivisceretur? cur denique usque adeo detestabilis et impia cladis invidiosam sibi et posteris memoriam relinqueret? » Id virtutis exemplum in reprimenda ultionis cupidine, ut se in malo vinci sineret, placuit Deo, qui Cæsaris mentem postea ad pacem flexit, ut Cæsar pæne victor pæne victo Gallo ea concederet, quæ victor Gallus a victo Cæsare vix exprimere potuisset, ut mox dicitur. Porro Barbarossa in reditu omissis Liguribus, quos Gallus amicos optabat. Hebruscis ac Neapolitanis littoribus plura damna intulit, de quo hæc habet Petrus Gualterius Aretinus in Diario: « Hoc mense Maii Barbarossa pyrata discessit cum tota classe ex portu Tolonensi, mense Junii in suo transitu per mare Thyrrænum occupavit et incendiis Portum Ilcuris, et Talamonem in dominio Senensium, et ab insula Lillii multos captivos duxit ». Non minuerant Senenses idoneis præsiidiis eas urbes, nec oblata a Cosmo duce Florentiæ subsidia admisseraut, quod finitimi hostis prævalidas copias finibus suis excipere tutum non putarent, ejusdemque monita de repentino Barbarorum adventu spreverant. Tentavit etiam Orbetellum Barbarus, inhiabat quippe Etruscæ ora portibus, ut tutam stationem sibi in Italia pararet, ex qua Solymanus ad imperium Italiæ invadendum aspiraret; submisso vero opportune exercitu a Florentiæ duce, Barbarus captis destitit, multaque præda in Ilcuria capta discessit, ac deprecante Gallico oratore, ne Francisco regi invidia conflaretur, a Pontificiæ ditiosis maritimæ injuria temperavit. In Enariam vero insulam delatus, nocturna descensione incolarum multitudinem interceptis, Puteolos frustra oppugnavit, e Brutiis multam prædam congestis, profectus inde Lipparim, illius insulæ urbem terribili oppugnatione concussam ad dedicationem compulsi, cum illius præfectus Nicolaus suam libertatem pactus hosti cives in servitutem abducendos prodidisset, quos septem millium summam implesse Jovius refert, ac de tristissima eorum aliorumque Christianorum captorum calamitate hæc subdit²: « Tantam omnis generis mortalium prædam, qui in classe

¹ Paul. Jov. l. XI.

² Paul. Jov. l. XI.

erant fuisse retulerunt, ut in toto cursu ad Byzantium directæ navigationis, plura captivorum (enecta fame, siti moreroreque) corpora uti erant in infimis carinis, inter naturæ sordes, angustissime constipata, omnibus prope horis in mare projicerentur execrantibus cunctis immites Gallie regis et Casaris animos adeo studentes veteribus eorum odiis, ut subdite imperio ipsorum gentes, nihil tale merita plecterentur, quando quidem ex sua effræni obstinataque libidine, abhorrentes concordiam tantis calamitatibus gravi cum infamia causam præbere dicerentur».

18. Abente Constantinopolim Barbarossa Henricus Angliæ, sublato Scotiæ rege Gallorum fœderato, qui domestico metu illum distingere poterat, Caletum cum maximo exercitu trajecit, ac Bologniam obsidione cinxit, parte adversa Casar¹ Germanis, Belgicis, Hispanicis atque Italicis copiis succinctus in Galliam irrupit, ac Lucemburgum superiore anno Aureliani ducis virtute receptam, antequam communiretur ad deditionem coegit, cæpitque Linium oppidum, tum ad Sandiserium octava Julii castra promovit, quo demum pactione militari honesta potuit esse, inde ad Matronam flumen progressus, cupiebat castra conjungere cum Anglo, qui triginta millia armorum adduxerat, ut Franciscum Gallie regem ad certamen adigeret, nam regnum ferro flammaque pervastari pateretur, sed crudelia et iniqua eorum consilia Deus Gallie misertus discussit, nam Anglus, nisi capta Bolognia, castra movere abnuvit, vel discrimini se objicere, ac Casar, qui Lutetiæ extremum terrorem inferebat, cæpit commeatuum variis difficultatibus angere, ac dolore meditati consilii ab Anglo Bolognia hærente confundi, spesque subjiciendæ Gallie temere conceptas sensit, cum Galli ad eum propulsandum acerrimis animis accingerentur.

19. *Inter ipsos bellicos motus spem pacis non deserens Paulus duos legatos mittit ad pacem tractandam.* — Dum tantis bellis turbaretur orbis, semper tamen in imperiali aula aliisque in locis pacis tractatus vivebat, sicut Epistolæ cardinalis Farnesii ad nuntium Poggium apud imperatorem testantur, sic se habet in una illarum sub vigesima tertia die Julii hujus anni² : « In supradictis tuis litteris cum confirmes et repetas tractatum pacis absque fundamento non esse, sua beatitudine maximo perfusa est gaudio, et eo magis, quia ex aliis locis idem percipitur, et præcipue Epistolæ Camilli Columnæ ad archiepiscopum suum fratrem hoc testantur, et ab aliis ex variis partibus hoc idem nuntiatur; ita ut sua sanctitas, quæ pacem apud Christianos suis diebus videre semper quæsitivè optavitque, solummodo nomine et spe pacis animi

vires resumit, maximopereque lætatur. Nec diffidit Deam a cujus pietate hoc et omne aliud bonum procedere latendum est, ut majus et suæ dextere opus appareat, reservasse tempore majoris necessitatis, sicut vere est diebus istis; quapropter ob uniformitatem nuntiorum, et præcipue ob suæ majestatis Casaræ confessarii verba, a quo, ut scribis, hortatus fuisti, suæ beatitudini suadere, ut mediatoris et conciliatoris onus ad hanc pacem stabilendam suscipiat, decrevit, sicut annis præteritis fecit, modo etiam officio et muneri suo non deesse, sed omnibus mediis eam procurare, et præcipue unicuique majestati virum auctoritate præditum transmittere, confidens quod in tantis Christianæ reipublice necessitatibus, unaqueque majestas obligationi quam Deo et populis eorum regimini ab ipso Deo commissis debet, non deficiet, quia res in eo statu sunt, in quo, etiam qui in bello superior sit, cum effectu pacem optabit, eo majora apud Deum et apud homines merita acquirere». Et in alia Epistola ad eundem sub die vigesima sexta Augusti istius anni, sic dicit³ : « Cum in tuis litteris nuntias tractatus pacis semper vigere, scias suæ beatitudini nihil gratius et jucundius nuntiari posse, cum ille sua desideria ad istam pacem semper direxerit, et supra quam dici possit, de ea cogitet; ideoque quidquid circa istud negotium diutius agitur, scribis, et quod ad te attinet, nihil officii circa istam pacem, quando occasio suggeret, prætermittas, quia eadem nos faciemus». Hæc Farnesius.

20. Pontifex igitur tanta spe motus duos ad tractandam pacem legatos elegit, quos sollicite expediendos esse in supradicta Epistola² cardinalis Farnesius promittit, et sic de ista electione Acta Consistorialia loquuntur : « XXX Julii decreti fuerunt duo legati pro tractanda pace reverendissimi domini Jo. Hieronymus Moronus ad serenissimum dominum Carolum V, Romanorum imperatorem semper Augustum, et Marinus Grimanus S. R. E. cardinales, ad Franciscum Francorum regem Christianissimum ». Confirmat hæc Angelus Massarellus in Actis Concilii Tridentini, in quibus horum temporum calamitates ita describit³ :

« Casar Maio mense, validissimo cum exercitu Galliam aggressus fuerat, Lignique oppidum die xxix Junii anni ejusdem expugnaverat; Angliæque regis adjutus copiis majora prope diem in Gallos minabatur, atque etiam eodem tempore in Pedemontana regione Casaræ copias, marchione Guasti ducente, non minus acro bellum cum Gallis gerebat, quorum ambo exercitus die xiv Aprilis mdxlv prope Carignani

¹ Martin. Bellains Comm. l. x. Paul. Jov. l. xlv. — ² Ms. card. Spade tom. LXXXIV. p. 442.

³ Ubi sup. — ² Ms. card. Spade to. LXXXIII. p. 430. — ³ Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 215. Bar. Cone. Trid. auctore Angel. Massarell. Secr. Ms. arch. Vat. p. 25.

oppidum, Caesarianis in fugam versis, nec multo post, iv scilicet Junii, non longe a flumine The-sino, Gallis proligatis, conflivere.

« Non desperavit tamen Pontifex posse aliquando Dei beneficium pacem inter saepelatos principes fieri, opusque toties frustra tentatum iterum aggressus est. Quare die xxx Julii praedicti anni duos a latere legatos ¹ reverendissimos videlicet S. R. E. cardinales Marinum, episcopum Portuensem, Grimatum ad Gallorum regem, et Joannem fil. S. Vitalis presbyterum, Moronum, ad Caesarem pro unione inter eos concilianda. Gravius nihilominus in dies magis atque magis bellum inter ipsas majestates excitabatur, Caesare non longe a Parisiis in oppido Mellan, cum validissimis copiis existente. Rex autem Turcarum foedere inmixus, eorum classe Italicas ditionis Caesareae maritimas regiones continuo infestabat, nam dux ipsius classis Barbarossa Thyrenni maris dominus factus, jam Herculis Talamonisque Portus in Senensium dominio mense Junii, necnon Liparis civitatem et insulam xiv Julii una cum nonnullis oppidiis expugnauerat depopulaveratque ».

21. De cardinalibus legatis decretis pro concilianda pace certiorum fecit Pontifex Ferdinandum regem Romanorum, cumque rogavit, ut una cum Germania principibus, concordiae pro re Christiana instauranda adeo pernecessariae interpretem ageret ² :

« Regi Romanorum.

« Elsi tandem, lolesque, et nullis non modis, atque omni opera et studio summos Christianorum principes inter se acerbissime dissidentes conciliare tentaverimus, et tot conatus et labores incassum hactenus effuderimus, adeo ut in hac amplius tractanda animam tere despondissemus, tamen alia ex parte nos movet miseriam Christiana reipublicae status, neque enim praeteritarum dumtaxat calamitatum damna intuemur, sed imminentem procellam prospectamus, quando hinc Christianorum vires penitus atteruntur, inde Turcarum potentia ad summum aucta, omni conatu in praesens bellum molitur, atque excidium extremamque perniciem primo quoque tempore nobis minatur. Quis autem haec non videt sentitque, aut quis extremo huic discrimini remedium perquirendum esse non cognoscit? Sed nostro haec potissimum pectori semper insident, urgetque intus atque impellit Christiani gregis cura nobis divino ore praecipue demandata, ne omnino officii nostri munus deseramus, tum negotium sapius etiam frustra exploratum iterum tentemus, et quantum in nobis est, Dei benigno auxilio, et praecipua in Christo confidentia idem rursus pericitemur. Cum igitur proxime destinaverimus venerabilem fratrem Grimatum, et dilec-

tum filium Moronum cardinales legatos nostros, hunc ad Caesarem, illum ad Franciscum regem, ut inter eos concordiam a piis omnibus maxime optatam, et Christianae reipublicae conservationi pernecessariam nostro nomine persuadeant, et si fieri possit, ut prosecutio Concilii OEcumenici celebretur expeditione reddatur, conficiant, haud nos praerit, quod etiam anno nondum elapso animadvertimus, rem hanc, praeter id quod omnes tangit, ad clarissimos Germaniae principes praecipue spectare, quorum auctoritatem et Christianam charitatem ad negotium peragendum et pia consilia nostra adjuvanda non mediocriter profutura arbitramur, atque eam ob causam ad te et nonnullos alios principes mittimus nuntium nostrum venerabilem fratrem nostrum Joannem Thomam episcopum Cavensem nobis gratum; ut nostrum hoc pium propositum vobis significet, et tum ac ipsorum pariter consilium auxiliumque ad id poseat, quod non ad nos tantum, neque ad paucos, sed ad universos Christianae religionis homines pertinere manifestum est, etc. Datum Romae apud S. Marcum xxvii Augusti mdxlii, anno x ».

De Cavensis episcopi missione loquens cardinalis Farnesius in Epistola vigesima sexta Augusti sic fatur ¹ : « Et quia quo res majoris est ponderis necessitatisque, eo magis sua sanctitas judicat, simul omnia media, qua adjuvare possunt, esse conjungenda, mittit modo episcopum Cavensem ad serenissimum Romanorum regem et ad alios imperii principes, ad eos adhortandos, ut a Caesarea majestate optimum concordiae linem eurent obtinere ». Haec Farnesius.

Scrisit etiam Pontifex eodem argumento ad Septemviros, tum ad plures alios principes atque Lusitanos proceres; indixit etiam publicas preces populo Christiano, de quo extant Encyclica litterae ad archiepiscopos transmissae.

22. *Faustus pactum, ob quod gratiarum actiones persolverentur a Pontifice utrique principi.* — Exceptae curlo fuere priorum preces, paucis enim post diebus pax confecta est, ut sacrum illud oraculum usurpari posset: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* « Dum magis », inquit Angelus Massarellus ² « omnia per totum Christianum orbem, bellis, simulatibus, dissensionibus ardent, ecce tandem latissimus, Domino miserante, dies illuxit, in quo pax et unio inter predictas Caesarem et Christianissimam majestates conciliata est, die videlicet xviii Sept. mdxlii, cujus pacis nuntio quamprimum ad Pontificem, qui Perusii tunc erat, allato, in magnam spem Sanctitatis sua devenit, posse etiam tandem OEcumenicum Concilium celebrari; Deoque in primis pro tanto in Christi-

¹ Hist. Con. Trad. — ² Paul. III. lib. brev. an. xix. p. 332.

¹ Lib. brev. an. x. p. 415. — Angel. Massarell. in summ. Cone. Trad. Ms. Vat. sic. num. 3199. p. 213. et in Dian. Cone. Trad. Ms. arch. Vat. p. 24.

anam republicam collato beneficio gratias egit.

23. His addunt Acta Consistor. ¹ : « VII Oct. rediit Pontifex ad Urbem, X Octobris fuit Consistorium, in quo fuerunt lectæ conditiones pacis inite inter Casarem et regem Christianissimum ».

Percussum foedus XIV kal. Octobris consignat suis Monumentis Paulus Iovius. Petrus enim e Soto Ord. Dominicani, sacrum Casaris exhomologeseon exceptor, pacis maximus auctor extitit, necnon Gabriel Gusmanus reginæ Gallie sacerdos piacularius, ab ea ad fratrem Casarem missus, promovit actionem concordie, ad quam urgebat Casarem inopia splendiorum, quæ Germani arrogantius exigebant, nec tutum erat certamen experiri, cum Galli ardentissimis animis in eum prosilire parati essent, cum ipse victoriam esset relaturus suo tantum periculo, at præmia victoriæ esset comparaturus Anglo, cui Lulefia ex impio federe cesura erat: pacis vero leges ad commodum ducis Sabaudia dignitateque Gallia regis distincte fuere, quas si antea Casar dedisset ad Pontificias preces, conciliato sibi Gallo, et Hungariam Christiano imperio asserere, et Anglum ad officium redigere, et Protestantæ ad obsequium Ecclesiæ revocare, et Christianum populum a Turcicis grassationibus vindicare potuisset: nam cum omnium dissidiorum inter Casarem et Franciscum regem fons et causa esset expostulatio Mediolanensis principatus, quo Casar cum ante viginti annos depulerat, ita his juncto novæ affinitatis vinculo dirempta est, ut refert Martinus Bellains ² : « Pacis conditiones statuuntur, ut Carolus Angolismensis, qui tunc dux Aureliae erat, Casaris filiam, aut certe ejus ex Iratre Romanorum rege neptem intra biennium uxorem duceret, utque quo tempore exacto biennio conjugium re ipsa perficeretur, ei Casar vel Mediolani, vel Flandriæ et Belgii dominatum, utrum fratre mallet, traderet, utque rex ab omni deinceps jure atque actione in ducatu ipso discederet, ac in regno etiam Neapolitano; si quidem Belgium alio Aurelio daretur, utique Sabauda omnia, quæ adempta fuerant, restituerentur: simul atque Aurelius alterius ditiois compos esset, utique dum biennii illius tempus addeset, quidquid utrinque tum in Transalpinis, tum Cisalpinis regionibus jam inde a Nicianis induciis bello captum fuerat, restitueretur, omniaque pristinum statum recipere, quo esse, cum illæ induciæ fierent, constaret. Casar eis Alpes, regi Sandiserium, Linium et commercium restituit. Rex Yvesum, Mommedium et Landrisium: Stenæum Lotharingiæ duci (munitionibus prius dirutis) restituitur: in Italia Casar Mondevisium dumtaxat restituit, rex ei reddidit Albam, Guerassium, Antinianum, Sandamianum, Palezuolium, Crescentinum,

Verruam, Moncalium, Bargas, Pontem-Asturae, Lanisium, Vigonem, Sansalvatorium, Sangermanum, Magnum Regionis linguarum, Marchionatus Seviani parlem, et Valpergam ».

Sancita pace cum Casare, Franciscus Gallia rex adversus Nortfolchium ducem Moutrolii obsidionem solvere coegit: Henricus vero rex jam Boloniam in dedicationem acceperat, Vernini præfecti culpa, qui, licet tempestas horrida Anglorum tentoria evertisset, eorumque castra magnis incommodis affecisset, imminente jam cum exercitu Delphino ad invadendum hostem, concepto inique sacramento stare maluit ¹, licet cives ipsi adversarentur atque ad repellendum hostem essent comparati, Bolonia vero potius Caletum primum, dein in Angliam se subdixit, atque a Delphino Bolonia irrita conatu oppugnata est, quæ demum ab Anglo, biennio post confecta pace, Gallia est restituta.

24. Accepto porro inite inter Casarem et Franciscum regem pacis nuntio, Pontifex ingenti lætitia delibutus grates Deo egit, atque hisce litteris Francisco est gratulatus ² :

« Regi Christianissimo.

« Gratias ingentes agimus primum Deo omnipotenti honorum omnium dispositori ac largitori, deinde majestati Christianissima pro tam exoptato, omnibus precibus, omnibus aris supplicato et efficacissimis votis tandem exorato nuntio super pace inter Casarem et serenitatem tuam nuper convenita atque conclusa: quam non magis quietem vestram et utriusque incrementa existimamus, quam totius Christiani orbis tranquillitatem, atque inimicorum ejus excidium et confusionem, cum nostris discordiis se tutos esse et proficere, atque augeri in dies existimarent. Sit laus Patri luminum, datori omnis optimi et omnis doni perfecti indulgentissimo. Post hæc, grates habemus innumerales eidem majestati tuæ, quod se (monitis præcipue nostris ad hoc inductam) et ut devoti filii obsequio erga Apostolicam Sedem versaretur (quod indefesse antehæc fecit) coactam aulam, divinam obsecrantes benignitatem, ut isti tam bonæ, tam egregiæ menti digna retribuere præmia non dedignetur: postremo id nobis supra modum acceptissimum fuit, quod cum scires quantopere id expectarem, ea obsecundandi promptitudine usus es, ut sponte tua, non expectato legato nostro ad hoc destinato, volum nostrum impleveris, et obsequio preces audiveris, quod nobis cordi semper futurum est, rogaturis Deum sine ulla intermissione, ut hæc stabilia et prospera tibi, liberis tuis, propinquantali et regno larga manu concedat, et tam bonæ menti, tam benigno animo nihil neget optatum. Felicissime valeat majestas Christianissima. Romæ die xiii Octobris MDCXLV, anno x ».

¹ Acta Consistor. Ms. card. Spadae sig. num. 133. p. 139. Paul. Jov. l. XLV. Martin. Bellains l. X. — ² Martin. Bellains l. X.

¹ Mart. Bellains l. X. — ² Paul. III. lib. brev. an. X.

25. Strenuam in pace conficienda ¹ navarunt operam regina Navarrae Francisci regis soror, cardinalis Turnonius, et Bellinus ac Moguntinus, necnon classis Galliae praefectus (admiralium) vulgo vocant quibus a Pontifice actae sunt gratiae.

Commendavit porro Caesarem maximis laudibus Pontifex de publica Christiano restituta imperio, deque eximia animi moderatione, qua gloriosissimo victoriae genere seipsum vicisset, hortatusque, ut imperialia consilia ad frangendam Turcarum tyrannidem, ad haereseon pestes excidendas, ad Concilii indicti actiones promovendas intenderet ² :

26. « Ad Caesarem.

« Litterae majestatis tuae, quibus nos de pace inter eam et Christianissimum regem composita certiores fecit, tantam nobis laetificam attulerunt, ut eam verbis exprimere non facile possimus. Perspicimus enim ex hac vestra concordia Christianae republicae, quae in extremum paene erat adducta discrimen, quemdam quasi in mediis tenebris salutis diem illuxisse; quapropter ipsi Patri luminum, in cuius manu regum sunt corda, maximas egimus gratias, quod ejus rei cujus incredibili per tot annos flagravimus desiderio, sua nos bonitate compositae effecerit: majestati autem tuae ex animo gratulamur, quod hac animi sui moderatione seipsam vicerit, quae omnium maxima honestissimaque victoria est existimanda. Eam igitur magnopere hortamur, ut quod reliquum est, quodque illam sua sponte facturam esse non dubitamus, ad comprimendam Turcarum audaciam, quae nimium diu in nos grassata est, et ad extinguendam haereticorum impietatem, quod Oecumenici tantum Concilii celebratione effici posse omnibus compertum est, totis nobiscum viribus incumbat, utrumque enim Deo in primis, ejusque religioni debet, in virtute ac nomine suo. Caetera Tropiensis episcopus nuntius noster majestati tuae uberius exponet. Datum Romae XVI Octobris M^oXLIV, anno X ».

27. Emendandus hic videtur Joannes Baptista Adrianus, qui privatis simultatibus malevolentia imbutus erat adversus Paulum Pontificem, inter quem et Cosmum nonnulla intercedebant dissidia, atque adeo iniquissime Pauli III famam ac gesta traducere non veretur: ideoque delira somnia sua, et levissimi vulgi vel aulicorum rursusculos pro oraculis historiae suae jaspersit. Inter alia fingit Paulum formidantem potentiam Caesaris, ne meditata consilia discuteret, armorum foedus arcanum cum Galliae rege et Veneta republica junxisse, verum simulasse neutri parti studere velle! Sed iniquam hanc calumniam contraria Pauli gesta

perspicue refellunt, cum eo ipso labente tempore, de quo Adrianus loquitur, Pontifex aeternissimum foedus percusserit cum Caesare, ac supra quindecim millia militum auxiliaria decreverit pro asserenda tuendaque in Germania adversus haereticos Catholica religione, ut cardinalis Farnesii litterae ad Poggium Pontificium internum in aula Caesarea agentem testantur; quibus illum docet, cardinalem Tridentinum attulisse Pontifici sacri foederis pactiones a Caesare consignatas, easque in cardinalium senatu perfectas, atque mox promissa in actum provocasse, atque stipendia pro duodecim millibus equitum levioris armaturae, seque legatum Apostolicum in exercitu creatum fuisse, atque Octavium fratrem cum supremo militari imperio ducem praefectum fuisse. Cum vero Caesar pluribus districtis negotiis non tam celeriter ad sacram illam expeditionem se compararet, Pontificiarum copiarum iter in Germaniam aliquandiu dilatum est.

28. *Paulus redintegrandi Concilii percupidus futuris providet, praesentia componit, et preces solennes indicit.*— Exeunte Octobri Franciscus I litteris humanissimis Pontifici datis regias vires pro auctoritate dignitateque Sedis Apostolicae asserenda detulit, atque ad deprimentam Angliae regis tyrannidem auxiliares copias proposuit, in quem etiam Caesarem sibi conjungi flagitavit, precesque addidit, ut Concilium Oecumenicum Tridenti indictum trimestri flexu maturaret, quae litterae in senatu cardinalium lectae fuere, ut Acta Consistorialia referunt ¹ :

« VII Novembris M^oXLIV, fuerunt lectae litterae Christianissimi regis datae XXVII Octob. M^oXLIV per rev. Georgium episcopum Ruthenensem ejus apud S. D. N. oratorem, quibus majestas sua Christianissima significabat, eo se desiderio teneri Sanctam Sedem Apostolicam conservandi, in primisque suae beatitudinis auctoritatem, et quae ad commodum et honorem ejus pertinerent, ubi opus esset, ea praestare jam animo suo constituerat, quod ut fieri posset, sanctitatem suam obsecrabat, ut in bello contra Angliae regem ea tantum causa suscepto, quod sanctam Ecclesiam minime secutus fuit, sibi auxilia atque opem ferret, ut scilicet singulis mensibus sex millibus peditum stipendia persolveret, quodque non minus ad Sanctitatem suam quam ad se pertinere asserbat. Quem quidem regem Christianissimum, cum strenuos ac fortes milites habere Catholici jam viderent, cum eo sanctitate sua federata foedus inire quam maxime petebant ad Angliae regis interitum et exitum. Sed quoniam id a neutris praestari posse arbitrabatur, sine consensu atque in primis Caesareae majestatis voluntate, hortabatur sanctitatem suam, ut totis viribus ad id Ca-

¹ Ibid. pag. 435. Pag. 436. Pag. 447. Pag. 435. — ² Paul. III. lib. brev. an. X. p. 454.

¹ Acta Consist. Ms. card. Spade sig. num. 133. p. 145.

saream majestatem adducere conaretur. Et cum totius Christianæ reipublicæ beneficia in Christianorum omnium concordia atque pace potissimum posita essent, ad quam quidem per universale Concilium facile pervenire posse putabat, cum id imperatori atque suæ majestati Christianissimæ cordi esset, sanctitatem suam orabat, ut infra tres menses accelerari curaret, ubi jam indictum fuerat, scilicet Tridenti, qui quidem locus et Christianissimæ majestati et imperatori quam maxime placebat, et ut omnibus, qui ad Concilium venturi essent, indictum diem nuntiari curaret, ut se ad iter comparare possent reipublicæ Christianæ conservandæ et augendæ gratia ».

29. Pacato ita feliciter Christiano imperio, Pontifex Paulus redintegrandi Concilii Tridentini percupidus, habito cardinalium senatu, decretum edidit de instaurando Tridentino Concilio, cujus actiones fuerant intermissæ, ut tradunt memorata Acta Consistorialia, quibus consentit Angelus Massarellus, additæ dilatione sublata, quæ Bononiæ promulgata fuerat, Concilium indicta die xv Martii anni sequentis redintegratum fuisse, edita Bulla, quæ incipit, *Lectare Hierusalem; et consilium facite omnes, qui diligitis eam*, etc. sub data Romæ xix Novembris MDCXLIV, Pontificatus sui anno xi, publicata autem ultima dicti mensis.

30. Edita ac promulgata est eodem die alia constitutio ad pericula schismatis avertenda, ut si sacrosanctum solum vacuum esse contingeret, dum celebraretur Concilium, Romæ tantum a cardinalibus novus Pontifex deligeretur, ut subdit Angelus Massarellus in Actis Concilii Tridentini.

Promulgata sunt hæc Diplomata solemniter ultima Novembris, quæ mox transmissa sunt ad Cæsarem adjectis a Pontifice aliis litteris, quibus rogavit, ut itinera libera atque tuta commeatibus per sua regna ad Concilium præsulibus explicanda curaret.

Extant eodem argumento ad ducem Sabaudie Pontificis litteræ, cui etiam gratulatus est de amissa dilatione beneficio pacis recuperanda, monnitque, ut præsules sui principatus ad Concilium mitteret.

31. Helveticos quoque Pontifex amantissimis litteris provocavit, ut motas de religione controversias ad Concilium OEcumenicum, quod pace inter Cæsarem et Gallorum regem constituta celebrandum erat, referrent, suosque oratores idoneis ad id mandatis fultos mitterent¹ :

« Dilectis filiis tredecim cantonibus Helvetiorum Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in Dieta congregatis.

« Dilecti filii, salutem. Subsecuta, Dei ele-

mentia, pace, etc. hortamur, ut huic sanctæ celebrationi favere velint, ordinareque, ut ad ipsum Concilium venturi tuto per vestra loca transire, et commode in illis hospitari possint; nos vero dabimus operam, ut nostri legati statuto tempore in loco Concilii sint excepturi venientes, et ipsi celebrationi præsessuri. Dat. Romæ iii Decembr. MDCXLIV, anno xi ».

32. Ad expedienda vero in dubiis certiora consilia, Pontifex cardinales, qui in variis provinciis versabantur, excitavit, ut proximo Epiphaniæ festo Romæ adessent, quo argumento extant litteræ in Decembris exaratae ad Rodolphum, ad Cybum, ad Ravennatam, ad Mantuanum, ad Auriam, ad Tridentinum, ad Ferraricensem, ad Sadoletum, ad Galliæ et Hispaniæ cardinales, et cardinalem Scotiae, si sine detrimento ejus regni fieri posset, cujus securitas sibi charissima erat; ad Moguntinum, cujus operam pro pacanda Germania expelebat :

« Hortamur, inquit, te, ut quod personarumque tuarum commodo fiat, quorum salus ac securitas nobis merito cordi est, ad nos venias, ut in tanto discrimine Catholicæ fidei et sanctæ religionis, tantaque perturbatione istius inclatæ nationis Germanicæ, quam compositam cupimus, tua prudentia ac virtute uli possimus, etc. Dat. Romæ iii Decembr. MDCXLIV, an. xi ».

33. Ut feliciter suscepta consilia perduceret Pontifex, implorandam in primis divinam opem censuit, solennes supplicationes in Urbe et reliquo orbe Christiano habendas decrevit, necnon misit internuntios ad Cæsarem et Gallorum regem, qui ipsis de instaurata pace gratularentur, arcusque eorum voluntates inter se adstringerent, ut refert Angelus Massarellus his verbis² :

« Die x Decembris per Urbem et Christianum orbem preces publicas ad Deum offerri et processiones per tres continuos dies fieri mandavit: necnon die xii ejusdem mensis ipsemet Pontifex, cum sacro Patrum senatu, totaque Romana curia, pedes a Basilica principis Apostolorum usque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ supra Minervam profectus est. Præterea quoniam dicta pax eo majorem lætitiæ suæ sanctitati attulit, quo magis in eo componendarum controversiarum negotio per tot annos laboraverat, et præcipuam curam adhibuerat, de hujusmodi sua exhilaratione ipsos principes non potuit certiores non reddere : quapropter³ die xxx dicti mensis Decembris reverendissimum D. Joannem Franciscum cardinalem Sfondratum, tunc episcopum Amalphitanum in Belgis ad Cæsarem, dieque xxx D. Hieronymum Dandinum episcopum Casertanum ad Gallorum

¹ Summar. Conc. Trid. Angel. Massarell. Ms. arch. Vat. sign. num. 3190. — ² In eodem Ms. sign. 3190.

³ Paul. III. lib. brev. an. x. p. 521.

regem, ut suæ sanctitatis et Sedis Apostolicae nomine suis majestatis de pace facta gratularetur, nuntios destinavit ».

34. *Articulos condemnantes hæreses à Lovaniensi Academia editos Cæsar confirmat.* — Refert Franciscus Belcarinus¹, Heleonoram Gallie reginam, Aureliano ac Turnonio cardinalibus comitantibus, mense Novembri Bruxellas ad fratrem Cæsarem profectam, de pace cum viro constituta illi gratulatum esse: tum addit, Cæsarem pro Belgio ab hærese pesti vindicando Lovaniensium theologorum articulos triginta duos, quibus Lutheri, Oecolampadii et Anabaptistarum errores damnabantur, Cæsareo edicto confirmasse. Concepti erant ii articuli subiectis verbis²:

35. « Decanus et facultas theologorum Lovaniensium omnibus in Christo fidelibus salutem.

« Magnas quotidie vires in his regionibus accipit hæreticæ pestis contagium, ac nisi occurratur, futurum prospeximus ut hic brevi plena sint omnia non solum Lutheranorum, Oecolampadiorum et Anabaptistarum, sed istorum etiam, qui nuper adhuc obscuris nominibus emergere cœperunt. Nec diu potest, quanto studio teneantur multi clanculum monstra ista alendi. Quare pro officio quod in Ecclesia Dei gerimus, verbis paucis complexi sumus articulos certos dogmatum, quos propter hæreses dictas valde expedit hoc tempore a bonis et Catholicis concionatoribus (nam populi causa operam hanc suscepimus) exponi, fideliterque et diligenter explicari. Quos quidem articulos aliquanto fusiùs pauloque altius repetitis principiis ampliari exponereque potuissemus; verum hoc necessarium visum non est: quinimo utilius fore credidimus, si quam simplicissime proponerentur ad captum etiam imperitissimorum. Porro eo libentius hæc curavimus, quia certo intelligebamus eadem Cæsareæ majestati magne curæ esse, ut quæ ipsius egregia pietas est, ultro etiam istiusmodi quippiam cogitet.

ARTICULI.

« I. Credendum est septem esse Ecclesie sacramenta à Christo instituta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium, per quæ (quamvis corporalia et externa signa) Deus invisibiliter sive per bonos, sive per malos ministros nostram salutem operatur.

« II. Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filii Dei ac hæredes vite æternæ: nec unquam est iterandum.

« III. Pœnitentiæ sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur Contritionem, Confessionem et Satisfactionem.

« IV. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito continendi et satisfaciendi, non autem (ut quidam hoc sæculo perniciose docent) terror conscientie propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum; præparat enim hic terror et gehennæ metus ad veram animi contritionem.

« V. Confessus diligentiam legitimam adhibere debet, quod sacerdoti judici manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab iis per ipsum absolvatur; cujus absolutionis minister est solus sacerdos, secundum Ecclesie ritus consecratus.

« VI. Satisfactio est persolutio pœnæ, plerumque adhuc debite, remissa jam culpa: nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari, culpa remissa, erroneum est, et Scripturis sacris adversatur.

« VII. Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest mala et cum gratia Dei bona agere, et post mortale peccatum admissum, Deo adjuvante, penitere, et peccatorum remissionem consequi.

« VIII. Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, quæ certo credimus Christum Jesum Dei filium nobis propitiorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua, nullis nostris operibus nullaque pœnitentia justificatione obtineri potest, sicut nec fide sola, sine pœnitentia et proposito vivendi secundum mandata Dei.

« IX. Fides, quæ quis firmiter credit et certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, sequæ possessorum vitam æternam, nihil habet Scripturæ testimonium, imo eidem adversatur, etiamsi firma et certa spe expectare debemus in hæc quidem vita per sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ peccatorum remissionem, in sæculo autem futuro vitam æternam.

« X. Itaque quamdiu inter hostes nostros et adversarias potestates hic vivimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore et tremore (juxta sententiam Apostoli) nostram salutem operari debemus, et secundum varias animorum nostrorum affectiones, nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

« XI. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, et cum ex fidei et charitatis spiritu proficiuntur, ea grata sunt Deo, et eis tanquam justam mercedem vitam tribuet æternam.

« XII. Confirmatio et Extrema-Unctio sacramenta sunt à Christo instituta, sed non ut duo præcedentia ad salutem necessaria; ex con-

¹ Tomosæ, Belg. l. XXIV, num. 8 et 9. — ² Id., etiam tom. VIII, de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200, p. 791.

templum tamen illa omittere mortale peccatum est.

« XIII. In Eucharistiæ sacramento est reipsa verum Corpus Domini nostri Jesu Christi, illud ipsum quod de Virgine natum est et in cruce passum est.

« XIV. In Eucharistia non manent panis et vinum, sed hæc in Corpus et Sanguinem Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conversa, manentibus tamen panis viniq; speciebus. Unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in Missa sive extra missam reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

« XV. Non est laicis necessaria ad salutem Communio sub utraque specie, justisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illa sub una tantum specie panis sumeretur, in qua Carnem et Sanguinem, atque ita totum Christum sumant.

« XVI. Sacrificium Missæ ex institutione Christi tam vivis prodest quam defunctis.

« XVII. Solis sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritum ordinalis data est a Christo potestas consecrandi verum Corpus Christi et sanguinem.

XVIII. Matrimonium contractum et consummatum inter Christianos est indissolubile, qualiscumque fiat alter conjugum sive adulter, sive sterilis, sive hæreticus.

« XIX. Nunquam licet Christiano post divortium contrahere matrimonium vivente ea, cum qua prius legitime contraxerat.

« XX. Matrimonia contracta contra canones ipsa dirimentes simpliciter sunt irrita et nulla.

« XXI. Firma tenendum fide, unam esse in terris veram et Catholicam Dei Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque ætatem nostram perdurans refinit et suscepit quicquid de fide et religione tradidit, traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo suo sponso est edificata, ut in his, quæ fidei sunt et religionis errare non possit.

« XXII. Extra hanc nulla speranda est salus, suntque extra eam hæretici, schismatici et excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio; nec humana, sed divina est excommunicandi potestas.

« XXIII. Unus est Ecclesiæ summus pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus iudicium controversiæ, quæ super fide et religione existunt, sunt referendæ.

« XXIV. Summam hanc præposituram primus omnium gessit sanctus Petrus, verus Christi in terris vicarius, et totius familiæ ejus pastor, post Petrum vero ex Christi institutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra successores.

« XXV. Certa fide tenenda sunt, non solum quæ Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, et quæ definita sunt super fidei et morum negotiis per cathedram Petri vel per Concilia Generalia legitime congregata.

« XXVI. Constitutiones Ecclesiæ de celebrandis festis, et abstinentia ciborum aliisque multis obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

« XXVII. Recte fit in Ecclesia, quod sanctos in cælis cum Christo agentes veneramur et invocamus ut pro nobis orent, quorum etiam meritis et intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.

« XXVIII. Quapropter sancte et religiose faciunt, qui loca eis dicata una cum ipsis reliquiis religiosa pietate visitant, et hoc modo ab ipsis opulationem quarunt.

« XXIX. Gratus est et Deo imaginum usus, recteque coram eis procumbimus invocaturi eos quos representant.

« XXX. Firmiter credendum est post hanc vitam Purgatorium esse animarum, in quo solvitur peccatum adhuc debitum; eisdem tamen subvenitur sacrificio altaris, jejuniis, elemosynis, aliisque bonis operibus vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab eo liberentur.

« XXXI. Animæ defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in cælis, et animæ impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciiis.

« XXXII. Recte Deo vota facimus, tam monastica quam alia, et facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati Evangelii, quæ a peccatis libertas est, et iis qui spiritum nostrum quodammodo impediunt, quominus totus Deo serviat, aut a juramenti obligatione, sive ab obedientia magistratus Ecclesiastici vel secularis liberat.

36. « Ergo, quod unum nostræ facultatis est, mandamus Theologiæ studiosis omnibus quacumque ratione nobis subjectis, et in posterum subjiciendis: primum, ne quid usquam doceant aut proferant, quod dogmatibus his contrarium sit; deinde ut eadem cum locus et occasio postulabit, tueantur et explicent ad veteris et Orthodoxæ fidei custodiam, et ædificationem Christiani populi; si qui vero contraria agent, eos pro modo facultatis nostræ omnino punire decrevimus.

« Anno a Nativitate Domini MXXLIV, mensis Novembris die XI ».

Facultas Theologiæ congregata per juramentum in Collegio theologorum super articulis præcedentibus, approbavit hos articulos sub forma qua scripta sunt.

« De mandato dominorum decani et Fa-

collatis Ludocus de Langhona notarius subscripsit ».

37. *In Gallia haerese deprimitur opera cardinalis Turnonii.* — Illis articulis damnata a Lovaniensibus theologis suas haerese Lullierus infremuit, impiaque rabie elletatus, libello typis mandato, variis mendaciis, blasphemisque ineptiis Catholicae veritatis splendorem obscurare enisus est. Ilabili quoque sunt Melodius in Gallia, regio jussu ¹, theologorum conventus, in quibus adversus Catholicae religionis desertores controversa capita ex sacris litteris illustrata et confirmata sunt, gravissima etiam edicta adversus haereticos sancta fuere, cumque Franciscus cardinalis Turnonius egregiam in eo regno operam pro asserenda fide Catholica luendaque dignitate Sedis Apostolicae navaret, illi a Pontifice gratiae actae sunt subjectis litteris ² :

« Cardinali Turnonio.

« Non alia poterant expectari a nobis, et ab hac Sancta Sede officia et opera, quam ea, quae quotidie a tua circumspectione proveniunt in nostrum et ejusdem Sedis honorem : magna cum laetitia audimus ; scimus enim qua pietate et virtute praeditus sis, et quanta observantia nos et dictam Sedem pro tua natura et boni cardinalis officio prosequaris, etc. Dat. Romae vi Aprilis MDLIV, anno X ».

In Scotia ad haereseos praefocanda semina cardinalis Sancti-Andree legati Apostolici dignitate ornatus est, amplissimaque ad id auctoritate instructus.

38. *Thomas Villanovanus sanctitate claritatem adeptus.* — Fulgere cepit hoc anno in dignitate archiepiscopalis gradu clarissimum Hispaniarum lumen Thomas Villanovanus Ordinis Sancti Augustini, Evangelicae praedicationis laude florentissimus, quem maxima virtutes divinis illustrate miraculis ad sanctorum numerum honoresque everserunt. Ecclesiae enim Valentinae, quae tanto pastore inclamavit praefectus est vi Octobris, ut referunt Acta Consistorialia ³, adduntque ex archiepiscopali vinctigali detracta duo millia ducatorum pro construendo collegio pro filiis Maurorum convertendorum. Is enim in Salmanticensi academia publici professoris munus cum summa doctrinae laude sustinuit, deinde in Augustiniana familia regendis pluribus conobis adhibitus, religiosam disciplinam, cum pietatis amplificatione, excoluit, solutiores mores astrinxit, atque ob sanctitatis et scientiae claritatem, tum ob sacrae eloquentiae famam, tum in peccatoribus a vitiis ad virtutem traducendis, divinorumque judiciorum terrore praecedendis, vel divino amore suis concionibus inflammandis insigne nomen adeptus, a Ca-

rolo V imperatore ejusque consorte augusta regis Ecclesiastes designatus, maximam sui admirationem concitavit ; cum inter concionandum in sacro suggestu frequentes ecclases divinosque raptus vel in re divina peragenda pateretur, necnon in liberandis energumenis praecipuam potestatem obtineret, ac prophetiae dono insigni praeditus esset, collectaque inde maximi nominis existimatione, inter primarios sanctioris senatus consiliarios adlectus, non modo a nobilibus proceribusque in dubiis consultebatur, verum etiam a Caesare in omnibus gravioris momenti rebus peragendis ejus sententia rogaretur, ejusdemque postulata et monita benigne et pie exciperentur ; adeo ut aliquando ex imperatore haec vox audita fuerit : Viri istius verba preces non sunt, sed imperia ; adeoque animum meum in quaecumque velit partem trahit ac versat. Puro candore fatur hic Dei servus, et quanquam inter mortales positus, immortalium honore dignus est. Elterre illum propterea ad Ecclesiasticos honores meditatus est Caesar, atque archiepiscopatum Granatensem amplissimis vectigalibus opulentum obtulit : at ille actis gratis religiosae demissione ab eo munere se abdicavit ; eademque mentis constantia honores aversatus Valentinum recusasset, nisi superioris sui, cui parere debuit, arctioribus imperiis ad eum admittendum adactus fuisset ; cujus rei ipsemet meminit in litteris ad Seripandum Eremitici Ordinis supremum magistrum xii Augusti hujus anni Vallisoleti datis : « Multorum, inquit, iudicio a Deo facta haec electio existimatur, et licet pacem et silentium monasterii, quo facram professus, insequi mihi magis inlerat, tamen provinciali jussioni censuris intervenientibus obedire proposui, cum potior sit obedientia quam sacrificium ». Quanta vero sanctitatis gloria in Valentina sede constitutus effulserit, suo loco dicitur. Interim non abs re erit nonnulla ad Concilium Tridentinum, quod ipse divino Spiritu praenuntiarat celebratum iri, spectantia inserere. Die quodam, peracto sacrosanctae Missae sacrificio, non sine tachymis et insolito pietatis sensu, conterre verba cepit cum familiaris quodam theologo de infelici statu Ecclesiae, verum mox subdidit : « Ne dubites, magister, etenim brevi hise malis divinitus occurreret, certum et indubitatum esse scias, nam uni de servis suis hoc ipsum Deus revelavit ». Postridie perveni in Hispaniam nuntius cum mandatis Pauli III Pontificis, necnon cum litteris imperatoris, quibus praesules ejus regni ad indictos Concilii Tridentini coetus evocabantur, ad quos licet Thomas ob affectam valetudinem gravissime proficisci non possent, licet absens corpore, praesens tamen animo ob flagrantissimas preces ad Deum pro Concilio fusas illi non defuit, ut constat ex Oratione funebri a magistro Ludovico Ponto de Leone in laudem

¹ Erasm. Belear. l. XXIV, num. 9. Paul. III lib. brev. an. x p. 284. — ² Acta Consistor. card. i. p. ad sig. num. 111, p. 133.

huius viri Apostolici habita. Etenim Hispaniarum episcopi arrepto per Valentiam itinere cum agrotantem salutassent, ab eo gravissimis argumentis ad prosequendum iter perferendisque labores pro divino perficiendo opere incitati sunt: cumque illi conscendissent mare, sævis- simaque procella concitata, in extremo vite discrimine penderent jam jam absorbendi fluctibus, conclamataque omni spe salutis repente divino miraculo conspexere sanctum archiepiscopum, veluti salutare sidus pastorali baculo efferatam tempestatem comprimentem, fluctusque compestem ac navim dirigentem; adeo ut celeri et prospero cursu summa admiratione perfunsi delibutique lætitia, brevi ad portum salvi applicuerint, egerintque gratias Deo, cui *mare et venti obedimti*, quique meritis et precibus præsulis Valentini placatus, ipsos ab imminenti mortis discrimine prodigio insigni eripuisse.

39. *S. Francisci Xaverii opera Apostolica et miracula.* — Hoc anno in India Franciscus Xaverius legatus Apostolicus e Comorinensi regione ad Travancorii regionem digressus, Machoadas, perlustratis eorum vicis, ab idolorum cultu ad Christum traduxit, tanto Evangelii in ea gente inculta et barbara, dæmonumque superstitioni addicta progressu, ut capitum amplius decem millia simul uno tempore baptismali mysterio consecravit: instituenti vero populi hæc ab eo ratio servata est¹: « Ubi ad unum aliquem pagum baptismi causa accessit venerat, viros omnes, pueros, mulieres, unum in locum contractos, cum unum esse Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum docuisset, ter sibi quemque ad honorem sanctissimæ Trinitatis Crucis signum adhibere ex præscripto jubebat, inde linteatus Christianæ religionis mysteria ac præcepta, clara pronuntians voce, eadem ipsorum lingua, utcumque poterat, explicabat breviter, postea vero quam satis iustituti videbantur, eos a Deo veniam anteacte vitæ publicæ petere jussos rogabat, an universa et singula Christianæ religionis capita haud dubie crederent, ubi illi brachiis in crucis modum compassitis, se vere omnia omnino credere annuerant, tum demum baptismo rite expiabantur, et summi cuique scriptum tradebatur nomen. Ad ultimum baptizatis omnibus, Xaverius fana disturbare, deorum simulachra confringi penitus imperabat, nec aliud illi gratius jucundiusve spectaculum erat, quam cernere idola modo ab eis suppliciter culta eorum proculcari pedibus ». In hos neophytos incitati a Sathana Badagæ in Travancoriensem oram hostili impetu susceptæ ab incolis religionis odio irruerunt: sed a beato Xaverio eos increpante divinitus deliniti percussive discessere, nec vero minus

solers in tuenda fide quam serenda extitit, viginti enim amplius sacella in eo tractu excitavit, ac discedens, ut Christiana disciplina post discessum fixa et incorrupta maneret, antemeridianis ac pomeridianis horis exercende Christianæ institutionis moderatorem in singulis pagis reliquit. Proximo anno mense Aprili in Ceilanum insulam trajecit, ubi reperit regis filium, et fratris exemplo, et celestis terrestrisque crucis prodigio permotum, clam sacra Christiana suscepisse, nec multo post Mauaria insula tyranno adempta a Constantino India prorege, et incolæ omnes Christianis sacris initiati fuere.

Commendata est insigni miraculo a Deo pia eleemosyna erogande voluntas in sancto Xaverio, qui rogatus a naufrago de subsidio pecuniario sibi afferendo, pecunias suis precibus, quas pauperi traderet, impetrayit, ut refert Vitecjs auctor¹: « Testatum est et admirandum, quod in Indiæ oppido, Cormandeli nomen est, accidisse memorant. Hic cum esset Xaverius, naufragus quidam mendicus ad eum venit pro sua calamitate petiitum aliquid opis atque subsidii: Franciscus, etsi benignæ voluntati deerat facultas, non potuit tamen miserum illum spei irritum dimittere; ergo cum suæ egestatis immemor (et benignitas stimulabat) in sacculum suum inseruisset manum, nihil penitus invenit. Nec tamen incepto destitit, sed respicere cepit eum, ejus est aurum et argentum. Igitur tollens in cælum oculos, mendicum confidere divinæ largitati jubet: nec Xaverii spem Deus, nec mendici decepti Xaverius. Divinæ fiduciæ plenus manum rursus inanes in loculos injectam aureis nummulis (fanoos incolæ appellant) plenam educit, protinusque pecuniam divinitus suppeditatam naufrago elargitus omnem, inexhausto divinæ spei thesauro satis fidens ».

40. *Cardinales creati.*—Auctus est hoc anno a Paulo III cardinalium senatus, nam in primis mense Julio Christophorus Madrutius episcopus Tridentinus presbyter cardinalis rennuntiatus est. Mense vero Decembri sacre purpure jussu delatum tredecim viris conspicuis narrat Diarii Vaticani Ms. Auctor², quibus consentientia referuntur in Actis³:

« XIX Decembr. MDCXLIV, S. D. N. postquam in Consistorio secreto sub die Veneris II Junii MDCXLIV reverendissimos DD. Joannem, tunc episcopum Mutinensem, et Marcellum de Crescentiis, tunc episcopum Marsicanum, et alios tunc expressos in S. R. E. presbyteros cardinales de fratrum suorum consilio creaverat et deputaverat, cum in eodem consistorio nonnullos alios ad instantiam principum et sanctitatis suæ, sine certo numero nominandos et publi-

¹ Tursellin. in Vita S. Franc. Xaver. l. v. c. 2. — ² Ms. arch. to. XI. Diar. p. 230. — ³ Acta Consist. Ms. card. Spade sig. 233. pag. 448.

¹ Tursellin. in Vit. S. Franc. Xaveri. l. II. c. 11.

candos in pectore suo reservasset, ideoque de simili consilio creavit, nominavit et publicavit in ejusdem S. R. E. presbyteros et diaconos cardinales infrascriptos, videlicet: ad preces Cæsareae majestatis rev. Gasparem de Ayalos archiepiscopum Compostellanum, Franciscum de Bobadilla episcopum Cauriensem, D. Bartholomæum de la Cueva clericum Segobiensis diocesis, Hispanos, cardinales presbyteros: ad preces regis Christianissimi R. P. D. Georgium de Armagnaco episcopum Ruthenensem ipsius regis apud sanctitatem suam oratorem, et Jacobum D. Hanebault episcopum Luxoviensem, Gallos, cardinales presbyteros: ad preces Romanorum regis illustris R. P. D. Othonem Truchses episcopum Augustanum, Germanum, cardinale presbyterum: ad preces illustris domini Venetorum rev. Andream Cornelium electum Brixensem, Venetum, diaconum cardinale, necnon rever. Franciscum Sfondratum archiepiscopum Amalphitanum Cremonensem, Fridericum de Casis episcopum Tudertinum, Romanum, Durantem de Durantibus episcopum Cassanensem, Brixensem, et Nicolaum Ardinghelli episcopum Forosempionensem, Florentinum, presbyteros cardinales: necnon Hieronymum Recanatensem de Capiteferreo electum Maurianensem, Romanum, diaconum cardinale, et Tiberium Crispum electum Snesanum, Romanum, diaconum cardinale ».

41. De titulis iisdem collatis hæc referunt proximi anni Acta Consistorialia¹:

« VII Januarii M^oXLV, fuit consistorium publicum propter adventum reverendissimi D. Christophori Madrutii cardinalis Tridentini, antea a sanctissimo D. N. in presbyterum cardinale creati et publicati per Breve, vigore reservationis factæ sibi in pectore de anno M^oXLIV ii Junii, in quo Sanctitas sua eundem Christophorum cardinale recepit ad pedes, manus et osculùm etc. et dedit pileum rubrum, dicens verba solita. IX Januarii dedit ei titulum Sancti-Cæsarei in Palatio, Reverendissimo Armagnaco titul. SS. Joannis et Pauli, per obitum bonæ memoriæ Petri cardinalis de la Bauma, reverendissimo Durantii de Durantibus, tit. XI Apostolorum, reverendissimo D. Ardinghelli, tit. Sancti-Apollinaris, reverendissimo D. Cornelio diacono cardinali Sancti-Theodori, reverendissimo Hieronymo Recanatensi de Capiteferreo etiam diacon. Sancti-Georgii ad Vellus Aureum, reverendiss. Crispo similiter diacon. S. Agathe ».

42. Præcepit cardinali Moguntino Pontifex ut cardinali Augustano in ista promotione ad sacram purpuram assumpto traderet cardinalitium pileum, quem illi per suum secretum

cubicularium transmiserat, ut litteræ sequentes indicant²:

« Cardinali Moguntino.

« Dilecte fili noster, salutem. Licet dilectum filium nostrum Othonem S. R. E. presbyterum cardinale Augustensem, quem nuper creavimus, ad nos venire, pileumque rubrum cardinalatus insigne a nobis juxta veterem et probabiliorem morem accipere maluissemus, tamen cum ob generalis commissarii totius Germaniæ officium quo fungitur, Wormatiæ in præsentibus comitiis intervenire cogitur, ob hoc ad nos veniendi labore excusatur, ipsum pileum ad eum per dilectum filium Flaminium de Sabellis camerarium nostrum secretum mittendum duximus: cum vero in ipsius pilei assignatione, sicut scis, juxta S. Romanæ Ecclesiæ ceremonias missam solemnem ab aliquo anlistite celebrari consuetum sit, nos decentius existimantes cardinale a cardinale potius quam a quovis alio dictum pileum ex parte nostra recipere, propterea hunc laborem circumspectioni tuæ in eisdem comitiis affuturæ pro confratre suo libenter injungentes, tibi mandamus, ut solenni missa in aliqua Ecclesia per te eligenda prius celebrata, receptoque ab eodem Othone cardinali juramento, cujus forma inferius adnotata est, demum ex parte nostra dictum pileum, qui a nobis de more benedictus est, capiti ejusdem Othonis cardinalis reverenter imponas: forma autem juramenti per ipsum Othonem cardinale præstandi sequitur, et est talis, etc. Ego Otho cardinalis, etc. Concepta est iisdem verbis illius sacramenti formula, quibus alias a nobis allata est, etc. Dat. Romæ xxvii Januarii, M^oXLV, anno xi ».

Extant eodem argumento litteræ³ ad Othonem cardinale, quibus significat ad preces Ferdinandi Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ regis ea dignitate insignitum, adeundaque Sedis Apostolicæ labore solutum, ut in Wormatiensi conventu, tum in Concilio Tridentino fidei et Ecclesiæ causam, communemque Christiani imperii salutem tueretur.

43. *Inventio cadaveris imperatricis Mariæ Honorio desponsatæ.* — Dum Romæ Basilicæ S. Petri magnificentius extuenda amplificandaque daretur opera, refossum est sepulchrum Mariæ quondam Honorio imperatori desponsæ, in quo aperto inter gemmarum suppellectilem pretiosissimam reperta est lamina aurea in qua insculpta erant hæc Angelorum nomina Græcis litteris, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel: ex quo constat pervetustam esse colitum invocationem, contra novatores.

Erutum e terra et inventum cadaver imperatricis Mariæ hunc annum claudat, cujus historia a Surio ita narratur⁴: « Hujus anni

¹ MS. Cod. palæot. CXXXIII. p. 139.

² Paul. III. lib. hist. an. v. p. 135. — ³ Ib. p. 139. — ⁴ Sur. in Comment.

mense Februario Romæ in Vaticano, haud procul a Tiberi, cum in sacello S. Petri fundamenta foderentur, inventa est marmorea arca longitudine pedum octo et semis, latitudine quinque, et sex altitudine, in qua condita fuit Maria Honorii imperatoris conjux, quæ virgo obiit, morte abrepta ante nuptias. In ea arca corpore absumpto aliquot tantum dentes supererant, capillique, ac tibiæ ossa duo, præterea vestes et pallium, quibus tantum auri fuit intextum, ut ex his combustis auri pondera triginta sex collecta sint. Erat insuper capsula argentea longa pedem unum et semissem, latitudine digitorum duodecim, in qua vascula multa ex chrystallo, nonnullaque ex agathe perpulchre elaborata. Item annuli aurei quadraginta variis gemmis ornati. Erat et smaragdus auro inclusus, in quo sculptum caput, quod creditum est ipsum Honorium referre. Is quin-

gentis aureis nempe ducatis æstimatus est; præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus una earum, quas hodie *Agnus Dei* vocant, per cujus ambitum inscriptum erat: *Maria nostra florentissima*, laminaque ex auro, et in ea hæc nomina, *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel*, Græcis litteris. Item veluti racemus ex smaragdo aliisque gemmis consertus, et discriminale longitudine duorum digitorum, inscriptum hinc, *Domino nostro Honorio*; hinc *Domina nostra Maria*. Ad hæc erat sorex ex Chelidonio lapide, cochlearaque et patera ex crystallo, item pila ex auro lusoriæ similis, sed quæ in duas partes dividi potuit. Innumerae aliae incant gemmae, quarum etsi plurimæ velustate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant; et hæc omnia Stilico filia dedit pro dote (1).

(1) Sarii externi scriptoris auctoritas in re asserenda, de qua ceteri epus ætatis scriptores typis vulgati silent, suspecta esset, nisi domestici alterius auctoritate fulciretur. Arringus in opere *Roma subterranea* to. 1, lib. cap. XIX, principes qui in Vaticano sepulchrum elegerunt recensens inter cæteros refert etiam Mariam hanc Stiliconis filiam, quæ Honorio nupta nunquam tamen cum illo ætate adhuc minori opus conjugale consummavit. Epus sarcophagum Romæ in Vaticano repertum prope altare, quod hodie S. Petronilla dicitur, æstimat anno MDXLIV, die IV Februarii, eaque omnia vel addit vel indicat quæ fusiis hic analista ex Suro. Illius historiae testem profert domesticum scriptorem Herculanum quemdam, cuius Durum inter Vaticanos Ms. Codices haberi affirmat. Hæc ego invento certa; sed mirari sibiit cur nec Baronius, cum de Maria illa agit ad A. 398, nec scriptores alii Annalium de inventione illa quidquam meminerint, in dubium tamen immerito prorsus revocaretur, cum Bartholomæus Marianus, qui tunc Romæ agebat, id routigisse narret quo tempore librum suum de Urbis Romæ typographia scribebat, ubique lib. V, cap. 21, rem totam ita fere describit ac analista noster hic ex Suro refert. Neminem vero movere debet nomen *Uriel*, quod inter angelorum nomina in lamina aurea inscriptum ibidem legebatur; cum id nomen ex apocryphis quibusdam scripturis sæculo quarto vetustioribus nempe ex egregiis Henoch accipi potuerit. Forte quidem illud ab hereticis primo fabricatum est, sed cum passim a fidelibus ut boni angelii nomen usurparetur, ut ex Actis septimæ synodi constat, inter angelos sepulchri illius tutelares adscribi potuit. Inscriptio illa *Maria nostra Florentissima* primo quidem intuitu a genio lapidario epus ætatis abhorere apparet; sed cum tanta concurrant quæ corpus illud Mariæ vindicent, cultus nempe, inscriptio imperatoris etc. non est cur rei veritas ex insolenti quadam inscriptura sollicitaretur. Præsertim cum illud *Maria nostra* affine sit phrasi illi lapidariae *Cæsar noster, et florentissima* eodem sensu scribi potuerit, ac juvenum sepulchrales inscriptiones *in flore juventa*.
MANSI.

PAULI III ANNUS 12. — CHRISTI 1545.

A. *Deputantur iterum pro Concilio tres legati quibus data potestas etiam illud alias transferendi, si necessitas exegerit.* — Anno Christi millesimo quingentesimo quadagesimo quinto, Indictione tertia, Paulus post confectam superiore anno inter reges pacem, concepta de celebranda Synodo OEcumenica consilia ad exitum perducere omni studio et contentione conatus est, ut novatorum, qui pacis in Germania cons-

tituendæ specie conciliabulum et fraudulenta colloquia, quibus Germaniam ab obsequio Sedis Apostolicæ omnino divellerent, promovere antebantur, nefarias molitiones elideret; quare tres cardinales eruditione florentissimos prævidens Concilii Tridentini designavit ¹, nimirum

¹ Angel. Massarell. in Diar. Cone. Trid. et in Act. Ms. arch. Vat. et aliud sig. num. 3232. p. 42. Acta Consist. Ms. card. Spadae sig. num. 133. p. 452.

ex episcoporum ordine, Jo. Mariam de Monte episcopum Praenestinum, qui Julii III nomine accepto Paulo III successit, ex presbyteris Marcellum tit. S. Crucis, qui Pontificios etiam apices retento eodem nomine gessit, atque ex diaconis Reginaldum Polum, religionis Catholicae acerrimum propugnatores, ut Acta Consistorialia testantur.

Tradita sunt de ea legatione ipsi decreta Pontificiae litterae (inquit Angelus Massarellus) « sub data Romae VIII kal. Martii MDXLV ». Afferrentur eae suo loco, cum in Concilio perfecta dicentur : tum subdit Angelus Massarellus : « Praeterea ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impidiretur, dictis reverendissimis legatis, quandocumque ipsis visum fuerit, Concilium praedictum de eadem Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem et opportuniorem, seu tutiorem civitatem, de qua etiam eis visum fuisset, transferendi et immutandi, ac ipsum in civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi, eidemque sic translato Concilio praesidendi potestatem concessit, editis desuper litteris, quae incipiunt : *Regimini universalis Ecclesiae* etc. sub data Romae VIII kal. Martii ». Praecipua pars earum litterarum, quarum auctoritate Concilium, tertio vertere anno, Bononiam translatum visuri sumus, subjectis verbis concepta eral ¹ :

2. « Paulus etc. Ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impidatur, aut plus debito differatur, oportune providere volentes, motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, parique consilio et assensu vobis insimul, aut duobus ex vobis aliquo legitimo impedimento detentis, seu inde forte absente, quomocumque vobis videbitur, Concilium praedictum de eadem civitate Tridentina, ad quamcumque aliam commodiorem, et opportuniorem, ac tutiorem civitatem, de qua vobis videbitur, transferendi et mutandi, ac illud in civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi, necnon praefatis et aliis personis Concilii hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et poenis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud praefatos et alias personas Concilii Tridentini hujusmodi, etiam sub perjurii et aliis in litteris indictionis Concilii hujusmodi expressis poenis evocandi, eidemque sic translato et mutato, nomine et auctoritate praedictis praesidendi, ac in eo procedendi », et mox » plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore

praesentium concedimus potestatem, etc. Anno Incarnationis Dominicae MDXLV, VIII kal. Martii, Pontificatus nostri anno XI ».

Aliis litteris die vii Martii datis ¹, etiam eos potestate instruxit, ut duobus etiam impeditis, unus ex iis Concilio praesidere, omniaque gerenda gerere possent, rursusque aliis x Februarii consignatis, auxit ea prerogativa, ut in ingressu Tridentinae urbis, gratuitam conventuro populo noxarum veniam elargirentur, modo rite eas sacra exhomologesi expiassent, vel expiare constituto sacris canonibus tempore decernerent, vel qui eo die, quo Concilium inchoaretur, principes templum pie lustrarent.

3. Retardatus est aliquantulum ab itinere Reginaldus Polus, cum Henricus Angliae rex in iras efflertior illius vitae insidias compararet, ut refert Angelus Massarellus ² :

« Reverendissimus (inquit cardinalis Polus) ob nonnullas rationabiles causas Romae per aliquot dies immoratus est. Aiebant enim Ludovicum ab Armis Bononiensem, et comitem S. Bonifacii ab Anglia rege pecunias accepisse, ut suo nomine milites in Italia conscriberent, et quoniam dictus rex Reginaldum cardinalem praefatum alias multoties diversis technis demoliri conatus est, ne idem in praesentiarum a dictis ducibus ferret, arrepta hac ex Urbe Tridentum versus itineris occasione, verebatur ».

De his insidiis adversus cardinalem Polum collatis, meminit Paulus in litteris xxii Febr. datis ³ ad cardinalem Tridentinum, quibus eum monuit, ut debitis honoribus legatos exciperet, necessariaque pro celebrando Concilio Tridentino compararet : « Summus enim, inquit, in hanc celebrationem Concilii omni cordis sinceritate intenti, sicut debemus, cum illud maxime necessarium et salubre fore videamus ».

4. *Legati Tridentum ingrediuntur : orationes Cavaecorum nuntiorum et legati responsio.*

— His subdit Angelus Massarellus ⁴ : « Ipsi autem legati Apostolici et praesidentes, nimirum cardinales de Monte et S. Crucis, ingressi sunt Tridentum die xii Martii MDXLV, excepti solemnibus legatorum de latere more. Dominica vero quarta Quadragesima, qua dicitur *Lazarus*, constituta pro inchoatione Concilii Tridentini, cum Apostolici tantum legati et praesidentes, et unus episcopus Feltrensis adesset, visum est ob hanc et quasdam praeterea causas esse voluntate Summi Pontificis, ut Concilii inchoatio in aliud commodius tempus differretur.

« XII Martii illustris D. Didacus Hurtadus a Mendoza orator Caroli V imperatoris ingressus est Tridentum ».

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. Ext. ibid. p. 80. Ib. p. 80 et 81. — ² Ms. arch. Vat. in Summar. tone. Trid. et Bononien. auctore Angel. Massarell. sec. Conc. — ³ Paul. III. lib. brev. an. A. p. 358. — ⁴ Ibid. p. 81. et Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 216. Ms. arch. Vat. sig. 3188. p. 81. et ibid. 3190. p. 21. Diar. Conc. Trid. et ibid. Ms. card. Barb. sig. num. 23.

¹ Ext. in eod. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232.

Lapso quadriduo idem orator in aula primi legati cardinalis publice apertis januis comparuit, atque habita oratione, Cæsareas curas pro Concilii Oecumenici celebratione provehenda exposuit, deque ea re mandatum imperiale exhibuit, necnon præsulum Hispanorum, qui nondum accesserant, moras excusavit, de quibus confecta sunt publica documenta, quorum potiorē partem afferimus ¹ :

« Superiori anno, illustrissimi et amplissimi Patres, cum esset a sanctissimo D. N. Paulo Summo Pontifice Generale Concilium indictum Tridenti, destinatis ad id inchoandum et proseguendum reverendissimis Parisio, Mutinensi et Polo Apostolicæ Sedis legatis, invictissimus dominus meus Carolus Romanorum imperator Augustus, justissimis tunc de causis adeo detentus, ut principio Concilii a sua mjestate tantopere exoptati et efflagitati adesse non posset, episcopum Atrebatensem D. de Granvela, et me, qui Jacobus a Mendoza dicor, procuratores et oratores ad hanc Tridentinam urbem destinavit, quo futuro Concilio, vel omnes una vel quicumque nostrum ejus nomine interesset. Facta itaque a nobis Cæsaris nomine coram reverendissimis illis legatis comparitione, visum fuit sanctissimo domino ad commodius tempus Concilium protrahere. Nunc vero idem ipse sanctissimus Dominus, cujus munus atque præcipuum officium est reipublicæ Christianæ non deesse, Concilium Tridenti indixit, sicut sublatâ suspensione, omnibus qui interesse debent huc convenire jussit ad Quartam Dominicam Quadragesimæ præsentis, vos reverendissimi atque amplissimi patres, qui præsentē adstatis, legatos ad peragendum Concilii munus demandavit. Quod ubi Cæsar intellexit, rogatus a Pontifice Maximo, cum per nuntios, tum per litteras, ut vel præsens ipse adesset, vel oratores suos mitteret statim utpote qui religiosissimi et optimi imperatoris, et piissimi principis officium nulla ex parte non explevit, animo semper ad communē reipublicæ fideique Christianæ decus ac majestatem restituendam ac confirmandam maxime propenso atque addicto, homines certos, ac litteras in omnem Hispaniam, reliquasque suæ ditionis provincias destinavit, qui excilent et cogant episcopos aliosque viros quibus sacrarum rerum cura præcipue incumbit, ut qua maxime poterunt celeritate Tridentum conveniant.

« Præterea quoniam Cæsar ipse nunc se præsentem exhibere non potest, gravissimisque iisdem impedimentis implicitus mihi, qui publice Venetiis suæ majestatis vices gerebam, mandavit quod huc venirem, et ejus nomine Generali sacro Concilio assistens Augustam

ipsius præsentiam pro virili, atque auctoritatem præstem ad ea omnia conficienda, quæ sacrosancti Concilii confectioni et communi reipublicæ Christianæ bono sanctissimæque religionis majestati profutura videbuntur. Verum in præsentia, reverendissimi patres, Cæsaris animum explicare operæ prelium non arbitror, quandoquidem universo orbi notissimus sit, innumeris sane et certissimis rerum testimoniis undequaque communitis, compluribus præclaris facinoribus, in reipublicæ Christianæ commōdum collatis, comprobatus, cum neque Cæsar animi aut corporis labores ullos quantumvis gravissimos subire, neque maxima et periculosissima contra Christiani nominis hostes bella suscipere nunquam recusaverit, modo quidquam subsidii reipublicæ Christianæ fideique Catholicæ afferre posset, etiam cum ingenti propriarum fortunarum detrimento, nec sine summo salutis et vitæ suæ discrimine. Adsum igitur, illustrissimi et amplissimi Patres, meque hic præsentem Cæsareo nomine statuo, ea præstaturus, quæ a me supra relata, mihi quæ a Cæsare data in mandatis fuere; sicutque invictissimum ejusdem animum, eandem religiosissimam operam, quam Cæsar hucusque præstitit, nunc totam ejus vobis nomine polliceor atque exhibeo, tum ad reipublicæ commōdum et tranquillitatem, tum ad sacræ religionis majestatem amplificationemque, tum ad sacrosancti Concilii prosecutionem, etc. » Excusavit tardiorē adventum suum ob adversam valetudinem, necnon Hispaniæ et aliarum provinciarum episcopos, si nondum accessissent: id non negligentia adscribendum, aut ulli dolo malo, sed itinerum difficultati et intercaepedini: rogavit tum ut Cæsareum mandatum legeretur, quod Bruxellis xx Februarii hujus anni, imperii xxv, aliorum vero regnorum xxx, consignatum erat: quod postea in sessione quarta productum visuri sumus.

5. Proximo die xxvii Martii publice a legatis redditum est responsum oratori Cæsareo ¹, in quo inter alia significarunt, se de Cæsaris pietate ac religione confidere, non permissurum ut in conventu Wormatiensi de rebus fidei quidquam decerneretur, sed controversiæ ad Concilium referrentur:

« Responsum datum a reverendissimis legatis ad propositiones oratoris Cæsarei.

« Die Veneris xxvii mensis Martii an. m. d. xlvi, convenerunt reverendissimi prænominati domini cardinales, responsurumque ad ea, quæ hesternâ die per illustrissimum oratorem Cæsareum coram proposita fuere, dederunt in hunc sensum, et verba per reverendissimum D. cardinalem de Monte ex scriptura in ejus manibus

¹ Angel. Massarell. in *Diar. Conc. Trid. M.*, arch. Vat. et Ms., aliud sig. num. 3190. p. 216.

¹ Angel. Massarell. in *Act. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num.*, 3188. p. 30. et in Ms. sig. num. 3232.

existente, lecta et recitata in praesentia etiam anedictorum praelatorum, procerum et nobilium, videlicet:

« Quae nobis hesternae die, illustrissime domine, de invictissimo imperatoris animo ad religionem tuendam atque amplificandam, et Concilium Universale celebrandum propenso, dominatio vestra copiose et graviter exposuit, et si pro perpetua suae majestatis pietate, universo Christiano orbi perspecta et cognita, nihil novi audivimus, gratissima tamen nobis acciderunt. Nam cum a sanctissimo D. N. Paulo, divina providentia hujus nominis III, vero et indubitato Jesu Christi Redemptoris nostri in terris vicario, Domini gregis pastore, ac beati principis Apostolorum successore, Oecumenicum et Universale Concilium, communicato consilio cum majestate sua Caesarea, in hac civitate indictum sit, ea potissimum ratione, ut dissidia religionis tollantur, et animae, quae ex hujusmodi dissidiis assidue periclitantur, serventur, et ad ovile Dominicum, cum in ceteris provinciis, tum in Germania in primis reducantur, speramus majestatem suam effecturam, ut in conventu imperialis Wormatiensi de articulis causisve religionem concernentibus minime agatur, sed ad Concilium integre remitti debeant, cum causa ipse in eo conventu sine humani diviniq[ue] juris et vetustissima in Ecclesia consuetudinis laesione, ac sine pernicioso in omne aevum exemplo, et absque ipsius Concilii perturbatione et impedimento pertractari nequeant. Quam sane rem ad perpetuam majestatis suae gloriam dicere volumus, ad conscientiae serenitatem pertinere maxime arbitramur. Praeterea vero et assistentia dominationis vestrae in Concilio erit nobis gratissima, cum propter ejus nobilitatem ac virtutem, tum ob favorem, quem a principe tam Catholico ac tam potenti cujus vices gerit, et nos ipsi speramus, et ipsa nobis pollicita est. Itaque mandatum majestatis suae Caesareae dominationi vestrae missum, et coram nobis exhibitum et lectum, quantum de jure possumus et debemus, grato, et benévolo, et prompto animo admittimus ». Et mox: « De episcopis Hispaniarum et ceterorum regnorum et nationum quos a sanctissimo D. N. per litteras et nuncios monitos magno cum desiderio expectamus quoniam adhuc nullus eorum comparuit, nihil nunc habemus quod dicamus, nisi nos perlubenti animo intellexisse majestatem suam eos, qui sub ejus ditione sunt, per litteras et nuncios excitasse, quo fit ut illos propediem venturos speremus ».

6. Transmisit etiam Tridentum Ferdinandus Romanorum rex oratorem suum, propensissimum erga religionem regum animum exposuit, operamque pro celebrando Concilio detulit, ut refert Angelus Massarellus in Dialecto:

Mercurio vii Aprilis, illustrissimus D. Fran-

ciscus a Castelalio orator serenissimi regis Romanorum ad Concilium designatus comparuit coram reverendissimis et illustrissimis DD. legatis cum litteris regis sub data Wormatiae xxiv Martii, in quibus operam omnem suam pro Concilii celebratione offerebat, id quod dictus orator fecit ore. Reverendissimi DD. legati responderunt letari plurimum de religione et propenso erga Concilium animo regis, cui gratias agebant, etc. sperareque se tum bonitate Summi Pontificis, tum favore Caesaris et majestatis suae regiae aliud tandem commodum Christianae reipublicae ex hoc sacro Concilio allatum iri, in quo ipsi reverendissimi legati conarentur, nihil ex eorum parte desiderari posse etc. ».

7. *Diploma Pontificum quo moneantur praesules ut per seipsos, non per procuratores ad Concilium accedant.* — Ad excitandos vero praesules, ut Tridentum pro celebrando Concilio confluerent, Pontifex xvii Aprilis in cardinalium senatu Diploma promulgavit¹, quo ipsos monuit, propositisque penis canonicis jussit in Tridentino Concilio praesentes, ac non procuratorem opera interesse, quod Angelus Massarellus in Actis Concilii confirmat. Praecipua ejus Diplomatis pars concepta est hisce verbis²:

« Ad futuram rei memoriam, etc.

« Attendentes gravitatem negotiorum, quae in Concilio tractanda erunt, praelatorum et aliorum vocem habentium hujusmodi iudicium, consilium et praesentiam exigere: et propterea ne sub pretexto alicujus forsam minime legitimi impedimenti, aut spei eorum admissionis per procuratorem, ipsi ab accedendo ad dictum Concilium retrahantur, et ut absque aliqua corruptela singularum praelatorum et aliorum, ut praefertur, vocem habentium iudicia et consilia hujusmodi in eodem Concilio libere exquiri et haberi possint, providere volentes, habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac abbates, et alios quibus in Conciliis generalibus residendi et in eis sententias dicendi, ut praefertur, permessa est potestas, de novo monemus et hortamur, ac in Domino requirimus, eisque non solum sub perjurii et aliis penis praedictis, verum etiam sub suspensionis a regimine et administratione Ecclesiarum, quibus praesunt, et aliarum dignitatum, ceterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum ratione eis locus in Concilio et potestas sententias in eo dicendi permittitur, per eos obtentorum: necnon interdicti ingressus Ecclesiae sententias per eos nisi praesentibus cum effectu paruerint, eo ipso incurrendis.

¹ Act. Conc. Ms. card. Spaldr sig. num. 133, p. 155. Ms. arch. Vat. sig. 222, p. 51. — ² Act. ibid. p. 52.

districte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procuratorum per eos haecenus, ut præfertur, factis, vel in posterum faciendis, quæ omnino revocare, et eorum revocationem procuratoribus per eos constitutis, aut in Concilio hujusmodi intinmare sub eisdem pœnis et sententiis teneantur, minime attentis ipsimet personaliter per seipsos, et non per procuratorem aut procuratores, nisi forte justo delineantur impedimento ». Et mox : « quanto citius potuerint, ad eandem civitatem Tridentinam accedere, et prosecutioni celebrationis Concilii hujusmodi adesse et interesse velint, etc. Datum Romæ etc. MDCXV, XV kal. Maii, Pontificatus nostri anno XI ».

8. Hoc decretum edidit Paulus, ut Concilium pro restituenda sanctorum morum disciplina atque hæreseos vicinas Germaniæ provincias, instar incendii latus depascens, impetus comprimeret : at Cæsar ejusque administri politica seculi consilia OEcumenicam Synodum variis artibus retardare affeclabant; atque ideo Neapolitanus prorex episcopis regni Neapolitani dederal imperia, ne adeunda Synodi causa e suis diocesisbus discederet, sed procuratorum munus per litteras quatuor delectis episcopis demandarent. At episcopi Pontificalis officii memores iniqua respuerunt imperia, et constanter contenderunt velle se Concilio vetere more interesse, ac religione ad id adstringi; nec velle alienæ subijci voluntati : hoc accepto responso, prorex edictum proposuit, quo regem Carolum ita imperare promulgavit. Quare Pontifex Constitutionem mox allatam edidit, eamque legalis ante promulgationem transmisit. Verum quia paulo asperior visa esset, ita eam temperavit, ut iis pœnis non constricti forent, qui legitimo impedimento distinerent, vel a negligentia culpa immunes essent. Impresso deinde typis eo Diplomate Pontificis internuntius, qui Neapoli agebat, illud metropolitani transmisit. Prorex vero multis verborum officiis acta sua excusavit apud Pontificem, atque de procuratoris litteris sermo suppressus est.

9. *Legatorum ancipites cura de aperiendo Concilio.* — Proxima die xvii Aprilis legali Tridentini significarunt Pontifici, videri non serio rem agi a Cæsare, atque in ancipites curas se distractos fuisse, an Concilium aperirent, præsentisque casus et varias formidinum causas exposuerunt¹ :

« Beatissime pater, post pedum oscula beatorum.

« Accepimus reverendissimum cardinalem Farnesium Roma ad Cæsaream majestatem profectum, atque ideo ad vestram sanctitatem nostras litteras direximus. Haecenus hæsimus in ancipiti, quo tempore aperiremus ob varias re-

rum vicissitudines conversionesque, quas ordinum imperii comitia parere possint, ac majori luce a vestra beatitudine in re gravissima colustrari flagitamus : postremis cardinalis Farnesii litteris jussi sumus, dato casu, quo in comitiis Germanicis de religione agendum foret, Concilium, non expectato majori præsulorum numero, aperire, sin vero eo periculo non urgeremur, præstolari episcopos, ut honesto numero Tridentum confluerent : ex habita Cæsareo nomine oratione ad ordines imperii perpendimus tertium casum posse continere, cum hæc concepta verba dixerit : « Atamen quoniam « negotium reformationis maturam deliberationem efflagit, Turcæ vero negotium ultra « differri non potest, consultiis fore Cæsare existimal, quandoquidem ita factum sit Concilium, et disputatio reformationis in præsentia « suspendatur, interim habebitur, quod Concilium progrediatur, quidque ex eo si spes « nulla refuderit ante hujus diete finem, alia « indicetur, in qua hujus reformationis et religionis consultatio omnino habebitur ». Grave propterea incidit dubium, ne ob imminenti discrimini gravitatem comitia brevi expediantur, ut necessarius contra Turcæ bellicus apparatus instruat, ac quantocius decretum feratur, in quo ex Cæsarea sponsione indicantur comitia, in quibus de religione agatur, atque ita omnis invidia in nos transferatur : pervulgatum enim iri, patefacta in comitiis Cæsarea sententia, ut ardentius promoveretur Concilium, illud inchoatum non fuisse, atque ita vulnus nullam medelæ spem admissurum, maxime quod pro Germaniæ sanandis vulneribus Concilium celebrari debeat, lotiesque legati Apostolici sine ullo fructu accesserint, in qua sententia magis confirmamur, quod D. Mignanellus internuntius pluries suis litteris significavit, coacto apertoque Concilio, Lutheranos non accessuros, sed eo casu mulaturos sententiam, atque expetitos a Cæsare, ut si velit ab iis socialia contra Turcæ jungi arma, spondeat publicæ fidei syngrapha, nullos eos damno vel molestia religionis causa affectum iri, quam syngrapham Cæsar sine majestatis Cæsareæ injuria concedere nequeat, atque adeo tanquam honoris luendi cupidissimum ad memoratum decretum, dum hic in otio degimus, inclinaturnum. Vestram itaque sanctitatem horum omnium certiorum reddimus, ut consueto prudentiæ molimine imperet, quæ a nobis agenda sint, qua in re si forte nostram exquirat sententiam, hodie post collatos invicem profixos sermones constituimus, ut sacrum de Spiritu sancto solemniter peragatur, antequam Cæsar ad comitia perveniat, et continuo indicatur prima sessio intra paucos dies celebranda pro discutendis erroribus disciplinaque restituenda, antequam in comitiis decretum, quod recessum vocant,

¹ Ms. Franc. card. Barberini sig. 2677, p. 108.

promulgetur. Apertum vero Concilium, aut felicem progressum habiturum, ac tum debitas laudes Deo persolvendas, aut si ob irruptionem Turcicam asperiora fuerint tempora, aut alias vestra sanctitas de eo postuletur, illud in meliora et commodiora tempora differre, non videmus in sanctitatem vestram ex inchoato et aperto Concilio quidquam aliud quam honoris et gloriæ compendium redundaturum, quamcumque vero deliberationem sumpserit, aut progrediendi ulterius, aut suspendendi vel transferendi, vel claudendi Concilii summis precibus contendimus, ut ea quanticus nobis significet, quo ipsius mandata conficere possimus. Humillima oscula beatitudinis vestræ pedibus libamus, ac Deum precamur, ut ipsam salvam, incolumem ac felicem in longiora tempora servet. Datum Tridenti xviii Aprilis M^oXLV.

« Sanctitati vestræ addictissime creaturæ ».

Significaverunt aliis litteris eodem die exaratis legati Pontifici, « Casarem, ut ex gravibus iudiciis apparet, parum curare, ut modo celebraretur Concilium, ac Didacum Mendoza illum oratorem, ab ea qua comparuit die, posthac ne verbum quidem fecisse de agendis, nec quæsisse cur in otio ageremus, contentum tantummodo diligentia suæ conscientia, ac purgati ab omni culpa Cæsaris ostentatione, quod in ipsa comparitione magnifica oratione præstitit, nec Cæsar tuendi honoris sui avidissimus, ac laudis in omnibus gestis appetentissimus vult, ut exeat Tridento, ut alias ne dici ulterius possit: Vocavit, et non erat qui audiret, venimus, et non erat vir. Censemus vero, non parvi referre, ut prius aperiretur Concilium antequam reverendissimus cardinalis Farnesius in conspectum Cæsaris veniat, ne maledicæ linguæ vestram sanctitatem ea calumnia appetant, legatum ad disturbandum Concilium missum fuisse, etc. Tridenti xviii April. M^oXLV ».

10. Profectus in Germaniam Alexander cardinalis Farnesius, Pontificius nepos, iis maxime mandatis gravissimis instructus est, ut nummarium subsidium Cæsari pro gerendo sustentandoque contra Turcas bello afferret, eundemque ad tuendum promovendumque Concilium accenderet, curaretque flagrantissimo studio, ut omnis de religione actio ac tractatio ad Concilium referretur. Cæterum de ea legatione varii varia opinati sunt. Belarius vero sensit, fuisse missum, ut Casarem ad sociale bellum in Protestantos ad eos in officium redigendos incitaret, cogeretque decreta Concilii amplecti.

11. Appetente Concilii aperiendi die anceps curarum æstus Pontificis. Casareosque distraxit: nam Cæsar verebatur, ne inchoato Concilio, a quo pertinacissime abhorrebant Lutheranæ, caperent arma in Casarem, si Concilium tueretur, in quo se omnino damnatos urente

conscientia certissime norant: atque ita Cæsar Lutheranis simul et Turcico implicitis bello succumberet sub hostium ferocissimorum tyrannide; ideoque omni ratione multo magis Lutheranorum principum animos retardato Concilio; atque injecta illis fiducia ac spe titillabat religionis dissidia, et Ecclesiasticæ disciplinæ causas in comitiis imperialibus compositum iri. At Pontifici urgebantur a Paulo III, ut tertia Maii die sanctissimæ Cruci sacro, Concilium inchoaretur, quod testatur Angelus Massarellus, qui addit eodem tempore cardinalem Farnesium legatum xxv Aprilis Tridentum ingressum, cum ad Casarem se conferret, ac tunc scissos esse in varias sententias legatos cardinales, an indicta die a Pontifice inchoandum esset Concilium, an expectandum, ut prius cardinalis Farnesius salutato Casare rem cum illo contulisset. Vicit demum ea sententia, ut prius consuleretur Cæsar; cum cardinalis Tridentinus et Mendosius, Casaræ in Concilio oratores, certum ac præfixum diem a Casare pro inchoando Concilio non accepissent: ita enim inter Pontificem Casaremque alendam concordiam videri; tum quia imperator comitiis iudicis presens futurus non esset, nec iis dimissis exitiale aliquod edictum metuendum esset, postquam Farnesius legatus accessisset ad Casarem; tum quia Granvellanus, qui imperatorio nomine conventui præsidebat, capita omnia ad religionem spectantia ad Concilium ab eo dirimenda retulisset; tum quia jam ex omnium animis eversa esset ea falsa opinio, legatum pro Concilio disturbando a Pontifice missum, sed potius pro eo ex Cæsaris consensu promovendo; tum quia prorogata dilatio brevissimo temporis flexu esset definita; quibus acceptis Pontifex dilationi factæ assensit.

12. Exceptus est perhumaniter a Casare Farnesius cardinalis; sed cum arbitraretur Casarem ingenti gaudio cumulatam iri, audita Pontificis sententia de Concilio non amplius differendo, quod lot annorum flexu continentibus votis expetisset, spe sua et opinione excidit: cum Cæsar potius illud ob iniquiorum temporum calamitatem retardandum contenderet: premi enim gravi metu, ne Protestantium factio, quæ se a Concilio damnatum iri prævidebat, in arma desperatione efferrata consurgeret ad opprimendos Catholicos, atque etiam in Italian bellum transferret: quare videri magis prudentia: consonium, ut Pontifex confidendo arario operam daret, validiora subsidia pro confirmandis Catholicis compararet, ac Protestantibus dilato Concilio credituros se armis non comprimentos. Ad hæc respondit legatus, Paulum, cum de religione tuenda actum fuerat, nunquam auxilia denegasse, nec iis submittendis defuturum, quamquam ejus opes tenuiores essent quam Cæsar æstimaret. Cæterum nulla

ratione posse amplius differri Concilium, cum in tot ordinum Germaniæ conventibus promissum esset a Pontifice, maximamque infamiam labem contracturus esset, si Christiano orbi illuissis diceretur, ac Tridentinis legatos urgere, ut dies certa Concilio inchoando decerneretur. Perstabant defixi in sua sententia Casarei administri, tempus celebrandi Concilii opportunum non esse, posse quidem Pontificem illud aperire, sed imperatorem non assensurum, eademque Ferdinandus rex Romanorum præsentente cardinale Augustano exposuit cardinali Farnesio legato, qui omnia tum Pontifici, tum legatis Tridentinis significavit, de quibus hæc tradit Massarellus : « MDXIV, vigesima quinta Maii, reverendissimi et illustrissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo et illustrissimo cardinale Farnesio Wormatiæ vigesima secunda hujus datas, in quibus significavit, qualiter vigesima octava præsentis mensis locutus fuerat cum imperatore de apertione Concilii, a quo habuisset responsum, quod cum res esset ita gravis, ut erat, non posset tam cito certam responsum dare. Videbatur autem suæ majestati, quod pro nunc suspendendum esset a celebratione Concilii, tum multis aliis rationibus, tum maxime, quia Lutherani maxime profiterentur, se nolle ad Concilium venire, interim operam dabit in Dieta Wormatiensi (quæ nunc celebratur) ut eorum animos flectat et ad Concilium amplectendum inducat ». Quæ omnia, ut idem Massarellus dicit, legati cum patribus communicarunt : « Trigesima prima Maii vocati sunt in congregatione patres, nimirum archiepiscopi quinque, et episcopi quatuordecim, quibus hæc exposita a legatis fuere ».

13. Respondere legati Tridentini cardinali Farnesio allatas rationes penitus inanes, quæ de Lutheranorum adversa sententia, vel de belli ab iis inferendi terrore adducebantur; illos enim hactenus cogendo Concilio semper restitisse, atque in hoc rerum statu illum monuere, ut in Wormatiensi conventu promulgandum curaret, non ex Pontificis vitio ac culpa Concilium non inchoari, sed illud ab imperatore impediri, qui nullam possit excusationem prætexere, si aliquid decretum religioni exitiale ferre velit. Addidere etiam, ut Pontificiam sanctitatem hortaretur, ut prius Pontificatu se abdicaret, quam toleraret Casaream, vel aliam laicam potestatem de religionis causis pronuntiandæ sententiæ sibi arrogare auctoritatem, illa prætexta causa, quod potestas Ecclesiastica Concilium non celebraret, suoque muneri defuisset.

Scripsere iidem legati Tridentini Pontifici, vehementer se undique angustiis premi, expectandum reditum ex aula Casarea cardinalis Farnesii, se in tanta rerum caligine, qua lux non afflueret. Angebantur enim gravi metu, ne

quid in comitiis religioni noxium pro conciliandis Casari Lutheranis constitueretur.

14. Adulsit ea lux feliciter, etenim Casarem mentem suam cardinali Farnesio aperuit, contrahi a se exercitum, ut Protestantes cogeret ad morem Concilio gerendum, si illos humanioribus officiis dlectere non posset, ut ejus legibus se subjicerent : felici hoc nuntio allato, tum Pontifex, tum legati Tridenti maximo gaudio delibuti, judicarunt differendam adhuc prudenter Concilii congregandi precautionem; nec non Catholicis principes sincera Pontificis mente cognita recreati Spirensi decreto jam ante edito se opposuere : Lutherani vero non movere arma¹, cum non inchoaretur Concilium; eaque occasione sequestra pax misso oratore Gerardo Wiltuvicho inter eas temporis moras cum Turca conciliata est; cum ardente bello Turcico, nec Concilium celebrari, nec Lutheranus furor compesci potuisset. Ex his refellat Petrum Soavium dum fingit cardinalem Farnesium missum ad Casarem, ut illum a petendo Concilio abduceret.

15. *Plures episcopi Tridentum adveniunt.* — Pervenere proximo tempore Tridentum plures episcopi, atque insignes theologi, ac inter alios Theodoricus Raius juris utriusque doctor, ab Alberto Moguntino archiepiscopo cardinale procurator missus, qui cum accepisset promulgatum a Pontifice edictum, ne episcopi procuratores mitterent, exarsit in iras; sed monitus est, eo decreto Moguntinum non obstringi, cum justa causa distineretur, Pontificemque de ea re factum iri certiore. Ex Italia plures accessere, et ex regno Neapolitano quatuor illi ante defecti, non tamen procuratorias aliorum episcoporum litteras attulerunt. Rex Galliæ episcopos et theologos scientiæ laude conspicuos misit. Cumque regum corda sint in manu Dei, ita divina providentia imperatoris et Ferdinandi regis animos inflexit, ut qui antea obstiterant inchoando Concilio, jam institerint, ut quanto citius aperiretur; cumque vehementius urgerent Ferdinandi oratores, ut mandata de ea re coram Patribus promulgarentur, respondere legati expectandum, ut Mendozius orator Casareus Venetiis Tridentum rediret, ut summo omnium consensu res perficeretur, illique a cardinale Tridentino persuasi acquievire.

16. *Regis Lusitanicæ ad Pontificem gratulatoriæ litteræ.* — Rex autem Lusitania, cum conceptam contra Pontificem indignationem inani de causa deposuisset, certiorque factus fuisset, Pontificem non solum Concilium indixisse, sed etiam legatos misisse Tridentum, lætissimis officiis repletam Epistolam illi scripsit² :

¹ Surin in Coma. — ² Ext. in arch. Vat. Conc. to. VIII, sign. num. 3195, p. 32. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232, p. 92. Ms. Franc. card. Barb. sig. 3232, p. 92.

« Sanctissimo in Christo patri et beatissimo domino Paulo III divina providentia papæ, et devotus et obediendissimus sanctitatis suæ filius Joannes III, Dei gratia Portugallia et Algarbium rex citra et ultra mare in Africa, dominus Guinæ, navigationis, expeditionis et commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, humillimum sanctorum pedum osculum mittit.

« Etsi nemini unquam dubium aut obsecrum fuit, beatissime pater, nullum tui sanctissimi Pontificatus tempus a consiliis tuenda Christianæ religionis, constituendæque inter principes amicitia abhorruisse; nulla tamen res conceptam de sanctitate tua opinionem æque ac OEcumenici Concilii indictio confirmavit: quod bene feliciter cessurum universo populo Christiano facile sibi persuaserit, qui divini nominis primum, cui ejus auctoritas innotuit, majestatem, deinde sanctitatis suæ in eo denuntiando constantiam perspexerit: qui-que postremo ad eas artes animo se et cogitatione converterit, quibus savissimus humani generis hostis omnes aditus, qui ad sacrosancti Concilii celebritatem patere videbantur, superioribus annis obstruxit; nec enim ille tam studiosè id oppugnasset, nisi jacentem afflictamque Christianam rempublicam excitari posse ea via prævidisset, aut sanctitas tua animi contentionem in agendo totius populi Christiani conventu adhibuisset, nisi constanter sperasset fore, ut moribus pristina severitati restitutus, omnibusque idem de orthodoxa fide sentientibus, facile non modo hostium vim repellere, sed etiam priorum temporum calamitate amissa recipere et vindicare possemus, quæ si aliquando singula tantum habere momenti visa sunt, ut agi de illis nisi frequentissimo populi Christiani concursu pro dignitate non posset, quid nos de sanctitate tua cogitare par est, quam tot et tam graves causæ ad promulgandum OEcumenicum impulerunt, præsertim veteri Christianæ reipublicæ disciplina ita collapsa, et in tantam perturbationem adducta, ut etiamsi nullus vel hæreticorum seditio, vel hostium incursiones perlimesceret, ad colligendas tamen antiquæ sinceritatis reliquias convenire omnes oportuerit, et suo quemque loco sententiam dicere; nam cum labefacti mores hæreticorum improbitati et hostium victoriae aditum patefecerint, ea sane parte diligenter constituta, et qui a fidei Catholice veritate detecerunt, requiescent, et qui Christianam religionem oppugnant, Dei optimi maximi potentia opprimuntur, quam, ut si facilem haberimus victoriam, pacem, otium, summa denique omnia nobis spondere possumus? Ita eo irritato et offenso, non video quid in nostris copiis sit reliquum, in quo spem figere debeamus, quod si ubi nec ab exteris nationibus ullum grave et periculosum bellum immereret, nec intestinis

factionibus esset convulsa et jaelata nostra respublica Christiana, tamen religionis in te fuit ad conciliandum animorum charitatem sacrosancto Concilio locum tempusque a sanctitate tua præscribi, si ulla promovenda Christianæ pietatis ratio haberetur, si quem augeret dolor, quem de tot animarum provinciarumque jacturis omnes capere oportebat, transacta jam dudum res esset, cum sanctitas tua tanto Concilii rite celebrandi studio esset inflammata, ut multis abhinc annis nos ad id hortari et incitare nunquam destiterit, quam animi propensionem sanctitas tua in medio bellorum tumultu præ se tulit, nunc pace tandem aliquando facta, et armis in angustiorum reipublicæ partem contractis, in animum induco, nullam difficultatis speciem tantam objici posse, quæ vel eximum sanctitatis tuæ ardorem vel conatum restinguere possit, cui nos non solum morem gerere decet, sed etiam gratias Deo, quantas maximas mens nostra concipere potest, agere: cujus nullo effectu est, ut in edicendo Concilio nunquam sanctitatis tuæ industria languesceret.

« Nec vero diffido quin qui animo valem dedit, incolumem etiam sanctitatis tuæ valetudinem teneat, et quod sapienter exorsa est, cum summa etiam divini et tui nominis gloria forlitter ad extremum perducat: facile porro adducor, ut credam omnes muneris sui partes sanctitatem tuam diligenter acturam, tum quia captato toties frustra tempore nollet deesse, tum quia minime deceat, sanctitatem tuam id inchoatum relinquere, quod ut inchoaret, nullam sibi recusandam molestiam, nullum non subeundum laborem, nullam honestam conditionem repudiandam judicavit. Neque sane jam multa valeant ad interrumpendum sacri Concilii cursum, quum ejus initium impedire nulla non potuerunt, et si modo sanctitas tua ab eo, quod instituit, non decederet, quod Deo Optimo Maximo auctore cepit, eodem egregium conatum juvante prosequetur: qui, ut quod maxime ob stare videbatur, divinitus submovit, ita proposito omnibus sanctitatis tuæ saluberrimo exemplo, et longe lateque sacri Concilii diffuso splendore, si quorum nondum satis est confirmata voluntas et perspecta, eos paulatim ad colendum Ecclesiæ Catholicæ nomen, et ad frequentem OEcumenici Concilii celebritatem adducet.

« Quamobrem supplex ipse Sedis Apostolicæ filius sanctitatem tuam oro atque obtestor, quam modestissime possum, ut ad omnem se difficultatem confirmet, ne animum contrahat ac remittat: quod licet sua sponte facturam sanctitatem tuam existimem, vis tamen amoris et observantia mea, rei etiam magnitudo efficit, ut a sanctitate tua id petere atque obsecrare non dubitem. Carterum cum legatos meos, et quos illius Concilii participes sociosque destinavi, minori celeritate quam vellem, viderem se ad

iter componere, ne ulla esse in me mora videretur, ut ad id, quod sanctitas sua tantopere vult, efficerem, delegi ex eo numero viros bonos et eruditos Fr. Georgium a S. Jacobo, Fr. Hieronymum ab Olcastro, Fr. Gasparem a Regibus sacrarum litterarum professores, qui ad sanctitatem tuam celerius mea mandata perferret, et quid de sacro Concilio peragendo sentirent, accurate responderent : quibus ut fidem habeas hac de re tota, enixe peto, beatissime pater. Christus Optimus Maximus diu tueatur incolumem sanctitatem tuam, pater sanctissime, et beatissime Domine, ad sui nominis laudem et gloriam. Datum Eboræ xx die Junii, anno humanæ salutis MXXLV ».

Accepta sunt gratissimo animo a Pontifice Lusitani regis officia, et quanto animi ardore in illud opus sanctissimum incumberet, significatio est. De prosecutione Concilii inferius denuo agemus.

17. *Providet Pontifex ne in comitiis Wormatiensibus res religionis pertractentur, sed referantur ad Concilium.* — Modo progressum Diæ Wormatiensis videamus. Cum igitur Pontifex timeret, ne Protestantes de religione tractare vellent, Ferdinandum Bohemiæ et Romanorum regem sacris monitis instruxit, ut ea omnia, quæ ad religionem spectarent, referenda ad Concilium OEcumenicum curaret, ad quæ promovenda Fabium Mignanellum internuntium ad eum misit ¹ :

« Regi Romanorum, etc.

« Charissime. Cum venerabili fratre Hieronymo Verallo archiepiscopo Rossanensi, quo nuntio apud serenitatem tuam utebamur, ad majestatem serenissimi Cesaris fratris tui per nos destinato, nunc apud te nuntio nostro careamus, nos pro benevolentia, quam singularem ac paternam erga serenitatem tuam merito gerimus, nuntium apud te continuum, prout semper consuevimus, habere volentes, qui nostra et Apostolicæ Sedis negotia jugiter cum tua majestate tractet et exequat, elegimus venerabilem fratrem Fabium Mignanellum episcopum Lucerinum, prælatum nostrum domesticum, latorem præsentium, singulari doctrina, prudentia et integritate præditum, cujus opera in aliis legationibus etiam apud serenitatem tuam, et multis arduis rebus usi sumus; cum itaque cum Dei nomine ad serenitatem tuam nuntium nostrum et hujus Sanctæ Sedis destinantes, serenitatem tuam hortamur et requirimus in Domino, ut pro sua erga nos et dictam sedem reverentia, eundem Fabium episcopum nuntium solita, qua cæteros nuntios humanitate et benignitate excipere, fidemque ejus verbis tam nunc, quam quoties te nostro nomine alloqueretur, haud minorem præbere velis, quam si nos

ipsi præsentem majestatem tuam alloqueremur; et quoniam existimamus eandem serenitatem tuam in Wormatiensi conventu pro sua maxima ac regia auctoritate adfuturam, hortamur et in Domino requirimus eandem serenitatem tuam, ut causam religionis solito favore prosequens, si quid de ea in ipso conventu Wormatiensi proponi contigerit, velis curare, et efficere, ut id totum ad Universale Concilium, quod Tridenti denuo indictum et jam omnibus expositum est, remittatur, sicut omni jure debitum est, id erit consuetudine tua atque officio præstantissimi regis dignum, et Deo Omnipotenti gratissimum. Dat. Romæ xii Martii MXXLV, anno XI ».

18. Jussus etiam est Fabius Mignanellus internuntius Pontificius proficisci ad Casarem, ut illum admoneret ¹; ut si quid de religionis dissidio in conventu Wormatiensi proponeretur, id ad Concilium Tridentinum referendum curaret.

Monitus eodem tempore est a Pontifice Granvellanus, qui adversa valetudine implicito Casare ad conventum Wormatiensem præmissus fuerat, ut qua auctoritate florebat apud Casarem, causam religionis in eo conventu tuendam susciperet, controversiasque fidei ad Concilium Tridenti indictum referendas curaret. Præmoniti quoque Sancti-Petri ad Vincula cardinalis ², idemque Moguntinus archiepiscopus, Joannes Ludovicus Trevirensis, Otho cardinalis Augustanus, ne quid de religione decerni a Wormatiensibus comitiis paterent, sed ad Concilium Tridentinum referendum contenderent; inter alios vero Moguntinum et Trevirensium septem viros instituisse vehementer adversus Protestantes, religionis causam ad indictum Concilium referendam esse refert Franciscus Belcarius ³.

19. Celebrari cæperant Wormatiæ comitia principum Germaniæ, absente Casare, cum podagra impeditus esset, quare Ferdinandus rex habita oratione coacti conventus causas exposuit præcipuas, quæ fuere gravissime: prima, ut pacatis pristinis dissidiis religio vera in sua dignitate constitueretur: secunda, ut communi consensu bellum adversus Turcam conjunctis socialibus armis decerneretur; ea de causa imperatorem pacem composuisse cum Gallie rege, qui episcopos ad Concilium Tridentinum missurus esset, atque auxiliares copias adversus Turcam spondidisset: congregari jam Concilium Tridenti, ac se una cum imperatore oratores ad illud decrevisse, atque adeo causa religionis Concilio Tridentino permissa, de bello Turcico pro ferocissimis hostibus a Germanorum cervicibus propulsandis in eodem Wormatiensi conventu agendum esse.

Assensere Catholici principes propositis re-

¹ Ibid. p. 280. Paul. III. lib. brev. an. xi. p. 296. — ² Ib. p. 258. Ib. p. 256. Ib. p. 257. — ³ Lib. xxiv. num. 9.

¹ Paul. III. lib. brev. an. xi. p. 268.

bus in regia oratione : at Protestantes in haeresi impia confirmati dissensere ; moliebantur enim in conventu maxima ex parte ex laicis vel haereticis coacto quoddam religionis monstrum collare, cum jam ante omnia comitia, quae de religione egerant, rei Catholicae maxima damna attulissent. Quare obtulit supplicem libellum regi Romanorum ¹ Mignanelus Pontificis internuntius Wormatiae vigesima sexta April. MXLV consignatum, quo exposuit : « A multis jam annis in omnibus ordinum imperii caetibus Lutheranæ res augeri ac confirmari, eos enim, quæ ipsis conceduntur avidissime arripere acerbique exigere, et ea quæ vi rationis spondeant, per summam perfidiam non servare, remque Catholicam profligare, atque hæcenus præfexit solitas causas toleratæ eorum insolentia, belli Turcici terrorem, discordiam principum, ac Concilii Oecumenici inanem expectationem, jam vero principes mutua pace conciliatos, Concilium indictum congregari, nullum imminere Turcicum terrorem, atque adeo rogavit, ne regia majestas fidei et libertatis syngrapham concederet Lutheranis, qui eam eblandiri miterentur, ut procaciter illuderent Concilio, nec aliam formulam verborum conceptam fraderet, quam eam, quæ Concilii syngrapha concepta foret, constare enim de Protestantium animo, in idque ipsos inniti, ut si decretis Concilii non paruerint, ad ea amplectenda obsequiumque Cæsaris armis cogi non possint, demumque preces addidit, ut Pontificis Conciliique auctoritatem assereret, Wormatiae vigesima sexta Aprilis MXLV ». Vigesima octava Aprilis Protestantes propositioni Ferdinandi sua responsa obtulerunt, consertaque erant solitis insulsissimis rationibus et impudicissimis natiis, ne Concilio obtemperarent ² :

20. *Volis Protestantium qui repudiavit Concilium et comitia reclamant Cæsar annuit.* — « Responsi dati XXVIII Aprilis MXLV a Protestantibus summa, dictata a senatoribus principis Catholici.

« Respondere status confessionis Augustanæ, in recessu Spirensi promissum fuisse Concilium Universale, liberum, Christianum, id est, Lutheranicum celebrandum in Germania, non vero papisticum et partiale, ut Tridentinum.

« Licet aliæ nationes se submittant iudicio Concilii papistici, non tamen ipsos velle, nec posse, quod suspectus sit ipsis locus, suspecti præsides, suspecta decreta in eo condenda.

« Qui intersint illi Concilio iurejurando obstringi Pontifici, atque adeo ipsorum esse adversarios, nec propterea assentiri illi posse; non celebrari secundum purum Dei verbum, nec secundum morem veteris, veræ et Apostolicæ Ecclesiæ, secundum quem omne Concilium cele-

brari debet, atque adeo illi non consensuros, ut contrario animarum salutæ confessionis Augustanæ, adherenti rei politicae, cum illi qui celebraturi sunt illud Concilium, sacramento sint obstricti Pontifici, atque proclives ad tuendam ejus doctrinam. Constitutiones propterea et decreta posse condere conformia juri papistico, at non purissimo verbo Dei, contra sponcionem decreti Spirensis, atque adeo rogari a se regiam majestatem Cæsareosque administratos, ut si quid contrarium decerneretur in papistico Concilio Tridentino, non dissolveretur pax in recessu Spirensi, sed potius perduraret usque ad Christianam compositionem in nationali congregatione, seu dieta imperiali Germanica natione fienda vi et tenore anedicti Spirensis recessus.

« Quod ad articulum de justitia et pace, quia edicta Wormatiense et Augustanum subjecimus status confessionis Augustanæ pœnis contentis in privilegio pacis publicæ, ac secundum leges declarantur hæretici, adeoque bello petendi ; propterea in recessu Spirensi extorserant, ut pax iis concederetur, polliciti enim erant contra Turcicam arma subsidiaria ea tantum lege ne causa religionis molestia ipsis exhiberetur ».

Addidere se id agere adactos necessitate pro bono publico Germanicæ nationis, ac veræ, antiquæ et orthodoxæ religione asserenda.

21. Agit etiam de his comitiis Wormatiensibus Jo. Coelans ¹, et hæc refert :

« Hoc anno indictus ac celebratus est Wormatiæ conventus imperialis, qui promissus fuerat in recessu Spirensi, et constitutus in diem primum Octobris prioris anni. Itaque Cæsar ad eum diem suos jussit ibi comparare commissarios. Cæteri tardius advenerunt. Rex Romanorum mense Decembri ; Cæsar, infirmitate corporali præpeditus, longe tardius adventit. Ex principibus autem electoribus, unus duntaxat personaliter comparuit, illustrissimus comes Palatinus Rheni et dux Baviaræ Fridericus ; cæteri miserunt suos oratores. Minus igitur frequens ac celebris fuit iste conventus, quam Spirensis, licet satis celebris fuerit ex Cæsaris regisque personali præsentia, ubi et reverendissimus dominus episcopus Augustensis Otho cardinalitatis dignitate ac amplitudine sublimitatis insigniorum eo honore conventum illum reddidit : protractus autem est iste conventus usque in mensem Augusti, cujus die iv datus est publicus recessus, in quo propter paucitatem principum et statum qui in propriis personis adfuerunt, majores et graviores causæ, de quibus tractatum fuit, non sunt definitæ, sed suspensæ, atque in alium conventum remissæ, quem Cæsar constituit Ratisbonæ celebrandum die festo Epipha-

¹ Ms. Franc. card. Barberini p. 132. — ² Ib. sic. 2678 p. 130.

¹ Jo. Coel. in Actis et script. Luth. Belgar. I. XXII.

nia, seu Trium-Regum, ad quem omnes principes et status personaliter (excepta causa infirmitatis) convenire debeant ». Refert Belcarius¹, misisse ad hos conventus Wormatienses Gallorum regem suos oratores, et eorum opera verbis piissimis Protestantibus principes cohortatum, ut cum ipse suas lites, cum Cæsare pace confecta, diremisset, suas etiam ipsi de religione controversias componerent, atque ad Concilium Œcumenicum Tridentinum sententiam referrent, ut Christiana respublica, extinctis omnibus dissidiis publica pace frueretur. Verum Lutheranos hæc consilia respuisse, atque in pervicacia obduruisse confirmat Surius²; eosdem disertissimis verbis pernegasse se parituros Concilio Œcumenico: ex quo patuit eos malis artibus loties postulasse Concilium Œcumenicum ad obvelandam eo mendaciam impietatem. « In hoc (inquit) Wormatiensi conventu inter alia, Protestantium legati palam testati sunt se Concilium Tridentinum, quod Pontifex indixerat, pro legitimo non agnoscere. Et ea fuit facilissima ratio omnia ejus Concilii decreta elevandi et negligendi: si sic liceat subditis quibuslibet principum suorum decreta pro legitimis non agnoscere, nimirum brevi pulcherrimum habebimus in republica rerum ordinem et tranquillitatem; sed hæc ab Ecclesiasticis suis Protestantium ordines hauserant. Verum hoc illius amplissimæ Synodi auctoritati nihil penitus ponderis detrahit, atque ita videre licet, quam ex animo tot superioribus comitiis, illi Ecclesiastæ suis magistratibus suasissent, ut Œcumenicam Synodum peterent ».

22. Cum vero repudiarent procacissime Concilium Œcumenicum, postulabant privatim colloquium; quod Cæsar concessit, ut constat ex sequenti recessu hujus Wormatiensis dietæ³:

« Carolus, etc. Notum facimus universis, posteaquam in proximis comitiis Spirensibus, propter multas urgentes et graves causas, generalem dietam die prima Octobris præteriti anni hic in nostram et imperii civitatem Wormatiam promulgavimus et instituimus ». Et infra: « Arduis rationibus moti, istam dietam protraximus, et alio transulimus illam per presentes ad festum Trium-Regum proxime futurum, in nostram et imperii civitatem Ratisbonam, vulgo Regensburg ita ut electores principes, et cæteri ordines imperii, intuitu gravium et arduorum negotiorum imperii, ad diem præscriptum in propria persona Ratisbona compareant: hi vero qui mala valetudine impediti comparere nequeunt, necnon liberæ civitates imperii suos legatos et mandatarios enim sufficienti mandato sine ulla dilatione provideant, ita ut communia

imperii negotia, præsertim vero illa puncta et articuli, qui in præsentī dietā debuissent expediri, perfecte consultari, concludi, et decreta ad efficacem effectum perducī possint. Nos quoque omnino proposuit ad ipsam dietam, divina gratia non adversante, nos conferre, omniaque hæc cum consilio ordinum imperii, cum conservatione pacis, tranquillitatis, concordie et justitiæ in sacro imperio commode spectare possint.

« Quoniam autem favoroso et paterno ducti affectu erga sacrum imperium Germanicæ nationis nihil magis cupimus, et optamus, quam ut dissidium religionis componatur, et ad Christianam concordiam et intellectum redigatur, fuimus quidem et sumus tanquam imperator Christianus, et defensor nostræ salutiferæ fidei, intuitu nostri officii et promissionis favorose factæ, multum inclinati hanc discordiam religionis præsentī hac dietā ad Christianam unionem ducere, sed omnibus statibus imperii satis superque est cognitum, quam graves et argentes rationes fuerint in causa, quominus hæc compositio nunc temporis commode fieri poterit. Ut ergo hanc pernecessariam compositionem, Deo gratiam dante, bono aliquo ordine adjuvare et in effectum ducere adhuc valeamus, ex æquo et bono visum nobis fuit, ad promovendum hujusmodi concordiam denuo concedere Christianum colloquium, quod permittimus pacis viris, iisque probis, piis, doctis, bonæ conscientiæ, pacificis, habentibus præ oculis pacem et tranquillitatem: ita quod nos tanquam caput, unum aut plures ordinabimus præsidentes, necnon quatuor collocutores folidemque adjuutores Catholicæ religionis ita ut similiter faciant status confessionis Augustanæ, eligantque quatuor collocutores, folidemque auditores, et quos habere velint infra xv Septembris nominent, et præfati præsidentes, collocutores et auditores in festo Sancti-Andree, qui est ultimus dies Novembris, Ratisbonæ confluent, negotium ibi et discordantia puncta Christianæ fidei in nomine Domini aggrediantur, et insuper, quantum possibile erit, pacifice et Christiane componant; solummodo respicientes, quæ sint sacræ Scripturæ sententia, et ad tollendos abusus servare possunt: quin et sine aliquo impedimento et obstaculo habebunt respectum ad honorem Dei optimi Maximi, veram Christianam unionem et reformationem Ecclesiæ. Super hoc jam attinget, et debent nobiscum omnibus ordinibus imperii in futura dietā referre, et copiosam dare notitiam omnium, quæ inter ipsos sunt acta et collocta, ut nos deinceps cum cæteris statibus possimus, super articulis, quibus se colloquentes concordarunt, vel non, amplius nos concordare facere, deliberare et penitus ponderare, quod in hujusmodi rebus tractandum sit, quo omnia negotia prout neces-

¹ Belcar. l. XXIV. num. 9. — ² Sur. in Comm. hoc an. — ³ Ms. Franc. Barb. sig. 2678. p. 139.

sitas requirit, ad amicabilem, Christianam, et perfectam unionem et compositionem dirigantur, quod adjuvare ex officio debito favorose et paterne prompti sumus. Ut itaque per sacrum imperium Germanicæ nationis, pax, tranquillitas et justitia commodius et tutius conserventur, volumus ut publica pax antea erecta et publicata, necnon cæteræ pacis conditiones, et decreta imperialia, prout imperii ordines ubique acceptavere, aut nos ex officio nostro lucusque ordinavimus, per præsentés sint renovata et confirmata. Universis præterea et singulis tam summis quam infimis statibus imperii, eujusque sint dignitatis et conditionis, tenore præsentium injungimus, ut hæc in omnibus suis punctis et articulis firmiter summo cum studio conservent, unusque alium contra suprascripta, nec prenat, nec gravet sub pœna in hujusmodi decretis contenta ». Multis interjectis de expeditione in Turcas comparanda, cogendoque auro subsidiario addit :

« Hæc omnia supradicta nos tanquam imperator spectantes, promittimus et pollicemur firma et rata habituros, nihil contra id inchoaturos aut permissuros, ut aliquid nostro nomine, quod his contrarium sit, intentetur, in cuius fidem et testimonium nostri sigilli imperialis appensione muniri facimus ».

23. Huic decreto non modo Catholici ordines, verum etiam Confessioni Augustinæ ad dicti assenserunt.

« Periculit illud decretum Catholicos magno dolore ac perturbatione, cum arcana mentis Cæsareæ ignari suspicarentur Cæsarem ad Lutheranas partes deflectere, quia religionis causam non retulisset ad Concilium, sed in conventu Germanico ad universam Ecclesiam spectantes controversias dirimendas promulgasset, adeo ut Tridentini præsules in eum gravissimas querelas effunderent, quos legati Apostolici, consilii Cæsarei arcani participes facti, docuere Cæsarem hæc una spe delinuisse Protestantium principum animos, ne importuno admodum tempore civile bellum contulerent, antequam validus exercitus pro iis comprimendis comparatus esset; atque ea de causa Andelotium fidum administrum a Cæsare ad Pontificem transmissum ut certiorum faceret, nolle se inique Protestantium voluntati obsecundare : vehementissime enim deposebant, ne Concilio Tridentino subijci cogentur, ne profitende hæreseos libertas adimeretur, ne raptâ Ecclesiastica bona etiam post comita Ratisbonensia ab iis repentur; eos vero tantummodo inani conventus expectatione laetari, ut feliciter ad officium redigi possent, nec ullum damnum religioni allatum iri : tum multis verborum officiis ac singularis observantiae signis Pontificiam auctoritatem assertum iri Cæsari pollicitus est : de exactorando etiam Pontificia

decretoria sententia archiepiscopo Coloniensi egit, cum hæreticam impietatem amplexus Protestantium potentiam pertinaciamque auxisset, tum addidit, ut si Concilium aperendum foret, certior fieret a Pontifice, ut se Wormatia subduceret, ne importunis Lutheranorum precibus et querelis diverteretur.

« Illis acceptis respondit Pontifex, expeditionem brevioris temporis flexu comparari posse, nec se submittendis auxiliis defuturum : verum si Cæsareæ majestati in bellicis rebus exercitissimæ, et prudentiæ laude spectatissimæ aliter visum esset, cui utpole in Germania agenti, omnia locorum temporumque pro re gerenda commoda exploratiora forent, se illius judicio expeditionem totam commendare, ac promissa auxilia celerrime atque alacriter collaturum. Ita Andelotius ob conceptam a Pontificia sanctitate de Cæsareâ virtute opinionem, et Pontificis in promittendis auxiliis promplam alacritatem gaudio ingenti delibutus Roma discessit.

« Quod ad Concilii res attinet, ostendit Pontifex, se antea Cæsareis consiliis, monitisque ac placidis obsecundasse, jam vero differre ulterius non posse, ne inchoaretur Concilium, nisi in se gravem culpam susciperet, famamque Concilii labefactaret : de modo vero procedendi in Concilio addidit, eam moderationem adhibitum iri, ut nullum religionis causæ nec meditate expeditioni impedimentum objiceretur. Scripsit vero mense Julio cardinalis Farnesius nuntio Verrallo, vix unquam fieri posse, ut in Concilio dogmatum fidei pertractatio differatur, cum hæc præcipua congregandi Concilii causa extiterit, ut in Diplomatæ conceptis verbis expressum est, semper is mos servatus sit a Conciliis, ut ante omnia fidei controversiæ discutiantur, nec a suscepto eo more discedendum sit, quæ dedita occasione insinuare poterit : tum etiam addidit, quod si credatur Protestantes in officio facilius ea indulgentia contineri posse, Pontificiam sanctitatem contrarium sentire et arguere ex præteritis eorum gestis : non tanta insolentia vel in Catholicos vel in alios grassaturos, si res ipsorum commodo non vertatur : si enim Concilium eorum causa consuetum agendi modum commutaret, obsolesceret illius fama adversarii que magis consuetudo more insolescerent, et Catholicorum virtus emaresceret : cæterum Cæsareæ voluntatis, quoad fieri poterit, rationem habitum iri.

« Quod vero spectat ad Catholicos idoneis subsidiis confirmandos, si a Lutheranis diverterent, censuræ sanctitas ut Cæsari in Germania hæreat in loco commodiore vicino Belgio, in quo et exorientes motus compescere, atque ad futuram expeditionem se comparare possent, ac sanctitati suæ Italiaque vicinior foret, denique quicumque casus sequatur, Pontificem luendis Catholicis nunquam defuturum, et hæc Cæsari

nitide et eleganter significat ; quod vero Cæsarea majestas efflagitat, ut Pontifex æqui accipiat, colloquium Catholicos inter et Lutheranos iniri, indicique novos ordinum conventus, responsum est, hæc a Pontifice æqui bonique consuli, modo Cæsar pro suo flagrantissimo religionis studio caveat, ne ordinum decretum aut colloquium fiat, quod religioni damnum afferat, vel Pontificis Sedisque Apostolicæ auctoritati ; hisque rebus salvis, quod sibi conducere censuerit, agat.

De archiepiscopo Coloniensi responsum est, judicarium ordinem brevissimum ad eum ex-auctorandum exercitum iri, cum illius hæresis et perduellio sint conspicue, ut Cæsarea majestas Pontificia adversus illum auctoritate uti possit, imo Pontificem, quantum sua attinet, meditari atque paratissimum esse ad severitatem eandem contra quemvis electorem aut principem ejusdem criminis affinem distringendam, necnon ad sciendi fœderis capita et promissa complenda.

« Quod autem efflagitavit Cæsar præmoneri antequam aperiat Concilium, illius votis morem gestum iri, maxime quod administri Cæsarei spondeant, dilationem eam quindecim vel sexdecim dies non excessuram. At de damnato episcopo Coloniensi inferius dicemus ».

24. *Articuli conclusi in dieta Poseniensi.* — Modo ad narrandam dietam Poseniensem in Hungaria feliciter pro religione Catholica assenda celebratam sermo convertendus est ¹ :

« Articuli conclusi in dieta Posenii MXXLV. « In primis, quoad negotium religionis, omnes status et ordines regni una voce sentiunt, cultum divinum et religionem ad pristinam normam esse redigendum, et hæreses undique tollendas, juxta admonitionem regie majestatis.

« Id autem recte fieri posse existimant, si in omnibus Ecclesiis, prælati, sive sint episcopi, sive præpositi, sive abbates, viri Ecclesiastici et doctrina præditi quamprimum constituantur, qui et ipsi doceant verbo et exemplo gregem sibi commissum, et vicarios ministrosque suos sibi subjectos eorum officium exercere faciant, militantque sine mora in omnes partes archidiaconos, vicearchidiaconos, et alios quorum interest, ad docendam plebem, in quibus si ipsi forte sufficientes non sunt, prædicatores bonos adjungant, ut ubique vetus religio pristinusque Dei cultus restituatur. Parochos etiam in omnibus villis et oppidis tales constituantur, qui veram doctrinam sapiant et eam doceant, sacraque ministrent juxta ritum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Iidem etiam prælati pro facultatibus ipsorum scholas erigant, in quibus bonæ litteræ et vera religio doceantur, et sic in dies magis prava

dogmata tollantur et vetus religio repellat, prædicatoresque boni per regnum dispergantur ; sacerdoles autem non creentur, nisi probate vitæ ac doctrinæ viri, et iis sacerdotia Ecclesiasticaque beneficia conferantur, ipsi autem prælati penes Ecclesias ipsorum jugiter resideant, et unusquisque sive prælatus, sive alius vir Ecclesiasticus unum tantum beneficium possideat, non plura.

« Si quis prælatus publicis muneribus occupatus penes Ecclesiam residere non posset, vicarium virum sufficientem et Ecclesiasticum loco suo continue teneat penes Ecclesiam. Ut autem facilius et citius boni viri per regnum dispergantur, dignetur majestas regia, iis, qui in gymnasio bonis litteris operam dant, gratiose providere, ita ut studia ipsorum continuare et perficere possint. Interea ut prælati omnes modo præmisso, officio ipsorum possint omni ex parte satisfacere, videntur omnia bona, et quocumque nomine vocentur proventus, et decimæ, item abbatiæ, aliaque omnia beneficia, quæ per laicos possidentur, quæque a majestate sua regia ad beneplacitum vel ad tempus jam occultum inscripta sunt, vel probata de facto et sine titulo occupantur, de manibus quorumcumque de facto liberanda esse, iis restituenda, ad quos spectant ; si quæ autem beneficia hujusmodi vacarent, majestas regia personis idoneis conferat ; super bonis autem et preventibus episcopatus Jauriensi, et aliis similiter jam inscriptis, majestas sua, quemadmodum gratiose obtulit, dignetur tractatus fieri curare, quibus tractatibus ea bona ac proventus, quo facilius potest, de manibus eorum, penes quos sunt, liberentur.

« Et quoniam episcopatus fere omnes, qui sub ditione regie majestatis sunt, in iis disturbis, magna ex parte bonis et preventibus ipsorum spoliati sunt, adeo ut vix quotidiani sumptus episcopis suppetant, nedum arces ipsorum finitimas conservare possint, supplicant ordines et status regie majestatis, ut sua majestas instet et efficiat, et apud sanctiss. D. N. id quod etiam ordines, et status publico nomine facturi sunt, quo sanctitas sua confirmationes episcoporum nondum consecratorum gratis concedat, auctoritatemque insuper gratis tribuat aliquibus ex eis consecrandis hic in regno suffraganeis, ut sint qui ordines impartiantur, nam et antea suffraganeorum inopia multis in locis magnus defectus clericorum et sacerdotum in regno accidit.

« Præterea, cum hactenus multis in locis ex licentia multorum dominorum et Nobilium homines idiote et plerumque mechanici, et alii prædicatoris officio fungi veriti non sint, videntur ordinibus et statibus regni, ut prædicatores, vicarii, archidiaconi, vicearchidiaconi, et alii qui modo supradicto ad reformationem religionis per prælatos emittentur, diligenter istos tales

¹ Ms. Franc. card. Barber. sig. 2677. p. 78.

prohibere, et ad pristinam veramque religionem redigere curent: qui si resipiscere nollent, tunc de bonis illis eicieantur, vel ex merito puniantur. Domini autem terrestres non solum id non impediunt, sed ipsos predicatores, et alios ministros verbi Dei per prelatos emissos iuvent omnibus modis ad exercendum officium ipsorum; si quis ex eis aliter facere intelligatur, ad primam requisitionem regie majestatis, vel in ejus absentia, domini locumtenentis, personaliter vel per procuratorem comparere teneatur, et jure convictus ex merito puniatur.

« Anabaptistas et sacramentarios juxta admonitionem regie majestatis, si qui adhuc in regno supersunt, procul expellendos esse de omnibus locis, ordines et status regni statuerunt, nec amplius illos aut quempiam illorum intra regni fines esse recipiendos.

« Præterea bona et proventus monasteriorum, ac claustrorum, ac capitulorum desertorum excepto BELVASAR, et ejus pertinentiis, quas majestas regia durante beneplacito suo Francisco Thaltii ad sustentationem ejus concessit, ad alendos doctos parochos et verbi Dei sinceros predicatores, qui populum in veteri orthodoxa, vera Catholicaque fide et religione confirmare, et si quis ab ea desciverit in hoc regno, ad eam reducere studeant, necnon ad instaurationem et erectionem scholarum particularium, earundemque magistrorum, qui docti, probi et honesti sint, intertentionem, et denique bonæ spei et indolis juvenum et adolescentum, ut bonis litteris operam dare possint, promotionem et auxilium applicentur et convertantur, quo tali ratione boni et docti viri alantur et nutriantur. Ad hæc autem præmissa rite et ordine exequenda, proventusque predictos in præmissum usum fidelium convertendos quilibet prælatus sub sua diœcesi curam gerere teneatur, et ubi opus fuerit majestati regie de administratione hujusmodi rationem reddat ».

25. « Supplicant ordines et status regni majestati regie, domino eorum elementissimo, ut majestas sua, lum sua, lum sacre Casareæ majestatis auctoritate agant apud sanctissimum D. N. quo sanctitas sua Generale Concilium pro complaudendis omnibus differentiis vanisque opinionibus de religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur: quod si sanctitas sua id differret, majestas Casareæ dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius probahatur.

Dum anxie legati Apostolici et Patres Tridentini expectarent Pontificem imperium de aperiendo Concilio, controversi ceplum est, an Concilium in commodiorem locum transferendum esset; aversa enim imperatoris voluntas videbatur a celebrando Tridenti Concilio, ac potius propendebat, ut in aliam urbem, vel

ipsam Romam transferretur: quare internuntio Verallo in aula Casareæ data sunt mandata, ut cum Lutherani apertè sint professi, se Tridentum non accessuros, prudenter exquirat a Casare, an æqui et boni accipiat, ut ob Tridentinæ urbis angustias et incommoda, in amplio-rem commodioremque urbem Concilium transferatur: quinimo legati consulere Pontifici, ut, consentiente translationi Casare, primum inchoetur Concilium, ac deinde translatio decernatur ob loci angustias; ne si primum indiceretur translatio, dilaberentur Patres in suas diœceses, abjecta omni celebrandi Concilii spe, et Christianus orbis se inani expectatione illusum opinaretur: si vero Casar transferri Concilium nolit, nec de religione asserenda dammandisque hæresibus agi, Concilium in servitute redactum iri: plures vero non deesse Concilii transferendi causas, magnam annonæ caritatem, loci angustiam, cæli asperitatem hyberno tempore; comitia imperiaria proxime celebranda, in quibus contraria Concilio decernerentur, Lutheranorum obfirmatam pertinaciam, constituendæ sanctoris discipline difficultatem, Pontifici Casareæque majestatum absentiam.

26. Significaverunt etiam Pontifici patres Tridentini, consensus forte Casarem, ut inchoetur Concilium, sed intercessurum ne religionis capita theologico certamine excutiantur, donec Hispaniæ, Galliæ, Lusitaniæ, Poloniæ et aliorum regnorum præsules ac theologi Tridentum pervenerint, intermissaque hæresum damnatione de restituendo tantum morum nitore ac splendore agatur; nec se Casareæ voluntati assensuros, ut ab eo colloquia vel conventus de sanctissimis religionis capitibus eum Lutheranis agantur, et ipsi indicto congregatoque Concilio tanquam canes qui latrare nesciant, penitus obmutescant, abjectaque Concilii causa, frustra vitam, opes, labores, desertis propriis Ecclesiis profundant, animasque prodita divina causa illusoque orbe Christiano male perdant. Si vero imperator velit rebus suis consulere, definita brevioris temporis circumscriptione, ut adversus Protestantes bellicum apparatus comparet, se æqui accepturos, ut pro Concilii inchoatione tempus extrahatur, nulla vero ratione se assensuros, ut stante indicto coactoque Tridenti Concilio, a Casare cum Lutheranis pertinacissimis, vel in colloquio, vel in conventu de religionis rebus transigatur.

27. Dum hæc agitantur incipienti animorum aestu ob implicitas gravissimas rerum difficultates, commode accessit ad Pontificem Vega orator Casareus de edicto Wormatiensi promulgato excusationes allaturus; atque Andalitii, qui nondum Roma discesserat, opera explevit, ut Concilium Tridentinum nisi exacto mense Decembri aperiretur; nec in eo fidei dogmata tractarentur, sed de Ecclesiastica disciplina ad

puriorum formam revocanda, moribusque solutioribus adstringendis ageretur; cui Pontifex proposuit, an Casar transferri Concilium vellet; cumque orator negaret, se ulla de ea re mandata accepisse, Pontifex decreto primum Daudino episcopo Casertano, sed eo morbo impedito, Marquini, qui erata secretis imperatori, opera Casarem qui jamdiu Tridentini Concilii principium ac progressum retardarat, consulit, an vellet Concilium Tridento transferri.

28. At Casar cum veritus esset, ne Germanorum odia ex ea re in se concitaret, assensit, ut Concilium Tridenti aperiretur, deditque imperia Mendozio oratori apud Concilium decreto, ut mox Venetiis Tridentum se conferret, ac propterea Paulus Pontifex, qui vehementiori animi ardore flagitabat, ut Concilium Tridentinum celebraretur, decrevit habito vi Novembris cardinalium senatu, ut Concilium Tridentinum Decembris presentis anni aperiretur, in quam diem tum Dominica Tertia Adventus, dicta GAUDETE, incidat. Interea Tridentum principum oratores et episcopi accesserunt, et quotidie adebant, ut refert M. S. Vaticanus auctor.

« VI Augusti MDXLV ¹, reverendissimus D. archiepiscopus Aquensis, et episcopi Claromontanus, Rhedonensis et Agathensis natione Galli, qui heri Tridentum applicuerunt, visitarunt reverendissimos et illustrissimos DD. legatos, quibus nomine regis Christianissimi salutem dixerunt, suae majestatis operam et favorem in Concilii celebratione offerentes, etc. Grato et benevolenti animo excepti sunt, gratiaeque Christianissimo regi actae ». Addunt Acta ² de aliis oratoribus a Ferdinando rege Hungariae et Bohemiae decretis :

« XXIX Augusti illustrissimus D. Franciscus a Castelalto orator serenissimi regis Romanorum comparuit coram reverendissimis et illustrissimis DD. legatis : quibus exhibuit mandatum regium, in quo constituiebantur oratores ad Concilium suae regiae majestatis nomine ipse D. a Castelalto, episcopus Passaviensis, episcopus Viennensis, D. Joannes Cochlaeus, et D. Antonius Queta : fuerunt excepti grato animo a reverendissimis DD. legatis, etc. »

29. *Omnes episcopus, etiam in curia degentes, Pontifex jubet Concilio adesse, et regibus scribit ut sui regni praesules ad Concilium mittant.* — Paulus etiam dedit imperia omnibus archiepiscopis et episcopis qui Romae versabantur, ut licet munera aliqua curiae exercerent, ad Concilium Tridentinum se conferrent, ut subjectae litterae ostendunt ³ :

« Venerabili fratri nostro Joanni Dominico episcopo Ostiensi S. R. E. cardinali Tracensi nuncupato; et in ejus absentia venerabili fratri

nostro Joanni Petro episcopo Albanensi ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinali.

« Venerabilis frater noster, salutem. Cum Universale Concilium per nos Tridenti indictum propediem, Deo favente, aperendum sit, inibique, sicut audire potuisti, cum legatis nostris notabilis numerus praelatorum etiam ex Gallia et Hispania convenerit, nos etsi praelatis in Urbe existentibus, ut et ipsi illuc convenirent jam monitis, ob immoderatos proxima Aetatis fervores pepercimus, ne tam periculoso tempore hoc iter arriperent, tamen caloribus jam remissis, reum omnino urgere, neminemque praelatorum eorumdem ulterius excusare decrevimus. Quamobrem volumus, ac tibi injungimus, ut adhibitis tecum caeteris cardinalibus collegis tuis, super negotio ipsius Concilii deputatis, omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis, ac aliis praelatis ad Universale Concilium ire debentibus, Romae existentibus, etiam quodvis officium et magistratum Romanae curiae exercentibus, nemine omnino excepto, ex parte nostra significes, ac in virtute sanctae obedientiae et sub poenis alias geminalis mandes, ut infra octo dies se ad iter preparasse, ac de Urbe discessisse, et intra sexdecim alios Tridentum pro ipsius Concilii celebratione pervenisse debeant, ostendentes eis id quod est, si id fecerint, eos suo primum officio satisfacturos esse, et deinde Deo omnipotenti ac nobis gratum obsequium praestituros, ac dictas poenas evituros esse, ad quarum poenarum executionem procedetur, si ipsi in hoc essent contumaces vel negligentes. Datum Viterbij ix Septembris MDXLV. anno XI ».

30. Ursit etiam Pontifex Christianos principes, ut provinciarum suarum praesules ad Tridentinam Synodum mitterent, quo argumento haec litterae ad Joannem Lusitaniae regem datae sunt, ut Lusitanorum praesulum protectionem urgeret ¹ :

« Regi Portugalliae.

« Agimus serenitati tuae gratias de hoc studio et promptitudine animi tui ad ipsius Concilii celebrationem, Deumque oramus, ut tibi, undecumque pio, et regem optimum agenti, digna praemia in hoc et in alio saeculo concedat. Nos quidem, fili charissime, tum nostra ipsi voluntate ac desiderio, quod omnibus speramus esse manifestum, tum tuae serenitatis hortatu in ipsius Concilii prosecutionem assidue intendimus et intendemus, quod ut facere melius possimus, tuam serenitatem in Deo Domino vicissim hortamur studioseque requirimus, ut sicut ejus praestante pietate dignum est, nosque ipsa ad hanc rem tantopere hortata est, velit urgere protectionem praelatorum sui regni, curareque efficaciter, ut illi sicut jure

¹ Ms. arch. Val. sign. num. 3232. p. 64. ex eo Ms. Franc. card. Barber. p. 7. — ² Ext. in Ms. Val. — ³ Paul. III. lib. brev. an. XI. pag. 146.

¹ Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 43.

obligantur et jam sæpius ad hoc sunt moniti, ad ipsum Concilium quamprimum veniant, cum præsertim illud propediem sit aperiendum, ac præter tres legatos nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, et multos Italiæ prælatos, etiam aliqui Galli et Hispani prælati eo convenierint, et reliqui expectentur, etc. Datum Romæ XXIV Novemb. M^oXLV ».

31. *Morte ducis Aurelianensis, filii Francisci regis, pax abrupta, mox reparata.* — Dum præsulorum Gallorum major multitudo expectatur, atque exaretissimum inter Franciscum I et Carolum V fœdere Lutherana hæreses excidium, felicissimique sperantur Concilii successus, repente illud vinculum, quo juncti erant reges, disruptum est. Carolus enim Aureliæ dux¹, qui Ferdinandi regis Romanorum filiam cum dotali Mediolanensi principatu uxorem ducturus erat, pestilenti febre correptus prope castra, quæ adversus Anglos defixa erant, inter Abbrevillum ac Montrolium VI idus Septembris e vita cessit: hinc perturbari inter Franciscum I et Carolum V concordia cœpit, ad quam tamen redintegrandam rex kalend. Novembris Claudium Hannebaldum Gallico mari præfectum, ac Franciscum Olivarium regii scrinii magistrum ad Caesarem misit, qui priore fœdere ob mortem Aureliani ducis jam dissolutum, de novo ac firmiore fœdere sanciendo pertractaret: quia etiam Franciscus rex (quasi priora consilia adversus Lutheranos capta abjiceret) ac Synodo Oecumenicæ, quam tantopere commendare, celebrandæ adversaretur, non misit præsules Tridentum, qui ituri fuerant, sed pauciores jam missos ad se litteris revocavit; erant ii archiepiscopus Aquensis, et episcopi Claramontanus, Rhodonensis et Agathensis, de quibus Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini hæc refert²:

« Sabbato XIV Novemb. M^oXLV. Prælati Galli petierunt licentiam a reverendissimis et illustrissimis DD. legatis recedendi ex Tridento, et revertendi in Galliam, asserentes ita habere in mandato suo Christianissimo rege.

« Luna XVI Novembris reverendissimi et illustrissimi DD. legati, accessitis coram se prælati Gallicis, videlicet archiepiscopo Aquensi, et episcopis Rhodonensi et Agathensi, instantissime eos rogarunt, ne discederent ex Tridento, ostendentes eis multis rationibus quanti mali causa talis recessus esse posset, et tandem hoc ab eis impetrarunt, ut Rhodonensis crastina die discederet, alii duo remaneret adhuc per aliquot dies Tridenti, donec hæc res significaretur sanctissimo domino nostro ».

32. Audierat Brugis in Belgio³ Gallorum

regis oratores Caesar, nec de Mediolanensi principatu (civilium bellorum fonte) Gallis restituendo ex novo fœdere postulata admisit, sed unum id tantum diserte Gallis oratoribus respondit, se Gallorum regi bellum nequaquam illaturum, nisi a Gallo rege provocaretur: itaque Gallici oratores ad regem suum exeunte Novembri reversi sunt cum hoc responso, quo Gallorum animi non sedati, sed exasperati sunt, eaque usi occasione Protestantes Gallorum regem sollicitarunt, ut ipsis adversus Caesarem studeret, Gallique a Tridentino Concilio quo potentia Cæsarea excitanda videbatur, animis aversi esse cœperunt, adeo ut Agathensis episcopus clandestinam fugam corripuerit, ex qua eum legati datis litteris revocare nisi sunt.

« Reverendo domino tanquam fratri nostro charissimo domino episcopo Agathensi.

« Reverende pater et frater noster amantissime. Non parvam concepimus admirationem ex repentino discessu dominationis vestræ, cum heri vesperi venturum se hodie ad nos ministris nostris, qui eam nostro nomine vocaverant, dixisset. Nullam causam habebat, cur nobis insciis atque insalutatis clam recederet, cum nihil nobis sit magis cordi, quam ut prælati omnes ad Concilium venientes, ea qua decet, securitate et libertate gaudeant. Cupiebamus alloqui dominationem vestram amice et fraternaliter de iisdemmet rebus, de quibus eam et reverendissimos dominos Aquensem et Rhodonensem allocuti prius fueramus, hortando scilicet, rogandoque, et pro nostræ legationis munere monendo, ut nobiscum ad celebrandum Concilium manere et nullo pacto discedere vellet, quod et nunc per litteras, ea, qua possumus charitate, facimus, reducentes ad memoriam dominationis vestræ discrimina, in quibus respublica Christiana ante constituta exposita, quantisque periculis et fides et religio nostra reperitur, ac repetentes rationes, quas ei coram adduximus, honoris, conscientiæ, et episcopalis officii, cum præsertim jam in portis ipsius Concilii simus. Viderunt et legerunt prælati cuiuscumque nationis hic existentes. Viderunt etiam domini Aquensis et Rhodonensis prædicti, et una cum ipsis doctibus dominationi vestra litteras reverendissimi et illustrissimi domini cardinalis Farnesii VII die Novembris Romæ datas, commissioneque et mandato sanctissimi domini nostri nobis scriptas, in quibus continetur sanctitatem suam in sacro consistorio de omnium reverendissimorum dominorum cardinalium consensu decrevisse Concilium ipsum incipi debere Dominica tertia Adventus proxime futura. Quocirca dominatio vestra si adhuc precibus nostris ullum locum reliquit, iterum hortamur, et per viscera Domini nostri Jesu Christi obsecramus, ut memor dignitatis ac nobilitatis suæ, cogitansque qui-

¹ Françoise, Belcar. l. XXXIV. num. 11. Paul. Jov. — 2 Ms. arch. Vat. sig. num. 3233. Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. Ms. Franc. Barb. sig. num. 123. p. 8. — 3 Françoise, Belcar. l. XXIV. num. 16. Ms. Franc. card. Barb. sig. 1408. p. 228. Françoise, Belcar. num. 17.

bus vinculis, tum proprii juramenti, tum mandati sanctissimi domini nostri ad interessendum sacro OEcumenico Concilio teneatur, ad nos redeat. Redibit autem optata nobis, atque omnibus, qui hic adsunt prælatis, in ea qua ante recessum suum erat libertate permansura. Dat. Tridenti die xxvi Novembris m̄xlv ».

33. Rediit Tridentum ¹ Agathensis episcopus, ac cardinali de Monte legato exposuit, se quidem ut episcopum perstare Tridenti debere, sed metuere, ne ab irato Gallorum rege bonis exuatur: felicem Concilii Tridentini successum pendere ex instauranda pace inter Gallorum regem et Casarem, qua constituta omnes Galli præsules Tridentum conduxuri sint, et Concilium celebrandum; ni concordia sanciat, conjici Gallorum regem se Lutheranis adversus Casarem conjuncturum: ex litteris vero intermentii Pontificii in Gallica aula agentis ad Alexandrum cardinalem Farnesium datis constat, Lutheranorum principum oratores honorifice exceptos a rege, et quinquies ab eo auditos, vehementissimeque illum percussisse, ut signa attolleret in Casarem, ac pollicitos arma Germanica conjunctum iri, ut Mediolano potiarer, atque Austriaca familia deprimar, Protestantes quoque omnes illum Germanicæ nationis caput ac principem constituturos, ad eum quoque a Casare abalienandum gravissimeque conquestos de Casare, qui Henricum Angliæ regem in ipsum concitasset, ambos bellum gerentes contemplari, deque industria favere Anglis, ut in fessos bello exhaustosque viribus ipse tertius demum irruat, nec minus sollicitarum Anglum Protestantes ², ut pacem cum Gallo adversus Casarem redintegraret, ac perfecere demum, ut utriusque regis oratores inter Calesium Ardeasque medio intervallo sub tentoriis VI kalend. Decembris convenirent, sed irrito successu colloquium illud dissolutum est.

34. Inter ancipites hosce difficultatum æstus, Protestantibus in pervicacia obfirmatis, et contemnentibus Casarem, Casareque eos tandem perdomare ferro meditante, Paulus Pontifex legatis Tridentinis iv Decembris dedit imperia, ut Concilium inchoarent, ut refert Angelus Massarellus ³. « Cum (inquit) Apostolici legati et præsidentes decem prope menses Tridenti absentes prælatos expectando permansissent, et jam ultra triginta patres in ea civitate convenissent, placuit Summo Pontifici Paulo III ulterius inchoationem Concilii non esse protrahendam, sed illud aperiri Dominica tertia Adventus anni m̄xlv ». Afferuntur ab auctore litteræ ea de re, quæ ducunt initium ab iis verbis: *Superiore anno*, et iv Decembris legatos anni consignata, quo etiam die alias ad legatos litteras dedit, ut

præsulum Germanorum, qui ob comparatas a Lutheranis insidias accedere Tridentum non poterant, procuratores admitterent, qui eorum vice suffragii ferendi auctoritate pollerent.

35. *Legati solemniter Concilium aperiunt.* — His acceptis imperiis mox legati ad celebrandum Concilium se accinxere, ut subdunt Acta:

« Die Veneris xi Decembris reverendissimi et illustrissimi domini legati receperunt litteras a sua Sanctitate in forma Brevis, sub data Romæ apud Sanctum-Petrum xi Decembris m̄xlv, quibus litteris præciperetur Concilium aperiri, et inchoari die xii presentis mensis, quæ erat dies Dominica tertia Adventus Domini.

« Eadem die indicitur publice jejunium per totam civitatem ob felicem inchoationem sacri Concilii etc.

« Sabbato xii Decembris fit generalis processio omnium religionum et Ordinum per civitatem, et preces publicæ ad Deum effunduntur pro hujusmodi felici aperiitione Concilii ».

36. Ubi proximus affulsit dies, inchoatum est Concilium pro asserenda religione, excidendis hæresibus, alenda publica pace, expolliendis cleri moribus, et vi hostium Christiani nominis retinenda, vetere ac solemniori ritu, qui in Actis describitur subjectis conceptis verbis ¹:

« In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Anno a Nativitate ejusdem D. nostri Jesu Christi m̄xlv, Indictione iii, die vero xii mensis Decembris, quæ fuit dies Dominica tertia Adventus Domini, in qua per Ecclesiam cantatur in introitu Missæ, GAUDETE; sedente in B. Petri Apostolorum principis cathedra sanctissimo in Christo patre et domino nostro Paulo divina providentia papa III, Pontificatus ejus anno xii, datum fuit initium sacrosancto OEcumenico et generali Concilio Tridentino præsidentibus in eo ipsius S. D. N. papæ et Sanctæ Sedis Apostolicæ nomine reverendissimis in Christo patribus et illustrissimis dominis Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte, et Marcello Tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero Cervino, ac Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono Polo, S. R. E. cardinalibus et Apostolicis de latere legatis.

« Mane igitur inter primam et secundam diei horam convenerunt in Æde sanctissimæ Trinitatis in civitate Tridentina ipsi reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati, necnon reverendissimi patres et prælati, venerabilesque viri ecclesiastici infrascripti, et exinde acceptis pluvialibus, mitris et paramentis consuetis, et incepto a cantoribus Hymno Veni

¹ Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 23. 16. p. 175. — ² Fr. Belcar. l. xxiv. num. 17. — ³ Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 217.

¹ Angel. Massarell. in Act. Ms. arch. Vat. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 103. sess. 1. et Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 18. et aliud Ms. sig. num. 3218. p. 7. Diar. Concil. Trid. Ms. arch. Vat. p. 33.

CREATOR SPIRITUS : præcedentibusque Ecclesiæ cathedralis ipsius civitatis canonicis et capellanis, aliarumque Ecclesiarum sacerdotibus, religiosis et clericis, et associantibus nobilibus et popularibus, maxima cum devotione accesserunt ad Ecclesiam cathedralem prædictam sub invocatione S. Vigili, et in loco eminentiori, et parte superiori ipsius Ecclesiæ ad celebrandum Concilium et celebrandas sessiones ordinato. In primis illustrissimus cardinalis de Monte primus præsidens et legatus cantavit Missam solemnem de Spiritu sancto. Qua absoluta conversus ad populum hæc verba fecit, videlicet : Ex speciali privilegio Apostolico conceditur omnibus hic interessentibus indulgentia plenaria in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro pace, et maxime sanctæ matris Ecclesiæ ». Deinde per reverendissimum dominum episcopum Bituntinum, nimirum Cornelium de Musis, patria Placentinum, eloquentiæ laude florentissimum, indutum pluviali et mitra, habita est oratio : quæ typis edita est.

37. « Cum perorasset Bituntinus episcopus », inquit Massarellus ¹, qui a secretis erat, « postea illustrissimi domini præsidentes legati ac illustrissimi dominus cardinalis Tridentinus, omnesque alii prælati pluvialibus et mitris induti suo quisque loco ex ordine promotionis concesserunt, et illustrissimus cardinalis de Monte primus præsidens recedens e loco ivit ad altare majus, ibique assedit ad sanctam Synodum conversus ; statimque Magister ceremoniarum ait : *Silentium*. Cumque paululum omnes quiescissent, diaconus sacris indutus a dexteris præsidentis, dixit alta voce : *Orate* ; moxque ipse illustrissimus præsidens, et alii omnes genuflexi detectis capilibus, versi ad altare oraverunt, surgensque illustrissimus præsidens legit alta voce infrascriptam Orationem :

« Adsumus, Domine Spiritus, adsumus qui « dem peccati immanitate detenti, sed in nomine « tu specialiter aggregati. Veni ad nos et esto « nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris : « doce nos quid agamus, quo gradiamur, et « ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. « Esto salus, et effector consiliorum nostrorum, « qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen « possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse tue justitiæ, qui summam diligis « æquitatem : non in sinistram nos ignorantia « trahat ; non favor intellecta, non acceptio munerum vel personæ corrupat : sed junge nos « efficaciter tibi solius tue gratiæ dono, ut si- « mus in te unum, sed in nullo aberremus a « vero, quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis « justitiam : ut hic in nullo a te dissensial sen-

« tentia nostra, et in futuro pro bene gestis con- « sequamur præmia sempiterna ». Qua Oratione finita, Cantores responderunt : *Amen*.

38. « Deinde subdiaconus a sinistris illustrissimi præsidentis surgens versus ad synodum dixit alta voce : *Erigite vos* ; et omnes surrexerunt. Postea a cantoribus decantata est Antiphona : *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine*. Iterumque diaconus versus ad Patres dixit : *Orate* : et similiter omnes genibus flexis paulisper oraverunt : surgensque subdiaconus a sinistris dixit : *Erigite vos* ; et omnes surrexerunt ; illustrissimusque primus præsidens, deposita mitra, dixit subsequentem Orationem : « Mentis nostras, « quæsumus, domine, Paracletus, qui a te pro- « cedit, illuminet, et in omnem, sicut tuus pro- « misit Filius, inducat veritatem, qui tecum « vivit et regnat in unitate Spiritus sancti « Deus, etc. » Et cantores responderunt : *Amen*.

« Qua finita iterum omnes genuflexerunt, et duo ex cantoribus cantarunt Litanias more Romano, et ab aliis cantoribus alta voce respondebatur (licet quilibet secreto responderet). Cumque cantores illi duo pervenissent ad illum versiculum : *Ut Dominum Apostolicum*, etc. illustrissimus primus præsidens surgens cum mitra, versus ad Patres, benedixit Synodo per hæc verba : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes Ecclesiasticos gradus benedicere digneris* : et omnes responderunt cantores alta, prælati submissa voce : *Te rogamus, audi nos*. Deinde illustrissimus primus præsidens iterum benedixit Synodo dicens : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere et regere digneris* ; omnesque item responderunt : *Te rogamus, audi nos*. Tertioque illustrissimus præsidens Synodo benedicens ait : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, regere et conservare digneris* ; omnesque item responderunt : *Te rogamus, audi nos*.

« Postea procumbente item illustrissimo domino præsidente Litanie a cantoribus perfecte sunt. Absolutis Litiis omnes surrexerunt, et illustrissimus dominus præsidens detecto capite, versus ad altare dixit : *Oremus*. Tunc diaconus a dextris ait : *Flectamus genua*, et subdiaconus a sinistris ait : *Levate*. Præsidensque ita Deum precatus est : « Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut in « Spiritu sancto congregata hostili nullatenus « incursione perturbetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc. » Postea diaconus petiit ab illustriss. domino præsidente benedictionem pro Evangelio, quam illustrissimus dominus præsidens ei dedit, imposuitque incensum more solito, etc. cantavitque diaconus Evangelium secundum Lucam, cap. x. *Designavit Dominus et alios septuaginta duos etc.*

¹ Angel. Massarell. in Act. Ms. sess. 1.

cum luminaribus et cæremoniis consuetis. Quo finito omnes illustrissimi domini legati, et cardinalis Tridentinus sine ordine librum osculati sunt.

« Deinde alii duo illustrissimi domini legali ad altare majus profecti sederunt in faldistoriis, medium habentes ipsum illustrissimum dominum cardinalem de Monte : cumque paululum omnes quievisset, surrexerunt, et illustrissimus D. cardinalis de Monte præfatus, capite detecto genuflexus, idemque facientibus aliis, incæpit Hymnum : *Veni Creator Spiritus* : omnesque genuflexi permanserunt, donec primus versiculus Hymni perfectus est a cantoribus. Deinde omnes surrexerunt, capitibus tamen detectis, et cantores totum Hymnum continuerunt. Cum illustrissimus Dominus præsidens dixit : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur* ; cantores responderunt : *Et renovabis faciem terræ*. Postea illustrissimus dominus præsidens oravit his verbis : « Deus qui corda fidelium Spiritus sancti illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. » Postremo duo cantores dixerunt : *Benedicamus Domino* ; et ab aliis responsum est, *Deo gratias*. Quibus cæremoniis peractis, omnes suis in locis resederunt, illustrissimis dominis præsentibus et legatis in suis faldistoriis permanentibus ante altare majus.

« Tunc reverendissimus dominus episcopus Feltrensis ascendens suggestum legit clara et intelligibili voce litteras Apostolicas super revocatione suspensionis et indictionis Concilii ad quartam Dominicam in Quadragesima, quæ incipiunt : *Lætare, Jerusalem, et conventum facite omnes, qui diligitis eam* ». Insertæ eæ ante a nobis fuere suo loco. Subdunt Acta ¹ :

39. *Bulla facultatum legatis concessarum, litteræ absentium, et oratio legati præsidis*. — « Deinde legit eam Bullam legationis, seu mandati Apostolici in persona ipsorum legatorum et præsentium. Conceptæ illæ erant subjectis verbis :

« Paulus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, et dilectis filiis Marcello tit. S. Crucis presbytero, et Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. cardinalibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Universalis gregis Domini curam nobis licet insufficientibus superna dispositione commissam viriliter gerere cupientes, singulis Christianæ Reipublicæ occurrentis, quibus debitum Apostolicæ servitutis nos ipsi personaliter præstare non possumus, viros proponimus virtute,

doctrina et auctoritate pollentes, quorum operatione ministerium nobis commissum, divina assistente gratia, utiliter exequi valeamus. Cum itaque nos alias sperantes, quod in rebus religionis discordia, qua Ecclesie unitas scindebatur, penitus tolleretur, et oves errantes ad ovile Dominicum reducerentur, ac ea, quæ in populo Christiano reformatione indigebant, reformarentur, et in meliorem formam restituerentur, necnon communi omnium consilio atque auxilio expeditio decerneretur, qua et a fidelibus recuperarentur quæ ab infidelibus occupata erant, et tot millia animarum, quæ quotidie sub eorum jugo miserabiliter peribant, liberarentur et servarentur, suspensionem celebrationis sacri OEcumenici et Universalis Concilii, dudum antea per nos in civitate Tridentina ex causis lunc expressis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis usque ad aliud opportunius et convenientius tempus (per nos declarandum) de simili consilio et assensu factam, accepto nuntio pacis inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum et Franciscum Francorum regem Christianissimum conciliatæ, pari consilio et assensu sustulerimus et amoverimus, prout in aliis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos qui ætate nostra valde ingravescente, et alias multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præsens personaliter accedere, ac ipsi Concilio juxta desiderium cordis nostri interesse nequimus, nolentes tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi initium ex nostra absentia impediri, vos » et infra « de fratrum nostrorum consilio nos et Apostolicæ Sedis legatos de latere auctoritate Apostolica tenore presentium constituimus et deputamus, vosque ad illam civitatem Tridentinam pro Concilio hujusmodi celebrando, lanquam pacis Angelos destinamus, ac vobis, aut uno ex vobis legitimo impedimento detento, seu absente, duobus vobis nomine et auctoritate nostris ipsi Concilio præsidendi, ac in illo pro vestra pietate et sapientia, ac omnia, quæ in præmissis, et circa ea necessaria, et alia quomolibet opportuna esse, ac alias ad laudem et honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant juxta formam litterarum indictionis nostræ faciendi et exercendi plenam et liberam auctoritate præfata, tenore presentium, concedimus potestatem et auctoritatem ; quocirca circumspeditioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum vobis munus hujusmodi ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem et a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam consequi valeatis. Datum Romæ apud S. Petrum anno

¹ Exl. in eod. Ms. arch. Val. p. 79. et sig. num. 1232. p. 42. Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid.

Incarnat. Domin. M^oXLIV, VIII kal. Martii, Pontificatus nostri anno XI ».

40. Subdunt Acta : « Quibus litteris lectis comparuit Dominus Alphonsus Torilla Hispanus, vertensque se ad Patres dixit inderoscripta verba : Cum dominus Didacus de Mendoza, reverendissimi et sanctissimi Patres, assistens orator et procurator Cæsareus gravissimo jam morbo correptus, ac morbi gravitate præpeditus, nunc Venetiis invitus detineatur, atque ut æquum erat, et ipse cupiebat, huic sacrosancto Concilio interesse non possit, litteras has ad vos scripsit, quibus sanctitates vestre suæ hinc absentie justissimam causam intelligere valeant. Deinde suæ procuratoris et institutionis Cæsareas has litteras una cum suis mittit, ut vel his facile cognoscatis, quam pio, quamque Christiano animo *dirus atque invictissimus* Cæsar erga hujus Sacrosanctæ Synodi celebrationem se gerat. Ego vero, ut utrasque has litteras legere jubeatis et audire dignemini, humilibus precibus sanctitates vestras precor, etc. » Præfixa erat iis litteris hæc inscriptio : « Sacrosanctæ Synodo generali Tridenti congregatæ, universalem Ecclesiam representanti hæc dentur ».

Porro iisdem litteris præfatus Mendoza significabat, se a Cæsare decretum oratorem ad Concilium fuisse, atque ea de re Caroli V mandatum jam in Concilii initio legatis Joanni Mariæ, et Marcello cardinalibus ostendisse, deinde vero graviore morbo implicitum decubuisse, atque scripsisse ad Cæsarem, ut alium oratorem submitteret, tum has adjecit preces : « Vos interim precor, sanctissimi patres, ut hanc moram boni consultiis protestorque hanc, quam dixi moram ob adversam valetudinem causatam, nulla in re imperatori apud hos, qui in sacrosancto Concilio sunt, nocituram, aliquidve de ejus jure adempturam, etc. Valete. Ex Venetiis XI Decembris M^oXLV ».

Perlectum deinde imperatoris mandatum, quo prædictus Mendoza Cæsareus in Concilio orator ac procurator constituebatur, ejus lectionem iterum in sessione quarta repetitam videri sumus, atque ideo illud mandatum consulto a nobis nunc prætermittitur.

Pergant Acta : « Quibus litteris et mandato recitatis, illustrissimus dominus primus præsides respondit impedimentum adversæ valetudinis illustrissimi domini Didaci a Mendoza esse nobilium, et propterea excusationem ejus esse admittendam : mandatum vero Cæsareum recipiendum esse et examinandum, prout in litteris domini Didaci petitur, persistendo etiam, quantum ad ipsos præsidentes et legatos pertinet, in responsionibus jam factis, cum alias privatim coram eis mandatum ipsum est exhibitum ».

Addunt Acta :

41. « Illustrissimus primus præsides allocutus est Patres his verbis : Dies tandem opta-

tissima, patres, sacra Synodi initium auspicandi benignitate et providentia omnipotentis Dei, sanctissimi domini nostri Pauli Pontificis Maximi pietate et constantia, augustissimi Cæsaris favore ac studio, clarissimorum regum consensu, vestrum omnium charitate, illuxit nobis. Hæc est dies, quam fecit et constituit Dominus ad instaurandam fidem, religionem, pietatem, veritatem, Dei cultum, concordiam, sanctissimarum legum observantiam : ad confirmandam quoque auctoritatem Ecclesie, castigandos errores, extirpandas hæreses, abscondenda putrida membra, abjiciendam pompam, fastum, luxum, molliem, omneque libidinem ; præmiis denique bonos, malos vero condignis pœnis afficiendum. Itaque, Patres, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui nullis longissimorum itinerum incommodis, nullis laboribus, nullis periculis deteriti huc accessistis, quique tam diuturnam in unum conveniendi moram ægre ferentes hæcenus in tristitia fuistis, gaudete nunc et consolamini ab uberibus consolationis vestræ : gaudete, inquam, sicut Apostoli et Ecclesie voce Spiritus sanctus cunctis fidelibus hodie præcipit ; non quidem in sæculo, cujus est fallax, inane, fluxum et caducum gaudium ; sed in Domino semper, qui verum, plenum, perfectum et sempiternum gaudium largitur diligentibus se. Modestia insuper vestra nota sit omnibus hominibus, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Etenim Dominus prope est. Prope est certe Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Ubi etiam duo vel tres in ejus nomine congregati fuerint, in medio illorum est.

« Oportet præterea nos in ejus nomine, non autem in virium nostrarum fiducia congregari, nihilque jam timidos aut sollicitos esse : nam si seposita mundi sollicitudine, promissa Dei præ oculis habentes in omni oratione, et obsecratione, et gratiarum actione pro tot in nos collatis beneficiis petitiones nostras, non apud mortales per jactantiam, sed per humilitatem innolescent apud Deum, pax ejus, quæ summa est et exsuperat omnem sensum, in hæc sacrosancta Synodo celebranda diriget et custodiet corda nostra et intelligentias nostras in Christo Jesu, ut extra ipsum nihil appetamus, nihil queramus : sed quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplina sit, ea cogitemus, decernamus, agamus, atque executioni demandemus ». Et prosequendo sermonem suum dixit ¹ :

42. « Placeat vobis ad laudem et gloriam sanctæ et individua Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem

¹ In Codice Concilii.

fidei et religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem et unionem Ecclesiæ, ad reformationem cleri et populi Christiani, ad depressionem et extinctionem hostium Christiani nominis, decernere et declarare, sacrum Tridentinum et Generale Concilium incipere, et incæptum esse? Responderunt: Placet.

« Et cum proxima sit celebritas Nativitatis D. N. Jesu Christi, et subsequenter alia festivitàtes labentis et incipientis anni, placetne vobis primam futuram Sessionem habendam esse Feria V post Epiphaniam, quæ erit septima mensis Januarii anni Dom. M^oXLVI? Responderunt: Placet ».

Feria sexta XVIII Decembris coacta est prima congregatio generalis post apertionem Concilii, in qua D. cardinalis de Monte primus præsidens et legatus recitavit, ad invocandam Spiritus sancti gratiam, orationem, *Adsumus, etc.* Deinde proposuit articulos infrascriptos :

43. *Articuli propositi circa ordinationem Concilii.* — « Plura disentienda videntur ad Concilium ordinandum. Quædam sunt extrinseca, quadam intrinseca. Ante omnia declarandum est, ut componamus nos ipsos et personas nostras in vita et moribus, et studeamus placare Deum precibus, jejuniis, elemosynis et aliis piis operibus.

« Ut episcopi et sacerdotes saltem in hebdomada celebrent Missam semel.

« Ut familiares nostri sobrie, caste, pacifice, sancte vivant; numerus eorum non sit excessivus.

« Ut statuatur dies ad celebrandam Missam in qualibet hebdomada in Collegiatis Ecclesiis, cum aliqua indulgentia pro celebrante et interessentibus, prout servatum fuit in recentioribus Conciliis.

« Ut Concilium sit securum et liberum in veniendo, manendo, recedendo et sentiendis.

« Ut fiat provisio eorum quæ pertinent ad sustentationem nostram, et sunt humano victui necessaria.

« Ut honesto pretio conducantur hospitia, atque honesto pretio vendantur et emanent res.

« Ut statuatur magistratus ad jus dicendum, continendumque in officio bonos, malos vero puniendum.

« Ut deputentur officiales Concilii, prout sunt abbreviatores, secretarii, advocati, promotores, aliqui cantores, et aliquis impressor.

« Ut conducatur etiam aliquis medicus insignis.

« Ut constituatur ærarium a sanctissimo D. N. pro multis, et variis, et necessariis expensis ordinariis et extraordinariis, quas fieri continget.

« Ut in loco, in quo habemus Sessiones, distinguantur sedilia pro prælatis, secundum dignitatem et gradum cujuslibet, et pro oratoribus principum laicis, qui non sunt admiscendi cum prælatis indutis Pluviali et Mitra.

« Ut statuatur ordo omnium sedentium in Concilio, ne oriantur contentiones inter eos cum scandalo laicorum.

« Ut declarentur, quæ personæ sunt admittendæ ad dandam vocem consultivam, vel deliberativam, vel utramque.

« Ut in qualibet Sessione sit unus concionator, et qui voluerit subire onus, det nomen.

« Ut materiæ, de quibus erit tractandum in Congregationibus et Sessionibus, examinentur prius, et decernatur quomodo, et qualiter, et per quos erunt examinandæ.

« Ut statuatur quid sit agendum in hac prima Sessione. Super his omnibus poterunt Patres cogitare etiam in Congregatione (quæ, si placet, fiet die Martis proxime sequenti) et dicere sententiam.

« Hortamur autem omnes in Domino, quanta possumus charitate, ut cogitent quale sit hoc Concilium, et propter quid sit indictum: quam reverentiam habere debeamus erga sanctissimum Patrem et D. N. Paulum Pontificem Maximum; quantum deferre invictissimo imperatori, Christianissimo regi, et aliis serenissimis regibus Catholicis: quæ ratio sit habenda absentium, præsertim eorum qui fortasse sunt in itinere, ut propterea nihil præcipitanter agamus, sed omnia cum moderamine et temperamento concedenti. Reliqua suppleat prudentia et pietas consulentium. Proposuerunt etiam ipsi præsidentes considerandum, ntrum a dogmatibus fidei, an a reformatione inchoandum sit, in materiis pertractandis, utque super his omnibus in futura Congregatione sententias dicerent ».

44. *Hieronymus Oleaster nomine regis Lusitanie perorat et litteras sui principis legi postulat.* — Deinde venerabilis sacræ theologiæ magister, Hieronymus Ordinis Prædicatorum, nomine serenissimi D. Joannis regis Portugalliæ ad patres peroravit.

Præcipua ejus orationis pars his concepta erat verbis¹:

« Serenissimus Joannes Portugalliæ rex III, spe futuri Concilii concepta, quo non corpora; sed mentes decipientium ac deceptorum hominum liberandas sperat a potestate tenebrarum, totus lætus totusque jucundus, non solum palmas suas extendit ad superos, sed quam celeberrimus potuit oratores suos ad vos parare decrevit, qui vobis gaudium ejus de Concilii incæptione afferrent, et promptissimi animi erga fidem et Ecclesiam insignia perferrent: sed ejus

¹ In Codice Conciliorum impresso, Ms. arch. Vat. to. 2188. p. 120. Diar. Conc. Trid. p. 61.

¹ Angel. Massarell. in Act. Congr. primæ, Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 121. et to. XIX. p. 23.

ardens animus moras non valens ferre, dum solemniores parat, nos interim tres religiosos Dominicani instituti ad vos præmisit, ut pedibus sanctissimi Pontificis osculatis prius, datisque ad eum litteris, ad vos tandem venerimus, quibus et litteras dedit, quæ ejus animum vobis aperirent, et mandata, quæ ejus intentionem apud vos explicabant. At namque hoc Concilii opus esse tam debitum, tamque necessarium tempori, quo tunc, et rebus in eo tractandis, ut non sine Dei numine putet illud esse indictum, ut eo, et perversa dogmata, quibus totus flagrat orbis locis tam periculosis, quibus magna celebritate obviam iri opus est, destruantur, et mores, qui pæne decidisse videntur, ubique reformentur. Interjectis nonnullis de vindicata ab hæresi Lusitania, addidit: « Indicabo vobis, Patres, cum serenissimi regis affectu totius regni non excidium, sed firmissimam fidem; non reipublicæ disturbium, sed summam tranquillitatem et pacem: nam etsi nullum aut parvum orbis dominium sit, in quo venenata sua dogmata nebulones isti non effuderint, mirum tamen est, quod Dei peculiari, qua illud regnum custoditur, providentiæ adscribendum, necnon Christianissimi regis industriæ, ad nos hujus Lutheranae hæresis, quæ nunc totum occupat orbem, nec scintilla pervenerit. Valete ergo, sanctissimi Patres, et pro tam piissimo et de fide et de Ecclesia tam benemerito principe incessanter orate. Dixi ».

45. Deinde primus Concilii præses rogavit Patres, an vellent regis Lusitani litteras legi: quorum publico consensu perlectæ sunt:

« Joannes, Dei gratia Portugalliae et Algarbiorum rex, citra et ultra mare in Africa, dominiæ Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, sacrosancto generali Oecumenico divinitus Tridenti collecto, Catholicae Ecclesiae personam gerenti, cum sincera devotione et filiali obedientia, salutem.

« Cum earum rerum, quæ ad orthodoxæ fidei sinceritatem Deiique Optimi Maximi gloriam pertinent, exitum in illi dignitate metiri debeamus, magnæ mihi voluptati fuit, ea vos animorum conjunctione convenisse ad sacri Concilii celebrationem, ut Ecclesiae Catholicae presidio et ornamento esse possitis: si enim statui debet nihil a sanctissimo conventu profecturum, quod non esset cum publica omnium utilitate conjunctum: cui ut non defuturum Spiritus sancti numen pro vestra omnium integritate et concordia, vero simillimum est, ita eo in consilium adhibito nihil est, quod vereri debeamus, quin constituatis ea, quæ ad consti-

tuendam Christianæ religionis auctoritatem, ad restituendam veterem morum disciplinam, ad totius denique reipublicæ pacem et tranquillitatem spectare videbuntur. Quibus omnibus de rebus omnino erant vestra decreta firmiora, quanto frequentiore celebrioreque senatu fuerint sancita et promulgata. Proinde ne quam occasionem prætermitterem declarandæ animi mei ad eam rem propensionis, legatos isthuc meos destinavi: qui cum in apparatu suæ protectionis diuturniorem moram mihi facere viderentur, quam vestra in conveniendo maturitas, et mea in jubendo alacritas exigebat, præmissi ad vos interim religiosos fratres Georgium a Sancto-Jacobo, Hieronymum ab Oleastro, Gasparem a Regibus, sacrae Theologiæ magistros, quos inter alios legatorum comites a me selectos celerius isthuc ire volui, ut sacrosancto Concilio obsequii mei firmitatem patefacerent, et vobis consilii mei rationem explicarent. A tanto vero Concilio enixe postulo, ut æquis animis audiantur, et si quid meo nomine habere se in mandatis dixerint, admittantur. Faxit Deus Optimus Maximus, et ut qui ad celebrationem generalis sacrosancti Concilii Ecclesiam Catholicam representantis rite conveniatis, omnes legitime per Spiritum sanctum congregati ea statuatis, quæ ad Orthodoxæ religionis puritatem conservandam, et divini nominis augendam gloriam sint penitus accommodata. Datum Eboræ xxiv Julii anno salutis humanæ m̄xlv.

« Quibus lectis litteris illustrissimus dominus cardinalis de Monte primus præsidens et legatus respondit, consensu et approbatione omnium Patrum, sanctam Synodum perlibenter audivisse litteras serenissimi regis, cujus studium et pietatem in defendenda propagandaque Christi fide, et observantia erga Ecclesiam Catholicam omnibus esse compertam. De animo autem majestatis suæ ad promovendas juvendasque futuri Concilii res admodum propenso, Deo in primis, ac majestati suæ regis gratias agere, ipsius vero Hieronymi præsentiam Patribus charissimam esse ob ejus religionem et doctrinam, deinde dimissa fuit Congregatio hora xxiv ».

46. *Episcopi Galli petunt ut nihil in Concilio tractetur ante adventum oratorum regis Gallicæ.* — Cum autem Hieronymus supradictus petiisset, ut eum vellent recipere tamquam regis Lusitanie oratorem, cum electi a rege oratores non adhuc ad iter capessendum essent parati, huic petitioni legati non annuerunt, quia Epistolæ regis, quas obtulit, de ejus legatione non loquebantur; decreverunt tamen, aliquem illi peculiarem honorem tribuere¹.

« Die Sabbati xix Decembris RR. DD. archiepiscopus Aquisensis et episcopus Agathensis,

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3232, p. 90, Ext. in act. Ms. Concil. Trid. auctore Angelo Massarelli. Io. de Concil. Ms. Val. sign. num. 3188, p. 122, et Io. XIX, p. 23, Ext. eam in Dur. Concil. Trid. Ms. arch. Val.

¹ Pallavic. to. 1. l. vi. c. 1. num. 12.

natione Galli, comparuerunt coram dominis præsidentibus et legatis, petentes ne permitterent aliquid substantiale tractari in Concilio, antequam Christianissimus rex oratores suos mitteret, exhibentes cedulam infrascriptam :

« Cum reverendissima et illustrissima dominationes vestrae inter alia mox præstant, videndum esse nobis, quibus de rebus potissimum in hoc sacro Concilio tractari conveniat, nos mandato Christianissimi regis respondemus et petimus, ne ad res tractandas ulterius procedant, sed expectent donec idem Christianissimus rex legatum suum cum reliquis regni sui prælatis et doctoribus transmiserit ».

Consultis Patribus, in secunda Congregatione generali habita xxii Decembris ita responsum est :

« Ad proposita per rever. dominos archiepiscopum Aquensem et episcopum Agathensem sacra Synodus respondit, quod ad ea quæ proposita per eos erant, et ad reliqua omnia pertinerent, se esse habituram semper rationem Christianissimi regis, quantum secundum Deum, et rectam rationem, et honorem ipsius Synodi fieri poterit. Hortatur autem et rogat majestatem suam, ut considerans quam expedit hoc tempore celebrationem Concilii non differri, velit ac dignetur quanto citius mittere legatum, sive oratorem suum, et excitare prælatos regni sui, ut veniant ad ipsum Concilium jam Dei munere inceptum, cum magna omnium Christi fidelium letitia ». Addunt Acta : « Quo responso dato, archiepiscopus Aquensis et episcopus Agathensis gratias egerunt sanctæ Synodo ».

Rogatæ dein fuere Patrum sententiæ de septemdecim articulis antea propositis, qui iterum discussi fuere in tertia Congregatione generali habita die xxix Decembris, in qua etiam sancitum, ut supremi religiosarum familiarum magistri in possessione ferendi utriusque suffragii et consultivi et decisivi assererentur : de infulatis etiam abbatibus visum est pariter ad jus utriusque suffragii admittendos : « Postremo », inquit ejus congregationis Acta ¹ « delecti sunt tres patres, Hipporegiensis, Cavensis et Feltrensis episcopi, quibus onus esset videndi titulos et promotiones Prælatorum, cognoscerentque de ordine tam ipsorum prælatorum, quam oratorum principum in sedendo : et quoad ipsos prælatos observaretur tempus promotionum ».

« Feria III, xxix mensis Decembris fuit Congregatio generalis, in qua concluduntur duo decreta, unum quod abbates et generales Ordinum habeant utramque vocem consultivam et decisivam in sacro Concilio : alterum electionis trium prælatorum, qui curam habeant videndi

titulos et promotiones prælatorum Concilii, et de ordine eorum et oratorum principum in sedendo cognoscant, ne altercationes et lites oriantur, nihil tamen decisive, sed referant Patribus in Congregatione generali ».

47. *Instructio ad legatos de rebus Concilii.* — Interim legatis, qui de variis rebus consilium a Pontifice petierant, hæc instructio mandato ipsius Pontificis transmissa fuit :

« De capitibus religionis, abscisso quocumque respectu, primum tractabitis, damnables non personas, sed doctrinam, et non solum generales propositiones, sed particulares, quæ nunc vigent, et hæresum sunt fundamenta ».

« De reformatione, nec ante dogmata, nec simul cum illis omnino agetur, cum hæc secundaria et minor causa congregandi Concilii fuerit; sed tali circumspectione in hac re utatur, ut occasione aliis non sit credendi, eam nos vel evitare, vel ad finem Concilii differre velle : imo declarent, quod, quando Concilium in re principali bene procedere cœperit, de illa sicut convenit, pertractabitur ».

« In rebus, quæ ad Romanam curiam pertinent, de quibus querelas afferunt, consilii prælatorum et provinciarum libenter aures porrigant, non quia Concilii sit illas emendare, sed quia Pontifex de illis optime instructus remedia porrigat opportuna ».

« Litteræ et scripturæ quæ nomine Concilii expediendæ erunt, etiam nomine legatorum, uti præsidentium, et Pontificis uti ab illis representati, consignentur, ita ut non solum Pontifex Concilii convocandi auctor, sed etiam summam in eo perducendo auctoritatem præferre appareat, et tribus legatorum sigillis, vel saltem primi muniantur ».

« Celeriter negotia Concilii, ni imperia contraria recipiant, expédiant, ut tempus cum fructu insumatur, et calumniæ ob prolixitatem evitentur ».

« Facultatem legatis damus aliquas indulgentias largiendi, sed animadvertant, ut concessæ a Concilio non appareant, cui summum jus et auctoritas non competit ». Hæc erant instructionis capita. Alii Concilii et congregationum tractatus suis locis referentur. Modo ad alia hujus anni gesta se convertat oratio.

48. *Censuras theologorum Lovaniensium Carolus V confirmat, unde Lutheri impius furor.* — Hoc anno ineunte, Cæsar pro asserenda fide Catholica in Belgio, quod impij variis hæresibus inficere nitentur, theologorum Lovaniensium propositiones, edictis Latina et Burgundica lingua conscriptis confirmavit, atque supplicio capitali afflicti jussit eos, qui contraria orthodoxæ religioni sentirent; quo audito Lutherus venenata scripta adversus Lovanienses theologos sparsit, sacramentarios tamen damnavit, ac professus est

¹ Angel. Massarell. in actis Congreg. tertie. Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 97.

adorandum esse Christum in sacramento, quod antea negaverat, nam ejus thesis decima quinta his verbis concepta est ¹ :

« In Eucharistia sacramento venerabile et adorabile est, et exhibetur et sumitur vere et reipsa Corpus et Sanguis Christi, tam a dignis, quam indignis ». Et thesi vigesima hæc habet : « Hæreticos serio censemus et alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos, et omnes sacramentarios, qui negant Corpus et Sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia ». Hæc ille de Zuinglianis; quid vero Zuingliani Tigurini de Luthero sentirent his verbis antea promulgant: « Propheta et Apostoli (inquunt) Dei gloria, non privato honori, non suæ pertinaciæ et superbiæ studebant, sed peccatorum salutem quærebant unice: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, et confesum Sathanae tradit quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint, et in omnibus correptionibus suis plurimum maligni Spiritus, quam minimum vero amici et paterni ingenii habere deprehenditur ». Plane maligno se spiritu turgere ostendit impius hæresiarcha ², eum pestilentissimas satyras adversus Pontificum Romanorum dignitatem scripsit, blasphemamque prociacia contendit, Pontificatum a Christo institutum, a Sathana esse constitutum, ac pieturas infames apposuit, in quibus Pontifici satellitio dæmonum succincto aures asininas appinxit, pari insania in alia imagine Ecclesiam, quam Apostolus modo virginem castam, modo columnam et firmamentum veritatis appellat, de qua in Canticis dicitur, *Tota pulchra es, amica mea*, quamque Joannes Evangelista mulieris amicta sole lunam pedibus calcantis specie divinitus expressam vidit, specie Porcæ depinxit, cui insidebat Pontifex, dextra lustrale signum Crucis fugens, ac sinistra oletum fumans, quo OEcumenicum Concilium adumbrari volebat, præferens, et quia continentibus votis Concilium a piis expelebatur, eandem porcæ ad vaporem et halitum oleti adgrunnientem rictu avido effinxit. Quid sceleratius et spurcius, vel a Mahomete, vel a dæmone adversus Dei Ecclesiam fingi potuit? attamen hic spurcissimus scurra se organum Spiritus sancti esse jactavit. Quis non ex his agnoscat illum apertum Sathanae administrum, blasphemumque Dei hostem, exsortemque omnis honestatis et sapientiæ, ejus tamen umbratilem et fucatum speciem hæresiarchæ affectare consueverunt? Quis tantam amentiam non lugeat, ac seclariorum horrendam cœcilitatem non deploret? nulla quidem in ferris sat digna inveniri poterant supplicia ad plectendam tantam Lutheri impietatem, atque adeo proximo

anno ad infernalem carnificinam repente abreptus est: repetenda verò hic visa sunt verba Surii ³ gravissima, quæ his addidit: « Ad quidem notatu dignum est in Lutheri et totius gregis ejus apostatarum monachorum scriptis, nihil fere crebrius malo dæmone et stercore nominari, ut intelligat prudens lector, eos se totos cacodæmoni et spurcissimæ Veneri devovisse, et tales tam impuri homines non alio, quam vel ipsius Christi Apostolorum loco habentur. O horrendam nimis Dei iram! Sleidanus harum picturarum in suis Commentariis libenter meminit, et non modo non reprehendit, licet id plerosque fecisse scribat, sed etiam nititur nobis ex Luthero prophetam efficere. Sic olim Manichæi impurissimum nebulonem illum Mantem auctorem seclæ ipsorum non alium volebant esse, quam Spiritum sanctum. Sed venit ille dies, quando requissimus Index Christus veram feret sententiam, et tunc apparebit, quam nihil profuerit Luthero Sleidannus vanissimus ipsius encomiastes ». Sed esto in tanto honore versetur apud novatores inhonestus Lutherus, et propheta ab iis falso prædicetur, quantus ille apud Deum habitus fuerit, et quantum valuerit ejus preces, vel quanta in patrandis miraculis gratia floruerit, quantumve illum dæmon malus perlimuerit, quantumve decipi Lutherus potuerit in concepta de se sanctitatis florentissimæque apud Deum gratiæ existimatione, ex conspicuis ejusdem hoc anno gestis perpendamus :

49. *Lutherus suo magno periculo dæmoniacum curare aggreditur, sed incassum.* — « Anno MXXIV », prosequitur Surius « puella quadam dæmoniacæ e Misnia adducta est Wittembergam ad Lutherum, eum tertium Eliam, ea spe, quod Lutherus dæmonem esset ejectionis. Ille quidem (utpote male sibi conscius) principio valde se difficilem præbuit, tamen tandem jussit puellam in sacrarium parochianæ Ecclesiæ introduci. Ibi suis quibusdam Luthericis exorcismis adjurat dæmonem, sed dæmon ejus exorcismos irridet. Tum vero Lutherus mire angitur, discruciiari, et e sacrarii ostio se velle propripere. At malus dæmon adeo obstruxit ostium, ut neque foris neque intus reserari potuerit. Ea res etiam in majores illum miserum angustias adduxit, jamque per fenestras erumpere conabatur, sed conatus ejus cancelli ferrei retardabant, denique securi ferreæ per cancellos immissa ostium perfringi oportuit, ut Luthero pateret exitus. Faxit Dominus Deus noster, ut ad sanitatem redeant, qui ejus hominis nulla vitæ sanctimonia, nulla miraculorum efficacia suffulti infaustum Evangelium magno totius Europæ malo complexi sunt ».

Non defuere similes Luthero fanatici im-

¹ Surius in Comm. hoc anno. — ² Joan. Cochl. in act. et scriptis Lutheri. Sur. in Comment. Sleidan.

³ Surius in Comm.

postores, qui se numine afflatos fingerent, mendaciorumque plalerata pompa simplices et credulos insanis erroribus illaquearent, inter quos flagitio inclaruit hoc anno David Georgius, ut narrat Joannes Cochlaus subjectis verbis ¹:

50. *Novos errores disseminat David Georgius.* — « In Frisia surrexit laicus quidam in oppido Emeda nomine David Georgius ex Delphis oppido Hollandiae, qui absurdissimos proposuit articulos, in quibus etiam Sadduceorum renovavit errores, negans resurrectionem carnis, extremum iudicium, Angelos, Dæmones, Baptismum, Matrimonium, Scripturas, Paulum, vitam æternam in cælo. Affirmavit autem se tertium esse David, qui in regno Christi super terram regnare debeat; uxores voluit esse communes, docuit non esse peccatum coram hominibus: non spiritum, sed solam carnem peccare, stultos fuisse Apostolos et martyres, quod tormenta mortemque propter Christi confessionem passi sunt, quia æque bene salventur spiritus infidelium sicut fidelium, et æque bene damnentur caro Apostolorum, sicut infidelium ». Fuisse illum fascinatum a malo dæmone, magicisque artibus instructum, ac plures alios etiam errores docuisse narrat Surius in Commentariis ² (1): « Ille insanus, inquit, non se dubitavit Dei nepotem appellare, cum feris et avibus quocumque esset collibitum idiomate colloquia miscuit, et ab illis alimenta accepit, haud dubio præstigiis et dæmonum opera usus. Aiebat cælum prorsus esse vacuum, se divinitus missum, ut regni hæredes accerseret, multaque id genus alia et absurda, quibus tamen non defuerunt qui fidem commendarent, ut est hoc sæculum pudendum levitate, et plusquam anili stoliditate avidum in res novas quantumcumque absurdas et impias: prorupit eo demum ipsius impietas, ut se Messiam a Prophetis promissum sequacibus, depravatis Scripturæ oraculis, suaderet, ac imperium orbis terrarum constituto tempore capessiturum, cumque arte pingendi vitri antea ægre vitam sustentaret, magnas mendaciis huiusmodi opes comparavit. Cum vero Cæsar similibus impostorum amantiam coerceri supplicii iussit, et Batavia Basileam profugit, ac civitate donatus, quod Evangelii causa se extorrem factum mentiretur, magnificas sibi paravit ædes, tum arcem ac prædia coenit, ac regia prope magnificentia conjuncta cum simulata modestia, omnium in

se oculos convertit, ut vero demum infeliciter perierit, ejusque fraudes patefacte damnataque, suo loco dicitur ».

51. *Swenckfeldiana hæresis propagatur.* — Eodem anno Swenckfeldiana hæresis, quæ in Silesia et Moravia Joannis Fabri piis studiis, ac regis Ferdinandi severitate sopita fuerat, in Suevia propagata venena latius diffudit, ut narrat Cochlaus ¹, qui ad confutandos impiorum errores plures etiam libros edidit:

« Eruptit (inquit) alia hæresis nova in plerisque Sueviæ oppidis, quam Swenckfeldianam vocant, cujus auctor Slesita est, genere nobilis. Is ergo ut aliquid novi, per quod innotescat, afferat, ex antiqua Manichæorum hæresi dogma vetus arripit ac renovat, docens Christum non fuisse conceptum in utero Virginis Mariæ: ex natura et sanguine ejusdem, officio Spiritus sancti, neque ex ea natum, sed aliunde a Deo creatum hominem assumpsisse. Inter has insanientium et undique irruentium hæreticorum diversas machinationes impiosque conatus, sua pro parte Catholicorum studia exercens Cochlaus quædam Opuscula sua Latine scripta, velut antidota quædam evulgavit, utpote Miscellaneorum libros tres, qui diversos continent tractatus triginta; item considerationem de concordia tractatu contra duo scripta Lutheranorum; item velitationem contra quatuor conjecturas Andreæ Osiandri de fine mundi; item Replicam in Musculi Anticochlaum de Sacerdotio et Sacrificio novæ legis, et in Antibolen Bullingeri, atque in quædam scripta Bucerii, item in Nyctioracem novi Evangelii, etc ».

52. *Hæresis repressa Mantuæ et Mutinæ.* — Pertentarunt nonnulli Italiam Lutherana Zuinglianaque hæreseon venenis inficere, sed hæc impiorum molimina legum severitate facile fracta conciderunt, nam cum in clero et populo Mantuano ea lues apertis impiis disceptationibus serperet, cardinalis Mantuanus eam mox coercuit, cujus diligentiam commendavit Pontifex, illique sacræ censuræ munus adversus quoscumque etiam religiosos invexit ²:

« Cardinali Mantuæ.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Accepimus nuper, quod cum in ista civitate Mantuæ nonnulli clerici etiam litterarum et sacræ theologiæ rudes, artesque mechanicas exercentes, ausu temerario de rebus ad fidem Catholicam perti-

¹ Coel. ad an. 1545. — ² Sur. in Comm. ad an. 1543.

¹ Cochlaus in ael. et scriptis Lutheri. — ² Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 413.

(1) Haud satis assequor cur annalista noster hæresis a Davide Georgio invecit epocham hoc anno constituerit, cum præ oculis illi fuerint Suri Commentarii qui rem totam biennio anticipantes anno MDXLII adscribunt. Ita pariter et recessus ejus et Batavia Basileam cum an. MDXLIV conjungendus est, ut coævis scriptoribus adductis Spondanus ad A. MDXLII, num. 40 definit. Obiit viri hujus impii et post mortem cadaveris exustio jussu magistratuum legitur apud annalistas ad A. MDXLI.

Hæresis quoque Swenckfeldianæ exordia longe altius sunt repetenda; Spondano enim teste vetustis scriptoribus adstantibus, Gaspar Swenckfeldius anno MDXXVII innotescere cepit, statimque se hæresis novæ auctorem et acerrimum Lutheri adversarium præbuit.

mentibus, deque articulis fidei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ sacris institutis non solum disputare, sed etiam dubitare audent in animarum suarum perniciem et grave aliorum scandalum, fuit in hoc a circumspectione tua pro boni cardinalis et episcopi officio opportune provivum, ita ut hoc malum, quod si fuisset neglectum, ulterius serpere et progredi potuisset, tua cura, et diligentia, melique acriorum pœnarum repressum fuerit, de quo eandem circumspectionem tuam laudamus plurimum, ut debemus, et in Deo Domino commendamus hortando illam, etsi hortatione in hoc sciamus non egere, ut in capta pietate ac vigilantia perseveret, Apostolica quoque ei auctoritate injungentes, ut per te, vel alium, seu alios a te subdeputandos etiam contra clericos sæculares, et cujusvis Ordinis etiam Mendicantium Regulares per totam civitatem Mantuæ et tuam Diocœsim Mantuanam existentes, et ubicumque tua jurisdictione quomodolibet se extendat, etiam auctoritate Apostolica exemptos, et Sedi Apostolicæ immediate subjectos super crimine hæresis, et an eorum aliqui libros hæreticos habeant, legant, et opiniones ab Ecclesia reprobatas ac damnatas ipsi teneant, et alios doceant, juxta canonicas sanctiones diligenter inquiras, testes recipias, culpabiles et suspectos capi et præviis iudiciis torqueri facias, processusque desuper usque ad sententiam diffinitivam exclusive formatos, tuo sigillo clausos in forma authentica ad nos transmittas, ut desuper opportune providere possimus, etc ». Ad hæc vero peragenda amplissimis eum mandatis rescissis quorumvis contrariis privilegiis instruxit. « Datum Romæ apud S. Petrum die vii Februarii MDXLV, anno XI ».

53. Diffundere quoque virus suum Mutinæ cœperat hæresis, opera et astu Philippi Valentini, quod cum fama accepisset Pontifex, mox ad capiendam eam vulpeculam, ne vineam Domini evastare pergeret. duci Ferrariæ dedit mandata, ut pro suo in Deum cultu et religionis studio hæreticum hominem in carcerem conjiceret † :

« Duci Ferrariæ.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Relatum est nobis, quod in civitate Mutinæ hæresis Lutherana increbuit, et quotidie magis increbrescit ac diffunditur, quodque hujus mali auctor et caput fuit, et est iniquitatis filius Philippus Valentini, quod tuæ nobilitati, quæ insigni pietate est prædita, indecorum et nobis merito molestissimum. Quamobrem dedita opera presentium latorem ad te mittendum duximus, te ex animo hortantes, et requirentes, ut pro boni et Catholici ducis officio, quod Deo, ac nobis, et sanctæ Ecclesiæ debes, proque tua et majorum

tuorum pietate et religione dictum Philippum statim comprehendi facias, et ad nostram detineri instantiam, ejusque libros ac litteras perquiri, eo enim compresso, facile nobis ac tibi erit complices ejus compescere, et huic malo providere, etc. Datum Tusculi xxvii Maii MDXLV, anno XI ».

54. *Paulus concedit ut clerus Siculus subveniat imperatori de pecuniis Ecclesiasticis.* — Extinctis ea diligentia primis Lutheranae impietatis scintillis, nullum in Italia exarsit incendium, quo conflagratura videbatur. Intentabat tunc etiam Turca tot præteritis victoriis elatus, Italiæ irruptionis barbaricæ terrorem, cujus primos impetus trepida Siciliæ insula expectabat; ad quos propulsandos cum Cæsar bellicos apparatus necessarios instrueret, Siculi centum milia aureorum in sumptus spopondere, modo clerus ratam portionem pro vectigalium magnitudine conferret; sed cum Lateranensis Concilii sanctio quidquam a clero exigere principibus vetuisset, Paulus ea religione Carolum suis litteris exolvit † :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Exponi nobis nuper fecit majestas tua, quod cum ut impiissimo Turcarum tyranno invasionem in regnum tuum Siciliæ ultra Pharam classe parata iterum comminanti, divino possis auxilio obviare, et a regno prædicto eorum incursum propellere, magnates et alii laici ejusdem regni in quodam generali colloquio per eos habito *Parlamento* nuncupato constituerint tibi in præsentis anno, ultra donativum in præterito præstitum, causa prædictæ invasionis propulsandæ summam centum millium ducatorum auri dare, dummodo archiepiscopi, episcopi, archimandrite et alia personæ Ecclesiasticæ dicti regni pro rata reddituum Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum in hoc contribuerent, qui etsi sponte ratam præfatam etiam in præsentis anno, interveniente tamen nostra ad hoc licentia, dare statuerint obtulerintque persolvere, quia tamen per diversas canonicas sanctiones, et postremo per felicis recordationis Leonem PP. X prædecessorem nostrum in novissimo Lateranensi Concilio sub diversis censuris et pœnis prohibitum existit, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis et archimandritis, et aliis personis Ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, subventionem aliquam pecuniarum recipiant, aut illi præsentem majestatem tuam subventionem ipsam capiendo, et prædicti archiepiscopi, episcopi, archimandrite, et alia personæ Ecclesiasticæ elargiendo, dubitant censuras et pœnas

† Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 246.

† Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 313.

prædictas incurrere, propterea majestas tua suo et prædictorum nomine humiliter nobis supplicare fecit, ut pro quiete tuæ et ipsorum conscientie in præmissis nostram et hujus sanctæ Sedis auctoritalem interponere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes ex defensione prædicti regni a tyrannide impiissimorum Turcarum, non minus Ecclesiasticis quam secularibus personis commodum provenire, imo hoc etiam in almæ Urbis nostræ, ac totius Italiae et Christianæ religionis conservationem cedere, hujusmodi supplicationibus inclinati, archiepiscopis, episcopis, archimandritis, et aliis personis Ecclesiasticis præfatis, ut ratam hujusmodi eidem tuæ majestati persolvere, tuque vel tui officiales illam exigere et recipere absque prædictarum vel quarumvis aliarum censurarum aut pœnarum incursu libere et licite, atenta causa et necessitate prædicta, pro hac vice tantum valeatis, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica per easdem præsentis concedimus, et indulgemus, etc. Datum Romæ, etc. die IX Maii MDCXLV, anno XI ».

55. *Carolus V cum Turcis inducias paciscitur: Protestantium potentia amplior et gravior fit.* — Cæsar vero ¹, cum ad arcendas Turcarum ex Pannonia in Germaniam irruptiones exercitum pararet, nec Protestantes principes posse fleclere, ut adversus Turcas arma conjungerent, nisi ille ipsos a Concilii Tridentini excipiendis decretis immunes pronuntiaret, nec in jus ob Ecclesiasticos oppressos expilatove vocari permetteret, Gerardum Veltvichum oratorem ad Solymannum pro induciis paciscendis mandatis amplissimis fultum misit, ne eodem tempore a Turcis et Lutheranis invaderetur; mense etiam Junio, clerum et senatum Coloniensem in suum patrocinium adsevit adversus tyrannidem Hermannii archiepiscopi Lutherani, eundemque in jus ut accusatoribus responderet, accersivit, quem etiam Pontifex instituto ordine judiciario ad subsellia Apostolica, recurrente die sexagesimo se sistere jussit. Sprevit ² vero ille Pontificis et Cæsaris edicta, cum Protestantium armis fulciretur, quem tamen postea gradu deturbatum pulsumque visuri sumus: ingravescebat vero in dies adeo Lutheranorum potentia, ut cum Henricus Brunsvicensis princeps ditione sua religionis Catholicæ odio depulsus conscriptis copiis principatum recuperare anniteretur, hostium numero obrutus captusque cum Carolo filio fuerit, cujus sortem miseratus Cæsar lantgravium victorem monuit, ut benignitate captos principes completeretur: at Lutherus e contra lantgravium et Saxonem edito libello deterruit, ne Brunsvicensem dimitterent, allato eo argumento, illum a Deo castigatum non posse

absolvi, nisi veram agat penitentiam et rite satisfaciatur; quibus verbis hæresiarcha, qui penitentiam et satisfactionem adeo insectatus est, seipsum confecit. « Hoc loco », inquit Surius ¹, « aliquid valet penitentia et satisfactio, quam adeo irrident isti Evangelici ». Nec prætermittendum silentio visum est, quod cum Joannes Gropperus canonicus Coloniensis, eruditione et pietatis studiis clarissimus, fortissime religionem Catholicam propugnaret contra Lutheranos, fictis criminibus fuisset appetitus a Lutheranis, quasi cum ipsis sentiret et rem Catholicam prodidisset, ut eo crimine perstrictus in odium apud Catholicos adduceretur, ille elegantem Apologiam scripsit, qua subornatum crimen a se depulit: de cujus insignibus virtutibus et castimonie excellenti laude hæc refert Surius ²: « Fuit admirabili eloquentia, rara eruditione, animo imperterritus, nocte et die Scripturæ sacræ et sanctissimorum Patrum lectionis incubens, atque a fœdissimo concubinato, quo se plerique ex clero turpiter dehonstant, usque adeo abhorrens, ut cum quodam die domum reversus, famulam invenisset lectum ipsius sterculentum, vehementissime commotus, repente famulam e cubiculo exegerit et lectum e fenestra cubiculi projecit, hoc ipso sane egregium animi sui erga continentiam zelum et ardorem præclare declarans, quod idecirco commemorare volui, ut tanti viri exemplo commoveantur Ecclesiastici, et carnis petulantiam victus parcimonia, sacræ lectionis et ferventium precum assiduitate, vigiliis opportunis, mulierum vitanda consuetudine, et id genus aliis pietatis studiis edoment, desinantque adversum se provocare iram præpotentis Dei, atque procaecibus hæreticis veterem eandemque Catholicam religionem lacerandi ac proscindendi præbere occasionem ». Fuit ille præpositura Bonnensi donatus, pulso Friderico Lutheranis, egregiamque religioni restituendæ operam navavit, ob quam cardinalitii apicibus a Paulo IV postea ornatus est, ut suo loco visuri sumus; nunc reliquis hujus anni res prosequamur.

56. *Paulus curat pacem firmare inter imperatorem et regem Gallie.* — Incubuit interea Pontifex alenda fovendæque paci, quæ superiori anno inter Cæsarem et Franciscum Gallie regem confecta fuerat, atque ad eam arctius constringendam interpretes adhibuit, qui fuerant illius sancientiæ maximi auctores, nimirum Gabrielis Gusmanum ac Petrum de Soto Ordinis Prædicatorum, ad quorum postremum extant litteræ, quibus egregiis ceptis jussit insistere, cum ex ea pace reipublicæ Christianæ salus penderet ³:

« Dilecto filio de Soto Ordinis Prædicato-

¹ Lib. IV. de rebus memor. — ² Sur. in Comm. hoc an. 1547.

— ³ Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 252.

¹ Surius in Comm. — ² Surius ubi sup.

rum et sacre Theologie professori, serenissimi Cæsaris confessario.

« Dilecte fili, etc. Veniens nuper ad nos dilectus filius Gabriel de Gusman Ordinis Prædicatorum et sacre theologie professor, Christianissimæ reginæ Franciæ confessor, pro expeditione cujusdam monasterii, ad quod cum rex Christianissimus nobis nominavit, multa retulit de tua singulari doctrina ac pietate, utque in negotio pacis inter Cæsarem majestatem et dictum regem Christianissimum nuper confectæ, una secum pie ac diligenter laboraveris; quæ etsi erant nobis antea de hoc cognita, tamen ex ipso etiam Gabriele audire jucundissimum nobis fuit, teque de hoc summopere in Domino commendamus: rem enim procuratam non solum illis principibus, et eorum regnis, verum etiam universæ Christianitati salutarem, quæ ut diutissime conservetur, nobis, ac tibi, et bonis omnibus laborandum est; quamobrem nos publicæ utilitatis, quæ ex hoc dependet, desiderio ducti, cum nonnulla ad ejusdem præservationem pacis pertinentia nobis in mentem venissent, ea per ipsum Gabrielem isthuc redeuntem tibi nota esse volumus, ut in his serenissimo Cæsari ad commune bonum sedandis pietatem tuam exerceas, quemadmodum ea plenius et uberius idem Gabriel nostro nomine tibi referet. Datum Romæ XXII Martii MDCXLV, anno XI ».

57. Adulto anno confundi ea pax visa est¹, cum dux Aureliæ, juvenis omnibus corporis atque animi dotibus quæ a natura conferri possent florentissimus, cui Belgii aut Mediolani principatus a Cæsare cum sponsa regia erat promissus, anno vigesimo tertio extinctus est ex febre (ut dictum est) pestilenti apud Monasterium-Firmum, dum bello adversus Anglos vacaret: Franciscus enim rex Boloniam terra marique obsidione cinxerat, et Angli a Gallis cruenta pugna tumultuaria victi deletique sunt. Classis etiam Gallica centum quinquaginta onerariis, ac viginti quinque tremibus, et sexaginta minoris alvei navibus constans, mense Julio in Angliam vela fecit, ac repentina exsensione facta, multa loca evastavit. Misit etiam Franciscus rex reginæ Scotiæ viduæ subsidiarias copias (duce comite Lenoto) ad frangendam regis Angliæ vim, sed Anglus eundem comitem (tradita illi nepte in uxorem) ad suas partes pellexit, quare Franciscus rex², cum novis copiis Brossium, deinde Lorigium, duces strennos, ad Scotos confirmandos submitit. Commisissimam autem ad Boloniam pluribus minoribus præliis, contigit, ut Claudius Guisus dux in prælio quodam certans ab Anglo percuteretur, adacto per oculum in cerebrum lancea frusto ad occiput

pertingente, eoque educto divinitus percuraretur; cæterum in castris Gallorum, et circumjectis oppidis horrida lues ex nimis imbris grassari cepit, et noctu repente extincti plures reperi, qui interdiu nullam morbi significationem dederant, idque in diversorio, in quo ipse habitabat contigisse tradit Martinus Bellaius, additque mitigatam luem hoc remedii genere: « Cum ad extremum non aliud sepulchræ genus usurparetur, quam quod universis in domo aliqua mortuis domus ipsa in eos diruta vice sepulchri erat ». Cæterum Henricus Angliæ rex¹ suorum veritus odia, et belli sumptibus fatigatus, rejeta antea pacis consilia complexus, Boloniam Francisco regi redimendam auro restituit, proximo anno idem etiam Franciscus rex, postquam Caroli Aureliæ ducis funus luxisset, oratores ad Cæsarem misit, acturos de pace, quæ filii morte confusa erat, redintegrandam, quibus Cæsar damnosæ transactionis sollicitudine liberatus respondit se bellum regi nunquam illaturum, nisi injuria a Gallo provocatus esset, ita priores controversiæ recrudere, et Carolus dux Sabaudia recuperandi principatus spe dejectus est: tanto porro Franciscus rex regi ab hæreticorum peste vindicandi studio arsit, ut cum in Delphinatu et Comitatu Avenionensi nonnulli pagi hæresi infecti leviora remedia non admitterent, immisissim in eos copias funditus deleverit, nimiaque sævitia miles nulli ætati vel sexui perpercerit.

58. In Lusitania contra hæreticos exercita severitas, et similitates erga Pontificem depositæ. — In Lusitania sacra fidei censura exercebatur nimia acerbitate in neophytos Marranica hæreseos suspectos, ac Pontifici relatum est ab administris regis et censura gerendæ præfectis multa crudeliter et inique patrari, insontesque eadem poena cum soubibus involvi; insontium itaque a judicium crudelitate vindicandorum studio Pontifex cognitionem eorum causæ sibi reservavit, animadversionemque in mancipatos carceribus extrahi jussit: quod decretum Pontifex cum Lusitania rex in partem iniquam detortum acciperet, Pontifex subjectis litteris decreti sui aequitatem firmitatemque in luce collocavit, blandisque verbis regias iras permulsit²:

« Regi Portugallia.

« Attulit ad nos nuper dilectus filius Simon de Vega litteras serenitatis tuæ xiii Januarii Eborac datas longissimas illas quidem, in quibus causas petite per te inquisitionis ab initio repetens, de ultimo Brevi, per quod inhibimus, ne contra neophytos incarcerationis ad executionem procederetur, donec nos a Joanne Riccio, electo Syppontino, quem ad te nuntium misimus, de

¹ Bellaius l. x. Paul. Jov. l. v. Belcar. l. xxiv. Martm. Bellaius ubi supra. — ² Belcar. l. xxii.

¹ Belcar. forest. l. vi. c. 63. — ² Paul. III. lib. brev. an. xi. p. 161 et 252.

quibusdam informaremur, multa serenitas tua queritur, contra ipsos neophytos gravissime invehitur, ne nostris quidem pareat, ad postremum omni instantia peteis, ut, inhibitione revocata, inquiri isthic contra hæreticos Judaicamque perditionem plena severitate velimus. Ad quæ nos, fili charissime, licet multo acerbius quam a te expectandum fuerat, scripta, memores tamen ejus personæ quam gerimus, remota omni iracundia, sedatoque animo respondebimus, nihilque scribet unquam tua serenitas ad nos tam aspere, quod nobis benevolentiam in te nostram minuatur, ac primum ad communia communiter respondebimus, criminationes videlicet ac suspiciones hinc inde esse mutuas, et ubique famam hominum, præsertim in aulis principum, patere linguarum morsibus. Nos tamen de tua serenitate nihil ea indignum credidisse aut credere, omniumque isthic minus recte per hos annos gestorum culpam non tuæ serenitati, quam piam et rectam existimamus, sed potius tuis ministris assignare, quorum consiliis effectum est, ut nuper tua serenitas dilectum filium Joannem de Montepolitiano electum Syponinum nuntium nostrum in tuum regnum venire prohibuit, quæ exclusio nuntii nostri cum graviter offendant, ut debet, tum causa exclusionis non minus, a tuis enim agentibus relatum nobis est, ideo ipsum nuntium a tua serenitate exclusum fuisse, quod nos post ejus discessum litteris nostris mandaverimus, ne quid contra eos fieret, qui ab inquisitionis ministris in carceribus detinebantur, quæ res multipliciter nos admirari coegit, primum quod ipse nuntius noster multo ante exclusus a te fuerat, quam hæ nostræ litteræ expedirentur, deinde quod illæ nihil continent, quod justitiæ et æquitati non maxime conveniat, nam cum gravissimæ atque acerbæ de ministris ipsius inquisitionis ad nos querelæ et antea essent delatæ et assidue deferrentur, tanquam suo officio injuste et crudeliter utentibus, nosque de nimio erga serenitatem tuam respectu subaccusaremur, nos de ipsis querelis tuos agentes paterne admonuimus, ut serenitatem tuam (forte hæc ignorantem) admonerent; illi autem statim nobis supplicarunt, pergratumque tuæ serenitati id futurum affirmarunt, ut nuntio ipsi nostro, quem tum expediebamus, mandare vellemus, ut de hujusmodi querelis se informaret, si enim eas veras comperisset, provideri a nobis posse, si autem non comperisset, apparituram illorum ministrorum probitatem, tuæque serenitatis honori simul consultum iri, itaque fecimus, mandatis hujusmodi ipsi nuntio, antequam a nobis discederet, datis. Cum vero postea novæ querelæ secutæ essent de multis injuste crematis, et pluribus, qui in carceribus essent cremandis, videntes frustra nuntium nostrum, crematis carceratorum corporibus, se esse infor-

maturum, juste an injuste cremata essent, hoc tantum providimus, quod nisi fecissemus, omnem sane charitatem omneque officii nostri debitum exuissemus, ut executio dumtaxat contra eosdem carceratos suspenderet, quoad de justo vel injusto ministrorum processu certiores fieri possemus, quo nostro mandato nulla nocentibus data impunitas, cum in carceribus nihilominus remaneant, sed innocenibus, ne videlicet opprimantur, tempus et spatium conceditur, quod qui reprehendit, judicium potius errata oblegere videtur, nollegue id curare, ut reorum delicta debitis penis afficiantur. Si hæc igitur pro nostra potestate et auctoritate, cum hæc causa spiritalis et proprie nostra sit, et ad nos omni jure pertineat, ac pro ministrorum ipsius inquisitionis detegenda vel probitate vel injustitia ordinavimus, si justas preces miserorum non negleximus, erat nobis de tuæ serenitatis pietate ac benevolentia expectandum, ut quo etiam tua in ipsa inquisitione integritas elucesceret, nos laudaret de ea re potius quam nostrum nuntium, cum nostra et ejus Sanctæ Sedis injuria, excluderet: neque enim tua serenitas ex hoc mirari aut offendi debet, si in tanta re ubi de fide Catholica et vita tot hominum agitur, nos ministrorum ipsius inquisitionis, præsertim male audientis, curam gerere, et administrationis eorum rationem interdum revidere velimus, ne sanguis occisorum a nobis et tua serenitate postea requiratur. Secutum tamen est, quod minime debuit, ut hæc cura a nobis pro debito nostri officii ad communem nostrum tuumque honorem suscepta, quæ faciliorem admissionem nuntii nostri operari debuerat, contrarium, videlicet, exclusionem ejus operata sit. Accedit his etiam, quod licet cum serenitate tua sæpius, et per oratorem apud te nostrum, et per tuos apud nos protectorem atque agentem egerimus, ut dilecto filio nostro Michaeli cardinali Visensi possessionem, ac fructus Ecclesiæ, et beneficiorum suorum, quibus fuit per tuam serenitatem spoliatus, restituere, aut nuntio, vel alteri ministro nostro consignare velles, neutrum tamen hæcenus secutum est, de quo non valde mirari et dolere non possumus, cum præsertim nos eisdem tuis protectori et agenti sæpe obtulerimus, si de aliquo delicto ipsius cardinalis nobis constaret, nos illud severe punituros esse, quia de re nihil adhuc nobis constitit, nec si etiam constitisset, fructus ipsi, qui Ecclesiastici sunt, ad alterias, quam nostram, dispositionem pertinuisent. Quamobrem, fili charissime, de his rebus omnibus, utpote in divini honoris tuæque conscientie offensam tendentibus, merito dolemus et angimur, teque in cæteris præstantissimum regem, in his tam dissimilem tui ac majorum tuorum esse miramur, proinde cum nec causarum hujusmodi gravitas, nec universalis Con-

cilii propinquitas patiantur, ut provisionem opportunam his adhibere ulterius differamus, has nostras ad te praemittere tuamque serenitatem paterne monere volumus, illam studiose requirentes, ut his omnibus provisionibus remedium afferre velis quamprimum; quod si a te fiet, sicut fieri certe debet et speramus, nos maxime letabimur, sin autem secus e venerit, non commitemus, ut Deo Omnipotenti rationem reddere debeamus, quod in tam arduis tamque importantibus rebus negligentes in nostro officio fuerimus. Datum Romae apud Sanctum-Marcum sub anno Piscatoris die XVI Junii M^oXLV, Pontificatus nostri anno XI ».

59. Victus aequitate Lusitania rex Pontificiis monitis morem gessit, ut ex litteris aliis colligitur, sublatis enim iis querelarum causis, extinctisque offensusculis, germanum Lusitani regis archiepiscopum Eborensem cardinalitia dignitate Paulus ornavit, atque amoris paterni notis insignes litteras ad eundem regem dedit ¹ :

« Regi Portugalliae.

« Charissime, etc. Quod semper optavimus, ut vere tua serenitas cognosceret nostram erga se paternam benevolentiam, et quam illi gratum facere ex animo cuperemus, hodie letamur serenitati tuae ostendisse, tum enim germanum fratrem Henricum archiepiscopum Eborensem in his sacris jejuniis et in Consistorio nostro secreto S. R. E. presbyterum cardinalem de ejusdem S. R. E. cardinalium consilio creavimus ad Dei primum Omnipotentis laudem, sanctaeque Sedis Apostolicae honorem, et totius Christianitatis utilitatem, deinde etiam ad tuae serenitatis omni virtute praestantis satisfactionem, tuaque domus (quanquam per se clarissimae majus ornamentum, sed quanquam tuae serenitati vestroque regio splendori hoc tribuerimus, accesserunt tamen pro cumulo virtutes ipsius archiepiscopi, quas hac dignitate etiam per se dignas esse audimus, et proinde cohonestandas esse existimavimus; ergo dignitatem cardinalatus, quae in cardinibus Universalis Ecclesiae regendis versaretur, et qua majorem in Romana Ecclesia Pontifex conferre nequit, per obitum alterius tui fratris in tua domo extinctam, per ipsius Henrici creationem restitimus, ut defuncti fratris memoria in hoc reviviscat, doloremque tuae serenitatis ex illo conceptum hujus laetitia consoletur, atque utinam ii obices, qui sine tua, ut credimus, voluntate interpositi fuerant, cilium remoti fuissent, nostri quoque erga vos paterni amoris significatio maturius erupisset, sed agimus Deo gratias, qui haec vertit in melius, nosque inter nos eodem fore voluit, qui semper fuimus et esse debeamus, ut tu nos in amantissimi patris, nosque te

in charissimi filii loco habeamus, quod et futurum in Domino confidimus. Nos, fili charissime, de hoc tui fratris honore, quem tibi in primis tribuimus, tibi gratulamur, felixque et diuturnum hoc fore gaudium vobis optamus, sperantes nos vicissim in cultu et observantia erga nos et Apostolicam Sedem, a qua merito ornati estis, regio et grato animo responsuros esse, quemadmodum venerabilis frater Joannes Riccius archiepiscopus Sypontinus noster apud te nuntius haec plenius explicabit, qui etiam birretum rubrum a nobis de more benedictum, una cum Brevi nostro, quem ipso tuo fratri cardinali mittimus, quorum dilectus filius Ludovicus Brandon agentis apud nos tui affinis lator erit, tuae serenitati ex parte nostra consignabit, per eandem serenitatem tuam eidem tuo fratri cardinali ad majus utriusque vestrum gaudium consignanda. Datum Romae die XVI Decembris M^oXLV, anno XII ».

60. *Paulus cardinales creat.* — De illo et tribus aliis eodem die creatis cardinalibus haec referunt Acta Consistorialia ¹ : « Romae die Decembris M^oXLV, fuit consistorium, in quo S. D. N. de fratrum consilio et assensu assumptis, creavit et publicavit in sanctae Romanae Ecclesiae presbyteros et diaconum cardinales infrascriptos, videlicet R. P. D. Petrum Pacecho episcopum Giennensem presbyterum cardinalem, Hispanum, Rev. Georgium de Ambasia archiepiscopum Rothomagensem presbyterum cardinalem, Gallum, R. P. D. Henricum a Portugallia archiepiscopum Eborensem presbyterum cardinalem, Lusitanum, et dominum Ranutium Farnesium, administratorem Ecclesiae Neapolitanae, in XVI vel circa sua aetatis anno constitutum diaconum cardinalem, cum detentione omnium sacerdotiorum ».

Consignatae sunt eodem die litterae ad Franciscum Galliae regem de Georgio Ambasiano Rothomagensi archiepiscopo in senatum cardinalium cooptato ² :

« Regi Christianissimo.

« Hodie in his sacris jejuniis et consistorio nostro secreto ad aliquot paucorum cardinalium creationem devenientes, Georgium de Amboysia archiepiscopum Rothomagensem, in gratiam tuae Majestatis, et tuo intuitu, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem creavimus, in quo sumus laetati, tuaeque serenitatis iudicium et probitatem laudavimus, quod ejusdem archiepiscopi eas audimus esse virtutes nobilitati generis ejus adjunctas, ut quem tui contemplatione ad hanc dignitatem eveximus, etiam ex solis ejus virtutibus id facere potuissemus, etc.

¹ Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 7.

² Acta Consistor. Ms. cit. Spade sig. num. 133. — ² Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 2.

Datum Romæ XVI Decemb. MXXLY, ANNO XII ».

61. *Æthiopes cum Romana Ecclesia, damnato Dioscuro, conjunguntur.* — Calamitissimo hoc tempore, quo tot Europæ populi ab obsequio Romani Pontificis hæreticorum pestiferis susurris subornati deliciebant, Æthiopes Orientales veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem (damnato Dioscuro schismate) redintegrare, atque adstringere expetiverunt: allata sunt eo argumento Claudii imperatoris, qui Davidi patri successerat, litteræ ad Pontificem, qui commendata ejus pietate, significavit, se ad eum internuntium missurum ad ipsius populos cœlesti doctrina imbuendos, afficiendosque sacris muneribus, cum in Indiam sacerdotes pietate et Christianorum sacrorum cognitione apprime instructos esset legaturus¹:

« Charissimo in Christo filio nostro Claudio Æthiopiæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili nosler, salutem et Apostolicam benedictionem; etc. Dilectus filius Paulus prior conventus monachorum Æthiopicum Hierosolymis existentium attulit ad nos litteras serenitatis tuæ, quas, sicut ipse Paulus nobis affirmavit, quidam alius tuæ serenitatis orator cum illis ad nos missus, et in itinere mortuus nobis reddere non potuit; itaque, etsi voluissemus ipsum tuum oratorem ad nos pervenire, atque audire, tamen quantum ejus casu doluimus, tantum gavisi sumus Deoque gratias egimus, quod litteras tanti et tam remote Christiani regis, nobisque et Apostolicæ Sedi devoti, nostro tempore nobis recipere concesserit: ex eis igitur maxima in primis sumus lætitia affecti, quod te clara memoria Davidi tuo genitori in regno Æthiopiæ successisse cognovimus, nimirum ex fama tuæ probitatis conjicientes et sperantes, quod tu sicut in regno, ita et in vera religione erga Deum, devotioneque erga Apostolicam Sedem tuis progenitoribus succedes, de quo haud dubia nobis signa in eisdem litteris dedisti, ex quibus certam in spem adducti sumus, te haud minore studio, quam illi fecerint, sanctam fidem Catholicam et veram Christi religionem in istis regionibus propagaturum esse: ad quod sane tuam serenitatem paterno affectu hortamur: nos vero cum proxime Deo concedente missuri sumus via maritima ad partes tuis regnis vicinas aliquos viros probitate et doctrina conspicuos, et ad instructionem Christianæ fidei aptos, tunc eodem adjuvante Domino dabimus operam, ut tuam serenitatem etiam per nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium visitemus, teque, et tua regna, ac populos tibi subjectos illis spiritualibus gratiis consolentur, quas tunc idem Dominus nobis inspirare dignabitur: interea vero ipsum Paulum priorem cum

his nostris litteris ad tuam serenitatem remittimus, quam Dominus omnipotens, et in præsentem vitam prosperare, et in futura cœlestibus præmiis decorare dignetur. Datum Romæ XXIII Augusti MXXLY, ANNO XI ».

Poposcerat a Pontifice Lusitanæ rex, ut sacerdotes societatis Jesu¹, quæ profertis excellentis et doctrinæ fama inclarescebat, mitteret in Indiam, atque etiam a S. Ignatio socios in Æthiopicam mittendos flagitabat, ut vero ex eadem societate patriarcha defectus sit ad Æthiopicam a veteribus erroribus vindicandam, suo loco dicitur.

62. *Singularis casus Gamrati Cracoviensis episcopi.* — Nunc insignem casum Petri Gamrati Cracoviensis episcopi, qui hoc anno pie obiit, cum a sodalis defuncti anima præmonitus esset, ut se compararet ad mortem, ex Stephano Damalævicio referemus²:

« In Cracoviensem Ecclesiam anno Domini MXXXVII susceptus est, ac tandem archiepiscopatum adiit, et simul cum Cracoviensi episcopatu tenuit Paulo III indulgentem. Multum ille populari gratia et aulico favore refulsit; regi Augusto Elizabetham Austriacam copulavit et diademate cinxit. Cracoviensis civis uxorem Judæismum professam comburi in foro Cracoviensi fecit; pauperum et egeniorum singularem gessit curam, singulis diebus ex eo numero centum erant, qui episcopali mensa et ferculis reficiebantur; dum iter faceret, duo currus onusti lineis indusiis, et lanceis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ovina consulis vestibus sequebantur, nudus, vel male vestitus, si quis opem implorans obvius erat, vestiebatur, viatico etiam donabatur: hæc consuetudo familiaris Gamrato erat, cum alioquin ipse in tantis opibus, ut prodigi solent, egeret: luxui, vanitatibus, parasitis, Iudionibus, computationibus et libidini deditus fuit, quod tamen serio dolore dicitur expiasset: nam cum annis fessus, ut reliquum vitæ illius stylo Stanislai Lubinski episcopi Plocensis in monitis prosequar, et morti esset proximus, neque tamen de supremo vitæ fuisset exitu sollicitus, accidit, ut in pervigilio festi ejusdam diei ad vespertinas preces recitandas ad Ecclesiam iturus accingeretur, paratusque in cubiculo aliquantisper solus subsisteret, ecce nota illi viri ejusdam nobilis Curosii jam diu fato functi persona apparet (familiariter secum mutuorum conscii facinorum diu vixerant) exhorruit tamen ad visam redivivi hominis speciem episcopus, cumque ille, ut metuposito secum ageret, hortaretur, paululum resumpto spiritali, mortuum affatur: Etiamne tu vivis, et in quo tandem loco es mortali perfunctus vita? Respondit ille: Vivo,

¹ Ext. in lib. brev. Paul. III. sig. 2891.

² Orlandin. lib. 1481. num. 112. — ² Stephanus Damalævicius de archiep. Guesnens. in Petri Gamrati p. 297.

longeque feliciori quam vos, fruor aura. Tum Gamratus : Tunc quem flagitiis gravatum et turpibus libidinibus, me (proh dolor !) conscio, fœtentem e vita excessisse constat, inter eos sis qui felices sunt ? Vix credo. Credes, inquit ille, mox, paulisper sustine. Juvens admodum cum in Germania essem, incidi in quemdam, qui sacrilego ore sanctissimam Dei matrem Virginem incestabat, ego flagitii impatiens colaphum homini impingo, nec mora ille armatus, manu ad capulum admota, duellum mihi denuntiat, ego non segnius stringo ensem, congregimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere sacrilegum conficio, et tunc quidem ne homicidii et duelli crimine succumberem, fuga mihi consului : deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, sed cum supra adesset hora, animaque e corpore exitura, insultantibus infernalibus hostibus conflictaretur, et ego exitii certus nullam reliquam spem habere, ecce mox nova affulsit lux : Regina Cœli angelicis choris stipata præsto aderat, diffugiunt infernales belluæ, nescio quid horrendum frementes frendentesque. At illa vultu benigno flexit in me misericordie oculos. Milesne, inquit, meus, defensor honoris mei peribit ? Absit. Tum versa ad Filium, en uterus, in quo conceptus es, en ubera, quæ suxisti, ego militem, quibus olim te stringebam brachiis, complexum tantisper tenebo hunc. Tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus, stilla, ego efficiam, ut ex ejus oculis uberes fluant lachrymæ abluendis sceleribus sufficientes. Bixerat, et ego ex detestatione antea acta vita intimo concepto dolore singullibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, et annuente sanctissima patrona mea, ingenti illius amore exardescō, affectu, non voce, nam morbi vis usum linguæ interceperat, atque ita supremis meis castissima Virgine assistente expiro. Anima e corpore egressa angelorum ministerio fertur in cœlum, illic non meritis meis, nam ea vel nulla, vel satis exigua erant, sed divina misericordia mihi per patronam meam conciliata æternam felicitatem adeptus vere vivo; inde ad te nunc missus sum, ut te supremorum tuorum admonerem : dudum jam merueras, ut tot beneficiorum acceptorum ingratus more ferali ad exemplum voluptuarii Edonis mulctareris, tuæ largitiones in egenos factæ, illæ epulæ quotidiana mendicis exhibitæ, illæ vestes, quibus nuda Christi membra testisti, ne ex meritis tuis in te divina saviret justitia, prohibuerunt. Scio autem te abhinc sexto mense (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum, expende et dispice quid te interim agere oporteat, nam venia adhuc superesse locum, vel meo doctus exemplo, ne diffidas : his diebus, ille quidem disparuit : episcopus in lachrymas resolutus, neque eo die in

publicum progressus diutius solito solus mansit, et nisi sero quid sibi accidisset, iis quibus maxime fidebat patefecit. Noverat Karnkovius plerosque, qui cum Gamrato familiariter vixerant, quique supremis ejus adfuerunt, confirmabant illi ita ultimos sex illos menses ab eo exactos fuisse, ut vere et ex animo peccata detestantis hominis omnes numeros impleret, denique sanctissimis sacramentis rite expiatum cum optima æternæ salutis spe eum e vita cessisse testabantur, postquam Gnesnensem Ecclesiam quinquennium gubernasset, anno Domini MXLV obiit ».

63. *Parva Placentiaque Aloysio Farnesio tradita.* — Hoc anno adulta Æstate Paulus III ducatu Camerinensi Ecclesiæ Romanæ jurius concessio, Parmam Placentiamque Ecclesiasticas urbes Aloysio Farnesio fiduciario jure tradidit, ex quo intelicissima mors ipsi Aloysio conlata est, et Pontifici ante tempus accessita, bella inter Cæsarem et Galliæ regem exarsere, Tridentinum Concilium dissolutum, et impedita Lutheranorum conversio, et in maximum schismatis discrimen adducta Ecclesia, ob Cæsaris et Pauli dissensiones inde enatas, ut suis locis lugebit historia.

64. *Dissidia inter Lutheranos et Sacramentarios.* — Hoc eodem anno gravissima inter Lutheranos ¹ et Sacramentarios dissidia erupere; nam cum singuli malesani sui capitis deliramenta pro vero et puro Evangelio obtrudant, superbiaque turgidi alii aliis nolint inferiores videri, Scripturam sacram in sensus adulterinos distorquent, contenduntque hæc esse Spiritus sancti augustissima oracula, nolentes parere Petro Apostolo admonenti ², *Scripturas depravari ab inductis et instabilibus ad suam ipsorum perditionem*; iterumque docenti, prophetiam Scripturæ propria interpretatione non fieri, *non enim voluntate humana aliquando allatam esse prophetiam*. Porro Lutherus instar phrenetici aliquod lucidum intervallum nacti in suis thesibus contra Lovanienses theologos editis Sacramentarios ita damnavit Thesi xv : « In Eucharistiæ sacramento venerabili et adorabili, est et exhibetur et sumitur vere et re ipsa Corpus et Sanguis Christi tam a dignis quam indignis ». Et Thesi xxvii : « Hæreticos, inquit, serio censemus, et alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos et omnes Sacramentarios, qui negant Corpus et Sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia etc. »

De Luthero vero hæresiarcha Figurini sacramentarii præclarum hoc tulere testimonium, quanto intervallo iste novi Evangelii conditor ab Apostolis et Prophetis distaret : « Prophetæ et Apostoli, inquit, Dei gloria, non privato honori, non suæ pertinaciæ et superbiæ stude-

¹ Sensus in Comm. — ² Petr. Epist. II. c. 4.

bant, sed peccatorum salutem quærebant unice : Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, et confestim Sathanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint, et in omnibus correptionibus suis, plurimum maligni spiritus, quam minimum vere amici, et paterni ingeniiprehenditur ». His repetitis ex Tigurinorum sacramentariorum scriptis interjicit Surius hoc epiphonema contra novatores : « Tali scilicet Pontifice digni estis, qui Romani Pontificis jugum excussistis ». Mirum certe est ac prodigio simillimum, novatores sequi fictitium impostorum sensum, cum enim non de Scripturæ, sed de sensus illius veritate, controvertatur, non alius sensus amplectendus est, quam qui traditus est ab Ecclesia, quæ ex Apostolo est columna et firmamentum veritatis : inflatis illi et crepantibus buccis arrogantissime Scripturas extollunt in alienum sensum convulsas, quasi veteres hæretici pro nefariis suis hæresibus commendandis easdem artes non instruxerint ac venditarint. Sacramentariorum autem impietatem pluribus miraculis sæpius confutata in annalibus Ecclesiasticis vidimus ¹, hoc vero anno illa in sacerdote, qui ad eandem clam defecerat, convicta est insigni miraculo, cujus historiam circumstantiis certissimis instructam Seripandus Augustinianorum generalis magister, postea cardinalis, ac præses Concilii Tridentini scripsit xxviii Septembris ad cardinalem Farnesium, Suardini civis Neapolitani neptem ex filio in extremis mortis confinibus agentem legente sacerdote Evangelium de Cœna Domini, cum venisset ad ea verba, *hoc est corpus meum*, exclamasse, prætermitte ea verba, quia ea non credis, exterritumque vaticinio sacerdotem, coram adstantibus perfidiam suam fassum esse, criminisque veniam a Deo posicisse, illam vero dimidiæ horæ fluxu animam efflasse, remque certis festibus constare.

65. *Ceilanensis reguli filius occisus ob fidem.*
— In India ² reguli Ceilanensis filius ob susce-

ptam Christi fidem a crudeli patre occisus est, ejusque martyrium miraculis comprobatum, quibus permoti principes barbari et alii nobiles spreis omnibus terrenis, per magnos labores ad Christi castra se contulerunt, ut Indiarum prorox Joanni regi Lusitaniæ significavit. « Ceilanum est insula, ubi res ad Dei gloriam contigit sane memorabilis. Reguli cujusdam filius nato maximus, quod Christiana sacra suscipere statuisset, patris jussu necatus est, quem Lusitanus quidam Christiano more sepeliit, tali obita morte Martyrem certum existimans; Lusitani judicium Deus illustri miraculo comprobavit. Siquidem ejus nutu factum est, ut quoad principis corpus humatum erat, in crucis figuram terra fatisceret, quæ his barbarorum opera glebis oppleta, iterum atque iterum in eundem hiatum est resoluta. Aiunt etiam per eos dies crucem ignei coloris visam in cœlo, quibus miraculis commota magna hominum vis ad Christum accessit, quorum multi regis immanitate eandem martyrii coronam adepti sunt. In eo numero fuisset alius quoque regis filius, itemque sororis filius ad quem regni hæreditas pertinebat. (Sororis enim, non regis ipsius filios succedere in regnis Ceilani mos est). Horum igitur uterque ad Christum propensus regis imperio mactatus esset, nisi eos præsentis periculo regis soror mature exemisset. Ambos enim ad se vocatos de recenti adhuc miraculo interrogat, velintne fieri Christiani, cum se utique velle dixissent, cum Lusitano transigit mulier eodem ipso, qui demortui principis funus curaverat, ut eos quam occultissime Goam usque perducat, quo ut venere, fidei præceptis imbuti baptizatique magnum pietatis ac religionis specimen præbuerunt. Hos imitatus regius quidam præfectus, et alii decem nobiles viri, uxoribus, liberis, bonis denique omnibus sponte relictis, magno suo incommodo corporisque defatigatione passuum amplius sexcenta millia terrestri itinere emensi, Goam baptismi causa cum venissent, Catechismo instituti, sacroque fonte lustrati sunt. Id accidit an. Christi nati M^oXLV ».

¹ Ex littera card. Farnes. — ² Concil. Generale auctore Petro Lopez Altuna Castel. Trinit.

PAULI III ANNUS 13. — CHRISTI 1546.

1. *Controversia de titulo qui inscribendus sit Concilio, et de loco qui assignandus sit aliis quibus præsulibus.* — Anno a Virgineo partu MDXLVI, Indictione IV, fracta est Protestantium procacia, qui excusso Pontificis jugo etiam Cæsarem de gradu imperii dejicere conati sunt, nec minus divino verbo in Tridentino Concilio, quam ferro in castris pugnatum est, quæ singula ordine recensituri seriem temporum sequemur. Coacta est quarta Januarii Congregatio Generalis a Patribus Tridentinis, cujus Acta subjectis verbis concepta sunt¹.

« Die Lunæ, quarta Januarii MDXLVI a Nativitate Domini, hora XXI, habita est Generalis congregatio, in qua primus præsidentis exposuit, præsidentes ipsos accepisse litteras a Sanctissimo domino nostro, in quibus laudabat ea quæ antea acta fuerant in sessione et congregationibus, hortabaturque, ut ad articulos controversorum explicationem unirentur; quodque etiam brevi mitteret viros probos et idoneos officiales Concilii, cujus expensis necessariis non esset defuturus. Omnia a Patribus laudantur, quo vero ad officiales aliqui ex Patribus dixerunt, eorum creationem, cum sua Sanctitas abest, spectare ad Concilium. Quibus cardinalis de Monte respondit, non ea mente se ea proponere, ut super iis sententiæ dicerentur, sed ut patres intelligerent quid contineret litteræ suæ sanctitatis, officiales vero mittendos, esse approbandos a Patribus, et cum jam audivisset nonnullos arbitrari ex avertitione Concilii imminutam esse auctoritatem Summi Pontificis, declaravit eos maxime falli, imo potius auctam. Cui reverendus dominus episcopus Austriacensis respondens ait: Scimus quidem et nos qua auctoritate fungamur, ut scilicet in iis, quæ in Concilio tractan-

tur, Concilii sit potestas et statuendi auctoritas; in iis vero, quæ extra Concilium geruntur, auctoritatem remansisse apud Pontificem. Ea tamen disputatio statim quievit. Deinde lectum fuit decretum formatum pro futura sessione de modo vivendi et aliis in Concilio servandis. Cumque longe major pars decretum ipsum approbaret, reverendus dominus episcopus Fesularum dixit, se desiderare in titulo ipsius decreti, apponi verba in aliis Conciliorum decretis apposita, videlicet: Sacrosancta Tridentina Synodus universalem Ecclesiam representans; cum hæc nostra Synodus, etsi adhuc pusilla esset, non tamen minore aliis fungeretur auctoritate. Reverendus pater Generalis Servorum dixit, non multi facienda esse verba illa, quando, uti compertissimum est, recens inventa sint, nec usurpata ab antiquioribus Conciliis. Dominus vero Pighinus dixit verba ipsa, quæ a nonnullis desiderantur, si recte considerentur quæ apposita sunt, eadem reipsa adesse: cum enim dicitur Oecumenicum, idem sonat quod universale et universalem Ecclesiam representans, et jam in proxima sessione decretum fuerit, Oecumenicum Concilium esse apertum et inchoatum.

2. « Cardinalis de Monte comprobavit Generalis Servorum et Pighini sententiam, addens, se illa quoque ratione moveri, ne verba ipsa apponerentur, cum nullum validius telum habeamus adversus hæreticos, quam quod nos hic congregati Ecclesiam universalem representemus; nolimus eos, quos Synodum amplecti cupimus, in primo congressu causam et occasionem accipere, ut nos reprehendant, quasi nimium elatos, limbriasque nostras in opprobrium dilatantes; longe etiam diversam esse rationem nostræ Synodi, et Constantiensis, et Basileensis: Constantiense enim Concilium ea verba apposuit propter schisma, quod tunc vigebat; non enim apparebat ex tribus quis verus Pontifex esset: nec tamen Concilium ipsum in

¹ Angelus Massarell. in Act. Ms. Cong. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3188. p. 127. et alind num. 3232. p. 98. et Ms. sign. num. 3206. p. 31. et alind sig. num. 3249. in primis Acta quartæ Cong. generalis, et alind Franc. cardui. Barb. sig. num. 1868. p. 17. Dian. Cong. Trid. in Act. Cong. Ms. arch. Vat.

decretis, in quibus de aliis rebus agebatur, his verbis usum fuisse: Basileense vero, quod proprius Conciliabulum dici debet, solo odio Eugenii IV ea verba minus recte usurpasse. El profecto præter alias, ea maxime ratione abstinere ab his verbis debemus, ne inflati videamur, ut dixi, magnam sumendo auctoritatem, quin potius imitari debemus Summum Pontificem, qui cum Ecclesiæ Dei caput sit, se tamen servorum servorum appellat. Cardinalis Tridentinus dixit se compertum habere, Protestantæ ægre verba illa habituros, quapropter laudabat et hortabatur ne apponerentur, quæ sententia a longe majori parte Patrum approbata est ».

3. Addunt Gesta ¹, deinde actum fuisse de electione Officialium, de loco oratoribus principum designando, ac de iis, qui in publica sessione sedere vel stare deberent: necnon de abbatibus, quorum prærogativis episcopalem splendorem obscurari, auctoritatemque infringi nonnulli querebantur: maxime de tribus abbatibus Cassinensibus vocatis: quam contentionem cardinalis de Monte sic diremit ²:

« Si placet, possumus abbates tres cum mitra et pluvialibus juxta eorum privilegium admittere, non ut abbates tantum, sed ut totam eorum repræsentantes Congregationem; ita tamen, ut eorum trium unica sit sententia; quod quidem ab omnibus comprobatum est ». Actum postea est de sessionis proximo die constituendo, quem Itali accelerandum, Galli vero extrahendum ad bimestre tempus contendebant; nuncitum autem est, ut ad mensem idiceretur nimirum tertia sessio, sed secunda sequenti die celebraretur. Adjectæ sunt Actis Pontificiæ litteræ prima Januarii die hujus anni consignatæ, quibus Paulus III patriarchas, archiepiscopos, episcopos atque abbates in Tridentino Concilio præsentés, vel ad illud accessuros, omnibus privilegiis, vectigalibus ac juribus potiri voluit, ac si in Ecclesiis suis præsentés essent, exemit etiam ab omni decumarum onere et solutione.

4. *Secunda Concilii sessio in qua promulgatur decretum de vita sanctiore a clericis ducenda.* — « VII mensis Januarii M^oXLVI a Nativitate, celebratur sessio secunda sacri Concilii Tridentini sub Paulo III, post celebratam Missam de Spiritu-Sancto per Joannem Fonsecam episcopum Castellanensem: est habita oratio per Coriolanum Martiranum episcopum S. Marci ». Ille post deletas morum corruptelas, de sævitia hæreticorum, qui se infidelibus adversus Ecclesiam conjunxissent, ita conquestus est: « Videlis quam in nos instructa, quam paratæ, quam firmæ inimicorum et transfugarum acies circumstant, ut certatim contendant, quis in te, Eccle-

sia sancta, ictus profundius intligat, quis tua præcordia lethalius petat. O facinus miserandum! quid facient inimici? Filii, quos prius cælum casurum, quam defecturos putabas, quibus elata præcipue et superba incedebas, in te arma converterunt; ii, quos sanguine tuo et visceribus alnisti, ut tibi murus æneus contra hostes forent, ii veluti venetiis incitati te deletam funditus et extinctam volunt. Hucine tui labores et vigiliæ inciderunt? Sed quid hos incensare, aut de his conqueri opus est? Sunt ipsi quidem nefandi, ut videtis. Quæ sit horum vita moresque cognovimus: locus in alios dicendi non erit, si se respiciant, ut tamen tam libere obloquantur, tam severe in nostros mores novi Catones vitamque invehantur ». Et paulo post:

5. « Postquam omnia conturbarunt instituta nostræ religionis, ritusque everterunt, fato omnia subjecerunt. Nostris insuper nos telis lacescunt, Scripturam sanctam, quæ nostra sunt arma, in nostrum exitum convertunt, mutilando, lacerando, intorquendo (factum impudens quis non aspiciet et detestabile, quid tandem postea?) Scripturæ sanctæ in manibus impij tela sunt plumbea, quæ objecta clypeo veritatis nullo negotio retunduntur ». Nonnullis interjectis de eorum hypocrisis ita queritur: « Dum fucis verborum dolosis, dum severitate accersita, dum veteratoria frontis tristitia illudentes, dum sua dogmata et miracula quædam, nunc horum, nunc illorum auribus instillantes, quid dico aniculas? robustos quosdam, imo universas civitates in perniciem trahunt, etc ».

Cum finem dicendi fecisset, subdunt Acta:

« Recitata fuit per me Angelum Massarellum secretarium nomine illustrissimorum legatorum admonitio, seu hortatio ad patres super his, quæ in celebratione Concilii generalis perpendenda et facienda sunt a prælatis ipsius Concilii ». Quæ admonitio incipit: *Cum ipsa maneris nostri ratio*. Excusa est typis, atque in editione Bini male in sessionis primæ Actis collocata.

6. Promulgatum fuit in eadem sessione decretum de vita sanctiore ducenda, et modestia in Concilio, quatuor canonibus distinctum ¹:

CANON I.

« Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, agnoscens cum B. Jacobo Apostoto, quod ² *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, qui iis qui postulant a se sapientiam, *dat omnibus affluenter, et non impropere* eis, et simul sciens,

¹ Pallavic. tom. I. l. VI. c. 1. num. 2, 3, 4. — ² Acta Concilii ut sup.

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3212. p. 18. — ² Jac. I.

quod ¹ *initium sapientiae est timor Domini*, statuit et decrevit omnes et singulos Christi fideles in civitate Tridentina congregatos exhortandos esse prout exhortatur, ut malis et peccatis hactenus commissis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare ², et *desideria carnis non perficere*, orationibus instare, sapius confiteri, Eucharistiae Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, praecepta denique Dominica, quantum quisque poterit, adimplere, necnon quotidie pro pace principum Christianorum et unitate Ecclesiae privatim orare velint: episcopos vero et quoscumque alios in ordine sacerdotali constitutos, Oecumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium Missae quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, et a mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum in discipulis infudit, peragere satagant facientes, sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum praecipit ³, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro SS. D. N. papa, pro imperatore, pro regibus et ceteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur, et fidei incrementum videamus. Praeterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent; in Ecclesia cathedrali singulis feriis celebretur Missa de Spiritu-Sancto cum litanis et aliis orationibus ad hoc institutis; in aliis vero Ecclesiis eadem die dicantur ad minus litanie et orationes; tempore autem quo sacra peraguntur, collocationes et confabulationes non fiant, sed ore et animo celebranti assistatur.

CANON II.

« Et quoniam ⁴ oportet episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domuique bene praepositos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa ⁵ sernet sobrietatem moderationemque ciborum; cum in eo loco sepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur: familias vero suas unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemii et voluptatum amatores: villa demum fugiant et virtutes amplectantur, et in vestitu, et cultu, et omnibus actionibus honestatem praeseferant: sicut decet ministros ministrorum Dei.

CANON III.

« Ad haec cum hujus sacrosancti Concilii

praecipua cura, sollicitudo et intentio sit, ut propulsatis haeresum tenebris, quae per tot annos operuerunt terram, Catholicae veritatis lux, Jesu Christo ¹ qui vera lux est annuente, candor puritasque refulgeat, et ea quae reformatione egent, reformentur; ipsa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos et congregandos, atque eos praesertim qui sacram litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis et modis ipsius Synodi intentio dirigi et optatum effectum sortiri possit, quo maturius et consultius damnavi mandanda, et probanda probari queant; ut per totum orbem omnes uno ore et eadem fidei confessione glorificent Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi.

« In sententiis vero dicendis juxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis consistentibus Domini sacerdotibus nullus debeat aut immodestis vocibus obstrepere, aut tumultibus perturbare; nullis etiam falsis, vanisve, aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicitur, sic mitissima verborum prolatione dicatur, ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inlectantur.

CANON IV.

« Insuper ipsa Synodus statuit ac decernit, quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam, etiam sub verbo *Placeat*, proferre, congregationibus interesse, alios quoscumque actus facere Concilio durante; nulli propterea praedictum generetur, nullique novum jus acquiratur ».

7. *Prohibetur ne episcopi per procuratores Concilio assistant.* — Illis subdunt Acta perlectum fuisse ab episcopo Castellano Diploma Pauli III, quo prohibitum est, ne episcopi procuratoris opera in Concilio compareant: praecipua ejus pars concepta est his verbis: « Habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac abbates, et alios, quibus in Conciliis generalibus residenti, et in iis sententias dicendi, ut praemittitur, permissa est potestas, de novo monemus et hortamur, ac in Domino requirimus, eisque non solum sub perjurii et aliis penis praedictis, verum etiam sub suspensionis a regimine et administratione Ecclesiarum, quibus praesunt, et aliarum dignitatum, ceterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum ratione iis locus in Concilio, et potestas sententias in eo dicendi permittitur, per eos obtentorum, necnon interdicti ingressus Eccle-

¹ Psal. ciii. — ² Galat. v. — ³ Actor. ii. — ⁴ II Tim. ii. — ⁵ I Tim. iii. — ⁶ Tit. i.

⁷ Joan. i.

sic sententiis per eos, nisi presentibus cum effectu paruerint, eo ipso incurrendis, districtè præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procuratorum per eos hæcenus factis, vel in posterum faciendis, quæ omnino revocare, et eorum revocationem procuratoribus per eos constitutis, aut in Concilio hujusmodi intimare sub eisdem penis et sententiis teneantur, minime attentis, ipsimet personaliter per seipsos, et non per procuratorem aut procuratores, nisi forte justo detineantur impedimento: quo casu procurator ad se in eodem Concilio excusandum, et de eorum impedimento fidem legitimam faciendum, ita tamen quod eodem impedimento cessante, ipsi personaliter, et non per procuratorem vel procuratores, ad hæc omnino teneantur, consistuere possint, quanto citius poterunt ad eandem civitatem Tridentinam accedere, et prosecutioni celebrationis Concilii hujusmodi adesse et interesse velint, nec mandata procuratorum pro aliquibus prælati aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus, nisi justo impedimento detineantur, et tunc ad eorum impedimenta dumtaxat deducendum et probandum, recipere aut acceptare præsumant. Nos enim omnia et singula mandata per eosdem prælatos et alios, ut præfertur, vocem habentes, ad aliud, quam ad eorum justum impedimentum in Concilio hujusmodi allegandum et probandum hæcenus facta et in posterum facienda, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore, ac solum prælatos, et alios vocem, ut præfertur, habentes, in dicto Concilio præsentis, et non alios, etiamsi ab eis mandata cum quacumque, etiam plena et libera facultate, et potestate habuerint, vocem in dicto Concilio habere; sicque in præmissis omnibus et singulis per quoscumque quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi auctoritate et facultate, judicari et interpretari debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCXLV, XV kal. Maii, Pontificatus nostri anno XI ».

Addunt Acta: « Qua Bulla lecta, idem reverendissimus dominus episcopus Castellanus legit successive Breve sanctissimi domini nostri, per quod sua Sanctitas mandat reverendissimis et illustrissimis dominis presidentibus et legatis, ut aperiant Concilium, quod est hujusce tenoris ¹:

8. *Leguntur Bullæ facultatum legatis concessarum ut ipsi aperiant Concilium.* — « Paulus papa III venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, et dilectis filiis Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem, ac Reginaldo

S. Mariæ in Cosmedin diacono cardinalibus, nostris et Apostolica Sedis legatis.

« Anno superiore secuta Dei munere pace inter serenissimum Cæsarem et regem Christianissimum, nos sperantes Concilium Universale celebrari posse, ejusdem Concilii suspensionem sustulimus, illudque in Dominica *Lætare* proxime præterita inchoandum et celebrandum esse decrevimus. Cum autem ob subsecutas postea justissimas illas quidem, et ipsamet religionem concernentes rationes et causas, ipsam celebrationem in hæc usque diem distulerimus, et nuper ipsis causis cessantibus, ipsum Concilium in Dominica *Gaudete* Tertia præsentis Adventus, aperiendum, inchoandum et proseguendum esse de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio decrevimus, id vobis per præsentis nostras significare volumus; vobis injungentes, ut ad aperiendum et inchoationem, prosecutionemque dicti Concilii in dicta Tertia Dominica præsentis Adventus, juxta formam litterarum nostræ indictionis, ac facultates vobis desuper a nobis concessas in Dei Omnipotentis nomine procedatis etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die IV Decembris MDCXLV ».

9. *In designanda Synodo adoptantur hæc voces tantum:* OEcumenica et Generalis. — Habita est congregatio die XII Januarii ¹, in qua mota est controversia, an Concilium Tridentinum universalem Ecclesiam representaret, de qua cardinalis de Monte peroravit, vetustiora Concilia, splendidiore licet illis verbis usa non fuissent, nullam tamen moveri dubium, quin universalem Ecclesiam representarent (text. in cap. *Majores* XXIV quæst. 1), ex usurpato vero eo nitidior verbo posse Ecclesie hostes nobis odium atque invidiam conflare, cum Cæsaris Galliæque regis oratores nondum ad Concilium accessissent, atque in ludibrium adducere, triginta plus minus episcopos universalis Ecclesie titulos sibi adscivisse; cumque Pontifex hæc Synodum Universalem et OEcumenicam appellavit, ab eo nomine ab ipso indicto descendendum non videri.

Illis addidit Marcellus cardinalis tit. S. Crucis Constantiensem Synodum non usam eo splendido titulo nisi in gravioribus causis, videlicet in citatione contra Hieronymum de Praga, in condemnatione errorum Joannis Hus, et cum adversus Joannem XXIII a Patribus proclamatum fuit: Pontificumque mandatum indictionis forma circumscriptum, ideoque extra eos limites splendidiorem titulum non affectandum.

Tum Reginaldus cardinalis Anglus pie patres admonuit, ut quæ Dei forent, non sua quat-

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 39.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3205. p. 29. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 21.

rent; multos deesse suo muneri, qui nunquam suorum episcopatum Ecclesias vel raro perlustrarint: nec ex virtute humana, sed ex Deo bonum aliquod in Synodo expectandum, nec utili, vel honesto, vel necessitate Synodum cogi ad eos titulos sibi adscribendos, cuius sententiam laudavit Tridentinus cardinalis. Tum subiecit cardinalis Giennensis sibi nullum dubium occurrere, quin Tridentinus concessus licet exiguus universalem Ecclesiam representet, ac demonstrare posse eum titulum velutis temporibus frequentatum, cum constet Apostolorum nomine Synodi scripsisse in hæc verba: *Placuit Spiritui sancto, et vobis, et toti Ecclesie*: cæterum in præsentī casu nulla Patres urgeri necessitate, ut eum titulum adiungant. Ferme omnes eandem amplexi sunt sententiam, decretumque est, ut prætermisissis his verbis, adderentur tantum in decreto hæc voces *OEcumenica et generalis*.

40. *Agitur inter Patres de modo et ordine procedendi, et iterum de titulo decretorum.* — XVIII ejusdem mensis Januarii habita est Congregatio generalis, in qua magna contentione actum inter Patres de ordine procedendi in Concilio Tridentino¹, cum Tridentinus cardinalis et alii censerent a constituenda emendatiore forma morum inchoandum, quod ex corruptis Ecclesiasticorum moribus hæresis emerisset, vocandosque ad Concilium Lutheranos, ut ipsi quoque morum vitia emendarent. Alii vero colligendas esse novatorum hæreses, ut damnarentur: ante omnia vero sollicitandos litteris imperatorem ac reges, ut oratores ad Concilium mitterent. Subdunt Acta: « Archiepiscopus Aquensis, et alii prelati Galli in primis salutarent sanctam Synodum nomine regis Christianissimi, eique de propenso animo, quem Synodus erga majestatem suam superioribus diebus lapsis declaravit, gratias egerunt ». Rogavit vero ne graviora tractentur, antequam regii oratores et alii prelati accessissent, inchoandumque a dogmatibus censuere.

Inter alios præsules Thoma Campegii Feltrensis auctoritas potissimum eminebat: hic ut de dogmatibus fidei ac de morum disciplina una simul ageretur, Patribus suggestit; cui sententia major pars applausit. Quare legati, qui Pighinum antea consuluerunt, an episcopus de dogmatibus et de reformatione simul pertractandum esse sententibus ipsi contradicere potuissent, hocque minime ipsis licere ab eodem audierunt, in hæc ultro sententiam deluxerunt. In sequenti itaque congregatione cardinalis de Monte Patribus proposuit, an omnibus placeret tractationem dogmatum fidei cum reformatione morum conjungendam, ut decretum de hac reinsequenti sessione promulgandum in-

filneretur? Mox Tridentinus insurrexit, suamque opinionem validis rationibus propugnare percipiens, virorum Ecclesiasticorum reformationem ad reducendos hæreticæ pravitalis assectas ad Orthodoxæ religionis semitam præstantissimum fore medium pluribus inculcavit. Cumque hujusmodi assertio maximum apud Patres excitasset plausum, Concilii præses prudenti usus consilio Deo Optimo Maximo gratias agere factus est, quod Tridentini mentem tam piis Ecclesiasticoque præsule dignis imbuisset sensibus, nempe ut Catholicorum morum restauratio ab ipsis, potioribus videlicet Ecclesiæ membris, foret incipienda. Mox ut aliis, quibus in Synodo præerat, ipsemet exemplum præberet, a Papiensi præsulatu sese abdicare, splendidiore supplicetili expoliare, atque nimiam famulorum turmam dimittere paratissimum coram Patribus sese exhibuit, cæterosque ad hujusmodi abdicationem animavit. Verum non modo Romanæ aulæ, sed totius Ecclesiæ restorationi incumbendum esse, plures in quolibet Ecclesiastico ordine abusos reperiri, arduam hæc provinciam, nimisque prolixo indigere tempore: propterea, ut tot in tenebris hæresum miserime jacerent sepulti, amplius ab ipsis non permittendum esse subiecit. Mirum fuit! mox Patres fere omnes verbis ac potissimum exemplo cardinalis a Monte permotos, ejus sententiæ adhæsisse²: adeo ut Tridentinus solus in arena derelictus, neminem suo sermone permovere potnerit, neque de episcopis duas Ecclesias administrantibus vituperatis sese excusaverit.

Decretum itaque fuit in Congregatione habita xxii Januarii ut simul de dogmatibus et reformatione ageretur, atque a dogmatibus inchoandum, tum ut errantes in viam salutis reducerentur, tum ut Catholici contra hæreticorum fraudes communiter: ostendit cardinalis de Monte, ita in Concilio Chalcedonensi, licet corrupta hæreticorum disciplina ex pravis moribus originem traxisset, nihilominus Patres primum de fide, deinde de moribus egisse, quæ cardinalis Polus confirmavit his verbis³: « Videri omnino impossibile tractari revera de moribus omisso tractatu de religione; qui enim mores esse possunt sublata religione aut collapsa? sic namque, si paulo altius inspexerimus, inbebimur Deum ipsum dantem duas tabulas Moysi, quorum prima et præcipua fidem continebat et religionem; secunda vero mores; sic Dominus noster Jesus Christus quando misit discipulos ad prædicandum, dixit: *Ita, et prædicite Evangelium omni creature*, non dixit in moribus instituendis, quoniam sciret, ubi religio integra sit, difficile posse malos mores locum habere ».

¹ Tom. I., de Conc. p. 3209, p. 31.

² Ib. p. 32. ³ Anc. Mass. in Dur. Conc. Trid. p. 36.

11. Sed cum Pontifex justis de causis simul optaret, ut de solis dogmatibus, et non simul de reformatione ageretur, ideo legati ut ostenderent, quod recto consilio decretum fuerit simul et de dogmatibus et de reformatione tractare, cardinali Farnesio significarunt secunda Februarii rationes, quibus fuerant adducti ut illi decreto subscriberent. Primum (inquit) ne incideremus in foveam, quam declinare studebamus, nimirum, ne Patres judicarent de sola reformatione agendum esse: et experientia docuit, non frustra eum timorem animis ipsorum insedis: cum necessitas nos adegerit, pluribus Cæsareis præsulibus claritate nominis ac dignitate conspicuis contendentibus, soli constituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ castigandisque corruptelis incumbendum, omni studio viriumque contentione adversari. Secundo, quia prohibere non potuimus, ne Synodus breviorē utiliorēque tractandarum rerum ordinem induceret, qui magis ad finem in suæ Sanctitatis Diplomate expressum, scilicet hæresum extirpationem reformationemque, attingendum conduceret. Tertio, in hoc rerum statu gravissimum imminerebat discrimen, quod omnino declinandum erat; ne si in ea sententia fixi perstarem, ut de solis dogmatibus fidei ageretur, conjunctio nostra cum Synodo dirimeretur, cum maxima Pontificii nominis invidia et publico odio: Synodus vero elata populari aura, ac jugo papali, ut iniquo et non ferendo, necnon publicæ salutis intili excusso, absque legatorum præsidum consensu nostra imperia contestationesque contemptu proterens, ad tractandam reformationem progressa esset: ex quo quantum vulnus ac detrimentum accepisset Sedes Apostolica facile perpendi potest. Deinde vero cum redintegranda fuisset concordia inter Pontificem et Concilium, media ratio amplectenda erat, ut unum extremum cum alio conjungeretur, consentiendumque, ut de duobus capitibus dogmatum et reformationis tractaretur: quod ergo tunc exacte, et cum maximo Sedis Apostolicæ dedecore agendum manebat, nunc sponte cum maxima suæ Sanctitatis gloria et honore Sedis Apostolicæ gestum apparet. Quarto, ut nobis viam facilem atque expeditam muniremus, qua suæ Sanctitatis imperia feliciter in opus provocentur. Denique prius de dogmatibus agetur, quibus ea reformationis pars, quæ ad Romanam Curiam spectat, connectetur, quam sua Sanctitas sponte perficere poterit. Quinto, dum reformationi sive sanctitati morum revocandæ liberentur incumbimus, melius res (uti convenit) peragetur, quam si ab ea abhorere ostenderemus: consulentes vero tantæ rei honestati ac dignitati, Pontificum decus augeamus, existimationemque atque auctoritatem nobis in Concilio comparamus: cujus beneficio

quidquid optatur, cum pace recto ordine ad optimum exitum perducetur. Sexto, prospicietur feliciter rebus Germanicis, quarum cura et sollicitudo adeo Pontificio animo inedit, ut ad eas restituendas Sedes Apostolica existimavit, cogendum esse Tridenti Concilium: atque adeo propter propositionem ab imperatore in conventu Wormatiensi mense Martio anni præteriti celebrato expositam, atque edictum inde promulgatum, et propter colloquium Ratisbonense, de quo modo agitur, ordinemque imperii cæsus mox celebrandos, tum ob convitia ab hujusmodi hominibus effundenda, si vel de dogmatibus tantum, vel de sola reformatione in Concilio tractatum iri videretur; cause etenim omnium malorum, quæ ex colloquio inter doctores Catholicos et Lutheranos secundo conventu dimanarent (et utinam nulla redundent!) in nos conjicerentur; ac de nullo, qui Lutheranorum partibus adhaeresceret, exposulare possemus, qui statim excusationem in os nobis objicerent, non adhibitum remedium a Concilio in tanto Germaniæ morbo, qui nullam moram pati poterat, nec valeret excusatio ignorantia, quia protestatio vel similitudo contestatio in memorata propositione nobis denunciata est. Si Concilium strenue restituendæ disciplinæ non incumbat, ipsos reformationis sciendæ munus aggressuros; cum in hoc rerum discrimine, Germania hæresum ardens incendio salva consistere non possit; ac præterea libros nuper a Lutheranis editos consentire veritati fateremur, quibus sparsere in vulgus, Concilium non cogi ad Ecclesiæ corruptelas castigandas, pravosque mores ad pristinum sanctitatis nitorem revocandos, sed ad placita Lutherana damnanda; cum vitam solutiorem ut prius ducere velimus, de qua fama increbrescente opinioneque confirmata multi præules, tum maxime Sidoniensis, vir exaggeratæ virtutis ac prudentiæ, nos graviter præmonuerunt. Septimo, Concilium habiturum est progressum, vel non: si ad ulteriora progrediatur, ad reformationem constituendam cogere poterit; cum itaque necessario illa sit scienda, præstantius est illam cum publica laude decernere, Christianumque populum in officio et Ecclesiæ obsequio continere, cum viderit nos prompto et alacri animo pro instauranda primæva morum sanctitate sedulam operam collocare, quo prætermissa labore, præules, qui Tridento animis male affecti discederent, per varias provincias famam nostram atrocius etiam quam hæretici lacera- rent; observantia quoque erga Sedem Apostolicam obsolesceret, perfrigeret amor, atque etiam jactura proventum, qui ad Curie officiales derivantur, damna quæ severa reformatio interret, multo amplius superaret. Octavo, non deerit suæ Sanctitati spatium temporis, quo ipsa reformationem Curie componat, dum in-

terim modi illius perducenda ad exitum Tridento Romam transmittuntur : duos autem modos descripsimus, ut praestantior seligatur, vel alior inveniantur. Nono, constabat perspicuis argumentis, nunquam Concilium solas reformationis leges, pressis silentio dogmatibus fidei, admissurum : quanquam privati et magni principes (quibus verbis Caesar et ejus proceres designantur) divina suis commodis dimeticentes ardentiore studio expeterent, ut dogmatum haereticorum damnatio differretur.

Antequam has litteras accepisset Pontifex, aliis legatorum monitis ad aequalem mentem inflexerat, assensumque praestiterat, ut una cum dogmatibus etiam de reformatione ageretur, ut ex litteris legatorum quarta Februarii datis enitescit.

12. « Die xxiv Januarii in alia Congregatione generali praesides Concilii proposuere ¹ : « Qua via et quibus modis sit procedendum ad examinationem et discussionem utriusque causae, an per aliquot praelatos vel sorte, vel viva voce, vel per scrutinium, vel quavis alia ratione deputandos, et coram reverendissimis dominis tribus praesidentibus congregandos; et an per totam Synodum divisam in tres classes congregandas, coram quolibet eorundem dominorum praesidentium, pari numero, eadem hora, et super eisdem articulis ». Decretum est per tres classes procedendum, diligendos tamen aliquos, qui adducenda in consilium in examen revocent, postea actum est de prorogatione futurae indictae sessionis.

XXIX Januarii fuit Congregatio ², in qua fuerunt lectae ab episcopo S. Marci litterae sanctae Synodi ad S. D. N., ad imperatorem, ad regem Christianissimum, ad regem Romanorum, ad regem Portugalliae et ad regem Poloniae conscriptae, in quibus omnes principes graviter et erudite hortabatur ad favendum huic Concilio, ad excitandos praelatos eorum, et caetera hujusmodi : Pontifici vero maxime gratiae agebantur ob praecleara studia adhibita pro pace in populo Christiano conservanda : atque etiam hortabatur, ne ab incroptis desisteret, praelatos vero omnes iterum moneret, ut quam primum ad Concilium accederent. Laetis litteris graves dictae fuerunt a Patribus sententiae. Placebat cardinali Tridentino, ut litterae quae ad regem Romanorum destinatae erant, ejus egregia

adversus Turcas facinora uberiori laudum praecomio celebrarent; itemque ut admoneretur ad excitandos reliquos Germaniae principes, ut se ad Concilium conferrent, quod et in litteris ad regem Poloniae directis a plerisque desideratum fuit. Giennensis vero cardinalis urgebat, ut in litteris ad Caesarem scriptis adderentur preces, ut praesentia sua Concilium cobonestaret.

13. Caeterum exarsit gravis controversia inter Patres, ut quae videlicet litterae prius essent perlegendae in Sessione, an ea, quae regi Romanorum, an quae Christianissimo regi dirigebantur? Consultis itaque visum est post aliquot altercationes, in solemnibus congressibus iis perlegendis abstinere.

Deinde actum fuit de modo eligendi praelatos per classes distinctae : quae electio delata fuit reverendissimis et illustrissimis dominis legatis.

Secunda Februarii ¹ coactae sunt singulares Congregationes in tres classes distinctae eadem hora, ac disceptatum, an decreta promulganda extrahenda essent, donec ampliores coetus essent, sancitumque, ut de professione fidei decretum ederetur, absentiumque ratio haberetur.

Tertia Februarii eadem proposita sunt in Congregatione generali, quae in particularibus, eademque in proxima sessione sancienda constitutum est.

14. Instaurata tunc iterum de titulo decretorum controversia a Fesulano, Caputaquensi et Pacensi episcopis, qui efflagitarunt, ut adderentur ea verba, *Universalem Ecclesiam representans*, ad conciliandam decretis Synodi majorem auctoritatis speciem. Sed major pars dissensit; satis enim judicavit, si decretum sic inscriberetur : *Sacrosancta Oecumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata*. Profertente vero Fesulano, stare sibi fixam priorem sententiam, nec ab ea discessurum, licet major pars sibi repugnaret, ne conscientiae suae vim afferret, tum cardinalis Polus ita fatuus est : « Quod conscientia alicui dictat, preferendum quidem est, verum postquam semel atque iterum et tertio quis sibi satisfecerit proferendo opinionem suam, et aperte cognitum ejus dictum a majori parte non solum non probari, sed omni conatu reprobari, potest ac debet ille opinionem suam dimittere, et quod amplius est, a malo est (1) ».

15. *Tertia sessio in qua legitur decretum de*

¹ Ibid. to. xiv, p. 36. et aliud Ms. arch. Vat. sign. num. 3232, p. 112. *Diar. Conc. Trid.* p. 68. ² Ms. arch. Vat. sig. n. 3209, p. 36. to. xiv, de Conc. et aliud Ms. arch. Vat. sign. num. 3232, p. 112. *Diar. Conc. Trid.* p. 36. Ms. Franc. card. Barber. sig. 4799, p. 30. et aliud Ms. sig. num. 24. Ms. card. Pal.

¹ To. xiv, p. 37. et to. sig. num. 3232, p. 113. et *Diar. Conc. Trid.* p. 26. et in *Actis Congregationum* p. 69. B, p. 39.

1) Alterius hujus sessionis Tridentinae historiam huc satis et diligenter analista persecutus est. Eum superest addendum de numero Patrum qui suffragia in sessione huc dederunt, quia in re inter scriptores non satis convenit. Petrus Soavus vel, si mavis, P. Paulus Sarpi in personata Concilio Tridentino historia disse scribit adfuisse ex Patribus suffragia de centibus fere et quadraginta, theologos ad viginti sexcentos, nobiles viros decem. Id vero inter caetera Snavi mendacia accusandum contemdit Pallavicinus *Hist. Conc. Trident.* lib. vi, cap. 5. dicitque Patres quidem adfuisse fere et quadraginta, theologos quinque supra trecenta, nobiles septemdecim. Verum Joannes Guilelmus

symbolo fidei. — Tertia sessio celebrata est die quarta Februarii ¹, in qua præter memoratos legatos ac prævales insignes, duo alii cardinales, Christophorus Madrutius Tridentinus, et Petrus Pæcechus Giennensis episcopus, necnon aliqui alii antistites interfuerunt. Ambrosius Catharinus Politus Senensis piam orationem habuit, qua Patres hortatus est ad consecrandam sanctiorem vitam, exemplo B. Petri, « Qui etsi ter Dominum negavit, conversus tamen in se est et pœnitentiam egit ».

Perfectum deinde est a Salvatore Alexio decretum de Symbolo fidei ², quo Romana Ecclesia utitur, quo veluti inexpugnabili propugnaculo adversus hæreticorum assultus munitur, quo veluti clypeo omnia impiorum tela refundit, in quo, veluti principio, omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, quod denique fundamentum est firmum atque unicum, contra quod inferorum potestates nunquam sunt prævaliturae. Cum vero perlatum esset plures prævales iter ad Synodum suscepisse, extracta est quarta sessio in diem octavam Aprilis, ut decreta majori veneratione susciperentur, quo majore Patrum numero essent promulgata. Navata tamen interea est opera discutendis et in examen adducendis iis, quæ in Synodo decernenda videntur.

16. Legati vero in Epistola, quarta Februarii, causam adduxerunt, propter quam in tertia sessione fidei decretum solummodo firmaverunt : « Decretum (inquiunt) de fidei symbolo sancitum fuit : primo, ut antiquorum Conciliorum vestigia sequeremur, postea ne ista sessio absque aliquo decreto celebraretur ». Narrarunt etiam in eadem Epistola quid acciderit in sessione, addentes : « Quoad hujus diei decreta, omnes, præter episcopos Fesulanum, Caputaquensem et Pacensem, qui scriptum volum ad majores turbas evitandas dederunt, veterem decretorum inscriptionem approbarunt ».

Mota etiam controversia, an expoliendorum sanctiorum morum, castigaatorum vitiorum, tollendarumque corruptelarum leges Romæ a Pontifice, an Tridenti in Concilio OEcumenico ferendæ essent ? ac multis ultra citroque litteris Tridento Romam, Romaque Tridentum transmissis, re diligenter excussa, decretum est, ut Tridenti de causis dogmatum ac morum excollendorum ageretur. Licet nonnulli expecerent magis Romæ de corruptelis emendandis agi : atque imperator non de dogmatibus Tridenti,

ne efferarentur Lutherani cum se damnari a Concilio acciperent, sed de moribus ad puriorem sanctioremque formam revocandis agendum ilagitare.

17. *Cur non fuerit adjectum decreti titulo Universalem Ecclesiam representans, et non simul cum decretis de reformatione decreta de fide proposita fuerint*. — Octava Februarii coacta est prima post sessionem tertiam Congregatio generalis, in qua Joannes Maria legatus cardinalis Patribus fuscè ostendit, quare decreti titulo non fuissent adjecta ea verba *Universalem Ecclesiam representans* ¹ :

« Cardinalis de Monte », inquiunt Acta, « dixit de titulo decretorum promulgatorum, quod si recte inspiciatur, satis amplum esse et decorum apparebit, cujus rei testes locupletissimi nobis sunt, ut sæpius dictum est, antiqua omnia Concilia, quorum nullum reperitur usum fuisse hoc, qui a nobis efflagitur, titulo. Nec quisquam exemplum Concilii Constantiensis nobis objiciat, quoniam vel diversa ratio est in illo tempore schismatis congregato, et in isto, quod sub vero, solo et indubitato papa convocatum fuit. Addamus, quod Synodus illa Constantiensis non dicit verba illa de omnibus Conciliis, sed de se tantum loquitur. Sed quidquid sit, habemus posteriora exempla, Concilii scilicet Florentini et Lateranensis, in quibus nunquam tali titulo Synodus, præsentè papa, usa est, quod tamen magis facere poterat. Quomobrem hortor et precor eos, qui dissenserunt, ut velint tandem sententiæ majoris partis acquiescere, nec ultra de re tam frivola, tamque nullius momenti verba facere, et rerum graviorum cursum et tractatum impedire ». Assensisse Patres legato subdunt Acta : « Quibus rationibus moti aliqui prælati, qui in ipsa præterita sessione dixerunt, se omnino velle, quod verba illa addantur, mutaverunt sententiam et se acquiescere majori parti Patrum ostenderunt ».

18. Deinde idem cardinalis præses rationes attulit, ob quas decretum de dogmatibus fidei una cum reformatione tractandis proponere Patribus omisisset, quorum plures de hac re questos fuisse intelligebat : nempe ab ampliore præsulum conventu tam gravis decreti promulgationem emanare debuisset ; nullum tamen ex hoc silentio ortum fuisse rectæ disciplinæ detrimentum, cum eadem quæntocies operibus ipsis magis constabilienda foret : præcipue quia in Pontificis Bulla omnes fere causæ pro ape-

¹ Ms. arch. Val. sign. num. 3232. p. 115. et seqq. Ms. card. Barb. et Ms. card. Pii. — ² Acta typis excusa.

¹ Ms. arch. Val. sign. num. 3232. p. 120. Acta Congreg. Conc. Trid. Ang. Massarell. in Diar. Conc. Trid. p. 37. et in Actis Congr. p. 71. Ms. card. Francisci Barb. sig. num. 1799. p. 35.

broche Gandavensis, qui cum Concilii Actibus omnibus interfuerit, Latinos eorum Commentarios scripsit, quos junctum cum Actibus ab Angelo Massarellò descriptis PP. Martæe et Durand vulgarant Monum. to. viii, scriptor, inquam, ille sessionem hæc, quam primam signat, cum alii secundam appellant, constituisse scribit « ex Patribus quadraginta septem, et doctoribus triginta septem ».

Idem pariter Curlembroche sessionis tertie, vel ut ille supputat, secundæ Patrum numerum ita debuit : « Adfuerunt Patres quadraginta quinque, doctores triginta quinque ».

riendo Concilio recensebantur, quas præfatum illud decretum continebat. Tum Asturicensis episcopus, addiscendi potius (ut ipse aiebat) quam impugnandi decreti gratia legatum interrogavit, qua auctoritate decretum ab omnibus Patribus ita confirmatum permutasset? Cui blande cardinalis respondit, non modo Apostolico legato, verum etiam cuilibet episcopo permitti, ante decreti promulgationem ejus mutationem proponere coram Synodo, ejusque iudicio discutendam relinquere. Amplissimas deinde legatorum a latere facultates tunc recensere omittebat, cum ad graviora negotia peragenda urgeretur.

19. *Explantur questio de Scripturæ et Traditionum auctoritate necnon de Vulgatæ versionis sinceritate.* — In eadem Congregatione Patres consensere, ut sacrorum sive canonicorum librorum catalogus texeretur ex formula a sanctis Patribus, ut in secundo Concilio Carthaginensi, et in Conciliis a Gelasio et Innocentio Pontificibus, et postremo in Florentino, præside Eugenio IV, in Diplomate ad Armenos et Jacobitas dato. De traditionum etiam Ecclesiasticarum tuenda auctoritate actum est, coercendaque eorum licentia, qui sacris Scripturis alienum sensum ex proprii intellectus audaci interpretatione affingunt; data imperia concionatoribus, ut Scripturas ex communi Ecclesie sensu interpretentur, tum sorles ac superstitiones omnes in die Epiphaniarum ab impiis inductæ tollerentur.

20. XII Februarii ¹ fuit Congregatio generalis, in qua cardinalis de Monte præfatus dixit: « Noverunt paternitates vestre qualiter omnis fides nostra ex revelatione divina est. Hanc revelationem tradidit nobis Ecclesia partim ex Scripturis, quæ sunt in Veteri et Novo Testamento, partim etiam ex simplici Traditione scimus. Igitur, ut omnia ordinate a nobis tradantur, consequens est ut post fidei professionem a nobis factam, Scripturas probemus, quo peracto, deinceps quoque de Traditione Ecclesiastica, quæ sine Scriptura est, in alia tamen Congregatione, discutiamus, et successive, si qui abusus, tum in vertendo ipsas Scripturas, tum etiam, si videbitur, in docendo et prædicando illos invenimus, eos quoque recidere extra propositum non erit. Nunc de Scripturis agamus, de quibus in particularibus Congregationibus habitus sermo, et ut dicam quid ex conventibus illis hauserimus, omnes fere probarunt, ut omnes libri tam Novi, quam Veteris Testamenti ita probarentur, quemadmodum a pluribus sanctis Conciliis probati fuerunt, et novissime in Concilio Florentino: qua in re rogamus nunc in plena hac Congregatione Patrum sententias.

« Quibus addidit cardinalis S. Crucis: duo ego subjiciam, quæ in mea particulari Congregatione tractata fuerunt, unum est, an faciendâ sit simpliciter approbatio ipsarum Scripturarum, sicut Florentinum et universa Concilia, an magis distinguendum sit, qui sint libri sacri, ex quibus fundamenta doctrina erantur: qui vero sint Canonici quidem, sed non tales quales priores, sed ideo recepti ab Ecclesia, ut ex iis multitudo instrui possit, quales sunt libri Sapientiæ, liber Proverbiorum, et si qui similes: idque videretur e re esse, quoniam ambiguum est valde, nec adhuc ab Ecclesia determinatum, quamvis et Augustinus, et Hieronymus, et alii veteres sapius de his nonnulla tradiderint. Alterum est, an sicco pede approbatio ista a nobis faciendâ sit, an vero ad illis rationibus et solutis argumentis, quibus adversarii maxime immituntur ad expungendas multas ex Scripturis sacris; hæ enim ab ipsis potissimum infringuntur, liber Machabæorum, quem penitus rejiciunt, Epistola Pauli ad Hebræos, una Petri, altera Jacobi Epist. Canon., item Apocalypsis, et aliæ quedam ».

Tum dictæ sunt a Patribus sententiæ, in primisque Tridentinus laudavit, ut, tametsi omnes Scripturas, quas Florentinum Concilium numerat, ipse probaret, non tamen omnes probandas censebat, antequam adversariorum rationes audirentur et dissolverentur. At Giemensi contraria placebat sententiâ, nempe ut nulla habita discussione, nulloque tractatu, ita omnes libri approbarentur, quemadmodum a Concilio Florentino approbati fuerunt, ita ut nullum discrimen inter libros adnotaretur. Cujus sententiam omnes fere secuti sunt; ita ut nemo de reprobatione librorum dissereret. Aliqui tamen, nec pauci quidem, et in primis Pacensis episcopus disputationem omnino rejiciendam esse dicebat, cæterum disquisitionem faciendam putabat exemplo Apostolorum, qui cum de legalibus legis veteris rejiciendis a nonnullis dubitaretur, conquisitione facta sententiam dixerunt; quam quidem conquisitionem non ideo fecerunt, ut dubitarent ipsi, sed ut debiles in fide conquisitione illa confirmarentur: ita nos ad exemplum illorum posse nostra tutari et confirmare, adversariorum vero argumenta dissolvere.

Cardinalis de Monte dixit (paulo post): « Ut vere dicam quod sentio, nunquam mihi placuit hæc conquisitio, quam pati non possum, ut de nostris principiis ineatur disceptatio ». Cui cardinalis Giemensis: « Major (inquit) pars probavit, ne conquisitio fieret omnino »; id Tridentinus negabat, et nec bene, nec cum dignitate rem tam sicco pede pertranscundam esse censebat, ne adversariis daretur ansa vocandi illud Concilium Papticum, quod plane facient, si nos ita ire in sententiam cognoverint. Ha multus

¹ M., arch. Val. sig. num. 3233, p. 122. Acta Cong. Conc. Trid. Arch. Mass. in Diar. Conc. Trid. p. 37, et in Act. p. 71. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1977, p. 37.

nullo ordine disceptantibus res diu protracta est¹:

Cardinalis Anglicus cum adversus Fesulanam et Asturicensem se convertisset: «Sunt, inquit, aliqui qui nos ut leves et inconstantes, alii ut tardos et in re nihil diutius laborantes accusant: quod profecto non alia ratione illis evenire puto, quod ipsi satis ea quæ tractantur non intelligunt: nam si considerarent hi, quomodo, inquam, omnis nostra religio ab adversariis nostris in dubium revocatur, profecto non parum nos fecisse, neque rem nihil putare, intelligerent in receptione librorum et traditionum, quæ quidem res tanti momenti sunt, ut nihil majoris potuisset fieri: est enim Ecclesia ista tanquam castrorum acies ordinata, quæ non ante ad bellum neque certamen progredi potest, nisi prius ordinetur. Illic nempe est ordo, ut prius nos muniamus armis, deinceps vero ut decertemus cum adversariis: qui quidem ordo omnibus patebit, cum decernendum erit, et quia aliquibus ad descendendum ad huiusmodi abusos reuult, sciat quod expeditis abusibus Scripturarum et Traditionum, erit expedita pars totius negotii nostri, nam abusus Scripturarum sub se continent ordinem et modum prædicandi verbi Dei, et libros ipsos interpretandi: Traditionum vero abusus totam pene disciplinam Ecclesiasticam respicere videntur, cum et confessiones et omnes cæremoniæ nostræ ad ipsas Traditiones respiciant».

Censebat iure pars maxima non revocanda in controversiam², quæ ab Ecclesia sanctissime recepta fuerant, maxime cum hæreticorum dubia atque argutias Joannes Eckius, Albertus Pighius, et cardinalis Rollensis eruditissime dissolvissent. Alii vero, licet nullatenus receptos sacros libros in dubium revocarent, diluenda tamen eorum sophismata ad æternum iis silentium imponendum opinabantur.

Quare xv Februarii in Congregatione generali eadem quæstio ventilata est, ut referunt Acta.

21. Quod spectat³ ad excutienda graviore examine argumenta, quibus aliquot libri sacri (ut Esdræ, Machabeorum, Baruch, Epistola Pauli ad Hebræos, secunda Petri, et Apocalypsis Joannis) impugnantur, Patres bifariam divisi sunt; aliis omnino prætermittendum asserentibus, aliis e contra has rationes adducentibus: quod licet de his, quæ semel per Concilium statuta sunt, disputare minime liceat, ea tamen disceptatio, quæ ad confutandos errores fiat, licita fit et laudabilis, secundum Thomam 2, 2, q. 10. art. 7 et Gloss. in l. *Nemo. c. de Summ. Trin. et Fide Catholica*. Athanasius enim in Antiochæno Concilio cum Ario, prius in Nicæno I

Conc. damnato, disputavit; beatusque Hieronymus cum Luciferiano, quem ex Actis anterioris Concilii devicit, necnon Africanum Concilium sub Bonifacio in instructione, quam legatis suis dederat, attestatur, quod Donatistæ hæc de causa fuerunt invitati, ut secum pacifice conferrent, et mansuetudine Christiana, nisi quid veritatis tenerent, non ambigerent proferre. Cum quibus quidem Augustinus postea disputavit, et nihilominus eorum errores in Nicæno et Africano Conciliis damnati prius existerant. Filium enim minorem Patre, et hæreticos rebaptizandos censebant, ut in *c. Quidam* 24. q. 3. Beatus item Dominicus cum Albigenisibus, quorum errores damnati prius fuerant, Tolosæ disputavit. Itemque Macharius, qui in V Synodo damnatus, et Romanus relegatus fuerat, a Benedicto Romano Pontifice in disputationem admittitur. Nam Bonifacium consiliarium suum ad eum misit, qui per quadraginta dies commonitoris verbis ex divina Scriptura instrueret, licet pertinaciter semper permanserit, ut habetur in *c. Conventibus* 55. Item Petrus 1 q. 7 et quod de semel constitutis ad simplices instruendis disserere liceat, docuit Leo I Ep. 76 ad Leonem imperatorem, cum ait: «Multo gaudio mens nostra exultat», et quæ sequuntur; ad quod etiam B. Petrus in Ep. 1 cap. 3 nos monuit, ut *parati semper sinas ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe*, et fide. Beatusque Paulus ad Titum inquit, ut *simus idonei exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*.

At isti e contra censebant, disputare de his quæ fidei sunt et a cunctis Conciliis constituta, infidelitatem sapere *c. Quicumque de Hæreticis libro 6* quæ disputatio inlibetur per Martianum imperatorem per Constitutionem, quæ habetur in l. *Nemo. C. de Summ. Trin. et fide cap.* Item Gelasius in *c. Majores*, 24 q. 1. decrevit, ut quod contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei unione et veritate Catholica promulgasset, non sinceret novis retractationibus mutilari. De quo etiam Leo Ep. 42 ad Martianum imperatorem, sic ait: «Nimis iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, et ad carnalium disceptationum bella provocemur, tanquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, et utrum impie Dioscorus iudicavit». Necnon Ep. 13 ad eundem inquit: «Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clementiam vestram, ut in presenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, et quæ olim Majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari». Quare Paulus Epistola II ad Timotheum refert: *Noli verbis con-*

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 46. — ² Ib. p. 122. — ³ Ib. p. 123. *Diar. Conc. Trid. in Act. Congreg. habitæ xv Feb. MDXLVI.* Ms. arch. Vat. Auctore Angelo Massarelli. Secretario.

tendere, nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Et paulo post :

Volis perquisitis, a saniori tamen parte in hanc sententiam ventum est, ut libri sacri ante omnia recipiantur omnes, ut in præterita Congregatione decretum fuit, deinde domi privatim ab uno quoque (si velit) fiat aliquis dietarum rationum discussio et examinatio, ita tamen ut non videatur res in controversiam adduci.

22. Deinde alia questio orta est, scilicet, an æqualis fuerit sacrorum illorum librorum auctoritas? Nonnullos enim libros majori honoris gradu habendos esse plerique existimabant: sententiis inquisitis, generaliter suscipiendos pari auctoritate decretum est: « Quod libri sacri (inquiunt) pure et simpliciter recipiantur et numerentur, rationum autem discussio omnino omnittatur, non prohibendo tamen, quod unusquisque, si voluerit, privatim faceret aliquam examinationem ».

Habitæ sunt die xvii Februarii private Congregationes, in quibus de Traditionibus actum; in sua vero classe, auditis Patribus, cardinalis Sanctæ-Crucis ita peroravit: « Nobis hæc via magis idonea visa est, ut post Symboli professionem, sacri libri tanquam prima fundamenta, ubi omnes nostræ conclusiones firmari debeant, recipiantur. Multa enim ardua et difficilia a sacra Synodo pertractanda erunt, quæ nisi firmis fundamentis stabiliantur, corruerent. Post igitur primum Symboli fundamentum, cætera, quæ restabant principia, sumenda necessario videbantur. Ea autem fidei nostræ principia tria esse inveniimus. Nam doctrinam nostram, non nisi revelationem quamdam diversis temporibus factam, esse dignoscimus. Patriarchis primum, quorum fidem in sacris Scripturis habemus, hasque Vetus Testamentum nominamus. Procedente tempore placuit divinæ bonitati eadem, et longe plura hominibus per Unigenitum Filium suum revelare, qui non scripto, sed ore, non in charta, sed in corde plantavit Evangelium suum, prout nihilominus iidem Propheta prædixerant, et hoc Novum Testamentum dicimus. Eorum tamen quæ a Christo emanarunt, quedam Scripturæ demandata, quedam in cordibus hominum relicta fuerunt, hocque secundum principium est fidei nostræ.

« Tertium autem, quoniam non semper Filius Hominis nobiscum mansurus erat, Spiritum sanctum suum in mundum misit, qui Dei secreta, et quæ dubia apud homines erant, declararet. Quibus omnibus diligenter consideratis, ad eadem principia suscipienda ingressi sumus. Sed quoniam dicta principia in Veteris et Novi Testamenti Scripturis consistunt, easdem Scripturas in primis cum Dei benedictione suscipimus. Cæterum eorum quæ ab Apostolis inter homines profecta sunt, nonnulla facta et non scripta credimus. Igitur multa dicta, et non

scripta fuisse fateri debemus. Apostoli enim adeo prædicationibus intenti erant, ut propriæ etiam mense non ministrarent, quæ quidem rationes plurima, quæ a Domino ad Apostolos, et ab Apostolis ad nos de venerunt, scripto minime demandata esse demonstrant; quare a traditionibus prius incipiendum suaderi debemus. Nihil tamen inter Scripturas sacras et Apostolicas traditiones differt, illæ enim scriptæ, hæc per insinuationem habentur, utraque tamen a Spiritu sancto eodem modo emanatæ ». Et mox: « Quo autem ad auctoritatem Ecclesiæ, quoniam ante susceptionem sacrarum Scripturarum de ea tractari non poterat, successive ad illam mature suo loco devenietur. Demum ut abusus, qui ex sacris libris et Apostolicis traditionibus occurrunt, in scriptis notarent, Patres admonuit ».

23. Die xix et xx ejusdem mensis¹ theologorum Congregationes habitæ sunt, in quibus de traditione Apostolica, ac de abusibus qui circa sacram Scripturam occurrunt, actum est magno animorum æstu. Quare a præsentibus Concilii decretum est, quoties de articulis fidei et dogmatibus agendum esset, antequam quidquam a sancta Synodo decerneretur, omnia prius cum dictis theologis familiariter conferenda, eorumque opiniones intelligendas esse. Isti autem theologorum conventus coram legatis fiebant; quoniam episcopi, ut in suis Congregationibus interessent, constanter renuebant.

24. XXIV Februarii redditæ reverendissimis dominis legatis litteræ reverendissimi domini cardinalis Augustani Dilingæ datæ, in quibus ferebatur Fridericum comitem Palatinum Rheni, Othonem, Henricum et Wolfgangum duces..... necnon Brunsvicensem, pseudoarchiepiscopum Coloniensem, xxv Januarii Francofurti, in qua urbe Lutheranorum conventus habebatur, Smalcaldico federi se conjunxisse; in qua sociali coitione hæc duo præcipua capita continebantur, ut in religionis, vel quacumque alia causa adversus omnes molestiam inferentes, sociale bellum gererent, nec per suas ditiones militaribus copiis aditum præberent, nisi a federatis conscriptæ essent: timere enim se bello a Cesare petatum iri, pluresque nobiles urbesque illi federi accessisse, quam conjunctionem imperialis defensionis nomine cohonestaverint. Cæterum Germaniæ episcopos non accessuros ad Concilium, vel propter senilem infirmitatem, vel ob Lutheranorum metum, vel quia opinantur Concilium dissolvendum: nihil vero ea re tristius atque funestius Sedi Apostolicæ posse accidere, atque adeo urgendos a Pontifice episcopos, ut ad Concilium se conferant. Addidit etiam libellos satyricos, picturas infames con-

¹ Ms. card. Spada.

tra Concilium Pontificemque, ac mille calumnias et probra passim spargi.

25. XXIII Februarii ¹ congregatae sunt coram legatis theologorum classes, relatumque quid de modo recipiendi Sacros libros et traditiones Apostolicas sentirent :

« Procurator reverendissimi D. cardinalis Augustani laudavit communem sententiam ut Traditiones nunc primum recipiantur. Verum distinguendas esse Traditiones, quæ recipiuntur. Sunt enim diversarum specierum, nam quædam ad fidem pertinent, et ea pari auctoritate cum Evangelicis a nobis suscipiendæ sunt; de aliis autem, quæ ceremoniales existunt, non ita. Nam de bigamia et de sanguine suffocato aliter a nobis observatur, quam ab ipsis Apostolis sit traditum ». Laudata est ea sententia a Generali Eremitarum S. Augustani et cardinali Sanctæ Crucis, qui subdidit, quæ sint traditiones, ipsas suo tempore revidendas putabamus. Nam traditionum aliquæ scriptæ, aliquæ non scriptæ reperiruntur, et aliquæ essentialia, aliquæ ceremoniales sunt, ut ab Augustensi recte dictum fuerat; nam in Sacramentis nonnulla scripta, nonnulla tradita ab Apostolis fuerunt, quæ Sacramenta essentialia fidei nostræ sunt. In ceremonialibus autem habemus Quadragesimam, quæ licet vix ex Scripturis probari possit, Apostolos tamen eam nobis tradidisse certo scimus. Quod autem scriptæ sint aliquæ, aliquæ non scriptæ Apostolorum traditiones legit c. *Ecclesiasticam* n dist. *et infra*. Postremo ipse cardinalis legit, quæ de traditionibus congregatio excerpserat. In congregationibus privatis auctoritas Traditionum Apostolicarum recepta fuit, de qua legati cardinali Farnesio ita scripserunt vigesima quarta Februarii ². « Illi omnes in privatis congregationibus traditiones Apostolorum receperunt, de quibus in decreto sacrarum Scripturarum, post dinumerationem tamen in genere, et non pro nunc in specie librorum Novi Testamenti facienda erit mentio, eas modo præmittentes, ut de illis postea suis locis agatur. Fuit etiam juxta nostram propositionem constitutum, ut sex præsulibus (scilicet pro qualibet classe duobus) uni theologo, et alteri Canonum professori formato decreti Scripturarum et Traditionum committeretur : omnia ista die Veneris vigesima sexta in Congregatione generali firmabuntur, et postea ad abusus Sacrarum Scripturarum tollendos intendunt ».

26. Igitur vigesima sexta Februarii in Congregatione generali excussa est eadem controversia de traditionum Apostolicarum auctoritate.

Clodiensis (inquiunt Acta) novarum rerum cupidus, frustra, inquit, nos modo quarere tra-

diones per manus verbo et observantia communis Ecclesie ad nos perductas, cum habemus Evangelium, in quo omnia, quæ ad salutem et vitam Christianam necessaria sunt scripta inveniuntur.

Reprehensus est a pluribus ¹, etiam ex verbis ipsiusmet Evangelii Joan. ult. *Sunt et alia multa, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Item Jo. xx : *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Item Jo. c. xvi : *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo, cui autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Christus nunquam præcepit Apostolis ut scriberent, sed ait : *Ita, et prædicite*, etc. Item Paulus pluribus in locis suarum Epistolarum aperte ostendit, multa extra Evangelium ab eo præcepta ad Christianam vitam necessaria esse emanata, ut I Cor. ii : *Laudo vos*, etc. et *sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Item c. xi : *Collaudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et quemadmodum tradidi vobis, instituta tenetis, et similibus.* Item Jo. ii : *Plura habens vobis scribere nolui*, etc. Item Pauli ad Phil. iv : *Fratres, quæcumque sunt vera, etc. hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.* Item II ad Thess. : *State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Item II Thess. iv : *Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, ita ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis.* Item Dionys. Areopag. Hierarch. Eccl. c. i : « Eloquia divina duplicis sunt generis, quædam in sanctis theologicis libris nobis commendata, et alia præterea, quæ ex animo in animum medio intercurrente verbo, etc. » Item alia quamplura, quæ in classe diei xxiii præsentis mensis commemorantur.

Quod autem Augustus dicat in Evangelio omnia esse scripta, quæ necessaria sunt ad salutem; verba illa formaliter intelligi debent, scilicet ad fidem Christi accipiendam, ut salvi fiamus, quo vero ad mores, et Christianam vitam instituendam, certe non omnia scripta sunt, quare ipse Dominus noster ait : *Mittam autem Spiritum Sanctum Paracletum, qui docebit vos omnia* etc. Ergo indigebant etiam ipsi Apostoli adhuc alia doctrina extra eam, quam ab ipso Christo verbo didicerant, ad recte beateque vivendum necessaria, quæ a Spiritu sancto suggereretur eis.

27. Cum mentio deinde injecta esset de Bulla

¹ Diar. Conc. Trid. in Actis Congreg. habite xxvi Feb. p. 86. — ² Ms. card. Spadæ to. CCX. p. 59.

¹ Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 61. In Actis Cong. habite xxix Febr.

Eugenii IV de unione Jacobitarum, quæ in eadē VI Decretalium conscripta, in qua sacri libri connumerantur, atque episcopus Clodiensis argueret ex adjecta temporis nota non esse editam in Florentino Concilio, responsum est a legalis, Florentinum Concilium non fuisse dissolutum post unionem Græcorum, sed post eam perdurasse fere per tres annos, usque ad annum MCDXLII, ut ex Actis ab Augustino Patrio Senensi editis constat, et translationem Concilii ex civitate Florentina in Lateranensem Ecclesiam decretam in X sessione VI kal. Maii MCDXLII, cum Eugenio significatum esset « Legatos etiam Zaræ Jacob Magni regis Æthiopiæ (quem presbyterum Joannem vocant) ad dictum Concilium Florentinum orthodoxæ fidei suscipiendæ gratia adventare ». Bullam vero unionis Jacobitarum MCDXLII in Concilio Florentino editam constare ex autographo, et subscriptione Eugenii et cardinalium obsignata, quam Angelus Massarellus propriis oculis Romæ in arce Sancti-Angeli, et cardinalis Cervinus (ut alii asserunt) inspexerunt. His discussis, Patres unanimes fere omnes concurrere in eam sententiam, ut in uno eodemque decreto sacri libri et traditiones Apostolicæ recipiantur.

Decreti mox tres archiepiscopi tresque episcopi pro eo decreto contenciendo, quod deinde in Congregatione expendendum erat. Interim singulæ classes de abusibus Scripturarum sive corruptelis egerunt. Illic tamen non de reformanda Scriptura, sed de emendandis erroribus, qui ab exscriptoribus irrepserant, et castiganda adulterantium Scripturas auidacia agebatur. Quæ omnia, uti gesta fuere in generali illo conventu, legati duobus Epistolis eadem die Romam transmissis Pontifici denuntiaverunt; ad quarum calcem præfate Bullæ Jacobitarum autographum, vel exemplar authenticum ad se mitti postularunt. Quæ Bulla, ut suo loco videbimus, Tridentinum transmissa fuit.

28. I Martii (pergunt Acta *) Aquensis legit schedulam infrascripti tenoris : « Abusum quidam in scriptis, inesse, sunt, in loco, in tempore, et in fine. Ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad interpretandum. Ad docendum abusus considerantur, aut quia non sunt idonei, aut quia non possunt, vel quia non sunt approbati. Item considerantur abusus realiter, privative et active ».

Primo, circa editionem, quia non omnes textus sui erit conformes, imo plures sunt corrupti, ideo erit bonum committere correctionem peritis deputandis, et quia correctio Veteris Testamenti est principaliter consideranda circa Hebræum, et Novi Testamenti circa Græcum, a quibus respective ut plurimum editio Latina

emanavit, ideo deputandi sunt docti in Hebræo, in Græco, et docti theologi in Latino, et etiam mixti in omnibus, et bonum esset habere textus antiquos tam in Latino, quam in Hebræo et Græco, qui verisimiliter essent et reputarentur correcti. Quantum ad translationem, habeantur et colligantur tot antiqui translatores (aliter dicti interpretes) quot haberi poterunt. Non quod dubitemus de translatione beati Hieronymi, et aliorum doctorum ac sanctorum, sed ut emendatio ipsa circa loca corrupta et depravata melius fieri possit.

Secundo, circa interpretationem, quia multi detorquent sacre Scripturæ testimonia, oracula et eloquia in perversum sensum; ideo determinetur quis Scripturæ sensus sit Catholicus, et quis non. Qui etiam doctores sint admittendi ad interpretandum, ut scilicet sint, nedum docti, sed etiam probi, et Catholici, et inter alios aliqui enumerantur in c. *Sacrosancta* 15 *dist.* Observetur determinatio generalis Concilii Lateranensis, de qua in c. *Quia nonnulli de Magistris in antiquis*.

Tertio, circa impressionem aut scripturam tenendam, quod fiat prohibitio sub penis, etc. Quod Biblia ipsa non imprimantur teneanturve, minusque illis utatur quis, nisi secundum quod fuerint correctæ et emendatæ : tum addidit sacra Biblia non esse convertenda in linguam vernaculam, ne forte ignari nefarios sensus sacre Scripturæ pro sua libidine affingant, atque in varios errores prolabantur : sufficere enim mulieribus et plebeis, ut sacrarum litterarum sensum a concionatoribus excipiant : prohibendum etiam, ne in margine sacrarum librorum notæ aliæ apponantur.

Quarto subdidit arcendos laicos, necnon mulieres ab habendis concionibus : adhibendumque diligens studium, ut sacerdotes non tantum verbo, sed etiam exemplo prædicent, ne ex Apostolo aliis prædicando reprobentur, cum etiam Christus pronuntiet hæc verba, *qui fecerit et docerit etc.* Questus etiam est viros doctrina excellentissimos in religiosis familiis distrahi a munere concionandi, atque prædici alienis muneribus : aliquos etiam Evangelicam prædicationem tabellis immixtis pollucere, atque adulterare, ut auditorum aures titillent : aut præsum, sacerdotum, vel principum famam carpere, atque in contemptum eos adducere : tum hæc addidit, eis est prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ, detrahere dictis prælatis in eorum prædicationibus in Clem. 4 S *Quibus de privilegiis*. Dicit tamen ibi gloss. *Quod in Genere, etc.* Non retrahant etiam populos ab Ecclesiarum suarum parochialium accessu, quia hoc est eis jam prohibitum, quinimo hortentur eos, ut diebus Dominicis intersint Missæ parochiali, publicationibus seu denuntiationibus, quæ ibi fiunt, ut

* In Bull. Conc. Trid. auctore Angelo Massa 1160 Ms. 1160 h. Vat. pag. 37.

addiscant mandata Dei et Ecclesiae, et dies festivos ac jejuniorum et caveant ab excommunicatione, cum ibi publicentur monitoria generalia. Non abalienent populum a solutione decimarum, et aliorum, ad qua jure divino et positivo sunt omnes obstructi : si illi qui praedicare tenentur noverint aut non poterint, vel, quod absit, et tolerandum non est, si nesciant praedicare, alii eorum sumptibus in eorum locum deputentur juxta c. *Inter cetera de off. ord.* Non praedicent absque licentia sanctae Sedis Apostolicae et episcopi diocesanis, quia saepe plures indigni disseminant per castra et parochias errores pessimos. *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur* (inquit Apostolus). Et in Evangelio dicitur : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios*, etc. Quoties habeant praedicare, qui praedicare tenentur, ut scilicet praedicent tempore Quadragesimae et Adventus, et diebus Dominicis et festivis et alias si opportuum fuerit in locis suspectis de haeresi. Adjiciatur praecipuum quod opportuno tempore beneficiati habentes curam animarum provideant de praedicatoribus pro Quadragesima. Haec tenor sententiam

Feltrensis suam hujus tenoris sententiam legit :

Maximus abusus Scripturarum est eorum, qui indocti et instabiles eas depravant ad suam ipsorum perditionem, ut dixit B. Petrus de his qui D. Pauli Epistolas ad malum sensum detorquebant. Hinc in Germania abusus irrepsit communionis sub utraque specie ex mala interpretatione illius Dominici praecipii, quod habetur Matth. xxvi. *Bibite ex hoc omnes*. Illius Pauli I Cor. xi. *Ego enim accepi a Domino*. Et ejus quod prius dixerat c. x : *Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et calice participamus*, etc. et *comperimus* de consecr. dist. ii. Hinc connubium sacerdotum ex prava detorsione illorum locorum : *Crescite, et multiplicamini. Habeat unusquisque uxorem suam propter fornicationem. Melius est nubere, quam uri*, episcopum eligendum, qui sit unius uxoris vir, et similia. Hinc jejuniorum abrogatio, et quorundam ciborum certis diebus abstinentiae ex prava interpretatione illorum locorum sacrae Scripturae : *Non est regnum Dei esca et potus. Esca non commendat nos Deo. Nemo vos dividet in cibo et potu. Omnis creatura bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, et similia.

29. Gesta hujus Congregationis legati Tridentini significaverunt cardinali Farnesio, necnon exposuere causam Petri Pauli Vergerii Justinopolitani episcopi, qui a cardinale Aleandro delatus Lutheranae haerescos virus hausisse, atque adeo iudicio postulatus, se purgare abnuvit, sed ad Concilium Tridentinum se contulit concepta spe Tridentini cardinalis opera Concilio assessurum : sed spe sua dejectus, jussusque coram

patriarcha Veneto et Pontificio internuntio purgare crimen, non Venetias adiit, sed in Ripa oppido atquandiu moratus, demum ad Helvetios haereticos fugam capessivit, exutaque Catholici praesulis larva, condita diu infimo pectore venena publice effudit, scriptis adversus Pontificem et Concilium libris : nimia enim librorum haereticorum (sprelis sanctis Patribus) lectione mentem corrumpi ac fascinari siverat. Pœnituit illum postea flagitii admissi, prensavitque gratiam Pontificis, sed cum haeresim ejurare juberetur, respondit, non esse honesti viri palinodiam canere, atque in crimine obfirmatus haesit. Mirum certe ac plane miserabile fuit virum episcopali characterē insignitum, qui in Germania Clementis VII et Pauli III internuntium egerat maxima cum laude, et flagrantissimo religionis tuendae ardore tantos labores pertulerat, in haeresos barathrum se foedissime conjecisse, ac tanquam Luciferum e Caelo decidisse, ut verissimum sit Apostoli oraculum, *qui se existimat stare, cident ne cadat*.

30. De tollendis corruptelis adstringendaque solutiore Ecclesiastica disciplina, agitata sunt graviora consilia, de quibus legati vi Martii ¹ Paulum Pontificem certiores fecere : securim nimirum radicibus imprimendam, fibrasque malorum excellendas, instaurata enim sanctiore disciplina, non extimescendum quippiam in Concilio adversus auctoritatem Pontificiam novatum iri, Synodumque ad feliciorē exitum perducendam fore : cumque Pontificio nomine transmissa esset ad legatos imperfecta disciplinae in Curia Romana constituendae ratio, nitide septima Martii ² significarunt Pontifici legati, non recte ita consuli divino cultui, nec Pontificiae sanctitatis honori, nec temporum necessitati, nec conceptae a Patribus Tridentinis expectationi : atque ex privato cum praesulibus sermone collegisse, eos iniquo ferre animo, eripi regendarum animarum ipsis commissarum libertatem, ac contendere spectare ad ipsos sacerdotia, quibus animarum cura annexa est, conferre, sacerdotalibus sacris initiare clericos immunitate donatos, vel canonicorum Collegiis addictos, vel regulares non debere concionatorum munus invadere, vel sacras exhomologeses excipere sine obtenta a praesulibus potestate : quæstiones tollendos, indulgentias sive gratuitas nozarum condonationes pro fabrica Sancti-Petri vel Crucesignatorum militia quæstuaris abolendas : Romanam Curiam in gravissimum adium ob avaritiam, pompaticum fastum luxuriamque adductam, qua vitia castiganda sint ³, Pœnitentiariae, Cancellariae et Rotæ tribunalia ad æquitatis leges revocanda : maxima vero contentione deposci ab omnibus, ut

¹ Epist. Legat. xxv, Martii Ms. card. Spade to. ccx. p. 105. —

² Ubi sup. p. 73. — ³ Ubi sup. p. 76.

sacerdotia conferantur iis, qui illa gerere velint et possint, non a conductitiis administranda, decumana subsidia temperanda, expectativas gratias maximo omnium offendiculo concedi, ex quibus gravissima mala emergere exploratum est: Pontificii decoris esse, ut hæc tollat vel tollenda curet a Concilio: hæc enim ratione præsulum benevolentiam populorumque observantiam Sedi Apostolicæ conciliandam.

31. Exceptit Pontifex æquo animo legatorum monita, præmisitque liberam Ecclesiarum administrationem episcopis se permitturum, modo immunitatem a Sedis Apostolicæ imperio non affectarent: eosdem etiam legatos urisit, ut morum corruptelis delendis sedulam operam darent, non tamen de Pontificia et Concilii auctoritate disceptationes induci permitterent. Respondere Pontifici legati hoc malum non aliunde posse emergere, quam ex discordia et dissensione in tractando reformationis opere, profiteri præsules Pontificem esse Concilii caput, maximam eorum partem summo obsequio et amore illum complecti: ac si quis eam questionem inductat, illum moliri avellere caput a corpore, et schisma contârre; ac si qui expetant, ut in decretis addatur Concilium representare universalem Ecclesiam, eos negare non posse intelligi Concilium suo capiti conjunctum, a quo divulsam conciliabulum evaderet.

Addidere legati, ideo Concilium primum egisse de Scripturis et de traditionibus, quia hæretici nonnullas Scripturas, quibus impietatis convicti sunt, tentant convellere, et traditiones Apostolicas refellunt, ut deliramenta sua nefanda obrudant. Quæ vero gesta sint in præsulum theologorumque congregationibus, describunt earum Acta¹:

32. « XVI Martii Congregatio generalis habita est in qua deputati retulerunt abusus, quorum quatuor in scriptis exhibuerunt. Primus est, haberi varias editiones Bibliæ, et ejus remedium est, recipere tantum Vulgatam editionem, et ea pro authentica uti. Secundus abusus est mendositas Codicum, qui circumferuntur. Remedium est, ut purgetur unus Codex, qui imprimatur fideliter. Tertius abusus est, quemlibet interpretari ad suum sensum Scripturam sacram, et eam ad profana convertere. Remedium est, id gravissimis penis prohibere. Quartus abusus est, impressores sacrarum Scripturarum imprimere sine licentia superiorum Ecclesiasticorum, et libros sine nomine auctoris edere. Remedium est, id prohibere sub maxima censura. Super quibus abusibus moniti fuerunt Patres, ut cogitarent pro futura Congregatione². Superiori etenim Congregatione cum de versione

Scripturarum in linguam vernaculam controverteretur, ita disseruit cardinalis Giennensis:

33. « Animadvertentibus hujusmodi deputati ad colligendos abusus circa translationem Bibliorum in linguam matrem, quia solet hoc sæpius nonnulla scandala parere, itemque videtur providendum, ne deinceps Bibliorum tam variæ interpretationes hæcenus editæ et depravate relinquuntur in manibus hominum. Cui cardinalis Tridentinus: Nollem, inquit, si possem, adversari sententiæ reverendissimi domini mei Giennensis: sed pro ea, quæ nobis a Deo data est, libertate loquendi in hoc loco, summa cum sinceritate loqui cogor, et ea dicere, quæ mihi adeo vera videntur, ut tergiversari non valeant. Illud est scilicet, ne unquam permittatur versio Bibliorum in matrem linguam inter abusus numerari. Quid enim dicent adversarii nostri, si sciverint velle nos e manibus hominum sacrarum Scripturarum avellere, quam sæpius Paulus Apostolus nunquam ab ore nostro separandam esse censuit? » Et mox: « Uti nam Græcæ et Hebraicæ linguæ professores nunquam in Germania fuissent, quia hæc molestia nos hodie careremus, et infelix Germania non ita misere in tot hæreses delapsa fuisset. Non enim hæreses et mala semina ab idiotis, et matrem tantum linguam scientibus orta sunt. Quamobrem oro ne vobis, patres, in mentem veniat aliquando, ne dicatur, ut hæc rem inter abusus numeremus, sed si eam controversamus, posse abusu nuncupari ».

34. Cum de corruptelis circa Scripturas admissis ageretur³, ac præsides legati censerent articulum, in versio sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam permittenda sit, non proponendum, cum Gallicæ et Hispaniarum regna eam non suscipiant, alia vero nationes, ut Germani, Italique et Poloni expectant; relinquendam itaque unamquamque nationem in suis institutis, ut quod sibi necessarium vel utile censeret, amplectatur, cardinalis Giennensis proponendum articulum censuit hæc de causa: « Quod pars affirmativa hujus articuli a paucissimis tenebitur, cum in primis Hispani prælati, Gallique omnes, et magna pars Italarum in negativam inclinent, magnique apud Concilium momenti et existimationis esse debet, quod duo illa amplissima regna Hispaniarum et Gallicæ ita versionem hæc detestentur, ut nedum pluribus edictis penis gravissimis et prohibitionibus publicis vetuerint, sed novissime his diebus Universitas Parisiensis, quæ ultra centum et quinquaginta doctores habet, non solum versiones sacrarum Librorum non esse in vernaculam linguam faciendas censuit, verum etiam, qui eas vertunt, tanquam hæreticos habendos esse declaravit. Et sacra ista Synodus, cum nunc

¹ Ang. Massarelli, in *Ann. Cong. Trid.*, Ms. arch. Vat. p. 88. De *Ann. Cong. Trid.*, Ms. arch. Vat. p. 123. ² Acta Congr. Concil. Trid. auctore. Ang. Massarelli Secret. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1677. p. 50.

³ *Ibid.*, p. 128.

de abusibus Scripturarum sermonem habeat, articulum hunc relinquet indiscussum? Consideret parumper unusquisque unde potissimum tot haereses in orbe Christiano ortae fuerint; nulla equidem alia ex causa id evenisse compariet, quam ex versione sacerum Librorum in vernaculam linguam, nam Germania in primis antequam libri sacri rusticis et plebi legendi traderentur, paululum in Catholica religione permansit, quamprimum vero eorum omnibus facta est copia, in quam calamitatem devenerit, quisque oculis intueri potest. Idem in Gallia, idem et in Hispaniis pullulare coeperat, in optimorum principum diligentia et pietate gravissimis legibus id fuisset prohibendum. Quid vero, et in aliquibus vestrae Italiae civitatibus (Germania enitatur) minime latere arbitror. Discutitur igitur articulus iste, et Spiritus sancti determinationi acquiescamus. Egoque in primis si contrarium a sacra Synodo decretum fuerit, quam ipse modo sentiam, acquiescam libenter communi Patrum consilio. Cum res haec adeo difficilis controversa et dubia inter Patres esset, ut quae pars praevaleret in votis recte cognosci non posset, Inne sacra Synodus statuit Summum Pontificem consulere, ejusque sententiae acquiescere, tum quia caput et dominus est nostrum omnium, et ad quem omnes res ardua referri deberent ».

35. Significaverunt legati cardinales Pontifici, cardinalem Tridentinum vehementer, sed honeste adversatum esse cardinali Giennensi, in quaestione de sacra Scriptura e Latino idiomate in vernaculum non traducenda, nam si prohiberetur ea traductio a Concilio, maximos animorum motus concitandos in Germania, pluresque forte ad Lutheranas partes defecturos, propterea rem in aliam Congregationem extractam, ut accuratiori examine discutetur.

36. Excussa sunt acerbiori examine adulto mense Martio singula decreta de Scriptura et traditionibus capita, ac de ipso decreti titulo quaestiones ventilatae; haec enim Acta Congregationis generalis referunt. « Fesulanus se decretum probare dixit, si tamen illa verba demerentur, videlicet *praesidentibus in Synodo tribus Apostolicæ Sedis legatis*, quoniam haec nullo veterum exemplo addita fuissent. Cui eum episcopus Aquensis respondere coepisset, cardinalis S. Crucis dixit: Ne velitis hunc frustra laborem sumere, quoniam ego in vetustissimis quibusque Conciliis hoc observatum fuisse Fesulano ostendam. Cui Fesulanus: nullibi in Conciliorum decretis ostendi potest de legatis Sedis Apostolicæ factam mentionem. Cardinalis S. Crucis: Hoc, inquit, accidit, quoniam omnes canones uno die simul promulgabantur, et propterea satis erat in principio sessionis de ipsis legatis semel fieri mentionem, at hic, cum separatim

fiant decreta, in unoquoque de legatis Apostolicæ Sedis fieri mentionem oportet.

37. « Fanensis episcopus acriter decretum impugnavit, primum quod iniquum videbatur dicere, nos pari pietatis affectu, et Scripturas sacras, et traditiones Ecclesiasticas suscipere. Sunt enim (inquit) inter has nulla discrimina; Scriptura enim sacra indelebilis est penitus, et traditionum Apostolicarum pleraque mutabiles sunt, et pro arbitrio Ecclesiae tolli et immutari possunt: et quamvis ab uno Spiritu profecta, non tamen aequali gradu habenda sunt, quoniam omnis veritas a Spiritu sancto est, et tamen non omnis Scriptura veritatem continens pariter est potestatis. Præterea cum suscipiamus Apostolorum traditiones non scriptas in libris sacris ad eum effectum ut dogma contineamus, quod directe contrarium sit dogmati Lutheranorum, qui dicunt, nihil tenendum esse, quod non sit in sacris litteris scriptum; quare non potius dicendum est hoc modo, videlicet: Item, quoniam haec sancta Synodus scit quamplura alia esse a Spiritu sancto dictata, quae in sacris litteris non sunt prodita, propterea illa quoque suscipit et veneratur; nam hoc modo melius Synodi intentio explicatur, et ansa calumniantibus auferitur: nam statim quod traditiones Apostolorum a nobis ita receptas viderint, dicent: Quas traditiones isti suscipiunt, quarum ipsi violatores existunt? Nam certum est communicare hominem sub utraque specie, ut stantes a Paschate ad Pentecosten, ut adversus Orientem oremus, traditiones esse Apostolicas, quarum aliqua consulto mutatae sint, aliqua vero Christianorum socordia relictae. Nec satis tuti videmur, respondendo, quod recipimus eas dumtaxat, quae ad nos pervenerunt; quoniam adversarii dicent factum per nos esse, quominus pervenirent; et propterea dicent nos eas traditiones suscipere, quas volumus; quas vero nolumus, excludere ».

XXVII Martii collectae sunt tandem controversae difficultates, atque in schedulis ad Patres singulos missis descriptae, ut eas diligentissime expenderent.

Ea dubia fuere numero tredecim, quorum praecipua haec fuere: « An satis sit, eum de traditionibus Apostolorum fit mentio in decreto, agnoscere tales esse in Ecclesia; an vero per hoc decretum sit statuendum eas esse et recipiendas esse.

« An placeat dici, quod in decreto est scriptum, eum de libris sacris et traditionibus Apostolorum fit mentio, quibus par debetur pietatis affectus: an vero haec verba sint expungenda, et alia illorum loco addenda, quae debitam utriusque reverentiam adhibendam expriment ».

38. Legati deinde Pontificem enixe rogarunt, etc. ut promovenda sanciendaque disciplina Ecclesiastica adeo strenue operam daret, ut illa Christiani orbis expectationi concepta

responderet. Quibus xxviii Martii Pontificio nomine cardinalis Farnesius responsum dedit, nil gratius Pontifici accidere posse, quam ut extremo hoc vitæ suæ eadentis flexu deletum omne corruptelarum genus, ac primariam Ecclesiasticæ disciplinæ sanctitatem suo splendori restitutam intueretur; verum admonuit, ut in ea controversia nil penitus decernerent, nisi antea rem totam Pontifici detulissent, addidit etiam se mittere autographum illius Diplomatis, quod in Concilio Florentino ab Eugenio IV Pontifice editum fuerat, de quo mota fuerat in congregatione generali a nonnullis controversia.

39. Prima Aprilis summa Patrum consensione confectum est decretum, quo Scripturarum et traditionum Apostolicarum auctoritas asserta est, iterumque de corruptelis in vertendis vel invertendis et evertendis Scripturis actum est, de quibus Acta hæc addunt¹:

« Expedito decreto, cardinalis de Monte: Adhuc, inquit, restat, ut de abusibus Scripturarum, de quibus toties facta est mentio, agamus ». Et mox: « Cardinalis Giennensis: Multa habeo (inquit) quæ me dubitare faciunt, in primis mihi parum provisum videtur circa multiplices translationes Bibliæ, nisi post hujus Vulgatæ approbationem rejiciantur omnes aliæ editiones, itemque hæreticorum omnes translationes damnentur. Cui episcopus Fanensis unus ex deputatis: Si placet, inquit, ego facile has dubitationes resolvam: nam advertendum est, quod nos non dicimus pro abusu diversas et varias esse Bibliorum translationes, quoniam et hoc semper antiquis temporibus toleratum fuit et hodie tolerari debet: sed dicimus abusum esse, plures hujusmodi translationes ut authenticas afferri, quibus in disputationibus, interpretationibus et prædicationibus utantur: nam unam solam authenticam esse volumus Vulgatam editionem, tum quia antiqua est et semper in manibus Christianorum habita, tum etiam ne adversariis ipsis detur ansa dicendi, nos hæctenus libros non probos habuisse; si enim, inquit, libros bonos non habuerunt, quomodo bona dogmata et bonas ceremonias habere potuerunt? alias autem non rejicimus, quoniam volumus Christianam libertatem restringere, imo ne hæreticorum quidem translationes rejicere volumus, idque exemplo veterum, nam constat Aquilam, Symmachum, Theodosionem hæreticos quidem fuisse, et nihilominus ab illa antiqua Ecclesia non fuerunt rejectæ illorum translationes. Accedit ad hæc, quod nondum illi, qui translationes fecerunt, fuerunt hæctenus palam ut hæretici publici.

40. « Tunc cardinalis Giennensis: Est et aliud

quod me torquet, nam vultis Vulgatam editionem recipere, et dicitis illam mendosam esse: hoc mihi implicat contrarietatem. Cui Fanensis episcopus: Non dicimus, inquit, Vulgatam editionem corruptam esse, nam illam integram et incorruptam habemus; sed dicimus aliquos ex libris, qui circumferuntur, mendosos esse, quod minus inconvenit, neque decreto nostro contrariatur: emendationem autem in sanctissimum D. N. ideo rejecimus, quod cum ad ipsam faciendam tria requirantur præcipue, scilicet Codicum antiquorum copia, multa hominum doctorum peritia, denique vero maxima pecuniarum quantitas, habemus nos dumtaxat ex his tribus unum, scilicet peritorum copiam, exemplaria autem pecuniasque non habemus, quæ tamen omnia Optimo Maximo Pontifici facile adsunt.

« Tunc Giennensis: Non adnotatum est, inquit, inter abusus hujusmodi translationes in linguam vulgarem, cui cum Fanensis respondere vellet, cardinalis de Monte dixit: Non est alicujus novas questiones proponere, sed nostrum id est munus, et id, cum tempus erit faciendi, faciemus ».

41. Nonnullis interjectis subjecit Giennensis: « Plura sunt, quæ in hac abusum collectione me offendunt; et in primis mihi videtur, quod recipere hanc Vulgatam editionem pro authentica, et non rejicere alias, sit nihil agere: propterea desidero, ut omnes aliæ editiones et translationes, etiam illæ septuaginta Interpretum, rejiciantur, et ejiciantur illæ, quæ ab hæreticis translatae fuerunt, sed ante omnia desidero, ne recipiatur Biblia, nisi optime prius expolita, et ad normam veterum exemplarium emendata: cujus emendationem hic magis per deputatos ab hac sancta Synodo, quam Romæ fieri cupio ». Et intra: « Cardinalis de Monte dixit: Queritur tantum an una Biblia, id est, Vulgata editio, quam emendatissima haberi et probari debeat pro canonica. Et quod dictum est de remittenda emendatione illius ad Sanctiss. D. N. est dictum pro facilitate materiae, non enim aliud est Pontifex, aliud est Synodus, sed utriusque unum est corpus cujus ipse papa est caput, quem hic representamus.

42. « Tertia Aprilis habita est Congregatio generalis, in qua (inquit Acta²) conclusum fuit recipiendam esse Vulgatam editionem Bibliæ, et alia, quæ circa reformationem in quarta sessione promulgata fuerunt. Item demandatur cura conficiendi decretum super his abusibus eidem patribus, qui eos collegerunt, de quibus supra in Congregatione habita die v Martii ». His addunt Acta³ Congregationis tertia Aprilis habita:

¹ Acta Congr. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sen. num. 1799, p. 57.

² Ms. arch. Vat. sig. num. 3232, p. 431. — ³ Ms. arch. Vat. sig. num. 3239, p. 171.

« Valde discussum fuit a Patribus, an ipsa sacra Scriptura verti deberet in linguam vernaculam, nonnullis id enixe petentibus, atque ut a sancta Synodo decretum fieri deberet, multis rationibus contententibus, ne praesertim, qui linguam Latinam ignorant, lectione sacrarum Scripturarum careret, ac aliquibus etiam suadentibus, ut Missa, lingua, quam populus qui adstat, intelligeret, celebraretur, ut quoties a sacerdote invitatur, respondere posset, alias vel omnino taceret, ut solet ».

43. Visum est Patribus nil in ea re novandum, cum plurimae rationes afferri possent, eam tantum referemus ¹, quam afferit Stanislaus Hosius cardinalis Varmiensis in tract. de Sacram. Euchar. « Ne existimet aliquis temere sic sine causa factum esse, quod una et sola lingua Latina in Occidentali Ecclesia sacra peraguntur, in qua sicut una est fides, ita visum est aequum, ut una esset quasi Catholica lingua, communis omnium gentium et nationum, qua res divina fieret, per quam etiam unitas fidei relinqueretur, etc. ».

44. Proxima congregationi generali interfuit Franciscus e Toletio Caesareus orator, atque ad Patres orationem multis honestissimis officii ornatam habuit, quae ab his verbis duxit exordium : « Caesarea majestas eximio illo amore et studio, quo universam rempublicam Christianam sedulo fovere solet ac prosequi vos omnes, o reverendissimi domini, quotquot in hac sacrosancta Synodo in fide et sinceritate Evangelica estis congregati, officiosissime per me salutato esse voluit in Christo ». Pluribusque verbis in laudes Caesareas effusus addit : « Quod reliquum est, Patres amplissimi, praesules vigilantissimi, Dominum Deum communibus votis omnes oremus, ut istis vestris tam sanctis, tam piis conatibus, divino suo numine aspirare dignetur, et quod hujus negotii praecipuum caput est, robur et stabilitamentum, sanctissimum dominum nostrum Paulum III et invictissimum Caesarem in hac tam pari et germana quadam animorum conformitate quam diutissime conservet, qua ipsi inter sese mutuo conjunctissimi omnes rationes, consilia, studia, conatus et vires suas ad asserendam Evangelicam libertatem conferunt, ut quaecumque saeculi malignitate, morum corruptela, vite licentia, vitiorum omnium seminariis, in Christi sponsa Ecclesia foedata sunt, in pristinum illum candorem restitui possint, atque utriusque solerli industria, diligenti cura, sedulo labore, ex agro Domini omni convulsa zizania, omnes errorum caligines ac tenebrae profligatae ad coruscantem Evangelii lucem tamquam umbrae evanescant ».

Lecta ea propositione, cardinalis de Monte

legatus, ex consensu Patrum, ita respondit ¹ : « Gratissimum esse sanctae Synodo adventum ipsius domini oratoris, libenterque et grato animo audivisse augustissimi imperatoris mandatum, et suae Caesareae majestatis optimam mentem erga religionem Christianam et hanc sanctam Synodum ; de quo gratias Deo Optimo Maximo et ipsi Caesari agit. Quod vero ad propositionem ipsius domini oratoris, Sanctam Synodum daturam ei esse responsum in proxima Congregatione ».

45. Addit in Actis Angelus Massarellus se postea legisse decretum de sacris libris et Traditionibus Apostolicis suscipiendis, idque in examen adductum ; postea lectum aliud decretum de corruptelis sive abusibus circa sacros Libros. Sexta Aprilis die congregatas esse praesulum classes pro responso oratori Caesareo dando, ac die septima Congregationem generalem habitam esse, ac post peractam rem divinam precesse repetitas, responsum hisce verbis redditum fuisse : « Illustrissime domine orator, adventus dominationis vestrae huic sacrosanctae Synodo gratissimus est, tum propter eam observantiam, qua merito augustissimum imperatorem Synodus ipsa prosequitur, tum propter favorem, quem de piissimo animo majestatis suae in tam sancto et universo Christianae reipublicae salutari opere sibi firmissime pollicetur ; in qua etiam dominationis vestrae praesentiam ob praestantes ejus animi dotes, et religionis studium plurimum adjumenti allaturum sperat, quare et dominationem vestram grato ac benevolo animo amplectitur, et mandata Caesareae majestatis per eam exhibita et producta quantum de jure admittit ». Ea verba ita expressa referunt alia Acta ² haec de causa :

« Quoniam in mandato ipso aeral, ut ipse orator in omnibus congregationibus et sessionibus admitteretur, etiam ad interponendum votum et decretum Caesareae Majestatis, quod a jure absoum est ». Paucis interjectis verbis in eodem responso haec adjecta : « Pro conjuncta vero ipsius augustissimi imperatoris cum sanctissimo domino nostro Paulo III Pontifice maximo in orthodoxa fide et religione nostra tenenda et conservanda voluntate, omnipotenti Deo omnium bonorum operum auctori, quantas maxime potest gratias agit, quem assidue precabitur, ut piis utriusque studiis, ad ipsius omnipotentis Dei laudem et gloriam, Religionis Christianae incrementum, Ecclesiae pacem, prosperumque in omnibus et oplatum ipsius sanctae Synodi recessum aspirare dignetur ».

46. Rogate deinde fuere Patrum sententiae circa decreta in proxima sessione promulganda, communicque consensione confirmata fuere. Dissidente tamen ac inhoneste repugnante

¹ Hosius card. Varmien. c. 41, confess. Cathol. p. 121.

² Ms. arch. Vat. sig. num. 3232, p. 136. — ³ Ibid. p. 139.

episcopo Clodiensi, qui in ea parte decreti, qua refertur Scripturam et Traditiones recipi *pari pietatis affectu et reverentia* prolaturus sententiam, dixit se ea verba ut impia rejicere, nec eundem pietatis cultum atque affectum debere traditionibus Apostolorum, et sacra Scripturae, etc.

17. Fascinatus ille erat fallaci atque nefaria recentiorum veterumque hæreticorum opinione, qui ut Scripturam sacram in alienum sensum distorterent, traditiones Apostolicas rejecerunt: non perpendebat Evangelium, non scripto primum instar Mosaicæ legis promulgatum, sed verbo, propagatamque fuisse fidem Christianam primum verbo et traditione ab Apostolis, antequam Evangelia et reliqua Instrumenta Christianæ legis scriberentur. Non perpenderat quod dictum erat a divo Paulo, Ep. II ad Thesalon. cap. II: *State et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam*; iterumque I ad Corinth. cap. XI. vers. 2: *Lauda vos, fratres, quod per omnia meæ memoræ estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*; ac postquam Apostolus toto eo capite de Sacramento Eucharistiæ dissererat, demum in ultimo versu addidisse: *Ceterum cum venero disponam*. Ex quibus verbis colligit Augustinus in Epistola ad Januarium, ordinem qui in celebrando sacrificio universa per orbem tenet Ecclesia, tum a D. Paulo, tum ab aliis Apostolis fuisse institutum: nec enim decebat, ut singula scripta consignarentur, ne margarite (ex Christi monito) projicerentur ante porcos. Non perpenderat Clodiensis Scripturae auctoritatem traditione niti, verumque Scripturae sensum traditione teneri; non enim verbum Filii cum Patre consubstantialis, quo Ariana hæresis jugulata est: nec illud dogma, Deum esse unum in natura ac trinum in personis, nec etiam ipsum personæ vel hypostaseos nomen in Scriptura haberi. Non distinxerat alias traditiones spectare ad fidem, alias ad religionem, alias ad ritus sive carimonias, et priores immutabiles, de quibus agebat Synodus, alias jure positivo nixas pro varia temporum occasione mutari posse, ut modo præcepta fuerit laicorum communio sub duplici specie, alias sub una tantum; ita præceptam a sanguine et suffocato abstinentiam, deinde vero sublatam. Ideo merito a Patribus correctus fuit, ut legati in Epistola octava die Aprilis Romam directa Pontifici renuntiarunt.

18. *Sessio quarta in qua edita sunt decreta de canone Scripturarum, de authenticitate Vulgate, et de penis in typographorum avaritiam et temeritatem.* — Celebrata est quarta sessio octava die Aprilis, cui præter legatos, et Tridentinum ac Giennensem cardinales, Casareumque oratorem quinquaginta quinque præsulæ mitrati, et præpositi generales interfuerunt (1). Sacrum de Spiritu sancto ab archiepiscopo Turritano celebratum est, et oratio habita a Francisco Augustino Bonuccio¹ Generali Servorum B. Mariæ, in qua Dæmonis Lutheri opera adversus Ecclesiam nefanda molimina hæc apostrophe ita expressit: « Novum nactus es Judam, jam in novum ingressus es apostatam, qui simulato osculo et ficta salutatione Christum prodere non veretur, falsum sane illum discipulum nostris his temporibus verbum Dei, cuius est sceleratissimus corruptor, prætendentem, et Evangelii titulo dicentem ea, quæ recto, ut aiunt, diametro cum Evangelio pugnant, numerosam habet cohortem fastibus et armis instructam, nempe auctores sectarum propriis furoribus, quæ carnis sunt docentes etc ».

Ubi ab eo peroratum est, inquit Angelus Massarelli²: « Publicantur duo decreta, in quorum primo recipiuntur et numerantur libri sacri et canonici Veteris et Novi Testamenti. Item, recipiuntur traditiones Apostolorum. In secundo autem decreto, recipitur Vulgata editio Bibliæ pro authentica. Item, corriguntur quidam abusus qui circa dictam sacram Scripturam orti erant, videlicet circa interpretationem ipsius sacrae Scripturae. Item circa impressores et modum imprimendi dictos sacros libros: decretum autem primum erat infrascripti tenoris:

« Sacrosancta OEcumenica et Generalis Tridentina Synodus ». Et infra: « Orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero

¹ Aug. Bonucius Gener. Servorum in serm. habito die VIII Apr. MDLXL. Ms. Vat. sig. num. 3190. p. 91. — ² Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. et alud sig. num. 3219. Angel. Massarelli. in Diario Conc. Trid. p. 39.

(1) In numero Patrum sessionis hujus omnino corrigendus annalista: supputat tantummodo 55, Snavius cardinales quinque et episcopos 48 exhibet. Verum Carthagothe Patres convenisse scribit duos supra sexaginta, doctores vero quatuor et triginta. Idemque scriplor totum recitat orationem Augustini de Arrebo ad Concilium, in qua vir pius monendos Patres illos censuit ut decernat illa vel probare vel damnare studeant, quæ fidei et moribus aut plane consona, aut plane repugnantia offenderent, ut ita relinquentes ea quæ inter doctores Catholicos salva fide in utraque parte disputantur. Neque enim decreto ad Concilium eorum mores septi, qui si contrarium aliquod doctrinæ, quam semel in scholis perhiberent, audierint, statim velint imponi et Lutherianum dogma traducunt et detestantur.

Addeuntur hic pariter cæno numerum eorum omnium qui sessioni A interfuerunt, eorumque etiam aliam Patrum numerum et apud Pallavicinum cæterosque Aetorum Comitiu scriptores occurrunt: attamen Carthagotheus doctores supputat, quos reliqui præterunt. Ita ergo scriptor ille: « Adfuerunt patres sexaginta quinque », quot admissam reddidit summa eorum Patrum quos in suas classes enumerat. MASS.

Librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti, Testamenti Veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, nemon Esdræ primus, et secundus qui dicitur Nehe-mias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae Minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabeorum primus et secundus. Testamenti Novi, quatuor Evangelia secundum Matthæum, Mar-cum, Lucam et Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epi-stolæ Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Phi-lippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessaloni-censes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit ».

50. Ad reprimendam etiam eorum temerita-tem, qui divinæ Scripturæ oracula in sensus contrarios iis, quos tenet Ecclesia, detorque-rent, hæc sancita a Synodo: « Ad coercendam petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et morum ad ædificati-onem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu et in-terpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo un-quam tempore in lucem edendæ forent; qui contravenerint, et per ordinarios declarantur, et pœnis a jure statutis puniantur ».

51. Interjectis nonnullis, ad fræuandam typographorum avaritiam, qui sine præsulum venia expositiones in sacros libros typis excu-dunt, vel pretio distrahunt, pœnæ a Lateranensi Concilio in eos constitutæ, instauratæ sunt. Veliti sunt fideles sacris oraculis, vel ad facetias et scurrilitates, vel ad magicas artes abuti.

« Temeritatem (inquit) illam reprimere vo-lens, qua ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ,

ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diaboli-cas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usur-pare, et ut omnes hujus generis temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coercerantur, etc. » Ultimo canone quinta sessio in feriam quintam post festivam Pentecostis celebritatem indicta est.

52. *Litteræ Caroli V procuratorem Casarem constituentis.* — Demum perlectæ sunt lit-teræ Caroli V¹, amplissimis titulis relectæ, qui-bus Jacobum Mendozam procuratorem Casarem in Synodo constituerebat.

« Carolus V, divina favente clementia Ro-manorum imperator Augustus, et rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Jerusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, insularum Bale-ariarum, Sardiniae, Fortunatarum insularum, ac terræ firmæ maris Oceani, etc. Archidux Aus-triæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Lothrici, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Witem-bergiæ, comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Arthesiæ et Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Riburgi, Namurci et Zuthphanæ, lantgravius Alsatia, marchio Burgoviæ, et sacri Romani imperii, et princeps Sueviæ, etc. dominus Frisiæ, Molinæ, Salina-rum, Tripolis, et Mechliniæ, etc.

« Recognoscimus et commendamus memo-riae universis quibus expedit. Cum beatissi-mus in Christo pater et dominus, dominus Paulus III, divina providentia sacrosanctæ Ro-manæ Ecclesiæ Pontifex Maximus, OEcumenici Concilii celebrationem aliquandiu suspensam jam denuo instituerit, ac sublata et remota ea suspensione, ipsius Concilii prosecutioni aliam diem, nempe quartam Dominicam hujus immi-nentis Quadragesimæ in civitate Tridentina præfixerit, nosque cum per litteras tum per nun-tios rogaverit, ut vel personaliter, vel per orato-res nostros idoneos adesse et assistere velimus; nos vero jam olim ipsius Concilii celebrationem votis omnibus, et expectaverimus, et quantum in nobis fuit sollicitè procuraverimus, et per no-stros oratores solemnes Tridenti comparuerimus; proinde quamvis alioqui justis impedi-mentis detineamur, quominus principio Con-cilii adesse possimus, tamen ne quid moræ aut difficultatis per nostram absentiam injiciatur, neve in verbis quidpiam desideretur, quod ad rem juvandam pertinere queat, idcirco confisi de singulari pietate, religione, fide, probitate, eru-ditione, judicio, et multarum rerum experientia venerabilis devoti nobis dilecti domini Jacobi a

¹ Est. etiam in Ms. arch. Val. sig. num. 3219, p. 183.

Mendoza consiliarii et oratoris nostri apud Venetos, eundem dominum Jacobum oratorem, nuntium et procuratorem nostrum fecimus, constituimus et deputavimus, ac tenore presentium ex nostra certa scientia facimus, constituimus et deputamus, dantes ei plenam potestatem et facultatem una cum amplo et libero mandato, citra tamen aliorum nostrorum procuratorum et mandatariorum jam constitutorum et constituendorum revocationem vel prejudicium, ut nostro nomine prefata Concilii celebrationi intervenire, atque adesse et interesse, locum et vices nostras in omnibus sessionibus, consultationibus, deliberationibus et actibus obtinere, et gerere votum, et decretum nostrum interponere, atque alia omnia agere, facere, dicere, gerere, tractare, procurare et promovere possit et valeat, quæ ex usu republicæ Christianæ et dignitate nostra fore videbuntur, quæque nos ipsi facere, dicere, gerere et tractare possemus, si coram presentes essemus, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigenter magis speciale quam hic expressum est; habituri proinde ratum et gratum quidquid per prefatum oratorem, procuratorem et mandatarium nostrum præmissis modo actum, dictum, gestum, factum et procuratum fuerit, dolo et fraude remotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cesarei appositione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellensi die xx mensis Februarii anno Domini mdcxv, imperii nostri xxv, et regnorum nostrorum xxx.

« CAROLUS ».

Addit Angelus Massarellus se perlegisse aliud mandatum Cesareo Francisco a Toledo traditum, ut Jacobo a Mendoza morbo implicito Casarcas vices gereret, quod hac loci et temporis nota consignatum erat: « Datum in civitate nostra Trajectensi die altero mensis Februarii anno Domini mdcxvi, imperii nostri xxvi, et regnorum nostrorum xxxi ».

53. *Vulgata translatio Roma semper in usu fuit, et nunquam in suspicionem hæretici erroris adducta.* — Cum decreta hujus sessionis Romam perlata fuissent, quibus maxime Vulgata editio Scripturæ a Concilio recepta fuerat, nonnulli expostularunt, cur in eo decreto de emendatione errorum, qui in illam irrepserant, actum non fuisset; quorum expostulatio cum a cardinale Farnesio cardinalibus legatis significata fuisset, hoc illi responsum dedere: Reverendissima vestra dominatio sciat, plurimos doctores Hispanos, Gallos atque Italos, theologos tum ex diversis Academiis, tum ex pluribus religiosis familiis prædicatorum, ac S. Francisci, aliorumque ordinum, opinatos editionem Vulgatam Latinam a S. Hieronymo confectam fuisse, multaque argumenta ad id comprobandum cumulasse; alios vero id non approbasse,

omnes tamen in hoc consensisse, editionem Latinam, qua Romana Ecclesia semper usa est, præ omnibus aliis firmiorem esse gravioreque auctoritate pollere, ac nunquam pravitate hæreticæ nota perstrictam, quamvis in aliquibus versibus a textu Hebraico et Græco discrepare videatur, ejusque stylus humilis sit nec careat alicujus vocis barbæræ labe. Porro hæreticos alia sacræ Scripturæ volumina variis in locis corrupisse: atque adeo non alio confugiendum esse, quam ad observantiam legemque ejus Ecclesiæ, quæ imperii Christiani caput est, et quæ singulari divina gratia confirmata, fidem ab omni erroris labe purissimam semper servavit, perpetuamque ac nunquam interruptam Pontificum successionem tenuit. Vulgatam itaque Latinam editionem receptam cum maxime auctoritatis prærogativa, non tamen alias editiones damnari, modo Catholica doctrina consentiant, aut Vulgatam illustrent. Addidere demum, errores, qui exscriptorum vitio irrepserunt, Pontificio studio ac diligentia emendandos, nec Synodum illius subsidio defuturum.

54. Assensit Pontifex Biblia sacra ab erroribus, qui vitio exscriptorum aut typographorum irrepserant, vindicanda, decrevitque, ut rei in opus provocandæ strenua ac diligentissima opera daretur; cujus pium consilium legati meritis laudibus commendarunt; cum hæretici sathanico furore ad conciliandam nefandissimis suis erroribus auctoritatem apud ignarum vulgus, novas in dies ex Hebraico et Græco idiomate translationes impietate iniquatissimas, licet Latini sermonis elegantia perpolitans mandarent typis: cum e contra Vulgata translatio, licet minus tersa, nunquam antea nisi ab hostibus Ecclesiæ recentioribus, in suspicionem hæretici erroris adducta fuisset; cujus veritas flagrantissimo pietatis studio adversus novatores, qui eam ex Hebræo et Græco sermone emendare affectant, asserenda sit, quamquam si qui illis textus obscuri videantur, liceat eos ex Hebræo et Græco textu, theologis et sacris interpretibus illustrare, ad majorem lucem affundendam Catholicæ veritati, quæ sæpe magis inclarescit simpliciter ac agresti sermone, quam perpolitato et phalerato: quod cardinalis Baronius in Annalibus ex sanctorum Patrum decretis antiquissimis demonstravit.

55. *Vera libertas et zelus sincerus in Synodo Tridentina.* — Refellendæ hoc loco videntur calumniæ hæreticorum effusæ adversus Concilium Tridentinum, inter quos Petrus Soavius libertatem Concilii a Pontifice legatisque Apostolicis violatam conqueritur, quasi Patres Tridentini servitute premerentur, eo quod Pontifex quæ agenda forent legatis præciperet, illique e Pontificio natu penderent. Sed ne hujus hæretici aculeatis dictis ac laqueis prudens lector irretiat, revolvat, quæso, Oecumenicorum

Conciliorum codices, ac præcipue sextæ Synodi Acta, instructiones Pontificias legatis traditas sedulo animadvertat, quibus præcipiebatur, ne limites ipsi præscriptos transirent, neque in Concilio alia decerni permetterent, nisi ea quæ a Romana Sede Apostolicaque auctoritate sancita erant. Perpendat aliam esse libertatem carnis, quam affectant hæretici, aliam spiritus, quam commendat Apostolus : nam et *ubi Spiritus, ibi libertas*. Omnia enim in Concilio debita directione atque ordine pertractanda erant : cumque Pontifex sit caput visibile Ecclesie militantis, et monarchicum teneat imperium, ad eum pertinere directionem Concilii, et quæ sint excutienda ac decernenda proponere perspicuum est; nam si quisque episcopus sibi arrogaret jus proponendi quæ vellet, tum maximæ turbæ inducta anarchia concitarentur : ac præterea nec inique correpti fuere aliqui episcopi, cum absona vel aliena a rei veritate in Concilio effutirent; nec legati ea dicta corrigendo male libertatem sustulere; quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt; sed de hoc alibi occurret sermo.

56. Absolutis sessionis quartæ actionibus legati Romanis, qui de variis corruptelis conquesti erant, responderunt : Datarie reformationem opere potius quam Diplomate perficiendam : cathedrales sine prævio debito examine et informatione minime conferendas; ad illas, quarum nominatio ad principes pertinet, viros ætate jam adulta, doctos et graves promovendos, ita tamen ut velint ac possint in iis residere; Ecclesiarum pluralitatem etiam in cardinalitio ordine, qui aliis virtutis normam præferre debet, omnino auferendam. Quantum ad episcopos spectat, ipsis residentiam non solum ex honestate, verum etiam ex necessitate præscribendam. Quamvis autem episcopalis potestatis exercitium a regularibus, a dominis temporalibus, atque ab ipsamet Apostolica Sede persæpe impediatur, ideoque præsules a suis sedibus crebro removeantur : attamen opportunitam aliquam regularium cum episcopis conventionem opera ac studio præpositorum suorum generalium in Synodo præsentium pertractandam; necnon contra dominos sæculares jurisdictionis Ecclesiasticæ usurpatores sacrorum canonum constitutiones instaurandas. Ias vero, necnon alias corruptelas sublatas suis locis visuri sumus.

57. *Pauli ad Helvetios hæreticos litteræ quibus ad officium illos reducere tentat.* — Collocabat interea omnem operam Paulus Pontifex flagrantissimo pietatis ardore, ut extinctis hæresibus omnes populos ad Ecclesie conjunctionem revocaret : quare Helvetiis, qui antea multis rebus præclare gestis in bello pro Ecclesiastica libertate suscepto a Julio II Pontifice maximam nominis gloriam collegerant, cum

sua nationis ordinum celebres conventus agerent, Paulus amantissimis litteris eos provocavit, ut pro æterna animarum salute comparanda, parentum exemplo, qui nunquam a religione Catholica defecerant, redirent in sinum Romanæ Ecclesie, ac pro componendis dissidiis, excipiendis Concilii Tridentini decretis, oratores ad illud mitterent, cum jam ante illud congregari ardentibus votis expetiissent ¹ :

« Dilectis filiis Helvetiis Ligæ superioris Atemaniae Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in dicta congregandis.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Magno in dolore animique nostri anxietate sumus, quod præter eam, quam omnium Christi fidelium animarum curare debemus, salutem, vestram fortissimam nationem Sedi Apostolicæ specialiter devotam, titulumque meritam Ecclesiasticæ libertatis defensorum, jamdudum divisam ac scissam inter se novis in religione videmus, cum quidem antea in religione concors et unanims, et robore esset et auctoritate apud omnes insignis : itaque, quod ad nostrum officium et in vos paternum amorem pertinet, non destitimus crebris litteris et mandatis per dilectum filium Hieronymum Franchum nuntium nostrum vos hortari, ut in pristinam sanctæ fidei unitatem, et veterem concordiam, per quas vestra in tantum creverat existimatio, redire velitis, congruentes cum patribus et majoribus vestris, qui ex quo Christianam fidem acceperunt, nunquam illam deseruerunt, aut ulla sui parte imminerunt, sed constanter in omni tempore retentam pie conservarunt, cumque laudabilis et pia responsio vestra ad nos fuisset perlata, quod cuncta super religione ad universale Concilium Tridenti indictum essetis rejecturi, ejusque determinationi obedienter acquiescitur, dici non potest quam illa voluntas ac pia intentio vestra fuerit nobis jucunda et grata. Ecce igitur, filii dilectissimi, advenit tempus sponsonis vestræ, et tempus acceptabile, tempus non solum salutis, verum etiam tranquillitatis vestræ, ipsum enim Concilium Dei munere jam apertum et celebrari cæptum, Gallisque, et Hispanis, atque Italis cæterisque prelati in dies confluentibus frequens habetis, a quo remedium vestrarum in religione dissensionibus et petere et obtinere potestis, si ad illud, quemadmodum promisistis, accedere volueritis : vos igitur per illum, qui nos pretioso suo sanguine redemit, commune Dominum Jesum hortamur et rogamus, ut ad ipsum Concilium vestros oratores quamprimum mittere velitis, pro medela et remedio vestris dissensionibus humiliter implorando. Nos enim in Domini misericordia speramus, si sanctam et spirituales ejusdem Concilii disci-

¹ Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 271.

plinam, ut vos decet, admiseritis, nec obicem divinæ gratiæ opposueritis, futurum, ut salutis, quietis et tranquillitatis vestræ fructum optatum inde referentes, atque in unum religionis consensum unanimes reversi, et pietate apud Deum et auctoritate apud homines, ut prius, polleatis; nosque, qui nemini prædecessorum nostrorum in benevolentia erga vos cedimus, vestra concordia et pietate lætemur, ac tanquam filios peculiare hujus sanctæ Sedis omni nostra charitate et favore semper prosequamur, quemadmodum hæc plenius et particularius idem noster nuntius vobis explicabit. Datum Romæ die XI Aprilis MDCXLVI. anno XII.

58. Extant aliæ ad eosdem eodemque argumento exarate litteræ, quibus dolet aliquorum impiorum insidiis ac dolis magnam gentis Helveticæ partem fuisse ab obsequio Romanæ Ecclesiæ divulsam, provocavitque ipsos ad exempla majorum, qui post acceptam fidem Christianam summa constantia Romanæ Ecclesiæ adhæssissent, hortatusque est, ut Concilii Œcumenici, quod regi solet a Spiritu sancto, auctoritatem sequerentur¹ :

« Dilectis filiis tredecim Cantonibus Helvetiorum Ligæ superioris Alemantiæ, libertatis Ecclesiasticæ defensoribus.

« Dilecti filii etc. Pro nostra perpetua et prædecessorum nostrorum erga devotiones vestras, totamque istam fortissimam nationem benevolentia, quæ facit, ut semper nos vestri memores, vestrorum commodorum atque honorum summam rationem habeamus, non dubitamus quin vobis quoque in animo et in memoria infixum sit, quanta fuerit semper inter vos et hanc sanctam Sedem conjunctio, quod mutui amoris vinculum, quam multa indicia benevole utrinque et beneficiæ voluntatis, cum nos semper nostris iudiciis nostrisque stipendiis vos honestaverimus: vestra fides nunquam prædecessoribus nostris, et nobis ulla in temporum varietate defuerit, atqui hanc tantam et tam arctam inter nos amicitie conjunctionem, quæ utrique parti et honori fuit semper et commoda, fuerunt tamen vafri et insidiosos homines perturbatores legum, morumque bonorum, iidemque sanctæ Catholicæ et Apostolicæ religionis corruptores, qui separare et convellere conati sunt, quibus tantum favit perfidus humani generis hostis, ut ex ista fortissima et nobis charissima natione aliquos a nobis poluerit avellere magno cum dolore nostro, tanquam e sinu et complexu amantissimi patris dilectissimos filios, quorum jacturam atque damnum etiam nunc lugere et lamentari non desistimus, desiderantes Deo restitui et nobis, quos nostra cura, diurnaque et nocturna cogitationes, omni-

lationibus requirunt: illud tamen Deo, ejusque divinæ bonitati et clementiæ referimus acceptum, quod bona pars vestrum in fide erga ipsam Deum et erga sanctam matrem Ecclesiam persistit, nec se alienari a cultu veræ et Christianæ religionis passa est, in quo Deus, misericordiæ Dominus, et vobis, qui integri remansistis, de spiritu suæ sapientiæ effudit, et si qui gentis vestræ decepti et induci improborum sermonibus in alienum sensum abierunt, illis tamen exemplum ante oculos positum esse voluit constantioris et melioris partis, per quam aliquando possint facilius respicere et reverti ad eam sanctam fidem, quam patres ipsorum, omnesque avi et majores, perpetuo cursu veterum sæculorum in Catholicæ Ecclesiæ gremio tenuerunt, cujus Dei voluntatis maximum est argumentum, quod pax et concordia inter vos ne dissidio quidem religionis, e quo solent asperissime seditiones oriri, infringi aut violari potuit, quam pacem vestram et conjunctionem nos optimum signum vestræ probitatis et optatæ ac speratæ nobiscum consensionis habemus.

59. « Ac nobis quidem jam inde a nostri Pontificatus initio omnia tentantibus ac molientibus, quo his dissidiis atque hæresum domesticis malis occurreretur, cum et pro pace inter Christianos principes reconcilianda, sicut nolui vobis est, plurimum laborassemus, et lenibus primo remediis, scribendo, hortando, iniquos hæreticorum animos placare studuissemus, postquam cætera non satis processerunt, ad summum et maximum omnium hujusmodi malorum remedium, Œcumenicum et generale Concilium indicendum, devenimus, et quoniam in Germania maxime hæc hæreticorum prava seges pullulabat, locum Concilio habendo Tridentum elegimus, juris et nationis Germanicæ civitatem, ad quam illi commode venire tutoque commorari in ea, et tueri (si vellent) partes suas possent: speravimus enim, id quod erat sperandum, in tanta Concilii generalis auctoritate, cui semper reges Christiani et populi plurimum detulerunt, in tanto conventu venerabilium episcoporum, qui ex omnibus nationibus illic collecti, de summa fide Catholica (auctore Spiritu sancto) essent acturi, neminem fore tanta impietate perditum, qui non se tantæ divinæ magis quam humanæ auctoritati submitteret, qui non rejectis falsis suggestionibus improborum, iudicium universum Catholicæ Ecclesiæ susciperet, quam etiam nunc spem, dilectissimi filii, de vobis retinemus, pacemque illam inter vos, quam omni laude dignam paulo ante diximus, tanquam ansam divinitus nobis datam, accipimus ad conglutinandos iterum vestros cum Deo et nobiscum animos, cum et qui fideles et constantes ex vobis manserunt, hoc certe animo obtemperandi sacro Concilio sint

¹ Paul. III. lib. brev. an. 1546. p. 374.

futuri, et qui non sua culpa, sed quodam credulitatis errore, qui saepe etiam bonis incidit, prolapsi sunt, auctoritatem Oecumenici Concilii, et ejus Spiritus sancti, qui Concilium regit, non contempturi esse videantur, ad quod nos Concilium tanquam ad caelestem senatum quemdam, cui Deus praest, eumque ipsemet et moderatur et gubernat, devotiones vestras, sicut etiam ante fecimus, et invitamus, et adhortamur.

60. « Quod vero nobis praeter omnem spem et expectationem accidit, ut invenirentur inter Germanos, non pauci etiam de numero eorum, qui se dicunt esse principes, qui Oecumenici Concilii gravissimam auctoritatem, potiusque divinam, ut diximus, quam humanam, ita superbe insolenterque despicerent, ut non modo ad id se accessuros negarent, sed contumeliis et maledictis petulantibus atque nefariis omnem Conciliorum sanctitatem improbitissime insectarentur, seque nec Concilii decretis statutos dicerent: id nobis, ut vere loquamur, maxime dolori fuit: vidimus enim hanc perditorum contumaciam summam nobis necessitatem afferre, ut de vi atque armis esset cogitandum, cum nec tantum animarum interitum, quae haereticum venenis quotidie inficiebantur, nec conculcationem totius, non magis Ecclesiastici quam Christiani nominis atque honoris posse minus amplius perferre, quod alterum nobis pastorale officium, charitasque paterna, quam erga omnes fideles Dei filios atque nostros gerimus; alterum locus, atque honor, et summi Pontificatus dignitas non permittebat: sed nobis saepe cogitantibus, quid agendum esset, Deumque precantibus, ut his divini sui consilii nobis lumen afferret, opportune accidit, ut charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus, cujus erga Deum Omnipotentem, et sanctam Catholicam Apostolicamque fidem, singulare semper extitit studium et praestantissima pietas, impiorum sceleribus, ejusdem fere quibus nos offensus, et quod cum Concilium Germanicae nationi ipsius praesertim postulatione et opera a nobis datum esset, qui id contemnebant, ipsius quoque et factum et auctoritatem viderantur contemnere, sicut quidam aperte petulanterque faciebant, armis sibi constitueret violatae fidei Catholicae sanctitatem ac unitatem esse vindicandam, cui nos occasione tanquam nobis a Deo sine ulla dubitatione oblatae studiose nos adjunximus, summi quoque imperatoris optimam voluntatem omnibus nostris et sanctae Romanae Ecclesiae opibus atque auxiliis juvare constitimus, Deo hanc nostram operam et actionem tribuentes, cujus nomen honoremque defendimus, nec volumus committere, ut si leute negligentemque nos geramus, is post tot filiorum animas haereticorum perfidia in interitum adductas, e nostra manu requirat, quem

animum nostrum et totam consilii rationem volumus vobis, dilecti filii, nostris litteris facere notam, primum, ut vobiscum, tanquam cum eis quos charissimos habemus, curas et sollicitudines, quae nos premunt, communicaremus etc. ».

Haesere in pertinacia Zuingliani, Lutheranorum exemplum saeculi, qua enim licentia divina pervertunt oracula, et sanctorum Patrum doctrinam respuunt, eadem Concilii auctoritatem abjecerunt.

XV Aprilis post sessionem quartam habita est congregatio generalis, in qua refert Angelus Massarellus adductum fuisse in examen¹: « Decretum de lectoribus et lectionibus sacrae Scripturae instituendis, et concionatoribus ordinandis ».

61. *Declamationes episcopi Fesulani contra monachos.* — Qua occasione usus Braecius Martellus episcopus Fesulanus, erga Pontificem et religiosos Ordines male affectus, declamavit contra monachos, ut referunt alia Acta: Fesulanus ex scripto sententiam dixit: « Me torquet, ut sit liberum regularibus in suis monasteriis, nec missis, nec vocatis a nobis in nostris dioecesis praedicare, nam hoc si admisimus, Pontifices, quid aliud est, quam pati, ut lupi non per ostium, sed per posticum intrantes, greges nostros turbent. Quapropter rogo vos, Pontifices, ut haec pati nolitis. Quod si secus factum fuerit, protestor quod invitus omnino hoc permittam: verum provocabo ad Christi tribunal, me nihil in hoc peccasse. Super vos igitur erit et culpa et sanguis eorum. Cui suo ordine Britanniensi optime respondisse visus est, inquit enim: Patres, scire nos oportet omnium Christianorum episcoporum esse papam, nos autem in partem ejus sollicitudinis vocatos esse: quomobrem non minus per ostium intrat, qui a Pontifice Maximo mittitur ad nostras oves, quam is, qui a nobis mittitur. Cogitate, si placet, Pontifices ipsos Maximos privilegia ipsa regularibus concessisse propter nostram desidiā, ne dicam ignorantiam; quod ni fecissent, protinus Christi Ecclesia corruisset; sunt enim regulares, qui omne onus episcopale subeunt; nos si quid lueri est, nullo labore suscipimus. Britanniensis sententiam alii quoque secuti fuerunt ».

62. *De episcoporum residentia agitur.* — In congregatione generali decima quinta Aprilis actum fuit de episcoporum residentia, et de tollendis ejus impedimentis: deinde cunctorum Patrum suffragia super duos Scripturarum abusus, scilicet lectionum et concionum, in aliis prioribus conventibus non rite discussos audita fuere. Hoc temporis flexu cardinalis Tridentinus ac Casareus orator nomine imperatoris efflagitarunt, ut in Synodo, praetermissa dog-

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 151.

matum discussione, de vitiiis excindendis et disciplina Ecclesiastica restituenda ageretur : eo enim vergebant studia Lutheranorum, ut damnarentur haereses, et Ecclesiastici cumulatis in eos calumniis vexarentur. Caesar vero Lutheranos asperare verebatur, ne res in apertum bellum erumperet : quare legati misso concitatissimis equis tabellario Pontificem consuluerunt : a quo responsum est, causam dogmatum non praefertendam, ut omnium in Concilio gravissimam.

63. Coactam fuisse Congregationem generalem decima Maii tradit Angelus Massarellus, in qua lectae sunt sententiae collectae in qualibet classe super decreto de lectionibus et praedicatione sacrae Scripturae. Tum vero Petrus Paccichus cardinalis de episcoporum residentia, ac de causa pro instruendo Christiana doctrina populo sermonem intulit, ut referunt Acta : « Omnis substantia hujus rei, ut mihi quidem videtur, est episcoporum residentia ; quae si fiat, omnia, ut optime a domino meo Tridentino dictum fuit, facile praestabimus. Et cum dico residentiam, intelligo ad effectum ut praedicent et officio sibi commissio fungantur. Utinam etiam verum esset, quod Paenormitanus archiepiscopus dixit, ut videlicet jure divino non essemus adstricti ad praedicandum, quoniam bene nobiscum ageretur : verum scimus Paulum sapius dixisse : *Vae mihi, si non evangelizavero* : et alibi, *sumus doctores et pastores* ; quamobrem non opus, ut in hoc nobis nimis indulgeamus, sed sciamus oportet, jure divino nos coactos esse ad praedicandum, quando autem praedicare debeamus, id jure humano statutum est. Debet igitur, meo judicio, sancta haec Synodus in primis et ante omnia renovare canones antiquos super episcoporum residentia per fructuum subtractionem, et per alia opportuna remedia : ita ut si diu ea poena parvipendatur, tandem ad depositionem deveniatur. Et in primis exoretur Summus Pontifex, ne passim indocti ad episcopatum promoveantur, nam haec justa est causa, ut deponi possit episcopus, si litteras nesciat. Memini cum primum promotus fuisset ad Ecclesiam Pamplonensem, audivisse, civitatem illam annis octuaginta ante me non vidisse episcopum summum : quod accidit quoniam episcopatus semper fuit in manibus cardinalium ».

64. Addit Angelus Massarellus ortam fuisse non modicam alterationem de quibusdam verbis prolatis a Fesulano, quod episcopi Christi vicem in terris gerant, sed omnia pacata mox fuisse, quae distinctius in Actis sic referuntur :

« Cardinalis de Monte conversus ad Fesulanum dixit : Domine, altera die divisti appellare ad tribunal Christi, si aliter in re, de qua agitur, statueretur, quam a vobis dictum fuerat : persistisne in illa appellatione? Fesulanus : Oblitus sum, inquit, id dicere. Ego, ut scitis, Patres,

provocavi ad tribunal Christi, non ut provocarem sic ut qui superiorem judicem appellant, sed quemadmodum faciunt, qui suam conscientiam exonerare cupiunt, ejus rei causa perhumane fui hodie a reverendissimis legatis admonitus, qui mihi dixerunt, provocationem ad Christum haeresim sapere, si quis in illa pertnaciter insistat : propterea me declaro, non provocandi et appellandi animo id dixisse, sed ut meam conscientiam exonerarem, et nihilominus ab appellatione ipsa, quatenus appellatio est, desisto, illique penitus renuntio ». Et infra :

« Cardinalis Anglicus ad Fesulanum conversus dixit : Multa bona dicta fuerunt a domino Fesulano, quae et nos et boni omnes aequae secum desiderant ; nam episcopos residere, praedicare, muneri episcopali operam dare non nisi bonum est ; modus autem dicendi nequaquam bonus est, hoc enim magis invectiva fuit quam libera sententia, et seditiosa concitatio quam plana et aequa oratio ; quamvis, si omnia perpendantur, neque oratio ipsa aequae ipsamet satis sibi constat, non videt enim, quod dum proximis diebus curaret, ut nomina legatorum deleterentur ex decretis, et pridie dum ad tribunal Christi appellasset, quantum in se erat, jus et auctoritatem Concilii minuisset, quam maxime debeat extollere, si ex Concilii auctoritate desiderabat pristina jura episcopis concedi et restitui : nunc rursus non cogitat, dum adversus omnes regulares invadit, ut episcopis propria restituantur, hoc unum agere, ut episcopi careant ministris. Utinam enim episcopi sine iis facere possent, quoniam res Christiana melius se haberet, quam se habeat, etc. »

65. *An pertineat ad legatos solos proponere quae in Synodo tractanda sint.* — Significaverunt legati cardinali Farnesio gesta istius conventus, nempe ut decreto de tollendis corruptelis, quae in tractandis sacris Scripturis committuntur, finis imponeretur, extractamque in rem noctem ob sententiarum in diversis capitibus varietatem ; cum plures episcopi propriis commodis magis quam aequitati consulerent, ac regularium parochorumque privilegia rescindi cuperent ; quasi ipsorum auctoritas ex depressa eorum dignitate excresceret : consumptam partem temporis, ut Tridentino cardinali, qui legatorum munus affectare visus est, obsisteretur, cum sponte sua proponeret, dandum responsum litteris regis Lusitaniae, quas duo religiosi viri Roma attulerant : Fesulanum et Clodiensem episcopos, quorum dicta ad seditionem quodammodo spectare viderentur, ex Concilio revocandum videri ; arsisse autem odio Fesulanum praesulem in religiosos Ordines, declamantemque adversus eos lubenter audiri a pluribus : interjectis paucis diebus scripsere Pelargum Ordinis Praedicatorum theologum accessisse Tridentum ; ac litteras archiepiscopi Trevisensis

et cardinalis Augustani altulisse, quibus illi se graviore impedimento distineri significarunt, ne, ut gerebant in votis, se ad Concilium Tridentinum conferrent: commendatus est etiam ab Augustano internuntius Verallus, qui suis concionibus sacris pietatem late propagaret:

66. « XVIII Maii, coacta Congregatione generalis, cardinalis de Monte (inquit Angelus Massarellus) reprehendit immodestiam aliquorum Patrum in sententiis dicendis, qui nimis licentiose loquuntur, nominavitque episcopum Fesulanum, contra quem excerpta fuerant quadam capita ex concione, quam ipse Fesulanus habuit in Congregatione die X præsentis mensis contra regulares, monens omnes, ut in futurum modestius et reverentius loquantur, et quod si libera debent esse, prout sunt in Concilio, Patrum suffragia, ea tamen dici debent, quæ in nullius injuriam cedant ». Tum addit, « ortam contentionem inter Concilii præsidēs et quosdam præsules, num ad legatos Apostolicos tantum spectet officium proponendi in Concilio et Congregationibus generalibus ». Quo argumento, quæ hinc inde jactata sint, recensent alia Acta:

67. Asturicensis inquit: « Fateor et semper fassus sum, ad præsidentes pertinere specialiter ut proponant, et vota super propositis colligant; sed et munus hoc proponendi cuilibet competere puto. Sic Osius in Laodiceno Concilio, et alii plerique, quamvis non præsiderent, materias proposuisse legimus, super quibus materiis deinde canones facti fuere, si quis tamen hoc neget, ego id me probaturum et probatissimis viris interpretibus profiteor. Cui cardinalis de Monte: Istud (inquit) plane recipio ad præsidentes pertinere ut proponant et vota colligant; at illud idem cuilibet episcopo competere prorsus nego, quando apud omnes constat, proponere et præsidere ad eos tantummodo pertinere, qui in unaquaque universitate locum primum tenent, sic enim leges, consule interrogante, scisciebantur, et plebiscita plebeo magistratu, id est, Tribunis interrogantibus, et quod dictum de Osio non mirum est, quoniam is legati primæ Sedis fuisset auditor ».

68. At Asturicensis: « Erant igitur (inquit) adeo adstricti episcopi, ut nihil, quod ad rem Christianam, nihil quod ad proprias provincias pertineat, proponere possint? Quod si fateatur, nescio an rebus Concilii bene caveatur. Nam apud omnes, quos ego hactenus percurri auctores, et apud Bartolum et Baldum invenio, licere omnibus de universitate proponere id, quod possunt omnibus ostendere. Cui cardinalis de Monte: Non est (inquit) ut hæc de re vobiscum disputem, sunt enim si vultis hic jurisconsulti, qui vobiscum de jure disceptabunt. Cui Asturicensis: Nolo (inquit) cum jurisconsultis disputare, nec a me sunt dicta jurisconsultis, sed Synodo, quam volui meam intelligere senten-

tiam, ut sciant omnes eis licere, proponere quodlibet, dummodo honestum sit. Credo (inquit Giennensis) cardinalem de Monte, quando dixit non licere episcopis proponere, intelligere ita, ut vota præsidibus ipsis invitatis colligere possint; quod et ego credo: verum ac quod quilibet, dum sententiam dicit, non possit, quid sentit, proponere et explicare, non credo esse ejus sententiam. Dico (inquit Asturicensis) posse singulos episcopos proponere, nec aliter fieri posse, exempli causa: ponamus aliquem episcopum velle aliquam materiam contra legatos ipsos vel cardinales proponere, æquumne censetis illa oportere legatis ipsis prius dicere, an non? Non (inquit cardinalis de Monte) vobis licere audere talia dicere. Asturicensis inquit: Non dico de legalis, ut de legatis, sed ut de cardinalibus in genere. Ne hoc quidem vobis licet (inquit cardinalis de Monte) nam quæ vobis liceant satis alias explicavi, et nunc optime ex cardinali Giennensi discere poteritis. Cui cum acquiesceret Asturicensis, cardinalis Giennensis ad illum conversus dixit: Satis est (inquit) dixisse vestram sententiam, quam Patres, ut videtis, non probant. Gratias (inquit Asturicensis) vobis refero, quoniam satis meam audivistis sententiam. Cui cardinalis Giennensis: Non possum (inquit) id probare quod ego non teneo. Episcopus Vasionensis dixit: Ego nunquam, etiam rogatus, respondebo, nisi legatis interrogantibus, qui nostrum caput sunt, alios autem omnes in Concilio pares esse existimo ». Hæc paucis perstringens Angelus Massarellus ita scribit: « Cardinalis de Monte comprobavit multis rationibus et auctoritatibus, quod licet unicuique liberum sit dicendi in Concilio sententiam, munus tamen proponendi ad solos reverendissimos cardinales pertinet ». Recruduisse eam controversiam post plures annos sub Pio IV visuri sumus.

69. *Discussio de peccato originali.* — Interea legati, cum ex cardinali Farnesii litteris percipissent Pontificis mentem esse, ut omnimode peccati originalis dogma proponeretur atque summa diligentia discenteretur, absque mora Pontificio imperio sese obtemperatos significarunt; præcipue quia de Justificatione rite pertractare non poterant ante decretum de peccato originali; quare mox auditis theologis, et expensis mediis, quibus in dogmate peccati originalis procedendum erat, decretum ab iis fuit prius diligenti examine perquirendum, quid de hac re Concilia generalia, aliaque a Sede Apostolica approbata statuerint; et innovatis veteribus Constitutionibus, illas addere, quæ ad statum rerum præsentem magis accommodæ cen-

sebantur, rejectis tamen supervacaneis et non necessariis ; quem modum una simul Patres commendarunt ; licet nonnulli ac potissimum Hispani, excepto tamen cardinale Giennensi, de reformatione ante omnia pertractandum esse a Synodo insisterent : quibus tamen polliciti sunt, post hujus decreti decisionem, de reformatione ac de episcoporum residentia absque mora pertractaturos.

70. Perspexerat imperator (ut paulo ante insinuatum est) Protestantes ad defectionem a Caesareo obsequio inclinare, atque adeo promulgatis in Concilio dogmatibus Catholicis asperandos, atque in arma consurrecturos verebatur : Patres vero Tridentini extimescebant, ne si invito ac reluctantate imperatore, de dogmatibus fidei agerent, ejus patricinio orbarentur. Consultum itaque est a cardinale Tridentino, ut de peccato originali ageretur, cum in illo articulo in colloquio Ratisbonensi Catholici et Protestantes inter se consensisse dicerentur : verum tamen Franciscus Toletanus Caesareus orator intercedebat, ne ille articulus tractaretur, donec Ratisbonensis conventus solutus foret, trahebaturque in suas partes praesules Hispano imperio obnoxios, verum major episcoporum pars una cum legatis in suscepla perstitit sententia adducende in examen quaestionis de peccato originali, definiendaeque in proxima sessione : jusserat enim Pontifex, sicuti innumis, ut ea controversia dirimeretur, ex cujus mandato collegere animos legati, ut importunae Francisci Toletani factioni generose repugnarent.

71. XXIV Maii propositi sunt theologis plures articuli controversiarum circa peccatum originale, de quibus disserturi erant. XXVIII vero die in Congregatione generali Cardinalis de Monte de eo dogmate ita ad Patres disseruit¹ : Auditis theologis, et considerato quanta labore temporis angustia, quoniam, permagni interest, qua via procedatur, cogitabamus, si videretur Patribus, ut is modus foret optimus, si ante omnia prospiceremus, quid super hujusmodi articulo a majoribus nostris in Conciliis, aut universalibus, aut provincialibus approbatis et receptis ab Ecclesia decretum esset : et illis omnibus collectis adderemus ea, quae pro statu praesentis temporis addenda viderentur, et veteribus decretis immovatis, et novis additis, ab hac sancta Synodo super hoc, ut fieret salutare decretum. Dicant igitur Patres, utrum hic modus procedendi eis placeat. Super qua re sententias perquisitis, omnes modum propositum laudaverunt. Deinde ipse reverendissimus et illustrissimus praesidens legit ea, quae super ipso articulo collegat², videlicet :

Propositio articuli de peccato originali.

« Articulus de peccato originali non incommode dividi potest in duas partes. Prima est de ejus cognitione, propagatione, et malitia seu damno. Secunda de ejus remedio et remedii effectibus. Quoad primam attinet, de qua nunc agendum est, haec ex decretis Summorum Pontificum et Conciliorum annotata sint pro faciliori Patrum indagatione, ut per ea inventur ad exquirenda alia, et ea addenda, quae pro hujus temporis statu deesse videantur ».

Subjecit mox ex Concilio Milevitano canonem secundum, ex Carthaginensi cap. 72, ex Arausiano canonem 1, ex eodem can. 2, ex Toletano 12, can. 2.

Ex Concilio Florentino de unione Armenorum : « Firmiter credit, profitetur et docet neminem unquam ex viro feminaque conceptum, a Diaboli dominatu fuisse liberum, etc. ».

Subjuncti deinde testimonia Pontificum Innocentii I ad Concilium Carthaginense Epist. 25, Coelestini I Epist. 1, c. 4, Leonis Epist. 84 ad Aquilegiensem episcopum, Leonis Epist. 91, can. 9 et 10.

72. Quarum auctoritatum exempla ad omnes Patres eadem die transmissa sunt.

Institit iterum Giennensis cardinalis in eadem Congregatione ex singulari (ut videbatur) sensu pietatis, qua erga B. Virginem delibutus erat, ut de immaculata B. Virginis Conceptione ageretur in Concilio ; maximam enim Christiani orbis partem pie ita sentire, remque Hispanis et Gallis fore gratissimam : maxima tamen praesulum pars, quibus se etiam aliqui Hispani conjungere, sensit ab ea quaestione magnis implicita difficultatibus abstinendum, ac potius perspicuas haereses damnandas, quam in oculis et ambiguis controversiis tempus terendum, quae significavit cardinalis e Monte legatus cardinali Farnesio, opportuniore vero tempore eam quaestionem excuti atque illustrari posse. Verum Giennensem cardinalem magis ductum ablandiendi Caesareis voluntatibus, quam pietatis studio, referunt Acta, ut dum in ea quaestione tereretur tempus, Lutheranae impietatis dogmata silentio involverentur, tum subdunt : « Aqueus mirum in modum institutum legatorum de dogmatibus pertractandis laudavit in eoque perseverandum esse dicebat, donec tandem omnes haereses, quarum praecipue causa Concilium convocatum fuerat, extirparentur ». Et mox : « Reformationem uniusquisque sibi facere possit, dogmata non nisi in Conciliis commode definiiri posse ». Multis interjectis :

« Fancensis Episcopus : Probo inquit quod de peccato originali propositum est, quod autem controversia illa de Maria Virgine in sacrosancta hac Synodo pertractetur, mihi persuaderi non poterit. Primum, quod sciam utram-

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3252, p. 1586. Inar. Gene. Trif. Ms. arch. Val. p. 40. — ² Idem, etiam Ms. arch. Val. sig. num. 3259, p. 259.

que partem maxime piam esse, et a tot sanctissimis doctoribus hinc inde suas partes comprobantes, ut non sine manifesta plurium nota et damnatione posset Synodus hanc rem determinare : addo etiam rei difficultatem : quis enim sententiam hanc nosse potuit, quæ Sedi Apostolicæ adeo obscura hactenus visa est, ut neutram usque adhuc partem elegerit. Ne autem vos, Patres, prætereat, scitote, nihil Protestantibus gratius hoc tempore nos facere posse, nisi de hac ipsa re pertractare, quæ non adeo brevis erit, ut aliqui putant, sed quæ ne tribus quidem mēsisibus perfici poterit, cum magno dedecore Synodi, dicentibus omnibus, quæ decidenda sunt omitti, et silenda decerni, propterea hac in re laudarem, ut perpetuum silentium inponeretur omnibus, ita ut nulli deinceps liceret hac de re palam disputare, neque aliquid populū docere ».

XXXI Maii in Congregatione generali¹ excussa est prima questio de peccato originali, de ejus cognitione, propagatione et malitia, de quibus primum a cardinali Giennensi, deinde ab archiepiscopis, et episcopis, et abbatibus sententia dicta, inter quos Fanensem episcopum erudite perlocutum referunt alia Acta : « Theologi rem ipsam longa oratione prosecuti sunt, quorum omnium Fanensis episcopus omnem a capite materiam commode pertractasse visus est. Constare quidem ipse ex totius Ecclesiæ consensu dicebat, Adam ipsum, præter ea, quæ ut homo ab auctore consecutus fuerat, fuisse insuper rectitudinē et justitiam donatum a Deo, quam quidem si servasset, ut poterat, perpetua immortalitate gavisus fuisset, et hæc quidem ipsi Adamo data fuere a Deo ipso, ut naturæ parenti, ita ut in omnes ex semine ejus nascituros provenirent : de aliis autem virtutibus, quibus Adam a Deo ipso donatus fuerat, puta de stellarum cognitione, de natura animalium et similibus, non satis constat inter theologos, ut ita datæ essent, an propriæ ipsius Adami essent, an potius ut transmitterentur una cum rectitudine ipsa.

« Constat quoque apud eandem Ecclesiam, Adam ipsum coram Deo peccasse, et genus quidem peccati inobedientiam fuisse, sive fuerit per pomorum susceptionem ex arbore prohibita, sive quovis alio modo, nihil interest. Satis est nos scire Adam peccasse, cujus peccati ea vis fuit, ut mereretur ipse Adam gratia justitiæ et rectitudinis sibi a Deo datæ privari : quo quidem Adæ privilegio posteros quoque ejus privavit, quoniam sicut gratia ipsa Adæ data fuerat, ita ab ipso et per ipsum a posteris ejus accepta fuisset. Id Apostolus dixit : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et*

per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quæ quidem mors, nisi per Baptismum tollatur, omnes reos gehennæ facit : quibus in rebus statuenda duo in primis semper consideranda mihi visa sunt. Alterum, ut ita concipiamus verba, ita rem pertractemus, ut nulla culpa ipsi Deo, nullaque injustitia ei, qui semper rectus est, tribui a nobis videatur. Alterum, ne peccatum ipsum Adæ ita minuamus, ut pæne frustra Dominum nostrum Jesum Christum humanam pro nobis carnem sumpsisse affirmare videamur. Quod autem Lutheranos ipsos tangit, omnino falsum est, dum dicunt per Baptismum peccatum originis non tolli, sed nobis non imputari, nos vero, neque manere, neque imputari nobis defendimus, etc. »

74. *Catalogus errorum circa peccatum originale.* — IV Junii et V in Congregationibus generalibus¹, de secunda questione, nimirum de remedio peccati originalis, et de ejusdem remedii effectibus actum est. VIII vero Junii propositum decretum de Peccato originali executendum.

IX Junii in Congregatione generali residentia episcoporum proposita, deinde hæreseon circa peccatum originale catalogus perlegitur² :

Hæreses et errores super peccato originali.

« I. Primus error est ille notissimus Pelagii : nos non nasci aut concipi peccatores, sive nullam peccati labem ex nostra generatione contrahere : quem errorem damnavit Concilium Milevitanum.

« II. Est Valentini, Manichæi et Priscilliani, ex Christiano conjugio natos non contrahere originalis culpæ contagionem. Quem errorem damnavit Innocentius I et profligavit Augustinus lib. de peccat. mer. et remiss. c. 25 et 26.

« III. Est Pelagianorum, quem etiam secutus est Erasmus, Paulum, Ep. ad Rom. 5 hujus peccati originalis nullam prorsus facere mentionem.

« IV. Peccatum originale nihil esse in unoquoque nostrum, sed esse dumtaxat ipsam Adæ prævaricationem, quæ revera nobis non insit, sed soli Adæ.

« V. Est Martini Lutheri, concupiscentiam nobis innatam atque dispersam, quæ remanet in baptizatis, esse peccatum originale, quæ scilicet concupiscentia complete atque præcisè sortita sit originalis peccati rationem.

« VI. Est ejusdem Martini Lutheri, originale peccatum esse concupiscentiam ultimo præcepto Decalogi notatam.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 163. Acta Congr. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. 2799. p. 100.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3231. p. 164. — ² Ext. etiam in Ms. sig. num. 3249. p. 275. perfect. IX Junii in Cong. gen.

« VII. Est error Pelagii, peccatum originale esse prævaricationis Adæ imitationem.

« VIII. Est ejusdem Pelagii, quem Martinus Lutherus sequitur, ad peccatum originale expandendum in parvulis Baptisma non esse necessarium.

« IX. Ejusdem etiam Pelagii, ad quem errorem Martinus Lutherus accedere videtur, pueros non baptizatos morientes non damnari, sed salvari, et vitæ æternæ fieri possessores, licet ad regnum Christi non pertineant. Contra quem errorem late scripsit Augustinus.

« X. Est Priscillianorum, Euchylarum, Messallianorum et Manichæorum, Baptisma infantibus nihil prodesse: quem errorem etiam Anabaptiste sequuntur.

« XI. Est eorumdem Anabaptistarum, parvulos in infantia baptizatos rebaptizandos esse.

« XII. Est eorum, qui dicunt quoslibet infantium actus, quamvis ratione careant, esse peccata, atque in ejusmodi consistere peccati originalis rationem, nullaque alia ratione eos esse baptizandos, quam ut hæc sola peccata expiantur.

« Tertius decimus est eorum, qui tenent non unum esse peccatum originale, sed plura, quem errorem confutat Magister Sententiarum 33 dist.

« Quorum errorum unusquisque hodie suos habet defensores ».

73. *Declarationes et canones de peccato originali.* — Decima Junii in Congregatione generali agitata est de residentia; cumque ea controversia dirimi non posset in proxima sessione, in aliud tempus extracta.

XIV Junii¹ discussum est acerbo examine decretum de peccato originali: « In cuius decreti examinatione (addunt Acta Angeli Massarelli) oritur magna contentio, disputatio inter Patres, num in hoc decreto de peccato originali esset decidenda quæstio de Conceptione Beate Mariæ Virginis ». Lecta tum in ea Congregatione generali fuere ab episcopo Bituntino auctoritates plurimum sanctorum Patrum negantium Immaculatam Conceptionem.

Addit vero Angelus Massarellus decretoriam in ea re sententiam: « Et majori parti visum fuit relinquendum esse hunc articulum sub determinatione felicis recordationis Sixti papæ IV, quæ determinatio à Concilio innovetur ».

Narrantur paulo fusius hujus Congregationis Acta in alio Ms.² in quo verba à Polo et Pacecho cardinalibus habita recensentur.

Lecto decreto de peccato originis, cardinalis Polus sententiam suam ita dixit: « In capite decreti incipit, quid sit peccatum originale, magis nos ipsi in omnibus sentimus omnes re

ipsa, quam ipsi sciamus, quid sit, verbis comprehendere. Hæc inde possumus ostendere, quod, cum multi sanctissimi Patres de hac re scripserint, tamen hoc quid esset, definire nescierunt. Hoc etiam vobis patuit ad oculum tam in Congregationibus episcoporum, quam theologorum, in quibus maxima fuit omnium concordia in reliquis constituendis, sed in hoc uno valde fuerunt dissidentes. Illud valde scimus, mortem nobis per Adæ peccatum interminatam esse, mortem, inquam, non ut statim occumberet ipse Adam, et nos cum ipso, sed mentis obtenebrationem, quæ et ipsa mors dici potest. Hoc senserunt et vetustissimi Philosophi fere omnes, non a fide ut nos edocti, sed a natura ipsa, cujus vim et mortem sentiebant in malam penam esse. Id Aristoteles dixit, dum regimen magis apud rempublicam esse vult, quam apud regem unum, ea scilicet ratione, quoniam spiritus unius sæpe impotentes sunt ad resistendum malis, ad quæ natura nos inclinat. Id ostendit Socrates, dum post univærsam perustratam Philosophiam, se unum scire fassus est, quod nihil sciret. Philosophi igitur huic morbo providere volentes, legibus munendam esse rempublicam decreverunt, ut quorum scilicet concupiscentiam indomitam esse cognoscebant, saltem nihil cum metu coercerent.

76. « Longe alia via Deus Omnipotens cum præcis Patribus nostris egit; certavit scilicet beneficiis et gratiis nostros motus reprimere, et impetum prolium extinguere. Sed neque præmia, neque manna manducatio diuturna, neque aliquid aliud genem duræ cervicis potuit domare. Exemplo potest esse Salomon tot tantisque bonis à Deo donatus, ut nemo plus eo acceperit, fatetur plane ipse omnia vanitatem esse, et in ipsa quoque sapientia labores. Quamobrem Deus, ut generi humano provideret, per mortem Unigeniti Filii nobis gratiam et salutem dedit. Hæc tendunt ad demonstrandum, quod ad abolendam hujus peccati vim nulla unquam humana res valere potuit. Hæcque ad declarationem primi, secundi et tertii capitis, in quibus nihil addi minuisse desidero. Quod mihi dubium fuit, est quod dicitur in fine decreti, nihil esse, quod Deo displicere possit. Quæ quidem verba, si rite intelligantur, nullam habent distinctionem, quo modo de hoc ipso Paulus loquens: *In renatis* (inquit) *qui in Christo sunt, nihil odibile esse*; nam in aliis non auderem id ego affirmare, propter nostras imbecillitates: propterea addendum aliquid verbum existimarem ad majorem declarationem, ne alioquin aliqui, perperam intelligentes hunc locum, intelligant omnino renatos impeccabiles esse: quod quam falsissimum est, omnes intelligunt, quinimo statutum est, ut etiam viri sancti dicere quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*; et non propter humilitatem, sed propter veritatem.

¹ Ms. arch. Vat. s. 12, num. 3296, p. 166. — Ms. Vat. sign. num. 3296, p. 149. — ² Ib. p. 166. — ³ Loc. cit. de Com.

« Giennensis censebat ¹ stare posse verba illa decreti, nec aliquo modo mutanda, ne videatur magis potuisse unius Ade peccatum quam Christi meritum. Hoc referre, quod etiam justi dicunt : *Dimittite nobis peccata nostra*; quia id sit propter peccata, quæ timentur, et quæ a quantumvis justis timeri debent. Illud autem, quod in fine decreti ponitur, mihi non placet, dum dicitur :

« Declarat aulem Synodus non esse suæ intentionis, in decreto hujusmodi, ubi de peccato originali loquitur, comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam matrem Jesu Christi, de qua re ad præsens nihil declarare intendit, præter id, quod a felicis recordationis Sixto IV decretum fuit; hæc enim declaratio non est juxta decretum Synodi, nam in proxima congregatione plusquam duæ ex tribus partibus tenere eximendam esse a decreto B. Virginem Mariam, cum hac adjectione, videlicet, de qua pie creditur sine peccato originali conceptam fuisse ». Verum quidem est, in antecedenti congregatione ex tribus partibus duas in dictam decreti formam consensisse, sed in sequenti recesserunt, ut in Actis in Castro S. Angeli asservatis ita narratur :

77. « Die octava Junii, in congregatione generali decretum de originali peccato a theologis in privatis congregationibus compositum, lectum fuit. Cardinalis Giennensis præcognoscens tam brevi temporis intervallo tali quæstioni possibile non esse finem imponere, requisivit, ut universali propositioni, cum qua declaratur originalem culpam esse communem omnibus hominibus, talia adderentur verba, scilicet : Quod ad Beatam Virginem attinet, sacrum Concilium nihil definire intelligi, quamvis pie credatur, eam sine originali peccato conceptam fuisse. Tali sententiæ tunc major pars consensit. Sed episcopi, alique ex Prædicatorum familia ardentem contradixerunt, multique eis adhæserunt. Opponebantque, si pium est unam opinionem credere, consequenter aliam partem credere impium esse. Et sic (quamvis tacite) quæstio definita censeretur. Ideoque consilium fuit, excogitanda esse verba, quibus nec unius, nec alterius opinioni præjudicium afferretur, et ambæ in eodem statu, quo tunc in Ecclesia erant, permanerent. Ideo theologi, ut Synodi mentem executioni mandarent, in suis congregationibus sequens decretum exararunt : Declarat sancta Synodus, non esse suæ intentionis in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi comprehendere, cum modo circa hoc nihil declarare intelligat, præter quod a felicis recor-

dationis Sixto IV decretum fuit. Attamen cardinalis Giennensis non acquievit, asserens, in præferta Congregatione generali ex tribus partibus supra duas consensisse, ut decreto adderetur, de qua pie creditur, sine peccato originali conceptam fuisse ». Et paulo post : « Asturicensis episcopus proposuit, ut illa verba declararentur, quibus asserbatur, Concilium modo nihil se declarare intelligebat. Placuit ista proposito Bertano aliisque Dominicanis. Sed cardinalis Giennensis ejusque sectatores eam non approbarunt. Et cum plus temporis quam par erat, et præter consuetum in illa Congregatione consumptum fuisset, tandem suffragia collecta fuere, et conclusum, quod quamvis major pars Conceptionem absque peccato fuisse crederet, tamen etiam major pars melius consilium existimavit, nullum contrariæ opinioni præjudicium esse ferendum. Quare verba decreti juxta sententiam Asturicensis recepta fuere, quod cardinalis Giennensis cum amaritudine animi pertulit.

78. XVI mensis Junii coacta Congregatio generalis, in qua sancta decreta de peccato originali, et de lectionibus sacre Scripturæ instituendis, et concionalioribus ordinandis promulganda esse in quinta sessione postero die celebranda.

79. XVII Junii celebrata est quinta sessio Concilii Tridentini ¹, cui quadraginta novem episcopi, archiepiscopi novem, quatuor cardinales, duo monachorum abbates, tres Mendicantium præpositi Generales, duo Cæsarei oratores interfuerunt, atque in ea gravissimi novatorum errores circa peccatum originale damnati fuere :

« Sacrosancta OEcumenica et Generalis Trid. Synodus in Spiritu sancto legitime congregata presidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, jam ad revocandos errantes et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum Scripturarum, sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiæ judicium et consensum secuta, hæc de de ipso peccato originali statui fatetur ac declarat.

« Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei fuisset transgressum, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

¹ To. XIX. de Conc. Ms. arch. Val. sig. 2206. p. 117. Ms. Fr. card. Barber. sign. num. 1179. p. 116. Diar. Conc. Ms. arch. Vat. p. 41. card. Pallav. 16. t. I. VII. c. 7. num. 2.

¹ Pallavic. to. I. l. VII. c. 13.

« Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propaginæ asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiam peccatum, mortem et penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ : anathema sit. Cum contradicit ¹ Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

80. « Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, id est (inest) unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio : aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesie rite collatum tam adultis quam parvulis applicari : anathema sit : quia non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ; unde illa vox, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et illa, *quemcumque baptizati estis Christum induistis.*

81. « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam ; unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur : anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* ; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit ; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione munderetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis reatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* . Damna sunt eo decreto Calvinistæ, qui seigniores erant ad conferendum parvulis baptismum, ut eorum plurimi inde infelicer perirent.

82. Invecerat alium errorem Lutherus, quem secutus est Calvinistarum grex, remanere post Baptismum in baptizatis peccatum, sed non impulari : utque errorem tulcissent, contende-

bant concupiscentiam esse peccatum, quæ cum remaneat in baptizatis, concludebant peccatum etiam in iis remanere : ac verba Apostoli et S. Augustini, qui concupiscentiam dixerunt peccatum, eo quod concupiscentia sit peccati causa, et pena peccati, atque etiam inclinet ad peccatum, delorsere in pravam sensum : quasi sit proprie et secundum essentiam suam peccatum, contra quos novatores addidere Patres Tridentini in decreto :

« Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismale confertur, reatum originalis peccati remitti negat : aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non impulari ; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil damnationis in iis, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.

83. « Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hæc sancta Synodus fateatur et sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere valet consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit ».

84. *Decretum de munere prædicandi.* — Perfectum etiam est in eadem Sessione decretum de certis capitibus restituendæ adstringendæque discipline Ecclesiasticæ : atque in primis sancitum, ut sacramum litterarum interpretes ac lectores stipendiis Ecclesiasticis sustentandi in Ecclesiis insignium civitatum suo munere fungerentur : ut in oppidis magister Grammaticæ pro instruendis clericis inopibus teneretur, ut sibi viam ad sacra Theologiæ studia muniret : ut in monasteriis et conventibus Regularium sacre Scripturæ lectiones habeantur ab iis, qui prius de vita, moribus et scientia excessi, atque ab episcopo approbati fuerint, ne impietas specie pietatis propagetur.

85. De Evangelii prædicatione constitutum est, ut primates, archiepiscopi, episcopi, et alii Ecclesiarum prælati, necnon archipresbyteri, et parochi Evangelium prædicent ad populum instruendum, ac si fuerint impediti, idoneos concionatores eligant. De Regularibus vero conciones sacras habiturus hæc sancita lex : Regularis cujuscumque Ordinis, nisi a suis

¹ Rom. v.

superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum predicare non possint, cum qua licentia personaliter se eorum episcopis presentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam predicare incipiant ». Additum est, ne sine impertita ab episcopis facultate in aliis Ecclesiis quæ non sunt suorum Ordinum conciones habeant, si quis vero hæresim in populum sparserit, omni immunitatum respectu abscisso, in eum episcopus auctoritate Apostolica, et tanquam Sedis Apostolicæ delegatus severitatem legum distingat.

86. Lectum postea fuit pelente archiepiscopo Turritano Breve Pontificium legati directum. Postea procurator Severolus absentium contumaciam accusavit, ut contra ipsos processus statuerentur, et janua Cathedralis Ecclesiæ Tridentinæ affigerentur; sed in hac re suffragia inter se nullum discrepantia fuerunt. Duæ sententiæ numero ampliores apparuerunt, in una earum convenerunt legati, qui contra non legitime impeditos distringendas leges iudicabant, in alia cardinalis Giennen. excipiendos esse dicebat Germanos, quam exceptionem aliqui volebant extendere ad omnes illos quibus Cæsari respectum habendum esse in proxima Congregatione requisierant. Alii solos in Dieta commorantes, et usquedum illa congregata esset, excipi optabant; sed præter istas duas sententiâs, quæ pluribus placebant, episcopus Faventinus eorum solummodo contumaciam, qui Romæ morabantur, accusandam esse censebat; alii, ne episcopi a Concilio absque justa et cognita a Concilio causa possent discedere, addendum esse dicebant. Et alii alias diversas sententiâs protulerunt.

87. *Ratisponense colloquium.* — Dum Patres Tridentini nullis pareunt laboribus pro restituendo primario religionis splendore, exscindendis vitiiis, discutiendaque hæreseon caligine, coegere Lutherani suos conventus ad confirmandam suam in Pontificem Cæsaremque perduellionem. in iisque de respuendo Concilio Tridenlino, de prorogando impio fœdere, de sumptibus belli Brunsvicensis sustinendis, de Hermanno antiarchiepiscopo Coloniensi, qui a Catholica religione desciverat, tuendo, deliberrarunt, in quo quidem convenit Coloniensi apostate legati questi sunt de clero Catholico, qui sacras aras præferret meretricularum thalamis, religionemque avitam deserere abnueret, deque promulgatis in Hermannum a Pontifice et Cæsare edictis, ut Lutherane liberali contrariis questi sunt: « Eo jam res in Germania reciderat, ut de summis magistratibus liceret querelas deferre ad paucos imperii principes, qui etiam dicerent, se non defuturos Coloniensi archiepiscopo, si qua vis ei fieret ». At impia

eorum consilia divina misericordia confudit. Conati sunt illi quidem missis oratoribus Cæsarem definire, ne Coloniensi exarchiepiscopo adversaretur clerumque Catholicum tueretur, sed a suscepta animi constantia dimovere non potuerunt, eos enim Cæsar hortatus est, ut abjecta pertinacia mitiora pacis consilia sequerentur, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini¹:

88. « Reverendissimi domini legati receperunt litteras a reverendissimo domino archiepiscopo Rossanensi Verallo nuntio apud Cæsarem majestatem ex Leodio terlio hujus datas, in quibus significat oratores Lutheranorum, præsertim trium sæcularium electorum, Saxonia, Palatini et Brandeburgensis petiisse Cæsarem apud Matriach die Veneris xxvi Februarii, in qua die tria Cæsareæ majestati proposuisse, primum, ut militis cum electore Coloniensi agat, tum quia elector et princeps imperii, tum ob alias multas rationes. Cæsar enim dicto electori injunxit, ut infra quindecim dies restituit quantum ab eo in nova secta innovatum est. Secundum, quod amicabiliter per viam concordie ad conciliandam Germaniam pergere velit, non autem armis, ut verentur, et ex rumoribus, qui ubique sparguntur, conjicere est. Tertium. Petierunt ut Cæsareæ majestas eis dicat, an cum consensu suo Concilium Tridentinum sit apertum, non enim hoc credere possunt, cum tollies Cæsar eis promiserit, colloquio, dieta, vel nationali concilio, si generale haberi non posset, res controversas religionis in Germania tractaturum, Concilium autem Tridentinum non esse legitimum, tum quia illa civitas, licet sit imperialis, non est in Germania, et ejus episcopus est obnoxius pape, tum quia auctoritate Pontificis Romani celebratur. Del igitur Cæsar liberum Concilium in Germania, et ipsi libenter illuc proficiscuntur.

« Illis respondit imperator prima hujus mensis in hanc sententiâ: Quo ad primum, quod Coloniensis pessime se gerat, parvique faciat et suam et imperii auctoritatem. Ad secundum, quod nihil neque magis optavit, quam res Germaniæ amicabili tractatione componere, quare bono sint animo, hac enim de causa nunc Ratisbonam petit, hortarique, ut sui principes illuc iler capiant. Ad tertium respondit adeo obscure, ut verus sensus elici non possit, inquis Ratisbonæ clarius responderum esse, etc. »

Condictum fuerat superiore anno in Wormatiensi conventu Ratisbonense colloquium invitis Catholicis principibus, cum indicto coactoque jam Concilio OEcumenico, vel inane vel exitiale futurum esset tale colloquium, tamen Cæsar illud inter Catholicos et Lutheranos

¹ Ms. arch. Vat. inscriptum diar. Conc. Trid. auct. Angel. Massarell. secr. Conc. p. 126.

ad tentandam aliquam concordie rationem admiserat, vel ut ad comparandum exercitum temporis moras captaret.

89. Colloquium die ultima Octobris M^oXLV indictum fuerat ¹, sed Cæsar justis de causis ad diem decimam quartam Decembris protraxit, et inceptum fuit solummodo vigesima septima Januarii hujus anni, quia Laurentius Zocchius auditor, et Georgius Major collocutor pro Protestantibus Ratisbonam pervenerunt vigesima prima ejusdem mensis. Die igitur vigesima septima initium habuit colloquium, de quo loquuntur Spondanus, Bzovius, Belcarius, Cochlaus, Surius, et Utembergus, et ita dicunt: imperator Mauritium episcopum Eisteten. et Fridericum comitem Furstembergensem, quibus postea addit Julium Pflugium electum episcopum Naumbergensem præses elegit. Pro Catholicis ad disceptandum astiterunt. Petrus Maluenda Dominicanus, Everardus Bellicus Carmelita, Jo. Hoffonisterus Augustinianus, et Jo. Cochlaus doctor clericus secularis. Pro hæreticis steterunt in acie Martinus Bucerus, Jo. Brenz, Georgius Major, Erardus Schneppius. Die autem suprædicta, Catholici primum sacrum solemne de Spiritu sancto in Cathedrali Ecclesia celebrarunt, et postea cum hæreticis in publico Palatio convenerunt, ubi præsidentes mandatum imperiale legerunt, et postea formam constitutam ab imperatore servandam in disputatione materiarum a collocutoribus, quæ est sequens: « Primo, ut cæteris omissis, tractetur confessio exhibita per Protestantes in Comitibus Augustæ habitis anno Dom. M^oXXX, cujus singula facta discutiantur, ac inter eos et Catholicos agatur, quid in ea recipiendum, quidve rejiciendum eis videatur, et relatio fiat Cæsareæ majestati et statibus imperii.

« Disputatio versetur in eis solum, quæ fidei sunt, omissis opinionibus, quibus studiosi solent exerceri.

« Primi tres articuli Confessionis prædictæ omittantur, quia primus et tertius sunt de Incarnatione ac Trinitate, in quibus nulla est controversia. Secundus vero est de peccato originali, et satis est disputatus, nec minus opus est illum denno agitari.

« Quia in confessione Augustana sunt multi articuli, etiam diversi quoque ad unam materiam pertinentes. Primo agatur de Justificatione, Remissione peccatorum, Impletione Legis, de Fide bonisque Operibus, necessitate eorum et merito: secundo de Sacramentis et eorum virtute in universum, ac etiam sigillatim de quolibet eorum, de Baptismo scilicet, Eucharistia, et præterea in singulis ea agantur, quæ in uno quoque eorum controuertuntur: ut in materia

et sacramento Eucharistiæ: de administratione sacramenti sub utraque specie, de adoratione ejusdem: et in Penitentia: de Confessione et Satisfactione, ad eundem modum; de Matrimonio, Ordine et reliquis.

« De Purgatorio et Suffragiis Defunctorum, de Veneratione, Invocatione, Reliquiis et Imaginibus Sanctorum, de Votis Monasticis, et Cœlibatu sacerdotum, de delectu ciborum, de Feriis, Lætanis, aliisque caremoniis, ac Ecclesiasticis traditionibus quomodo obligent conscientiam ad sui observationem.

« Ultimo de Ecclesia, potestate clavium, ordine Hierarchico, auctoritate episcoporum, Romani Pontificis et Conciliorum. Si quid tamen incidit dubitationis, vult Cæsareæ majestas, ut ob eam causam reliqua non remorentur, sed nihilominus in illis procedatur, usque ad adventum suæ majestatis, quæ tamen super hujusmodi incidentiis et controversiis mentem suam declarabit. Verum cum talia fuerint, quæ moram ferre non possunt, ea ad majestatem suam perscribantur in itinere, quæ pari ratione significabit id quod facere opus judicaverit ».

90. Hæc forma ab imperatore proposita, non placuit Protestantibus, ideoque nolebant colloquio initium dare, nisi modus ab ipsis præscriptus observaretur, quare propter eorum duriciem, colloquium die quarta Februarii inchoatum fuit, quæ die Maluenda theologus Catholicus sermonem habuit de Justificatione, et usque ad vigesimam quartam ejusdem mensis disceptationes perseveraverunt: præsidentes hoc tempore mediante imperatorem admonuerunt, quod necessitate adducti, permisissent ut forma ab eo præscripta in colloquendo non servaretur, sed illa uterentur quam Protestantes proposuerant, quia ad discedendum erant parati, quando in colloquendo forma ab eis tradita non sequeretur. En quo arrogans petulantia rebellium ab Ecclesia devenerat, ut leges etiam imperatori et omnibus ordinibus præscribere auderent. Vigesima sexta Februarii responsum imperatoris receptum fuit, in quo formam servandam in colloquio dabat: Catholici ad obediendum se esse paratos dixerunt: Protestantes vero pernicacissima obstinatione in sua sententia seipsos firmarunt, pro causa adducentes, eorum principes talibus conditionibus non consentire: denique proposuerunt, ut imperatori iterum scriberetur orando, ut ordinationes illas immutaret, cum Protestantes in aliam formam adducere non liceret. Præsidentes pacis et concordie amatores Cæsari iterum scripserunt, ut etiam in hæc re Protestantibus satisfaceret, et dum de die in diem Cæsaris responsum expectabatur, collocutores et auditores Protestantium vigesima et vigesima prima Martii clam discesserunt, et post eorum discessum decima Aprilis Cæsar Ratisbonam pervenit, ac de colloquio re-

¹ Io. III. an. 1546. num. 10. an. 1546. num. 6, 7. lib. XXIV. an. 1545. An. 1545. c. 30. num. 7.

dintegrando agere cepit, consulitque Catholicos colloctores, an spes ulla concordiae eo instaurato affulgeret, qui nitide respondere, nullam affulgere, cum pertinacissime veritatem Catholicam, quam probe norant, oppugnant, et profiterentur nunquam ab haeresi discessuros, principesque ab iis illudos esse inanibus argutiis, remque felicius per Concilium Ōcumenicum quam per colloquium gerendam, et tale responsum dederunt¹:

« Responso quatuor colloctorum Catholicorum cum data Caesarea majestati XIV Aprilis MDXLVI, quid ex novo colloquio sperandum.

91. « Imperialis vestra majestas rogari jussit sententiam de spe futura concordiae, si ad colloquium, quod non culpa nostra, sed adversariorum potius improbitate discussum est, rediretur, ut scilicet ex iis, quae hoc et et superioribus colloquiis gesta sunt, conjectura, facta diceremus, an in colloquendi ratione locum ullum concordiae relictum, aut pacificandae in Germania religionis remedium aliquod positum esse arbitremur, aut si omnino inutile colloquium esse sentiamus, quoniam modo his Germaniae malis occurrendum esse putemus.

« Nos etiam si intelligamus in sacra majestate vestra eam vim ingenii ac judicii in omni reipublicae administratione semper fuisse, ut nullius hominis consilio indigere possit, parentes tamen majestatis vestrae voluntati sanctissime, quid nobis de toto hoc negotio videatur paucis explicabimus.

« At primum colloquium, quod discussum est, videtur nobis instaurandum, neque recens aliquid hoc tempore constituendum, quod ut sentiamus his potissimum rationibus adducimur.

« Mandatum est Apostoli Pauli: *Hæreticum hominem post unam, et alteram correptionem devota, sciens quia subversus est hujusmodi, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Sic Irenæus martyr et Tertullianus, scriptores vetustissimi, haereticorum disputationes et colloquia vitanda esse censent, ut quæ Ecclesiae Catholicae nullam unquam utilitatem affulerint.

« Ita in Nicæno Concilio sub imperatore Constantino Catholica pietas nihil adversus Arianos disputationibus profecit, Theodosius quoque magnus, hortante Nectario Constantinopolitano episcopo, Arianorum pertinaciam non disputationibus, sed vetustatis auctoritate, quam soleat etiam haeretica impudentia revereri, censuit esse reprimendam; sic Augustini variae cum Donatistis collationes; sic sub Eugenio IV Ferrariae et Florentiae disputationes cum

Græcis neminem ad Ecclesiae gremium revocarunt.

« Et ut praetermittamus vetera, certe in superioribus quatuor colloquiis Augustano, Wormatiensi, Ratisbonensibus priore et posteriore, sacrae majestatis vestrae diligentia omnia tentata sunt et procurata, mutatis subinde rationibus, ut concordiam velut fugientem retinere possemus, rerum tamen gestarum eventus ostendit, nullum inde fructum maximis laboribus etiam et sumptibus respondisse.

« Ad hæc quid Catholicum sit adversarii non ignorant, et si sequi vellent, neque disputatione colloquiorum, neque alia admonitione opus esset. Sed Catholicam veritatem volentes ac scientes nunc oppugnant, quin etiam libris editis profitentur se nulla ratione ab iis dogmatibus, quæ hactenus docuerunt velle recedere, ut supervacaneum sit ullo disputationis genere ejusmodi homines ad agnitionem veritatis velle permovere.

« Porro ad colloqui tractationem ab adversa parte semper adhibentur, aut auctores sectarum, aut promotores, iique principes ipsos et respublicas in errores et gravissimum hoc discordiae malum induxerunt.

« Hi vero si Catholicam doctrinam, sine qua vera concordia esse non potest, acceperint, satis intelligunt certum sibi exilium impendere a principibus ac populis quos per summum flagitium deceperunt, e contra si in errore persistent, imperare se principibus et populis, jura pretexto Evangelii dicere, atque in summa rerum omnium copia vitam agere. Quomodo autem hi in colloquio concordiam appetent, cum qua certe sciunt sibi, aut moriendum esse suorum manu, aut ad severitatem vite monasticæ redeundum? Annon potius discordiam cum ipsius imperii ruina cogitabant, in qua multis jam annis, opibus, luxu, dignitate, ac principum et civitatum justo prope imperio perfruuntur? Nos equidem vehementer miramur, ab illis etiam principibus non animadverti horum hominum cogitationes eo tendere, ut cum ementito Evangelii nomine populum sibi satis obsequentem fecerint, ut non de religione solum, verum etiam de summa rerum Germanicarum pro arbitrio possint statuere.

« Hæc aliaque non pauca colloquium instaurare dissonant, quod restitutum nunquam cum tanta adversariorum ignominia discutietur quanta postremum hoc desertum fuit.

« Altera de quaerendis hinc dissensionis remediis deliberatio difficilius nobis est visa, quam ut principium commodum, aut exitum invenire possit, sed quando ita jubet sacra vestra majestas, consilium, quod nobis in summa rerum difficultate solum restare videtur, etiam non celabimus.

« Primo omnium curandum esse putamus,

¹ Ms. card. Barb. sig. 2679, p. 143. Ext. etiam in Ms. card. Pii sig. to. LXIV. in charta volabili.

ne cum de pace et componenda religione consultabitur, sectarum auctores (quos illi verbi ministros appellant) consiliis principum intersint, ne frustra omnis de statuenda religione labor suscipiatur, in quam sententiam ut facilius veniant Protestantes, si pacis et Germaniæ quietis desiderio tenentur, his rationibus poterunt, ut quidem speramus, adduci.

« Prima ratio, quod ab auctoribus hujus dissidii variæ et compugnantes sententiæ in Germania sint inductæ, et fere tot dogmata quot civitates aut principes, et ex illa varietate concionatorum fraus et error facile possit deprehendi. Item, quod in singulis sectis magna sit doctrinæ inconstantia, cum vero hoc ad salutem necessarium esse dicant, modo diversum, et innumeris scriptorum suorum locis a seipsis dissideant, et neque in observandis traditionibus ac administratione sacramentorum aliquam formam retineant.

« Tertio, quod Ecclesiæ Catholice impingant falsa, et absurda, atque indigna, quo bonorum animos, qui Catholicam doctrinam non legerunt a nobis alienent, universumque Catholicorum nomen fictis inanum sententiarum mendaciis reddant invisum.

« Tria hæc productis earum rerum testimoniis diligenter sunt principibus Protestantibus commonstranda ac inculcanda, ut in omni actione, quæ ad pacem religionemque pertinet, suorum concionatorum consilium, aut tollant, aut certe habeant suspectum.

« Est præterea non diffidendum multos crasosque abusos contra disciplinam et regulas Patrum in Ecclesiam irrepisse, sed Protestantes teneri majoribus, quos omnes utrinque sublatis in primis cupiamus, et ut ad Fidei et Catholice doctrinæ regulam reformentur, optemus.

« Atque hinc admonendi sunt, ut tam in accipienda vera Catholicaque doctrina, quam in morum ac disciplinæ reformatione ordinariæ potestati, hoc est, sacro Concilio, more majorum se dedant, quod et ab aliis omnibus, qui Christiano nomine censentur, faciendum vident.

« Caterum, si Augustanæ confessionis ordines his verissimis rationibus non moveantur, nec malint se saluberrimæ Concilii auctoritati, quam suorum concionatorum subijcere, manifeste fraudem committere.

« In summa consiliorum inopia nullum aliud videtur nobis superesse, quam conceptam aliquam reformationem piam et Catholicam, ita constitutam, ut quæ sibi Protestantes petunt donari, prorsus ad Concilium rejiciantur, proponi eis jubeat vestra majestas, dum per Tridentinum Concilium melius iustumque, quæ ad doctrinam et mores spectant, non imperio tantum, sed reliquis etiam regibus ac principibus præscribuntur ».

92. Accepto eo responso Cæsar, abruptum colloquium redintegrare meditatus, principes Lutheranos subjecto edicto sollicitavit ad componendas religionis controversias, quibus non conciliatis, pax et concordia in imperio conciliari non posset ! :

« Carolus divina clementia Romanorum imperator semper Augustus.

« Dubitamus minime ex nostris proximis edictis ratione hujus instantis conventus imperialis ex nostra civitate Trajectensi inferiori pridie kal. Februarii. Fideles charissimi, nuper vobis cum cæteris nostris et imperii principibus et ordinibus redditis tempus et locum determinatum, præterea etiam animum et conatum nostrum eundem conventum constitutum propria persona nos cum primis visitaturos una cum ampliore ejusdem edicti sententiæ vos satis superque intellexisse, quamvis tamen nos deinde adventum nostrum ex solo nostro hereditario inferioris Germaniæ non distulimus, sed ita Omnipotentis auxilio jam ante aliquot dies Ratisbonam ingressi sumus, planeque omnes principes electores, cum principibus, ordinibus et statibus imperii, vel majorem ex his partem præsentem illic invenisse sperassemus, verumtamen quod nec ullos imperii statum vel ordines hæcenus propria persona præter nonnullos numero perpaucos eorum mandatarios, legatos et commissarios comparuisse videmus, non possumus satis admirari, et eo magis, quod cum conventus ipse noster imperialis initio in comitiis Wormatiensibus, jam nuper celebratis, arbitrato quidem et consensu omnium imperii ordinum determinatus et constitutus, postea etiam absque omni procrastinatione declaratus et publicatus sit, neminem sua negotia hunc in modum disposuisse, ut ad hujus conventus congregationem debito tempore paratum se facere potuisset, quanto magis autem causæ et negotia quæ apud nos fructuanda per se non pauci momenti, sed ipsa gravitate gravioris, atque ita formata sint, quod ea non ampliorem imperii partem, ac in ea cujusvis, et corporis, et animæ, bonorumque eorum omnium salutem comprehendant, tanto magis etiam ad legitimam unitatem et commodam concordiam harum controversiarum omnium principum et statuum præsentia maxime opus fuerit. Necessitatis ergo sacri imperii nationisque Germanicæ gravissimam causam : proinde vos iterum atque iterum per obedientiam, qua nobis et sacro imperio astricti estis, requirimus stricte admonentes, ac hæc prædicta gravia negotia, et Germanicæ nationis omnia necessaria adamussim perpendere, et mentibus vestris commendare, atque cum his cogitare velitis, nos horum et non aliorum causa præcipue, vide-

licet ad reparationem sacri imperii, et Germanicæ nationis componendas, sedandas in causa religionis controversias, tanquam principalis Germanicæ nationis gravamen, ex quibus omnis diversitas, dissensio, perturbatio, diffidentia, cæteraque incommoda promanarunt. Et timendum ne cum instantes hæc religionis discordiæ per diuturniorem indulgentiam, sic diutius manebunt, posteriora primis pejora immineant modo ad vos venisse: neque vos lateat simul ac quibus modis pacem justitiamque, tranquillitatem, religionem, pietatem et concordiam, in sacro imperio, et inter ejusdem universa viscera status et ordines erigere, instaurare, transplantare et propagare, cæterisque imperii necessitatibus succurrere possimus, ad præmeditata decrevimus, hanc perlongam et molestissimam nostram peregrinationem necnon imbecillitatem minime respicientes, cæterisque nullitariis negotiis inlerca etiam postpositis, propterea præfatarum causarum causa, qua primum, et post intuitu hujus nostri edicti vos itineri, si nondum accinxi estis, accingere, etiam juxta tenorem superioris edicti nostri apud nos et communem imperii congregationem comparere non gravemini, quæ negotiis his arduis, pro quibus hic conventus imperialis inceptus et institutus est, eo exactius et salubrius consilio et adminiculo vestro salutem ferre, et peremptorie concludere valeamus. Quin etiam nemo absentiam suam in alios transferre, vel alia negotia impedire præsumat. Cæterum cum auditores et colloquentes, qui Augustanæ Confessioni adherentium nomine in proximo colloquio ad dispartes religionis articulos conciliandos vocati et ordinali fuere, nuperrime ante nostrum adventum, nobis insidii, etiam (utli ex aliis accepimus) nostrorum ad id depulatum præsidium, eorum deliberatione habita ab ipsis neglecta, citra omnem necessariam et legitimam causam (quod forte neminem etiam habet) inexpectata festinatione terga dederint, quorum recessus culpa, actus nunc totius colloquii silet et jacet, denuo in hoc necessitas requirit vestrum etiam consilium. Quare sic præmeditatis et bene instructis omnibus obsequiis nobis deesse minime velitis, quod de vobis prompte sic fore non desperamus, his enim non solum expectationem et desiderium nostrum implebitis, verum etiam sacro imperio, communique patriæ consuetudinibus feliciter.

« Datum in nostra imperiali civitate Ratisbonensi XXI die Aprilis MXXVI ».

93. Laudarunt decretum Cesaris Catholici ordines de extinguendis religionis dissidiis, gratesque de præclaro eo studio egere, ac nulla ad rem in opus provocandam variis distincta capitibus consilia suggererunt. Meminit superioris edicti Joannes Cochleus, Cesarisque

piam mentem ad sedandas civiles discordias commendat, tum subdit:

« Ita demum etiam hæc vice res ipsa probavit (ut inquit Surius) non esse in ejusmodi colloquiis expeditam et certam pacis componendarum rationem, maxime cum religionis negotium omnino maturiori et augustiori deliberatione tractandum sit, nec in paucorum hominum privato tractatu ponendum, tum quoque ea sit seculariorum pervicacia, ut vinciri quidem facile possint, sed nec victi unquam cedere velint, victique videri ».

Tolli poterant hæc dissidia si promissis stetitissent. Lutherani, toties enim expetierant Concilium, questique fuerant illud dolo et simulatione a Pontificibus indicere, adeo ut Joannes Eckius¹ exclamaret: « Deus faciat ut papa Paulus noster hoc semel tollat opprobrium, quo omnes jaclitant, Pontifices hactenus non ex animo indixisse Concilium, sed furo quodam voluisse Germanis illudere, et vana spe decipere ». At cum fractæ jam essent eæ calumnia, ac jam plures sessiones Concilii essent habitæ, Concilium pertinacissime respuerunt; quale autem Concilium vellent Lutherani, descripsit ipse Bucerus in pestiferi libelli folio 22, ex quo Joannes Eckius hæc repetit: « Fundamentum componendi facit impius apostata, ut id fiat, sine consensu Pontificum, episcoporum et doctorum, imo ipsis reclamantibus, modo fiat sub hoc bono et solo Pastore Christo. Non videre miseri novatores, Pontifice et Episcopis spreto, eos non Christum pastorem, sed Dæmonem malum et solum pastorem habere, contestante Domino: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus*. Elthæcorum autem pastorem Dæmonem esse constat ». Repudiato Concilio Tridentino, principes Protestantæ in pervicacia confirmati, ac perduellionem meditati, cum viribus pollerent, varia conventicula egerunt, armorumque fœdera inter se pepigerunt, ac Cesar jam ex longo veterano excitatus, expertusque vera esse tot Pontificum oracula, qui illum tot jam ante annis præmonuerant, hæreticos, qui Ecclesie jugum excubebant, Cesarum quoque jugum tandem excussuros, domare armis eorum perduellionem constituit, de quo hæc Surius²: « Cesar dum multa dissimulat, sed pactis cum Turca ductis, pace quoque cum Gallo et Anglo contracta, non putavit ulterius differendum, præsertim cum vir prudentissimus non ignorasse videatur, quid perique molirentur. Erant per id tempus Lutheranorum seu Protestantium magnæ vires, porro Casari exigua copia, et magna gerendi belli in ipso initio impedimenta ac difficultates, præsertim quod Cesaris consilia etiam ab amicis ad hostes perferri diceretur ».

¹ Joan. Eck. in replica contra Bucer. p. 57. — Sur. in Com.

91. *Fœdus inter Pontificem et imperatorem.*
— In hoc arripiti discrimine Cæsar sanxit fœdus cum Pontifice, qui ad submittendas illi copias subsidiarias se obstrinxit.

XXII Junii M^oXLVI, fuit facta Congregatio RR. DD. S. R. E. cardinalium coram Sanctitate sua, in qua fuerunt lecta per reverendissimum dominum Augustinum Sancti-Hadriani diaconum cardinalem Trivultium, capitula tenoris sequentis ¹ :

« Cum multis jam retro evolutis annis Germania variis hæresibus perturbata et concussa fuerit, ex quibus innumera pericula et damna oborta, quæ summam extremamque illius perniciem maximo aliarum provinciarum offendiculo minitantur, cumque illius concordia et quies ejus Provincia variis rationibus tentata fuerit, ac congregato Tridenti Oecumenico Concilio Protestantes et Smalcaldiano fœdere juncti professi sint publice, se nunquam decretis ejus Concilii submitssuros, quod tertia Dominica Adventus proxime præteriti inchoatum est, et in quo plures sessiones habita, ut divina juvante gratia, publica imperii Christiani maximeque Germaniæ salus promoveatur, inter Pontificem Cæsaremque hæc capita fœderis sancita sunt :

« Ut Cæsarea majestas in nomine Domini, cum auxiliis Pontificiæ sanctitatis proximo mense Julii in expeditionem educat omnes copias suas summo virium molimine adversus Protestantes et Smalcaldianos, omnesque alios hæreticos ejuscumque sectæ, et ad veram et antiquam religionem et obsequium Sedis Apostolicæ revertentur, possitque Cæsarea majestas tentare omnes modos, si forte sine armorum vi ipsos ad religionem Catholicam traducere possit, temporeque constituto, si res e sententia non successerit, capessantur arma.

« Non possit Cæsarea majestas cum Protestantibus et Smalcaldianis, vel aliis hæreticis fœdus ullum aut concordiam inire, quod expeditionem dissolvat aut retardet, maximeque quippiam permittere non possit contra religionem Catholicam atque Ecclesiæ sanctiones, sine expresso consensu Sedis Apostolicæ vel legati Apostolici.

« Teneatur Pontificia sanctitas unius mensis flexu ab hoc fœdere pacto deponere apud Trapezitas Venetos centum millia aureorum, quæ una cum aliis centum millibus Augustæ Vindelicorum depositis ab administris Pontificiis convertantur in hujus expeditionis sumptus.

« Teneatur Pontificia sanctitas mittere duodecim millia peditum subsidiaria, et quingentos equites semestri stipendio conducta, mittat etiam legatum, qui exercitui intersit, una cum aliis centurionibus tribunisque necessariis, quod

semestre tempus ita intelligatur, si expeditio tantum temporis tenuerit.

« Concedat Pontifex Cæsareæ majestati dimidiam partem vectigalium Ecclesiasticorum Hispaniæ unius anni flexu, ut in sumptus hujus sacræ expeditionis ventantur, de quo jam concepta sunt Diplomata.

« Concedat etiam, ut ex distractis juribus monasteriorum Hispaniæ in bona fiduciaria ac clientes, redigantur quingenta millia nummorum in hæc expeditionem derivanda.

« Si quis princeps sine justa causa vel Pontifici vel Cæsari bellum moveat, quod expeditionem hæc disturbet vel retardet, junctæ armorum societate compescatur, atque hæc societas toto expeditionis tempore sexque mensium flexu perduret.

« Accedere possint huic fœderi omnes principes Catholici, iam Ecclesiastici quam laici, ac pro cujusque gradu honoris, debitus gradus cuique relictus sit.

« Ad majorem fœderis conjunctionem ac perspicuitatem, ut hæc conventa a sacro cardinalium senatu approbentur, ut tam a Pontifice quam a Cæsare integre et sincere observentur.

« Ut expeditionis concipiendæ mense Junio proximo tempus designatum exprimat, de mense Junio præsentis anni M^oXLVI, cum hæc capita multo ante descripta fuerint, licet consignata non essent, ut omnis erroris scrupulus eximalur ».

Subiunt Acta consistorialia : « Fuerunt approbata suprascripta capitula, et unanimi consensu reverendissimorum cardinalium, excepto capitulo continente venditionem vassallagiorum monasteriorum Hispaniæ, quod non fuit approbatum, sed fuit dictum, ut provideretur majestati suæ de æquivalenti recompensa in Hispania, deducto eo, quod sua sanctitas in recompensam dictorum vassallagiorum dare promisit ».

Licet secundo capite indicta in mensem Junii expeditio sanciat, declaratur intelligi præsentis anni M^oXLVI, quia multo ante concepta fuerant hæc leges, quarum nonnullæ controversæ erant.

Subscriptis his capitibus Pontificia sanctitas Romæ XVI Junii præsentibus reverendissimo et illustrissimo Tridentino ac D. Joanne de Vega Cæsareæ majestatis oratore.

Conceptum id fuisse aliquot ante mensibus referi Franciscus Betearius ².

92. Quod data litteræ ad episcopum Tropiensem internuntium de cogendo auro subsidiario, quod Carolo Cæsari ex Ecclesiasticis vectigalibus, nullo etiam cardinalium habito discrimine, ostenderat in ejusdem regnis et principatibus, descendunt ³ :

¹ Acta Consist. M^o card. Spald. sig. num. 133. p. 48.

² Franc. Bole, l. XXIV. n. 21. — ³ Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 279.

« Venerabili fratri Joanni Poggio episcopo Troptensi in regnis Hispaniarum nuntio nostro.

« Venerabilis frater, salutem etc. Superioribus mensibus sub data videlicet tertio kal. Septemb. anni præteriti ex urgentissimis et fidem Catholicam concernentibus tunc expressis causis, unum subsidium quarta partis veri annui valoris ex omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum Ecclesiasticorum duorum integrorum annorum, in istis regnis et aliis tunc expressis dominiis, clarissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto eorundem regnorum regi Catholico, subjectis, ipsi Carolo imperatori consignandam, et per eum in defensionem fidei Catholicae et Christianae reipublicae exponendam », et infra « imposuimus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xv Julii MDCXVI, an. XII ».

96. *Gallum regem, Polonum, Venetos et alios principes Paulus hortatur, ut arma contra Lutheranos sumant.* — Pellicere vero in sacri hujus belli adversus Lutheranos societatem Catholicos reges nisus est Pontifex, atque in primis Franciscum Gallorum regem sollicitavit, ut ad sacrum fœdus accederet in impios, qui insidiis dolisque grassari non desinerent, horrendamque stragem animarum ederent, ac fastu inaudito negarent profecturos se ad Concilium Tridentinum, vel ejus decreta judiciaria admissuros¹ :

« Regi Christianissimo.

« Charissime etc. Ex quo tempore in hunc summi Apostolatus apicem divina providentia sublatus fuimus, semper ea cura in animo fuit nobis insita, quæ quidem nostro honori atque officio maxime conveniebat, ut et pacem procuraremus inter Christianos principes, et perniciosarum hæresum mala semina, quæ in Germania plurimum pollularant, sparserantque etiam inter alias aliquot nationes vim non modicam zizaniorum, extirpare possemus, satis intelligentes, nisi hoc posterius (Deo nos juvante) bene fuisset effectum, neque illud prius, quod pertinere ad pacem, commode posse effici, cum pateat omnibus, quoad bellum impium geratur adversus Deum (quod hæretici faciunt) paci inter homines stabilem locum non esse. Hac igitur cura semper nos exstimulante, urgenteque paterno affectu, quem habemus erga filios nostros, quorum tantum numerum perire quotidie dolebamus, nihil prætermisimus usque adhuc nec studii, nec diligentie, quo per leniora remedia, quæ boni parentis propria sunt, partim aversos a veritate fidei Catholice simpliciorum animos in viam rectam reduceremus, partim insidiis seclereque grassantes aliquo terrore comprimeremus, et usque ad ultimum quidem et summum auxilium generalis Concilii, te quo-

que, Christianissime rex, multum approbante, nobis necesse fuerit devenire; quo indicto congregatoque Concilio, cum speraremus aliquando malorum animos compunctos melius prospere-turos conscientie suæ, et simul paci tranquillitateque publica; jamque septem mensibus Concilium apertum manserit, aliquotque in eo actæ et celebratæ fuerint sessiones; non modo impii homines nihil moti sunt, ut quam debent obedientiam sanctæ matri Ecclesie præsent, sed ultro jactare et præ se ferre non desinunt, se ad Concilium non ituros, seque judiciis definitivibusque Concilii nec fidem ullam esse, nec honorem habituros, quod nunquam ulla natio tam fera fuit, aut tam immanis, nullus tam potens, tam superbus rex, qui ausus fuerit adversus Conciliorum generalium auctoritatem aut sentire, aut dicere, ut jam certum et exploratum omnibus esse possit, horum animos esse penitus immedicabiles, qui omnem ab sese et a suis mentibus tum venerationem divinæ religionis, tum humani juris æquitatem rejecerunt: quæ nos videntes magno quidem cum dolore, sed tamen misericordia moti erga Germanicam nationem, quam semper amavimus, quam amplam et florentem (sicut erat ante hæc dedecora perturbatæ in ea contaminatæque religionis) videre semper cupivimus, in ejus etiam commodum et honorem, quo his tot malis, quibus illa plurimum et premebatur et afflicta erat, propinquior esset medicina, universale Concilium Tridentinum in ipsius ejusdem gentis jure ditioneque indiximus, ad arma tandem coacti sumus respicere, potiusque adhibere vitiosæ parti scalpellum, quam pati totum corpus turpi et pestifera contagione corrumpi, ad quod nos consilium non voluntas nostra, sed necessitas ipsa deduxit, et contidimus quidem Deum bonarum cogitationum auctorem, hoc nostræ menti lumen prætulisse, sed tamen tua quoque, fili charissime, auctoritas, tua prudentia magno ad hujusmodi rationem inveniendam nobis fuit incitamento. Perspeximus enim semper, quid tu de hoc genere hominum judicares; quodque hanc labem atque pestem perversæ superstitionis a tuis populis atque provinciis esse arotam velles, in quo animi tui virtus, et erga Deum Omnipotentem præstans et singularis pietas, et tunc plane patefacta est, et nunquam postea eadem esse destitit. Nos certe ejusdem fidei et pietatis vestigiis ingressi, postquam de istorum salute et correctione desperare cepimus, cum charissimo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto, ad quem hæc res Germanica præcipue pertinebat, assidue ac diligenter egimus, ut susciperet curam ac negotium sanandæ illius fortissimæ ac nobilissimæ nationis, et quos auctoritate ac monitis non posset, eos ferro atque armis coerceret, in quod opus fœdusque sanctum, et nomini Christiano in pri-

¹ Paul. III, lib. brev. an. XII. p. 360.

mis salutare, nos quoque ea auxilia, easque copias ei obtulimus, et præstaturi sumus, quas non vires nostræ, neque Romana Ecclesiæ opes (superatur enim nostra facultas magnitudine rei) sed quas Dei inspiratio et ardens in nobis restituenda veræ religionis studium, ut offerremus et polliceremur, nobis suavit: quod ea re etiam studiosius fecimus, quod intelligimus tentatis tot aliis rationibus et modis, hanc unam esse reliquam, certam atque exploratam ad communem pacem et concordiam totius Christiani nominis perveniendi viam: ad quam incundam, ita nos paramus, ut confidamus (Deo Omnipotente freti) omnes Christianos principes cum dignitate et gloria sua, quemque in unum sacrum lædus et communem consensum esse coituros; atque hæc quidem consilia sunt, et præsentis cogitationes nostræ, quæ ut procedere melius et feliciter possint, cum in tua manu plurimum opis et momenti sit, hortamur majestatem tuam in Domino, eamque rogamus, ut non solum agnoscere, et acceptas habere rationes nostras, quæ ad Dei honorem et publicum hominum spectant, verum etiam eis lavere, atque adesse omni sua approbatione et auxilio velit, ac si preces et auctoritas nostra apud te vim habent, etiam te ipsum nobiscum non graveris conjungere, ut in hoc sanctissimo opere, et exequendo, et conficiendo partes eæ et honoris, et laudis, quæ tua virtute et Christianissimi cognominis gloria digne sunt, ad te ipsum perveniant, nec solum humanis, sed divinis etiam immortalitatis præmiis tanti in populos Christianos beneficii tui par gratia referatur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum die XI Julii MDCXLVI, anno XII ».

97. Junxerat antea cum ¹ Lutheranis anticitiam Franciscus rex, verum cum superiore anno ipsos hortatus esset oratoris opera, ut ad Ecclesiæ castra reverterentur, spernentes ejus monita deseruit. Cum etiam hæresis in ejus regno pullularet, Franciscus rex ad præfocanda ejus semina regiam operam adhibuit, nam cum Meldis profani hæreticorum ritus in sacris Edibus exercerent, ex iis circiter sexaginta deploratos carris Lutetiam judiciaria severitate damnari jussit; ex iis quatuordecim decreto senatus flammis exusti; reliqui virgis cadendi Meldam remissi, nonnulli exilio mulctati, quam animadversionem in hæreticos a cardinale Turnonio promotam ferunt: ea vero res idibus Novembris accidit, quæ aversum ab hæreticis regium animum demonstrat.

98. Concitare quoque visus est adversus Lutheranos Paulus Pontifex Sigismundum Poloniæ regem, illoque litteris exposuit, quantis studiis et priis laboribus Germanos ab hæresi ad vitam orthodoxamque religionem revocare per-

tentasset, eaque de causa indictum fuisse Tridenti Concilium, verum Lutheranos in pertinacia majore obdurnasse, et Concilii decretis stare abuisse, itaque spe eorum emendationis omissa, se opes viresque Romane Ecclesiæ ad comprimendam eorum insolentiam Cesari detulisse, ac Polonium rogavit, ut ad redigendos ad officium publicæ pacis hostes Polonica arma conjungeret, tum gloriam immortalem, quam in eo pio opere esset collecturus, proposuit:

« Regi Poloniæ ».

« Charissime, etc. Quo tempore ad summum Apostolatus fastigium (Deo ita disponente) sine ullis nostris meritis evecti sumus, cum alia multa gravia onera in nostros humeros incumbere intelleximus, tum illud præcipue officii nostri esse duximus, impiis ac pestiferis hæresibus, quæ in Germania exorte et corroborata, in aliis etiam Christiani nominis provinciis pullulare et serpere jam cœperant, tollendis atque extirpandis, animarum salutem et Ecclesiæ paci tranquillitatem consulere: itaque cum omnes curas nostras ad hujus mali originem in Germania abolendam convertissemus, miserantes casum illius nobilissimæ et huic sanctæ Sedi conjunctissimæ nationis, multos jam annos omnem operam ac diligentiam adhibuimus, ut illos populos, qui pietatis et religionis laude quondam maxime floruerunt, quique maximum et nobilissimum Christiani nominis membrum, antequam his contaminarentur hæresibus, fuerunt, sanaremus, et ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem reduceremus: quodque noster in eos paternus hortabatur affectus, fecimus, ut lenibus primo remediis eos sanare, ac nobis et sanctæ Catholicæ Ecclesiæ reconciliare conaremur, id, quod cum diu frustra tentavissemus omnesque conatus nostri irriti atque inanes fuissent, paulo efficacius remediis genus adhibere coacti sumus, itaque generale Concilium quemadmodum tua novit majestas indiximus, idque congregari in ea urbe volumus, quæ urbs illis et ad accedendum commoda et ad commorandum tuta esset. Tridentum enim delegimus oppidum in ipsius Germaniæ finibus situm, ac sane sperabamus, eos auctoritate Concilii generalis adductos, pertinaciæ finem facturos et ad Ecclesiæ obedientiam redituros, verum ea nos opinio tantopere tetelidit, ut majorem etiam quam antea pertinaciam acrioremque animum obstinationem præ se ferant: jactant enim et dictitant aperte ostendunt nullis apud se auctoritatis esse illud generale Concilium, itaque cum septem ul jam menses apertum fuerit, plurimique eo ex variis regionibus episcopi theologicique convenirent, aliquotque habite in eo et celebratae sessiones fuerint, nemo eorum illuc accedere, nemo adesse voluit,

seque ejus actis, decretis et constitutionibus minime staturos esse denuntiavit. Ita, quo eos remedio lecti et ab impietate deduci posse sperabamus, id eos vehementer etiam obturavit, et ad agnoscendam fidei Catholica veritatem alienatos reddidit : quamobrem hujusmodi frustra rationibus tentatis, nostraque moderatione et lenitate jam omnibus spectata, cum de eorum correctione desperaremus, neque pali deberemus id malum ad ceterorum contagionem ac perniciem confirmari atque augeri, coacti sumus contra atque voluissimus, ea consilia capere, per quae insolentium hominum furor atque impietas reprimeretur, pacique et tranquillitati publice consuleretur. Igitur cum charissimo in Christo illo nostro Carolo Romanorum imperatore egimus, etique optime sentienti facile persuasimus ut Catholice fidei, quam sibi maxime curae, (ut Catholicum principem decebat) esse semper ostendit, defensionem susciperet, et quando ne ipse quidem diuturna patientia mollibus visis ut jam diu conatus fuerat eam nationem corrigere potuisset, arma adversus eam, non minus pia quam necessaria sumeret. nostrasque illi et Sanctae Romanae Ecclesiae opes, quantae esse possunt, ad tam sanctum opus et tam quieti publice recuperandae necessarium detulimus : quam nos cogitationem cum Deo auctore susceperimus, qui religionem suam integram inviolatamque servari, et haereses ex Ecclesia sua loli atque exirpari vult, ejus etiam primo auxilio, deinde pio sanctoque subsidio Catholicorum principum, quos hujus pulcherrimae actionis societatem nobiscum in futuro esse speramus, celeriter eum quem meretur exitum habituram confidimus : in primis autem te, charissime fili, et de toto consilio nostro certiore facendum, et hortandum etiam duximus, ut cum nos ad hoc bellum suscipiendum gravissimis et maxime necessariis causis compulsos esse intelligas, pro tua perpetua erga Deum religione, erga hanc sanctam Sedem et rem Christianam studio atque observantia, de quibus tu et praedecessores tui religiosissimi principes optime meriti sunt, nobiscum te conjungas, et contra perditos atque impios homines pacis Ecclesiae turbatores, susceptum bellum tuis opibus adjuves : qua actione nullam suscipere potes, quae aut tutela regni tui accommodator, aut Deo acceptior, aut nominis tui futura sit gloriosior. Datum Romae apud Sanctum-Marcum die in Julii MDXLVI, anno XII ».

99. Sollicitatus fuerat superiore anno Polonus a Caesare, ut sibi adversus Lutheranos et Turcas subsidio esset, atque ille Caesari non defuturum sponderat, ut refert Franciscus Belcarius Metensis episcopus¹ : « Caesar, inquit,

ad Poloniae regem legatum miserat, et se jam multos annos totis viribus laborasse significat, ut omnes Christiani principes in Turcam uno consensu arma sua converterent, solas religionis controversias impedimento esse : ea ut componantur, aut penitus tollantur, Concilium magno suo labore Tridenti indictum, rogare ut legatos suos eo mittat, Concilium approbet, cui Protestantes, si in contumacia sua perseverent, cum ceteris Christianis principibus parere cogat. Omnia principum Christianorum robra adversus Turcam explicari. Polonus se mirum in modum desiderare respondit, ubi se haud postremum fore spondit : desiderare non minus religionis concordiam ac tranquillitatem, quidquid ad id conducit, pro virili parte se libentissime praestaturum, Caesari amico et affini quum res postulabit, non defuturum ».

100. Monuit etiam Pontifex Franciscum Donatum ducem Venetorum, Lutheranos nihil honoris vel obedientiae Concilio Oecumenico deferre voluisse, ac petulantissimis dictis scriptisque Ecclesiae auctoritatem quotidie violare, latiusque venena diffundere : itaque se adactum necessitate, bellum in eos cum Caesare decrevisse, rogassetque Francorum regem, ut ad domandam tantam perditionem, defendendumque e Germaniam tantum dedecus, asserendumque Christiani nominis splendorem auxilia conferret : demum ducem senatumque Venetum precibus urisit, ut acceptam a majoribus, qui toties contra infideles pro tuendo religionis splendore arma arripuerant, gloriam praeclaro hoc facinore in conjungendis contra Lutheranos subsidiis cumularent. Tentati vero fuere Veneti variis promissis a Lutheranis, ut se ilhs ad deprimendam Caesarem potentiam nimium ipsis suspectam conjungerent, ut refert Angelus Massarellus his verbis¹ :

« XVIII Julii reverendissimi domini legati miserunt me ad illustrissimum dominum Dida cum oratorem Caesarem, qui dixit mihi contenta in litteris imperialibus; videlicet, quod imperator conquestus sit cum oratore Veneto Ratisbonae, quod orator Venetus Romae conatus sit suadere Pontifici, ne uniatum Caesareae majestati in hoc bello contra Lutheranos. Secundo, quod cadat suspicio Venetis, ne Pontifex et imperator hac occasione aliqua loca Venetorum surripere velint. Tertio, quod admiserint oratorem Lutheranorum Venetis, cui dixerint, ne timeant bellum imperatoris, quia neque Pontificis, neque Caesaris pecunia diu hoc bellum sustinere poterunt, quare perseverent in suis opinionibus, quia sic perdurando per quatuor menses, non deerunt, qui in sui favorem se discooperiant : qui orator Lutheranorum obtulit Venetis decem milia peditum et mille quin-

¹ Franc. Belcari. l. XXIV. num. 10.

¹ Inar. Conc. Trid. inct. Ang. Massarell. Ms. arch. Vat. p. 159.

gentos equites in suis occurrentiis : quare mandat Cæsar oratori Didaco, ut Venetias se conferat ».

101. Nil valere Lutheranorum artes, nam Veneti conjuncti hæserunt Cæsari ac Pontifici, cuius extant ad eos subjecte litteræ ¹.

« Dilecto filio nobili viro Francisco Donato duci Venetorum.

« Dilecte fili etc. Profecto res sic se habet, ut qui a Deo penitus se removerint, hi toti in potestate contrarii dæmonis sint; non modo enim impii hæretici, nihil honoris neque obedientiæ Concilio detulerunt, sed et dictis et scriptis nefariis et petulantibus quotidie illius nomen et auctoritatem non desunt violare: hoc nos moti dolore, qui non tam ex nostra, quam ex Dei omnipotentis illiusque sponsæ sanctissimæ injuria et contumelia in nobis est excitatus, postquam alia remedia nil profuerant, et profutura in posterum desperavimus, circumspeximus jam diu mente et animo, si qua offerretur occasio alia ratione experiendi, quod obtineret precibus nequimus, ut scilicet hæc tanta pestis e Christiana republica ejiceretur: cum interea non sine nutu et providentia summi Dei charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus in cuius maxime munus atque officium illa Germanicæ sanandæ nationis cura incumbat, eisdem rationibus motus accessit ad hanc voluntatem, ut bello atque armis purgandam pravis vepribus et spinis Germaniam, deusque et splendorem veteris, sanctæ veræque religionis, illi nobilissimæ nationi constitueret restituendum: cui nos quidem omnibus nostris et sanctæ Ecclesiæ auxiliis atque opibus, statumus non deesse, sed ut in re magna atque gravi, et cuius utilitas in omnes pios principes et populos communitur est redundatura, cogimur etiam aliorum auxilia implorare quicumque sunt, qui causam Dei, et integræ ac puræ religionis adjutam et defensam velint, et ad charissimum in Christo filium nostrum Franciscum regem Christianissimum, hæc de re scripsimus, quasi pro certo nobis pollicentes, ejus majestatem semper ad fidei Catholice defensionem paratam, eas partes in favorem hujus sanctæ expeditionis suscepturam, quæ digna illius virtute et præstantia animi sunt, et ad tuam item nobilitatem, istudque amplum et illustre dominium scribendum duximus, ut cum virtute et religione præditi, usu moreque majorum vestrorum, et vestro, sæpe contra infideles pia arma tuleritis, velitis quoque in hac causa nobis, vel potius Deo, ejusque divinæ fidei ac religioni suffragari: quare nobilitatem tuam in Domino hortamur, ut intellectis et consideratis eis causis omnibus, quæ supra a nobis

propositæ sunt, quæque nos necessario ob munus et debitum nostri officii moverunt, velit id accipere in partem optimam, quod a nobis ad publicam utilitatem Christiani nominis gestum est, tum etiam causæ et defensionis Catholice fidei sua ope adesse, ut bona pars, et gratiæ apud Deum, et apud homines gloriæ, ad laudem vestræ inclytæ civitatis, et ad cætera ampla atque honorifica vestra et majorum vestrorum facta, accedat. Datum Romæ apud S. Marcum die in Julii MXXVI, anno XII ».

102. Reliqui etiam Italiæ principes ad hanc gloriosam in defendenda religione societatem provocati fuere, Catholicos etiam Germaniæ principes hortatus est Paulus, ut arma cum imperatore Carolo V ad contutendam Lutheranorum, qui Ecclesiæ parere recusabant, prociaciam arma conjungerent, inter quos Moguntinum archiepiscopum incitavit, ut pietatem in Deum studiumque religionis asserendæ in ea occasione explicaret, maxime cum certum discrimen dignitatis et vitæ immineret Ecclesiasticis, si Lutherani (quod Deus avertat) victoria potirentur ²:

« Archiepiscopo Moguntino.

« Venerabilis frater etc. Quod semper cogitavimus (Deo nobis inspirante) et quod propositum consiliis nostris habuimus, ut aliquo modo aliquoque non minus necessario quam salutari remedio istis furoribus impiarum hæresum, quibus maxime afflicta et vexata est Germania obviam iretur, postquam lenia remedia, quibus jamdiu usi sumus, nihil adhuc profuerunt (etiam Concilio generali a nobis indicto et ab illis superbissime contempto) ad illud extremum accessimus, quod non voluntas nostra, sed ipsa necessitas reliquum nobis fecit, ut fœdus sanctum et salutare cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto iniremus ad impios homines, quos ratio bona docere non posset, armis frangendos et reprimendos: quis enim est, qui alia pulchra medicina eos posse corrigi, qui diu Deo et Ecclesiæ rebelles, violatis omnibus et divinis et humanis legibus, nomine ipso Christiana appellationis ad omnes suas cupiditates improbe satiandas solum abusi sunt? ac invenimus quidem in summo imperatore Carolo eam virtutem et magnitudinem animi, quam speraveramus, nihil enim religiosissimus et præstantissimus princeps, neque Deo, neque nobis, nec suæ amplitudini dignitatique negavit: sed reliqua cura nostra est, ut omnes cohortemur et moneamus, qui in honore et principatu aliquo positi, bene de Deo et fide Catholica sentiunt, ut si quem sperant, unum se habituros locum gratiæ Deo pro acceptis ab ipso beneficiis referendæ, sciant hoc tempus

¹ Paul. III. lib. brev. an. VII. p. 292.

² Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 248.

nunc opportunissimum esse, pietatem suam et animum erga Deum gratum declarandi, si convenire nobiscum in hoc sanctissimo fœdere, et adjuvare Dei ipsius causam, non solum voluntate et studio, sed etiam opibus suis armisque insistant: quod nos in primis abs te, venerabilis frater, expectamus, qui Ecclesiastica dignitate eximia fulges, sacrique Romani imperii elector, et natione ipse Germanus debes, et hunc animum et hoc auxilium, et Deo et patriæ et dignitati inde tuæ: hoc etiam magis quod si istorum amentia manserit impunita, facile est cognoscere, impios homines ita omnia esse occupatos, ut nec tibi, nec cæteris, qui honoribus nunc insignes sunt, locus futurus sit, non solum dignitatis, sed ne incolunitatis quidem suæ diutius retinendæ: quare pio animo erga rempublicam Christianam, ipsamque præcipue Germaniam moti, quam vindicare in summum honorem pristinum, et liberare a domesticis hostibus cupimus, hortamur fraternitatem tuam in Domino, impenseque ab ea petimus, ut se nobiscum et cum clarissimo imperatore conjungere, omnibusque suis et suæ Ecclesiæ opibus juvare Dei causam, et communem omnium Christianorum velit, in quo opere sancto et laudabili quantum tua virtus ad utilitatem publicam attulerit, tantum eo plus mercedis et præmii, primum a Deo summo remuneratore omnium bonorum operum, deinde a nobis quoque, et ab ipso serenissimo imperatore est receptura. Datum Romæ apud S. Marcum in Julii MDCXVI, anno XII ».

103. *Hermannus Coloniensis a Sede deturbatur propter apostasiam.* — Decretoria quoque sententia detulit Paulus XVII kal. Maii, omnique archiepiscopali jure deturbavit Hermannum archiepiscopum Coloniensem nequissimum apostatam, qui postquam in varias libidines turpi levitate se effudisset, demum in hæreseos Lutheranae abyssum prolapsus, conjunctus cæteris Protestantibus, populos antea subditos trahere in exitium annitebatur: « XVI Aprilis MDCXVI », inquit Acta Consistorialia ¹ « fuit Consistorium: pronuntiatum in causa Coloniensium, prout in cedula ». A qua sententia nefandissimus apostata ad hæreticorum conciliabulum provocavit fretus nobilium et plebeiorum multitudine, quæ hæreseos laqueis fuerat irretita. Diutius Pontifex sententiam in hæreticum præsulem distulerat, cum mansuetudine illum ad officium redigere pertentaret, atque ad sententiam in opus adducendam Cæsaris armis opus esset: in Hermanni vero locum subrogavit Adolphum ex comitum Schwembergensium nobili prosapia satum tuende fidei Catholicæ studiis præstantem, qui Hermanno multis

annis coadjutor extiterat, et Colonienses illi omni opera adesse, fortissimeque Hermanno obsistere jussit, tum Acta judiciaria in Hermannum confecta ad ipsos transmisit ¹:

104. « Dilectis filiis capitulo, et clero, senatui, necnon Universitati studii generalis Coloniensis.

« Dilecti filii etc. Dominus Deus noster, qui initio rerum creandarum subito fecit e tenebris lumen splendescere, non desinit nostris etiam temporibus, quasi in fine sæculorum, eisdem mirabilibus suæ Omnipotentia operibus firmare et statuere ea quæ creavit, qui, cum essent offuse tenebræ tot jam hominum et paucè populorum mentibus, ut lux veræ et immaculatæ religionis per impias hæreticorum suasionem et doctrinas esset illis abscondita, vosque circumfusi hac velut nocte essetis, vestrum tamen et clerum, et populum, vestram istam inclytam et nobilem civitatem sole justitiæ suæ et divino lumine veritatis fulgere semper voluit, tanto majore suæ in vos benevolentia charitatisque testimonio, quanto cum qui vobis lux esse debebat, is fuligo factus sit, vos tamen lumen vobis ipsis fuistis, et in unum Deum ejusque sanctam et immaculatam sponsam matrem vestram Ecclesiam inuentes, illam potius audire, illique obtemperare, quam falso ejus vicario et interpreti voluistis: quod vestrum factum egregium et memorabile, nulla deinceps ætas non omnibus laudibus in cælum sublatura est: habetis amplam et magnificam civitatem, florentissimum populum, clerum modestiam et religione insignem, vigent in vobis rerum divinarum et humanarum studia, optima artes, præclara officia, sed nihil est præstantius, quam hoc nomen, quod per constantiam et sanctitatem religionis vobis acquisivistis; cui vestrae virtuti non facile cernimus, quæ antiquorum virtus possit comparari: itaque, et gratulamur vestrae laudi affectu veri patris, et devotiones vestras in Domino de hac re plurimum commendamus, ac quod ad nostrum munus et officium pertinebat, fuimus fortasse ad malum præsulem a vobis amovendum aliquantulo tardiores, quam videbatur justa severitas postulare; præsertim cum ille etiam antequam in hoc se barathrum hæreticæ impietatis præcipitasset, levitate quadam et amentia ductus, nunquam sui honoris, nunquam sui decoris habuisset rationem: sed nos, dilecti filii, partim nature nostra, quæ ad humanitatem est propensa, partim etiam imitationi Dei Creatoris nostri, qui justus et patiens, multumque misericors, libentius expectat in peccatore penitentiam, quam intelligit penam, servire aliquandiu voluimus; nunc maturo jam tempore, ipsa justitia cogente, servatis omnibus rebus, quæ debebant

¹ Act. Consistor. Ms. card. Spada sig. num. 133. p. 481. Franc. Belg. l. XXIV. num. 20.

¹ Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 216.

servari, ipsum Hermannum archiepiscopum olim vestrum, qui dudum Catholica religione rejecta, pro Dei et Ecclesiae filio, factus est Sathanae et impietatis filius, ipso archiepiscopatu privavimus, eumque ab omni cœtu piorum ejcimus, caeteraque egimus et fecimus, quae ad nostram in pro latæ sententiæ plenam executionem visa sunt pertinere: quam nostram condemnatoriam privatoriamque sententiæ, cum cæteris actis, quæ intervenerunt, ad vestras devotiones mittendam esse duximus, non solum ut cognosceretis justissimum decretum deliberationis nostræ, verum etiam ut ad id mandandum executioni, omni vestra ope omnique auxilio adesse studeatis, id etiam vos hortantes, ut depositi jam archiepiscopi condjctorem, quem nos vestrarum devotionum testimonio probum, et pium, et prudentem esse cognovimus, ad suscipiendum onus regendæ et administrandæ Ecclesiæ cohortemini, eique vestra ope faveatis, et assistatis, ad quem nos quoque scribimus, idem postulantes. Vos itaque, dilecti filii, quibus vere Deus pater, et sancta Ecclesia Catholica est mater, qui virtute et pietate vestra estis meriti, ut et nobis et cæteris in visceribus suis positi paternæ fraternæque charitatis, pergit, ut a vobis ceptum est, habere Deum semper vobis propositum, fidemque sanctam, quam patres et majores nostri ab Apostolis usque, perpetua successione, pie constantique coluerunt, et factis vestris præclaris et scriptis, sicut adhuc fecistis, adversus impios defendite: magna est vobis parata apud Deum gratia, magnus apud homines honor. Nos quidem, qui illius vices in terris, quanquam indigni, gerimus, qui honorum operum summus remunerator est, non solum nostram vobis paternam benevolentiam, sed et facultatem spiritualis hujus potestatis, quæ a Deo nobis est tradita, vestris commodis et honoribus omnem offerimus et pollicemur, id gratissimum habituri, in quo vobis rem gratam facere poterimus. Dat. Romæ apud S. Marcum die in Julii MDXLVI, anno XII.

105. *Insurgent Protestantæ adversus Cæsarem.* — Explicere Colonienses eximia pietatis et constantiæ exempla, proximoque anno cum Cæsar victor Lutheranos conjuratos frogisset, pulso Hermannæ hæretico, restitutam toti Coloniensi diocesi religionem Catholicam ab Adolpho successore visuri sumus. Extulerat autem se adeo Lutheræ potentia, nimia Cæsaris clementia abusa, ut adis atque aliis in dies principibus et civitatibus in suas partes pellectis, extremi exiti terrorem intentaret, nam recenter præter Hermannum Coloniensem, etiam Fridericum Palatinum Lutheranæ hæresis intererat, ac nil propius acrat, quam ut Cæsarem Germanico imperio depellerent conjurati, quod utique ns facilissimum fuisse constat, nisi Deus malam eorum mentem turbasset: dum enim

Cæsar Ratisbonenses conventus inanes ageret ¹, illi tantas copias contraxere, ut ad nonaginta pedum millia, equitum vero decem millia ascenderent, atque in castris maximam tormentorum bellicorum copiam haberent, quæ si recta Ratisbonam contendissent, non iis pollebant viribus Cæsar, ut resistere posset: nam ex longinquis partibus contrahenda ejus copie fuerunt, ex Italia, ex Pannonia, ex Belgio: misit quidem Paulus Pontifex ad Cæsarem, cum quo fœdus inerat, duodecim circiter millia pedum, equites vero mille, e quibus ducenti a Cosmo Medice Florentino, centum vero a Ferrariensi mittebantur. Præfuit vero illi exercitui subsidiario Octavius Farnesius Pontificis nepos, cui Alexander Farnesius ² cardinalis legatus adjunctus est, qui de se ac fratre Octavio hæc refert in Actis Consistorialibus:

« Roma die xxv Junii MDXLVI, fuit Consistorium, in quo fui deputatus legatus de latere ad serenissimum principem Carolum V semper Augustum, ac exercitum, quem sanctitas sua contra Lutherana et aliarum damnatarum hæresum in partibus Germaniæ sectatores ad præsens destinavit, et quatenusque provincias, terras et loca, ad quæ me cum eodem exercitu, vel sine illo declinare configerit, cum facultatibus in litteris exprimentis.

« Die Dominica iv Julii MDXLVI, in Ecclesia B. Mariæ de Ara-Cæli post celebrationem Missæ congregatis ad hoc reverendissimis DD. cardinalibus, S. D. N. me legatum de latere ad serenissimum principem Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, ac exercitum, quem sanctitas sua contra Lutherana et aliarum damnatarum hæresum in partibus Germaniæ sectatores destinavit, a sanctitate sua nuper creatum ante Crucem genuflexum stantem, benedixit, dicens solitas orationes, osculatoque pede sanctitatis suæ, recessi ad meam legationem profecturus: quem reverendissimi cardinales usque ad B. Mariam de populo de more comitati sunt. Fuit etiam deputatus capitaneus generalis dicti exercitus illustrissimus D. Octavius Farnesius, cui similiter genuflexo ad pedes suæ sanctitatis, stanti sanctitas sua dedit vexillum cælesti benedictione sanctificatum, prout in libro caeremoniarum continetur, acceptoque dicto vexillo, et osculatis pedibus ejusdem sanctitatis suæ, ipse D. Octavius cum suis statim recessit. Præter Pontificium auxiliarem exercitum, ex Belgio Maximilianus Egmondanus Burani comes bellica peritia florentissimum decem millia pedum equitumque quatuor millia adduxit. Præterea Cæsar Germanorum sedecim millia contraxit, Hispanorumque octo mil-

¹ Indolent. Av. V. c. 1. et c. 2. Interrogans, Surin in Comm. Belgionum tom. 2. c. 1. et c. 2. de Bo. c. 1. et de Belgionis, Parvins. ² Av. c. 1. et c. 2. Interrogans. Ms. card. Spade sig. num. 2. c. 1. et c. 2. Dat. Av. c. 1. et c. 2. Interrogans.

lia praesto illi affuere, quibus plerique se conjungere, quarum copiarum militari imperio Ferdinandum Alba ducem praefecit.

107. Belli initium fecere Lutherani¹, ineunte Julio, duce Sebastiano Scertelo, qui cum Vindeliciis copiis Fiessam Augustani episcopi oppidum ad Lycum annum obsedit, arcemque VI idus Julii deditione cepit: Clusa mox atque Erebergo Ferdinandi arce in Alpium exitu potitur, quibus praesidio firmatis Oenipontem oppugnare decrevit, ut Pontificiis copiis ac caeteris Italicis aditum in Germaniam praecuderet. At Lutheranorum consilia irrita ceciderunt, nam Franciscus Castelalfus Ferdinandi regis ad Tridentinum Concilium orator, coactis duodecim pedum millibus, firmissimum praesidium Oeniponti imposuit, atque itinerum angustias occupavit, de quibus haec Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini scribit²:

«XIII Julii cardinalis Tridentinus dixit se recepisse litteras ex Germania, quod dux Wittembergensis occupavit Clusiam, quam vocant, locum scilicet angustum: post Oenipontem, ut recepto illo transitu, impediatur aditus Italicis militibus in Germaniam transgrediendi, quod dux habeat viginti quinque millia militum, et conatur ulterius progredi ad Oenipontem, cui ex adverso obsistit illustrissimus P. Franciscus Castelalfus cum octo millibus militum, et quod tot alii conscribantur usque ad summam viginti quinque millium, quare velit mittere cursorem ad reverendissimum cardinalem Farnesium, qui cito huc advolet cum exercitu, rogavitque ut reverendissimi legati idem scriberent, quod et fecerunt».

Decimo tertio post die pervenit Tridentum auxiliaris Pontificius exercitus, de quo haec subdit idem auctor³:

«XXVI Julii illustrissimus D. Octavius Farnesius capitaneus generalis exercitus, Joannes Baptista Sabellus generalis equitum, Alexander Vitellius generalis peditum, Paulus Vitellius, Fridericus Sabellus, Julius Ursinus, Sforzinus Sfortia de S. Flora Columelli, necnon alii quamplures capitanei et nobiles ad summam fere sexcentorum a legalis honorifice splendideque recepti sunt: dum in prandio erant, omnis exercitus suo ordine ante mensam reverendissimorum legatorum pertransiit, qui exercitus esditum duodecim millium, et equitum octingentorum, et omnes sunt Itali, quos tamen sequuntur ultra quingenti nobiles Italicis, qui sua pecunia militant, cum causa religionis bellum hoc susceptum sit, nempe contra Lutheranos». Jure vero sensere vim ferri Pontificii hostes, qui per Ilyem in profanis ac impiis commediis Pontificiae illuserant majestati.

108. Interea Albanus dux⁴ cum aliis Caesaris copiis in Scertelum signa extulerat, quare ille territus ad foederalorum perduellium exercitum, qui ad Danubium castra fixerat, se recepit, quo digresso, Caesarei Copslenum cum magna Lutherani praesidii strage receperunt, necnon Billingham, Augustani episcopi oppidum, arcemque X kal. Augusti deditione ceperunt. Quo die Caesar, qui tandem proferviam ac perduellionem Lantgravii Hassiae et Friderici electoris ducis Saxoniae pertulerat, eum fastu turbido illum imperio deturbare molirentur, tantaque contemptus significatione bellum indicerent, ut non Caesarem, sed Carolum Gandavensem, qui Caesaris nomen sibi arrogaret, appellarent (adeo vera existerent Clementis VII ad Carolum V monita ante viginti annos data, Lutheranos excusso Pontificio jugo Caesarem quoque depellere meditatores) edictis in eos editis decretoriam prescriptionis sententiam Ratisbonae, quam parte exercitus ad sui custodiam reservata firmaverat, pronuntiavit, in qua eas causas recensit, Lantgravium et Saxonem sibi Germania dissidia componere annitentis semper obstitisse, tyrannidem in alios imperii ordines exercuisse, bella propria audacia suscepisse, Brunsvicensem principatus possessione depulisse, plures episcopos et alios Ecclesiasticos clientes imperii oppressisse, multos suis bonis religionis praetextu spoliasse, Ratisbonensia comitia contempsisse, sibi imperatori parere recusasse, necnon publicis scriptis calumnias et probra in Caesarem majestatem sparsisse, plures conventus ad invidias conjurationes coegisse, exterius etiam nationes adversus imperium concitasse, omniaque elementiae officia erga eos exhibita contemptu protrivisse, quod edictum subjectis verbis conceptum est⁵:

109. *Edictum imperatoris contra rebelles.* — «Nos Carolus V, divina favente clementia, Romanorum imperator etc. Significamus omnibus et singulis electoribus, principibus, tam spiritualibus quam saecularibus praelatis, comitibus, baronibus, capitaneis, praetoribus, consulibus, iudicibus, civibus civitatum, et aliis universis et singulis Romani imperii, ejusdemque status sint, praecipue autem Joannis Friderici ducis Saxoniae, et electoris, et Philippi Lantgravii Hassiae subditis, his nostris litteris a fide dignis transscriptis, salutem nostram et omne bonum. Reverendi, illustres, dilecti, nepotes, electores, principes, comites etc.

«Quamvis ab initio nostrae imperialis gubernationis, in quam omnipotens Deus nos legitima electione constituit, ex innato amore, quo sacrum imperium Germanicae nationis, sicuti dilectam nostram patriam semper am-

¹ Franc. Belg. l. xxiv. num. 21 et 22. — ² In Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Mass. Secret. Ms. arch. Vat. p. 458. — ³ Diar. Conc. Ms. arch. Vat. p. 461. et aliud Ms. sig. num. 3132. p. 206.

⁴ Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. — ⁵ Ms. Franc. cardin. Barber. sig. num. 2678. p. 158.

plectimur, sensum nostrum eo direxerimus, ut Germanæ nationis honorem et commodum pro viribus nostris procuraremus. Quamobrem sæpe sapius hæreditaria nostra regna non parvo nostro dispendio deserimus, tum etiam, ut jam a multis annis periculosissimis et noxiis erroribus religionis, in quibus ipsa Germana natio nostris temporibus gravissime occupata existit, liberaretur, clementi et paterno animo non parva exhibuimus officia, ut has perniciosas Germaniæ discordias in bonam unitatem et incrementum dissidentiae ordinem imperii, in amicam et bonam reconciliationem adduceremus, tam studiose, ut animus noster nullo tempore alia prædicitis fuerit voluntate, nec sit, quam ut semel predicti errores, sicuti multa habita comitia et ordinum initia voluntatis nostræ testimonia perhibent, per generale Concilium aut alia idonea media conciliantur et ordinentur, in quo nos adhibito consilio ordinum, imò pro nostra propria persona nihil intentatum reliquimus, quod nobis visum est erroribus istis aliquid commodi allaturum, quod etiam nos ab initio nostræ imperialis gubernationis, et huensque erga universos et singulos imperii subditos talem ostenderimus, quod nulla bona fide nullus in nos transferre potest, quin veram Christianam religionem et Germanæ nationis libertatem conservaverimus, quamvis aliqui injurii contrarium sine ulla veritate, temere proprio malevolo animo vobis persuadere intendunt: hoc ipsum testimonio esse potest, quod nulli rebellionis causam dedimus, imò pacem, commodum et concordiam Romani imperii semper quesivimus singulis comitiis omnem operam adhibendo, ut Christiani sanguinis et nominis immanissimus hostis Turca, et alii infideles, præcipue illi, qui Christianis fere in foribus sunt, debellarentur.

« Præterea (quod charitates, paternitatesque vestras haud lalet) omnes et singuli, tam supremi quam inferioris gradus ordinis, membra et subditi imperii nobis uti naturali suo domino et capiti, vinculo juramenti obstricti promisistis, nunquam in illis locis inveniri, ubi contra nostram personam iniretur consilium, sed nostro et sacri Romani imperii commodo semper prodesse, detrimento autem quantum ad vires vestras pertineret, nunquam adesse, et si aliquis consiliis contra majestatem nostram sive personam consuleretur, certior fieret, id absque omni mora et tarditate ad nos referre teneretur.

« Insuper etiam in nostra imperiali pace et secutis inducis clarissime continetur, tum in religiosis, tum in aliis rebus, quod nullus alterum, quovis prætextu ad fieri possit, debellet, molestet aut perturbet, neque de suis possessionibus pellat, et suæ religioni adharere cogat, subditos etiam suos nulla ratione ad fu-

giendum invitet, et fugitivos illos suæ ditioni adjungat. Cum autem præcipuum munus nostrum sit, sicuti Romani imperatoris est, cui divina providentia in omnes imperatoris subditos data et commissa est superioris potestas, auctoritate nostra imperiali supradicta conservare obediens in pace et jure bono defendere, et injuriosam aliorum potentiam depellere, rebelles vero et corruptores imperialis nostræ pacis, adhibitis omnibus idoneis modis, ad debitam obedientiam redigere, cum nulli, cujuscumque status, conditionis, seu religionis fuerint, cum divinis, tum humanis statutis nequaquam concessum sit, in nos temere manus inferre, et debitam suam obedientiam, qua nobis constrictus est, abstrahere, quod bonis politicis gravem jacturam afferret, imò singulorum subditis, quibus per hujusmodi exempla rebellionem in magistratum suum exercendi campus pateret.

« Attendentes, quod spreto nostris officiis, supranominati Joannes Fridericus dux Saxonie elector, et Philippus lanthgravius Hassiæ, jam per longa tempora, mera propria temeraria voluntate et pertinacia adducti, omni nostræ adhibite diligentie, labori et sæpissime habitis actionibus, quibus ut supra dictum est ad sustinendam Romani imperii pacem et tranquillitatem, et deponendos multifarios illius errores incubuimus, hæcenus pro viribus impedimento fuere, detracta propria et decenti nobis obedientia: insuper etiam alios ordines et membra sacri Romani imperii clanculum initis multis prohibitis conspirationibus ad hujusmodi inobedientiam compulerant, sedulo operam dantes, quo pacto nobis in nostra consueta imperiali potentia jacturam aliquam inferre possent: quod primitus lanthgravius neglecto et non respecto eo, quod siculi membrum sacri imperii, nobis et imperio subiectum haud decere ullam tyrannidem in alios imperii ordines exercere, neque ullum bellum ignorantibus nobis inferre. Nihilominus contra aliquos ordines sub prætextu juste inferendi belli, propria audacia, bellum suscepit, eos graviter gravans, partim tributum imperans, partim vero principibus et dominis suis depellens. Nec his contentus, una cum Joanne Friderico electore Saxonie sibi similem principem et commembrum imperii, rebellavit, non expectans sententiam judicis, sed propria in eundem principem, qui suum principatum nostra et imperiali auctoritate possidebat, de principatu prædicto deiecit, adhuc dominium illud occupans, aliquos etiam principales episcopos, multasque dioceses et prælaturas, comitatus et dominia, qua hæcenus sicut membra Romani imperii a nobis et ipso imperio cognita, nobisque et sacro imperio debitam obedientiam præstant, a quibus sæpissime in habitis comitiis supplicati, ut eos in veteribus eorum

regalibus sustinere deberemus, curaque ne ulla calumnia illis inferretur, Romano imperio, et nobis abstrahere, suaeque ditioni adungere conati sunt; quemadmodum multos imperii subditos violenter et temere sine ullo bono jure contra mandata nostra in suam obedientiam redactos, adhuc possidentes, insuper multos tam supremi quam inferioris gradus ordinis, suis redditibus spoliaverunt eos, clanculum calliditate sua sub praetextu bonae religionis, eo verentes, ut defensionibus suis se commiserint, praedicta omnia nulla alia ratione facientes, quamque nobis uti naturali domino nostros et imperii subditos subtrahant, ut suo dominio adungere possint.

« Similiter ex mera perversitate aliquos ordines eo compulerunt, quod haec nostra Ratisbonensia comitia invisitata reliquerint cum maxima nostra ignominia et impedimento gravissimarum imperii causarum, quod propterea seposita omni cura facere ausi sunt, quia neque iudicium neque magistratum agnoscunt, sed omnem administrationem iustitiae tali ratione taliter turbant, quod iustissimis iudicium sententias non solum rebellatum est, eo modo, quod nulli per spatium dici et anni iustitia administrari potuit, quod non solum graviter ferendum est, verum etiam dolendum, quod multis oppressis miseris et spoliatis a contra partibus juri non parum detrimenti parit, et apud externas nationes minimis laudibus extollitur; id autem universos praeter omnibus gravat, quod faciunt praedicta omnia bonae religionis sustentaculo, pacis, iustitiae ac Germanae nationis libertatis praetextu, quibus ut obice suorum malefactorum utuntur, cum tam vera Christiana religio nullo modo jubeat huiusmodi facinora perpetrare, et in sacra Scriptura, et aliis fide dignis scripturis et historiis contineatur, quod primi Christi fideles, qui non solum verbis, sed effuso sanguine proprio fidem suam in publicum dederunt, etiam gentilibus imperatoribus et regibus debitam exhibuerunt obedientiam, quanto magis indecens reputandum est, quod praedicti inobedientes notorie perfidi, nobis naturali eorum domino debitam obedientiam praetextu bonae religionis subtrahere conantur.

« Significamus ergo omnibus et singulis, eos nulla alia ratione id facere, quam ut postremo nos auctoritate nostra imperiali, corona sceptroque spoliarent, ac una cum religione, pace, iustitia et libertatibus opprimere possint, proprium suum commodum et honorem ambiciosius rationibus querentes, quod aperte ex illis frivolis scriptis videre est, quae in dilectionibus suis in publicum dederunt, in quibus maximis opprobriis et calumniis affecti sumus, quod sane nulla alia opinione fecerunt, quam ut vulgus ad tumultuosas discordias incitentur.

« Praeterea non solum conspirationes et con-

venticula contra nos collegerunt, sed etiam multas externas nationes insidiosae in nos excitaverunt, quibus polliciti sunt eas, pro viribus omnibus modis quibus nobis noceri possunt, juvare, quarum rerum aliqui, si necessitas postularet, produci possent, qui testimonium perhiberent, et quo pacto Germanam nationem cum immanissimo Turca periculis exponere operam dederunt, ut tandem illis campus pateret tyrannidem exercendi juxta desiderium animi sui, neglectis illis juramentis, quibus nobis uti imperatori Romanorum et naturali domino obstricti reperiuntur, necnon in contemplum et detractionem nostrae imperialis auctoritatis: et contra imperialem nostram pacem secutasque inducias, ausi sunt asserere praedictas politias nullam aliam ob causam erectas esse, quam ut obedientibus naturalem et concessam defensionem auferrent, ob idque illis e contra concessum esse, omnes inhibitas et injustas machinationes in imperii obedientes ordines excogitare.

« Quibus enumeratis rationibus, nempe rebellione et detractione nostrae imperialis celsitudinis, castigatione nostram meritis esse, haud narrare necessarium putamus, quandoquidem nemini eorum perpetrata facinora non comperta sunt; ex quibus quamvis non modicae occasiones nobis datae fuerint, praedictos Saxoniae ducem et Langgravium lassiae debita et benemerita poena afficere: tamen ad sustinendam pacem et cavenda bella, id clementissime omisimus, illis multo pluris quam nos dederat, non parva lesione nostrae conscientiae, maximoque dispendio multorum ordinum, hactenus non solum peperimus, verum etiam principio proximis habitis Ratisbonensibus comitiis erga Langgravium et in Spirensibus erga electorem Saxoniae, quam clementissime nos ostendimus, putantes eos per nostram offensam clementiam a rebellione et inobedientia sua revocare.

« Sed postquam re ipsa comperimus paternam nostram clementiam et patientiam apud electorem et Langgravium languere, eosque nobis hactenus non solum verba dedisse, factis autem nihil respondisse, sed omnem eorum operam eo directam esse, ut nostris imperialibus politis reclaque religionis paci impedimento futuri sint, cum maxima abusione nostrorum mandatorum, quae ad sustinendam religionem in imperio Romano a nobis exierunt, ulentes omnibus nostris cum illis Spira habitis pactionibus vice obicis ad protegenda malefacta sua, neminem interim non malo et invidioso animo, indecentique cupiditate dominandi, bonis suis spoliare contendunt, ob idque iudicia, neque jura pati volunt, sed potius ex concepta invidia contra omnem iustitiam et aequitatem, principes, comites, barones et liberos nobiles, imo alios omnes imperii ordines,

tam spirituales quam seculares, contra conditam imperialem pacem per vim suae ditioni conjungere conati sunt, praecipue tamen pacem et jus imperii opprimere ac sibi metipsis dedicare, conventiculas congregare, foedera et conspirationes contra nos inire, et nobis honorique nostro per calumniosa eorum scripta detrimento esse, quamquam elementem et pium nos illis exhibuimus, tam pervivaces e regione se nobis ostenderunt: quas ob causas nullas non magnas inconspuetasque poenas meritos esse censemus: propterea si talia facinora a nobis ulterius tolerarentur, nec nostra imperiali potentia in praedictos rebelles, electorem Saxoniae et lantgravium Hassiae uteremur, nullo modo pax et concordia in militanti religione speranda esset, sed potius carentia pacis et boni juris, immanisque potentia tyrannidis, destructio denique bonarum politiarum in foribus nostris continue versarentur, quae omnia imperiali nostra gubernatione diutius pati, nullo modo justitiae consentaneum putamus. Idcirco nobis est animus, ad vitanda plurima damna, quae imperio Germaniae nationis universaeque Christianitati ex praedictis meis imminere possent, nostro imperiali officio adversus saepedictos electorem Saxoniae et lantgravium Hassiae uti.

« Cum enim nemini non istorum rebellio, perturbatio pacis et concordiae, et offensa nostrae majestatis pateat, quorum se dicti elector et lantgravius nulla bona fide excusare possunt, qui neque judicem, neque jus amplius pati volunt, sed violenter, tam in nostram amplitudinem, quam in alios ordines suas inferre manus, constituimus propter inevitabilem necessitatem juxta nobis a Deo commissum officium saepedictos Joannem Fridericum electorem et lantgravium Hassiae sicuti inobedientes, perfidos, rebelles, corruptores fidei, tumultuosos, nostraeque majestatis contemptores, extra nostrum et sacri Romani imperii ordinem redigere, prout declaramus et redigimus extra ordinem de Romani imperii pace, eosque in praedictas et multifarias poenas incurrisse his nostris litteris significamus.

« Propterea animo nostro proposuimus praedictam exordinationem, quam Joannes Fridericus et lantgravius Hassiae benemeriti sunt, exequi, eosque sicuti corruptores bonae pacis et tranquillitatis, justis poenis afficere, denum cessante illorum impedimento, pacem, jus et unitatem in sacro Romano imperio revocare et renovare, prout officium nostrum imperiale ipsaque Germaniae nationis urgens necessitas exposulat.

« Significamus ergo vestris charitatibus, paternitatibus et singulis, hanc nostram voluntatem, et justas nostras causas, a quibus ad suscipiendum hoc bellum cogimur, ne postea a vobis tanquam falsi et injurii accusemur.

Mandantes omnibus et singulis Romani imperii subditis per illam objuratorem, qua nobis obstricti estis, imo immisionem regalium et libertatum vestrarum, quae a nobis et felicis memoriae imperatoribus et regibus antecessoribus nostris meruistis, ut praedictos electorem et lantgravium, nullo modo, quoad fieri possit, bombardis, comaeatu aut aliis rebus bellicis nunquam juvetis. Si autem aliquis salario eorum obstrictus, aut aliis rationibus illis inservierit, inspectis nostris litteris continuo eis abrenuntiet, nec suo famulatu ulterius eos uti permittat. Vobis autem et omnibus imperii saepedictorum electoris Saxoniae et lantgravii subditis, mandamus, ut eis debitam obedientiam, si ulla obstricti estis, ulterius non praestetis, eosque nequaquam, quavis ratione id fieri possit, juvetis, ne a nobis rebellionis eorum participes facti, sicut ipsi, corrigamini. Insuper etiam suppetias vestras contra rebelles et perfidos illos petimus, ut ea saltem ratione ad debitam obedientiam redigi possint, inita foedera, et conspirationes quantum in vobis est impedire non praetermittatis, quae foedera auctoritate nostra imperiali, quae contra nos malevolis animo sunt inita, cassamus in nihilumque redacta esse volumus. Vos ordines, ab illis foederibus, subditos autem praedictorum electoris Saxoniae et lantgravii, ab omnibus haereditariis juramentis, absolvimus, ac vobis libertatem nostram imperialem praesentibus nostris litteris donamus. Constituimus insuper serio auctoritate nostra, ne ullam protectionem ex gratia, libertatibus, regia pace, jure civili, veteribusque consuetudinibus, quae illis a praedecessoribus nostris donatae sunt capere possint, ex quibus omnibus consuetudinibus, libertatibusque, illos quasi extra ordinem positos, seclusos esse volumus. Si autem unus vel plures, cujuscumque status vel conditionis hi fuerint, eos juverint, et in praedictis inobedientes fuerint nobis reperi, illos non minus quam electorem ipsum Saxoniae et lantgravium Hassiae justis et meritis poenis afficere proposuimus ex illis enumeratis causis. Quisquis igitur semetipsum, ne nostras poenas incurrat, prudenter regat. Haec est animi nostri seria sententia. Datum in nostra et imperii civitate Ratisbonae xx Julii anno a Christo nato M^oXLVI, nostri imperii xxvi, aliorum vero regnorum XXXI.

Pressit silentio Caesar praecipua lantgravii et Saxonis flagitia de eversa religione Catholica et impietate Lutherana propagata, non enim voluit omnes Lutheranos ejus criminis socios eo edicto involvere ex politica prudentia legibus, ne plures in se hostes concitaret. Sed professus est non religionis causa, sed aequi conservandi gratia adversus conjuratos arma corripuisse, eaque arte Joachimum marchionem Brandeburgensem, et Mauritium Saxonica stir-

pis principem in obsequio retinuit, deterruitque Hermannum Coloniensem exarchiepiscopum, et Helvelios Zuinglianos, ne in bello se commoverent.

110. *Saxo et lantgravius victi, et ad pacem non nisi duris conditionibus admissi.* — Tertio idus Augusti Saxo et lantgravius Cæsari ad Landtsbutum castra habenti, misso præcone militari, bellum indixere, epistola sagittæ cuspidi præligata. Cæsar epistolam non accepit, sed proscriptionis tabulas ab eodem ferri iussit, vetuitque ne quis in posternum ab illis ad se accederet, proposita accessuris capitali pœna. Inde coactis omnibus copiis ¹ cum hostes ob pugnantia inter se consilia gerendæ rei occasione defuissent, in eos ad Ingolstadium stativa habentes eduxit exercitum, multisque affectos incommodis loco cedere coegit, inde Neoburgum petit, compellitque ad deditionem clementia in præsidarios usus, lustratoque exercitu recensita sunt quadraginta quinque peditum, novemque equitum millia: Vendingum venienti portæ panduntur, detrectantibus vero hostibus inire cum eo certaminis aleam, varias Lutheranorum urbes: Danoverturn ad Danubium situm, necnon Bilingam, et Laugingam, et Gundelringam in suam potestatem redigit, fuso fugatoque Scertelo, qui ægerrime cum paucis evasit.

« V Septembris », inquit Massarellus ² in Diario Concilii Tridentini, « venit cursor ex Germania, cum litteris cardinalis Farnesii ex Ingolstadio, quod exercitus simul quotidie confliant, et comes Durus Ratisbonam applicuerit, quod Cæsar, ut vere Cæsar, se gerebat, tum agendo, tum hortando milites, et quod exercitus lantgravii non distat a Cæsareo, nisi per unum miliare Italicum.

« VIII Septembris fuit facta processio generalis omnium Ordinum et Religionum civitatis Tridentinæ; iverunt etiam reverendissimi et illustrissimi præsidentes et reverendissimi DD. cardinales Tridentinus et Giennensis; iverunt necnon prælati et oratores, ac cæleri conciliares omnes, ob felicem eventum Cæsarei belli contra Lutheranos ».

111. Dum ita prospere res geritur a Cæsare, Ferdinandus rex et Mauritius princeps in Saxoniam irrupere, magnanque ejus partem subegere: quo tempore perduellium exercitus a Cæsare commeatu eorum interceptus ita vexatus est inedia, ut quinque diebus pane careret. Illis itaque incommodis attriti Fridericus Saxonie dux et Philippus lantgravius Hassiæ superbus spiritus fregere, quatenus enim jam castris cedere coacti erant, Cæsaremque de

pacis legibus ac deditione supplices appellarunt.

Cæsar successuum felicitate erectus duras condiciones proposuit, ut scilicet Saxo et lantgravius exercitum dimitterent, quidquid possidebant, arma, tormenta, urbes, oppida, arces, victori Cæsari permitterent, supplices accederent petiluri veniam, quam deprecatore Joanne Brandeburgensi essent consecuturi, nihil a qui postea a Cæsare, qui non nisi justa bella suscipit, susceptaque non minus fortiter gerit se impetraturos certo seiant. Ad hæc illi non responderunt, sed cum septimo kal. Decembris in eos Cæsar irruere pararet, illi rem subodorati fugam nocturnam capessiverunt, a quibus persequeendis asperitas Hyemis Cæsarem delerruit, cum occasione ante defuisset; plures vero urbes, Bopingha, Nordlinga, Oelttingensis arx atque Hala in Suevia, ac Rottembergum in Cæsaris potestatem concesserunt.

112. *Udalricus Wittembergensis et comes Palatinus arma deponunt.* — Dum Rottembergi ageret Cæsar, ad Udalricum Wittembergensem regulum litteras dedidit, ut terrore pœne ad officium illum redigeret, quarum præcipua pars his verbis concepta est ¹:

« Quamvis aliquot ante annis propter bellum abs te et lantgravio adversus fratrem meum motum, et agrum Wittembergensem, quo multatus fueras, receptum, in vos exemplum edere jure potuissem, noxam tamen omnem et injuriam clementer, quam supplex petebas, tibi remisit ». Et infra: « Tu, his omnibus ludibrio habitis, violata fidei (quam mihi debes) religione, societatem et amicitiam cum hostibus meis inivisti, quos proscripsi, quorum urbes, oppida, arces agrosque, non hasta, sed armis subjeci, cum his arma et vires consociasti, et ne qua contumelia ludibriumque præfermitteretur, confœderatorum tuorum opibus fretus, fratris mei primum, deinde quorundam ex ordinibus imperii, adeoque mea, que ad imperium pertinent, oppida armis petivisti non modo, sed etiam doto invasisti: his nondum, quamvis gravibus et atrocibus flagitiis expletus bellum insuper, qua fuisti amentia captus, mihi fecisti, majestatem meam dictis virulentis imminuisti: meam auctoritatem decusque levasti, omnemque in id operam sedulo navasti, ut me imperatorio splendore exueres, renuntiata ea, qua mihi obnoxius es fide, quam sciorum conjurationi posthabuisti ». Et paulo post: « Hæc quamquam ita se habent, et causæ cur in te ultimo humanorum supplicio animadvertere possem, comparent, uti meritus es, ne tamen plebs insons, cui plus misericordiæ, quam tuæ causæ spei debetur, rei principis peccatum lantgraviæ omnino parcere stat sententia edico, ut extem-

¹ Franc. Belcar. l. XXIV. num. 27 et seq. — ² Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Massarell. Sec. Ms. arch. Vat. p. 166. Ms. arch. Vat. sig. num. 9232. p. 313.

¹ Ext. apud Melch. Goldast. to. I. p. 517.

plo simul ac meas litteras acceperis, te ultro mihi dedas, omnem tuam provinciam, urbes, agros, castella, quantum denique fortunarum tibi est, in jus meum fradas, ut de his ex meo arbitrio consulam, etc. Data Rottemburgi ad Neecarum *MDXLVI*, mense Decembri ».

Considerat in finibus agri Wittembergensis Cæsareus exercitus, atque Uadricus sustinenda belli moli impar aufugerat, supplicibusque litteris veniam precatus *XII* Januarii proximo mense Cæsari reconciliatus est, Burenus etiam Hassiam populatus, Francofurtum ac plures alias urbes ad Cæsaris obsequium redegit. De his felicibus Cæsaris successibus meminere Acta Consistorialia ¹ his verbis :

« Romæ apud Sanctum-Petrum *XVII* Decembr. *MDXLVI*, fuerunt lecte litteræ reverendissimi Hieronymi Veralli archiepiscopi Rossanensis, sanctitatis suæ apud Cæsarem majestatem nuntii, quibus significabat felicem successum rerum Germaniæ contra hæreticos, et propterea fuit declaratum, ut fierent supplicationes et Missa celebraretur ».

113. Suffectus fuerat in locum Alexandri cardinalis Farnesii, qui ex legatione Germanica revocatus fuerat, Rossanensis archiepiscopus, instructusque est mandatis amplissimis, ut cum ex pacti fœderis legibus Cæsar cum Lutheranis pacem inire non posset inconsulto Pontifice, vel ejus legato, ipse in ea re polleret eadem auctoritate, quæ legato collata fuerat, ac si honesta concordiæ ratio affulgeret, eam auctoritate Apostolica confirmare posset. De reditu vero cardinalis Farnesii e Germanica legatione hæc refert Angelus Massarellus ² in Diario Concilii Tridentini :

« *XIV* Novembr. cardinalis Farnesius rediens ex Germania, ubi legatus Pontificii exercitus contra Lutheranos fuerat, Tridentum applicuit, die *XVII* Romam proficiscitur ». Mandata vero internuntio Verallo data his verbis concepta sunt :

« Venerab. fratri Hieronymo archiepisc. Rossanensi apud sereniss. Cæsarem nuntio nostro, salutem.

« Venerabilis frater, cum inter cætera capitula fœderis, inter nos et serenissimum Cæsarem contra hæreticos Germaniæ anno præterito inito, illud sit, quod ipse Cæsar non possit cum Lutheranis, seu Protestantibus, vel aliis hæreticis aliquem tractatum habere, vel concordiam facere, quæ effectum aut substantiam expeditionis contra eos concerneret, aut aliam impediret, vel retardaret, et particulariter, quod isdem hæreticis aliquid, quod contra Catholicam religionem, aut Ecclesiæ constitutionem esset, concedere aut permittere nequiret, sine expressa

voluntate et consensu nostro vel legati nostri, et dilectus filius noster Alexander cardinalis Farnesius, quem in ipsam expeditionem nostram et Apostolicæ Sedis legatum miseramus, cum in Germania aliquot mensibus permansisset, et nonnullis necessariis et rationabilibus causis a nobis revocatus ad nos redierit : Nos ne ob diei Alexandri cardinalis legati absentiam idem Cæsar ipsos hæreticos ad obedientiam recipere, aut cum eis aliquam honestam concordiam inire impediatur, de tuæ fraternitatis fide ac prudentia confisi, eidem fraternitati tuæ eandem super præmissis facultatem et auctoritatem concedimus, quam eidem Alexander cardinalis legatus habebat, etc. Datum Romæ, etc. *XXII* Decembris anno *XII* ».

114. Extremo anno ¹ Palatinus comes elector Cæsarea felicitate territus, cum antea religione Catholica, excito Argentina Paulo Fagio, descivisset, et quadringentos equites ad Lutheranos, apud Ingolstadtium stativa habentes, auxiliares misisset (inimicitias enim graves cum ducibus Baviaræ Catholicæ religionis acerrimis defensoribus contraxerat) ad Cæsarem per deprecatores impetrato aditu ejus pedibus advolutus veniam impetravit : Ulmenses quoque missis Italiam legatis (culpa agnita) se suaque omnia Cæsari permiserunt, qui centum aureorum millibus et tormentis bellicis duodecim muletiati fuere. Florebant Ulma opibus civiumque multitudine, quare ex ejus deditioe Cæsareæ res multum auctæ : pervenit vero fama ejus deditioe Tridentum primo die Januarii anni insequentis, ut refert Angelus Massarellus ², et confirmant Acta Concilii.

« Die Dominica *II* mensis Januarii gratia Deo aguntur pro deditioe civitatis Ulmensis in potestatem invictissimi Cæsaris, qui una cum Pontificiis copiis in præsentiarum contra Lutheranos et hæreticos pugnat ».

115. *Concionatores Lutherani ponunt paci obicem.* — Inclinant ad concordiam Lutheran principes, nisi improbissimi concionatores, qui privata commoda ex ipsorum principum exitio animarumque æterna interfectione consectabantur, eos misere fascinasset : ii vero copias ita divisere, ut langravium ad sua tuenda in Hassiam se receperit, Fridericus vero Saxo ad Saxoniam contra Ferdinandi regis ducisque Mauritiû grassationes defendendam procurrit, atque in itinere Gemundam Sueviæ oppidum cepit, atque Moguntinum principem et Fuldensium abbatem, aliosque Catholicos præsulés viribus impares auro muletauit, quos Cæsar litteris solatus est se brevi hostium tyrannidem obtriturum : « Hic fuit », inquit Surus, « primi belli Germanici contra

¹ Act. Consist. Ms. cod. Spode sign. num. 133. p. 488. — ² Ibid. tom. I. fol. Ms. cod. Franc. Barbet. sig. num. 21. M. c. o. P. II. P. III. bb. brev. au. XI. p. 340.

¹ Franc. Belle. I. XXV. num. 31. — ² Anz. Massarel. in Diar. Conc. fol. Ms. arch. Vat. sig. num. 3242. p. 241. — ³ Sur. in Comu.

imperatorem temere suscepti eventus, ad quod imperii ordines impulerunt impuri apostate et seditiosi ecclesiastæ qui, salva Cæsaris amplissima auctoritate, res suas salvas esse non posse facile providebant, ex ipsis autem atrocissimis religionis et dogmatum dissidiis, quæ inter illos vigeant, haud obscure potest animadverti, non magnopere illis curæ esse reipublicæ et Christianorum salutem, sed ut suis privatis rebus consulant, quantumvis interim sursam deorsum moveantur omnia. Ipse quidem Lutherus in libello, quem non diu ante obitum suum ad Saxonie principem et Langravium scripsit, ad hoc Germaniæ bellum classicum canit, dum inter cætera ait: Quisquis arma non corripit, dum potest, is non utitur rebus a Deo oblati.

Sublatus ex humanis fuerat impius ille hæresiarcha, Germaniæ fax et pestis, pro cuius tuendis deliramentis tantum bellum sibi que exitiale ii principes male fascinati concitarunt. Sed de Lutheri morte infelici agetur inferius.

116. *Admonitiones legatorum circa justificationis dogma, et capita discutienda.* — Dum stringuntur arma a Cæsare adversus Langravium et Saxonem perduelles, certatum est verbo divino in Concilio Tridentino adversus Lutheranorum errores¹, qui accuratissimo examine tum in theologorum, tum in præsulum Congregationibus discussi sunt. Præcipuus error circa justificationem vertebatur.

Cum de justificatione in Concilio agendum esset, cardinalis Cervinus, qui absente ob infirmitatem cardinale de Monte, primi legati vicem gerebat, Patribus significavit, justificationis dogma, quod in examen adducendum erat, ex peccati originali questione obscuris magnisque difficultatibus implicitum esse: nam licet antiqui scholastici fusis de peccato originali scripsissent, de justificatione tamen parcius disserere: quare cum orthodoxi scriptores, qui retro evolutis viginti annis offusas a Luthero tenebras scriptis suis discussere, plurima luce veritatem collustrasset, ab ipsis potissimum, quid in hac re statuendum, decerni facile posse. Tum Reginaldus Polus cardinalis legatus addidit, hoc dogma cum originali peccati dogmate connectendum; ut perspecto eo, quod in primo Adamo perdidimus, agnoscamus etiam quid per secundi gratiam comparaverimus; atque adeo quo magis sit ardua ac difficilis questio, eo magis divinum lumen fusis ad Deum precibus atque auxilium implorandum; propterea se hortari patres, ut sacra oracula consulant, adversariorum etiam libros mature excutiant, bonaque a malis discernant: non aliter enim quam venefici venena exquisitis cibus immi-

sent, ita Lutherum aliosque hæreticos veris falsa permiscere consuevisse; nec statim temerariam sententiam non probe excussam professionem, omnia in iis contenta falsa ac respicienda, exemplumque attulit Alberti Pighii, qui dum in peccati originalis articulo omnem Lutheranorum doctrinam confutaret, propius ad Pelagianorum errorem accessit.

117. Cum perorasset Polus cardinalis, Paechus subjunxit, non modo veteres theologos questionem de justificatione contractiore sermone pertractasse, sed etiam in antiquis Conciliis agitam definitamque non fuisse; quare in Tridentino præsentis Concilio eam excutiendam divinaque ope definiendam. Consulere itaque ut in hoc argumento servetur ordo accuratior, quam in aliis questionibus. Primum ut minores theologos singulas questionis partes diligentissime excutiant, tum excussas inter se conferant, expensas illustratasque postea Patribus exponant, qui singulos articulos summo adhibito studio expendant, atque in luce collocatos in ordinem redigant. Pro disciplina vero Ecclesiastica constituenda propositum agendum de residentia; monuitque, ut illi operi præfecti ad id spectantia colligerent. Conquestus etiam est idem cardinalis plures episcopos, quorum præsentia in Concilio erat necessaria, pro tam gravi condendo decreto Tridentum nondum accessisse; alios autem ad delugiendum laborem in vicina amœna loca discedere, ac tum die consessus futuri accessuros: accurato enim examine decretorum argumenta perpendenda, divinamque opem precibus ardentissimis efflagitanda, antequam lecto decreto verbum *Placet* proferretur. Tum cardinalis Cervinus subdidit, nemini a legis discedendi facultatem permissam, ac de compescenda ea licentia sumendum esse consilium. Postremo decretum est, ut in tractandis questionum capitibus, propositus a legatis ordo servaretur; sancitumque, nulli præsulum fas esse Tridento discedere.

Ex cardinalium legatorum modesta dicentium questionem de justificatione difficultatibus esse implicitam, arripuit occasionem impius calumniator Soavius præsules ac theologos Tridentinos insimulandi, eosque ut imperitos et bardos traduxit, qui Lutheri doctrinam non caperent. At re ipsa eam questionem fuisse magnis difficultatibus sentibus obsitam ostendit stultissima Lutheri Lutheranorumque impietas, qui justificationem in vana suæ salutis fiducia, sine charitate divinorumque mandatorum observantia collocarunt, cum sacra oracula contrarium omnino promulgarint. Sed spretis serpentis hujus sibilis institutam orationem prosequamur.

118. XXI itaque Junii in Congregatione generali propositum est dogma de justificatione discutendum, necnon circa emendationem mo-

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232, p. 181. Ang. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 23, p. 54 et alii Ms. card. Pii Diar. Conc. Trid. apud Pallavie. tom. 1, l. VIII, c. 2, num. 2.

rum, de residentia episcoporum. Sequenti vero die in Congregatione theologorum minorum hæc capita proposita :

« Dicant primo, quid sit ipsa justificatio, quoad nomen, et quoad rem, et quid intelligatur per justificari hominem.

« II. Quæ sunt causæ justificationis, hoc est, quid efficiat Deus, et quid requiratur ex parte hominis.

« III. Quomodo intelligendum sit, justificari hominem per fidem.

« IV. An et quomodo opera faciant ad justificationem ante et post. Idem de Sacramentis.

« V. Declaretur quid præcedat, quid comitetur, et quid sequatur ipsam justificationem.

« VI. Quibus auctoritatibus sacræ Scripturæ et Conciliorum, aut sanctorum Patrum sive traditionum Apostolicarum, ea quæ statuenda erunt fulciantur. Habita sunt de iis plures concertationes a theologis in pluribus eorum Congregationibus, quæ reliquo mensis flexu coacta sunt ».

XXX Junii Congregatio generalis celebrata est, in qua cardinalis de Monte, qui ex infirmitate convalescerat (ut referunt Acta) proposuit articulum de justificatione divisum in tres status, sub his verbis :

De justificatione adultorum.

Circa hunc articulum videntur posse commode considerari tres status hominum :

« Primus status est, quomodo quis ex infideli fit fidelis, hoc est, accedit tunc primum ad fidem : et in hoc statu examinandus est lotus progressus justificationis.

« Quomodo ei merita Christi Salvatoris nostri applicentur, quid faciat Deus, quid requiratur ex parte hominis, an et quomodo opera faciant ad hanc justificationem, quid sit ipsa justificatio, et quomodo intelligendum sit hominem justificari per fidem, et si qua alia ad hanc rem pertinent.

« Secundus status est, quomodo jam justificatus possit et debeat acceptam justificationem conservare, et in illa fideliter laborare, proficere, et quomodo renatus in spem gloriæ filiorum Dei, tandem ipsam gloriam consequatur.

« Tertius status est, si quis post justificationem peccando exciderit, quomodo resurgere habeat, ut iterum justificetur, et ei merita Christi iterum applicentur, et in quo hæc justificatio a prima differat, et in quo conveniat.

« Si quid in probatis Conciliis a Patribus nostris declaratum est, quod ad hanc rem faciat, sancta Synodus poterit innovare, et eo nti.

« Deinde lecti fuerunt errores circa hunc articulum de justificatione.

Qui videantur errores circa ea, quæ primum statum justificationis concernunt.

« I. Natura nostra post Adæ peccatum propriis viribus, etiam gratia non præventa, potest se disponere, acquirere et mereri gratiam apud Deum.

« II. Post Adæ peccatum, liberum arbitrium est res de solo titulo, imo titulus sine re.

« III. Propriis viribus justificamur, et omnia peccata vitare possumus, et præcepta implere, et præservari, et gloriam mereri absque hoc quod gratia Dei cooperante egamus, nisi forte, ut facienda cognoscamus vel cognita facilius exequamur.

« IV. Deum quidem solum incipere justificationis opus, et nos solos illud perficere.

« V. Sola opinione de Deo, et dolore, etiam sine fide, posse hominem ad justificationem disponi.

« VI. In justificationis negotio solum Deum omnia operari, nobis nihil cooperantibus, sed mere passive habentibus.

« VII. Ante charitatem justificamur sola fide, qua credimus vel confidimus vel sentimus nobis dimissa peccata per justitiam Christi, nobis licet inmissa imputatam, et justitiam aliam inherentem non habentibus.

« VIII. In peccatore justificando, dolor vel timor non faciunt, vel disponunt ad justitiam, et omnis talis conatus, ante remissionem peccatorum et gratiam, peccatum est damnabile, nec ante remissionem, posse hominem vel votum gratia habere.

« IX. In Baptismate sola fides est, quæ reddidit hominem justum, ipso Baptismate nihil juvante.

« X. Hæc justitia, vel vocationis gratia non datur nisi prædestinatis, aliis, dum vocantur, a Deo illusis.

Errores circa ea quæ secundum statum justificationis concernunt.

« I. Justificatus potest sine Dei auxilio specialiter perseverare, et vitare omnia peccata, etiam venialia.

« II. Quod justificatus non potest justitiam amittere.

« III. Quod in justificato adulto maneat etiam peccata actualia, licet non imputentur.

« IV. Quod justificatus non tenetur implere præcepta, maxime perfectus : et quod promissio gloriæ in Evangelio sit absolute credendi, et non sub conditione servandi mandata.

« V. Quod omnia opera justificati sint peccata, et infernum mereantur.

« VI. Quod opera omnia spe gloriæ vel metu pœnæ æternæ facta sint mala.

« VII. Quod opera bona sequantur justitiam,

cum tantum significant, nec justificent, id est, justitiæ augmentum mereantur,

« VIII. Quod opera justi non merentur vitam æternam.

« IX. Quod justificatus tenetur credere se esse in gratia, et sibi non imputari peccata, et se esse predestinatum.

Errores circa ea, quæ tertium statum concernunt in justificatione peccatoris fidelis lapsi.

« I. Preparatio ad dolorem est superflua, et mala.

« II. Confessio non est necessaria, vel in voto, et peccatum non delet, sed remissio peccati datur soli fidei, qua credit quis se esse absolutum; fidem autem, vel credulitatem, vel fiduciam intelligunt.

« III. Quod nunquam in tali peccato remaneat obligatio ad satisfactionem per pœnam temporalem culpæ, et pœnæ æternæ remissionem, et per hoc nihil valere indulgentias, neque esse Purgatorium post hanc vitam, neque valere suffragia pro defunctis.

V, VI et VII Julii, ea capita in examen adducta fuerunt in Congregationibus generalibus.

119. *Sedatis prius dissensionibus de præcedentia, oratores Galli admittuntur in Concilium; minus ex ipsis oratio, et legati responsio.* — His diebus, scilicet vigesima sexta Julii, ad Concilium pervenerunt d'Urfe, Jacobus Lignerii, et Petrus Danes regis Gallie oratores; florebant ii magna nominis existimatione, et publice in Congregatione generali auditi fuerunt, sed antequam in Congregationem admitterentur, de loco in quo sessuri essent, disceptatum fuit, quia lecto in Congregatione generali die trigesima Julii regio mandato, cardinalis de Monte inquit: « Datum est mihi mandatum, et petium oratorum legatorum nomine, ut admittantur ipsi tam in Synodo, quam in Congregatione, qua de re considerare oportet nedum de admissione ipsa, sed etiam de loco ubi sedere ipsi oratores debeant. Propterea dicant Patres super iis sententias, si tamen prius admoniti fuerint, nos eisdem verbis responsuros et admissuros mandatum ipsum, quibus admisimus mandata oratorum Cæsareæ majestatis.

« Tunc cardinalis Giennensis: Gratiae, inquit, sunt habende tam pio, tam maximo et Christianissimo regi, qui tanta pietate Concilium convocat, de cujus laudibus nemo unquam satis (ut arbitror) dicere poterit, laudo itaque responsonem, quam recensuit D. primus præses, si illi addantur verba ostendentia quam gratissimum fuisse Synodo ipsorum legatorum adventum: de admissione eorum tam in sessionibus, quam in congregationibus, meo iudicio non esset dubitandum, et propterea censeo

illos admittendos esse, cum maxime sint viri graves admodum et docti; de loco autem credo certe, ipsos de loco cum Cæsareis oratoribus non decertare, et propterea laudarem, ut de eorum loco, quia hactenus nulla est controversia, nihil diceretur, sed res relinquatur omnino, donec vel controversia cesset, vel Patres melius super hoc cogitent. Ego quod ad me attinet de hac re nullum aliud scirem proferre, quam ut aliorum Conciliorum, et Sedis Apostolicæ mos inspiceretur et secundum illum locus assignaretur. Quis autem fuerit usus vel mos, ego ingenue fateor me nescire. Dixerunt deinde et reliqui Patres sententias, quorum non pauci ierunt in sententiam Giennensis, alii ad legatos rem totam rejecerunt. Non defuerunt, qui de præcedentia inter regem Romanorum et regem Gallorum dissererent, dicente archiepiscopo Materano, non satis se scire quid juris esset in casu isto, verum se scire oratores regis Romanorum in Concilio Lateranensi præcessisse oratores regis Gallorum. Cui Armacanus: Rex, inquit, Romanorum, de quo in Concilio Lateranensi, fuit Maximilianus, qui tametsi coronatus non erat, imperator tamen erat, et iura imperii exercebat, quæ ratio in Ferdinando rege Romanorum cessat, qui tantum futuram imperii successionem habet. Feltrensis duos esse posse imperatores probavit, seque intellexisse dixit, regem Romanorum privilegia concedere et alia plerumque jura imperialia exercere. Cui Bituntinus, se nunquam imperatorem scire dixit, non duos, nec unquam legis Carolum et Ferdinandum simul imperatorem, sed Cæsarem Carolum tantum; propterea sibi mirum videri de re tam liquida aliquos hesitare. Et infra: « De loco », inquit cardinalis de Monte « nos ipsi cogitabimus, et ne qua controversia eveniat; jam enim, ut Patres norunt, fecimus decretum, ne cuique acquiratur jus, vel præiudicium generetur ».

120. Sed oratores regis Gallie ad istis controversiis admoniti, offensi animis et variis suspitionibus suffusi, declararunt primum per episcopum Agathensem, et postea per se ipsos, quando private legatos inviserunt, se esse discessuros, nisi inter alios principum oratores locum obtinerent; legati vero¹, ut eorum animos compecerent, responderunt, flocci esse faciendum, quid in consessu tot variorum capitum aliquis minus prudenter locutus esset, sed ad rei substantiam respicerent, quia cum Ferdinandi oratorum in publicis Comitibus nunquam adfuissent, consequenter nemo aderat, qui se eis in hac sessionis honorificentia opponeret. Sed his oratores non acquiescentes suspicionem moverunt legatis ne vellente discedere, et prætextu uterentur. Denique persuasionibus

¹ Epistola legatorum ad card. Faeros, apud Pallavic. to. 1. l. VIII, c. 3. num. 3.

cedentes, ne res in controversiam adduceretur cum Concilii perturbatione, consenserunt in publicis conventibus cum Caesareis oratoribus sedere, cum Ferdinando oratores non adessent. Et ut Caesarei oratores ostenderent, gratum illis esse simul cum Gallicis oratoribus assistere in Congregatione, in qua recepti fuerunt, Didacus de Mendoza, qui ob suam infirmitatem nunquam in aliis Congregationibus intererat, adesse voluit simul cum Francisco Toletano, qui in aliis Congregationibus solitus erat solus pro imperatore praesentiam prestare. Sic lite composita: « Tertia Julii fuit Congregatio, in qua tres legati regis Galliae, videlicet Claudius D'Urfe, Jacobus a Linguetis, ac Petrus Danesijs, per archiepiscopum Corcyrensem et episcopos Senogaliensem et Vasionensem, de mandato DD. praesidentium introducti fuere, quorum legatorum postremus Danesijs, postquam omnes consederunt, et ipse sedens, foribus adhuc Congregationis apertis, et maximo audiente populo elegantem sane ac doctam habuit orationem. Concepta illa fuit subjectis verbis ¹.

121. « Christianissimo regi, reverendissimi S. R. E. legati et cardinales, archiepiscopi, et caeteri omnium ordinum in hanc sanctam Synodum cooptati et conscripti Patres, sicut praecipuus antea pro ejus pietate erat dolor, ex miserimis et post hominum memoriam turbulentissimis Ecclesiae temporibus susceptus, ita nunc ejusdem laetitiae causam attulit nova tranquillitatis oblata spes, quam sacri hujus Concilii nomen expectatioque commovit. Neque enim potuit aut non sperare id futurum, quod vos auctore ipso Conciliorum praeside Deo agere sciret: aut quod maxime semper expediret, non vehementer eventurum esse latari: nec vero convenire existimavit, cum de summa re Christiana ageretur, non singulare existere Christianissimi regis studium, qui ad bene de ea merendum cum cognomine sibi hereditario, tum plurimis majorum exemplis invitaretur: itaque quod facturus ipse, si praesens adesset, fuisset, nempe ut vos etsi sponte currentes, tamen acrius incitaret ad populi Christiani pacem et concordiam reconciliandam, sacerdotii dignitatem prope amissam recuperandam, veteres minimeque diu neglectas Ecclesiae ruinas tulerendas, ad eaque conficienda suas omnes curas, consilia, cogitationes et opes polliceretur, id nobis legationis hujus munere imposito, suo nomine ut faceremus mandavit, cujus ego legationis summam, priusquam vobis, Patres, exponam, quod quidem extrema oratione mea faciam, pauca quaedam necessaria dicam cum de plurimis regum Franciae superiorum meritis,

tum de hujus ipsius, a quo allegati sumus, Francisci perpetuis in eandem officis: non quod, aut hunc ita velle arbitror, aut illos, ut clariores fiant, egere praeconio pulvis; neque enim, aut hic cum ita se gereret, et ut ipso et ejus majoribus dignum erat inanem nescio quam verborum laudem expectavit, aut illorum res pro Christi Ecclesiae gestae ita sunt obscurae, ut illuminari, vel communes, ut ornari, vel denique lennes, ut amplificari cujusquam oratione debeant. Sed et hic, qui se mihi Deo probatum vellet, sola recte factorum conscientia facile contentus, id demum bene agendo speravit, semper bene ut ageret, et illorum, quas dixi actiones hujusmodi certe sunt, ut nullam non orationis facultatem, nedum meam, quam sentio, quam sit modica, exsuperet ».

Exeruit dein orator in veterum regum praecleara gesta pro Dei gloria et merita amplissima, deque mutua Pontificum regumque Gallorum conjunctione haec addidit:

« Sanctissima haec necessitudo ac conjunctio Romani Pontificis et Francorum regis nunquam ex eo tempore (nimirum Caroli M. et Ludovici Pii) intermissa, sed multis potius et magnis utrinque officiis culta, cum uterque suam in alterius dignitate contineri dignitatem existimaret, integra adhuc incolumisque permansit, ut verissimum esse videatur, quod Innocentius III Epist. quadam ad Galliarum episcopos missa festatus est, *Francorum regum exaltationem*, (ipsius enim verba, quo magis agnoscantur, ponam: *sublimationem Apostolicae Sedis esse*, videreique id regnum praecipua quadam gratia a Deo benedictum, cujus et rex et populus sinceram semper fidem retinuisset, et singulare quoddam eximiumque studium in Ecclesias, praecipue in Romanam praestitissent ».

Demum ad Franciscum I delapsus est orator, eumque commendavit, quod spreto politis commodis regnum ab haeresion recentium infectione vindicasset.

« Quid hoc (inquit) commemorem perpetuas ejus exubias et custodias sanctissima nostrae religionis? quae cum per haec sex et viginti annos ita jactaretur in hac, quam omnes meminimus, partimque etiam sentimus, contrariarum opinionum quasi ventorum tempestate, vix ut statui posset quid quisque sequeretur, id egit, quod pro sua et majorum suorum perpetua consuetudine sapientissime potuit, quod enim acceperat, et ipsorum exemplo Apostolorum traditum, et a Catholicis principibus semper observatum, ut de iis, quae de fide vocarentur in questionem, nihil a quoquam privata auctoritate constitueretur, sed Ecclesiae polius iudicium, cui omnes stare oporteret, expectaretur, ita sane fecit, diligentissime in omnes partes cavet, ne quid omnino in communi Ecclesiae usu novaretur, cum interea non dees-

¹ Ms. arch. Vat. sign. num. 3195, p. 62. Ms. alind sign. num. 3232, p. 188.

sent, qui multa cum in doctrina populi Christiani, tum in moribus viteque institutis mutanda esse censerent, idque adeo tentare audent, ut inquirerent eos qui in dies nova perferrent. Sed ipse omnes has causas vestris, Patres, iudiciis reservavit, quamobrem, quo facilius id assequeretur quamvis suapte ingenio ad elementiam ac lenitatem prior esset, et etiam vel a singulorum hominum, quoad publica salus pateretur, penis abhorreret) coactus est interdum in tanta multitudine peccantium, et omnia miscere ac perturbare, nisi occurreret, parolorum, contra naturam suam esse severior, ut graviora in illos edicta proponeret, si qui audent privata temeritate Ecclesiae statum convellere, et ita perfecti cum sua providentia, tum iudicium suorum incredibili in exequendis mandatis studio et vigilantia, ut in tanta repente coorta tempestate, in qua difficillimum videbatur cursum tenere, facillime eo quo intenderat pervenerit, cum tamen multas sævissima hæc procella civitates, imo vero (proh Dei immortalis fidem!) nationes gentesque totas vel everterit vel gravissime certe afflixerit: pacatam dat vobis, Patres, amplissimam nobilissimamque provinciam, nihil in ea novum, nihil alienum, nihil non ex veteri more ac disciplina publice introductum reperietis: omnia in illa vetera, doctrina, ritus, ceremonie, mores, justitia constant. Vos nunc de omnibus ea statuite, quæ vera, quæ e republica esse, quæ ad summam populi Christiani concordiam, et ad Dei gloriam pertinere vobis videbuntur, ne quod adhuc magno piorum omnium animi dolore accidit, ultra eveniat, ut impuri Turcæ, netarii Judæi, et utrisque impiorum non homines, sed in hominum figura belluæ, novi quidam horum temporum Epicurei, qui omnem ex hominum animis tollere humanitatem et religionem convellere de mundo conantur, suo illo incesto ore sanctissimæ nostræ pietati convitium faciunt, et quod imperiis jure agere videantur, crebro illud nobis exprobrent. *Ubi est Deus vrorum?* Porro autem cum animadverteret Christianissimus rex, quantum semper vim habuisset ad res contiendas, esse unum in Ecclesia Romana episcopum, utpote Petri successorem, reliquorum et auctoritate et dignitate principem, ad quem ceteri ut ad caput referentur, qua maxime re nostra hæc in terris militans Ecclesia, illius in cælo triumphantis effigies quædam agnosceretur, non minore cura ac studio providit, ne qua inde secessio detectiove ullam ob causam accideret: in quo vel clarissima regia virtus et constantia emittit. Sæpius enim omni ratione tentatus et multis invitatus, nec his vulgaribus commedis, ut aliquid auderet aliquando, nec editum ab altero exemplum dubitare sequi, perstitit in

sententia, ut quorundam propterea finitimo-

rum amicitiam desiderarit, eaque re parum sit suorum quieti et otio consulere visus, sed maluit maximo et excellenti animi robore ac pietate præditus justum bellum, quam inhonestam pacem.

« Post autem, ut certior primum est factus conventum Christiani nominis universi hæc in urbem indictum esse a Paulo III Pontifice maximo, in quo de tantis Ecclesie incendiis communi tandem consilio restinguendis ageretur, jamque eo aliquot parvo numero, sed et sapientia et sanctitate præstantissimos Patres præmissos, qui ea, quæ Concilio necessaria viderentur, ante providerent, compararent, administrarent, sibi non defuit, quin eodem delectos et suis episcopos mitteret, communium participes curarum et socios futuros: denique aliquo satis magno temporis spatio interjecto, et rem serio agi, et sessionibus duabus, tribusve, aliquot jam auctoritate vestra perscriptas esse leges allatum est, qui illuc usque omnia fecisset, quæ principem et re et nomine Christianissimum decerent, minime judicavit convenire, suum in re tam necessaria, tamque et a se, et ab omnibus bonis semper exoptata officium non præstare. Itaque qui multo libentius (si regni negotia id pati potuissent) fecisset, ut hic adesset, ubi tot sanctissimos Dei sacerdotes, divino, ut credi par est, spiritu afflatus, maximis de rebus consistentes videret, quorum in vultu, gestu, oratione acquiesceret, sed quod proximum erat, legatos procuratoresque suos, et voluntatis interpretes nos misit, cum his mandatis, quæ ego nunc universum tantum summamque exponam.

122. « Hæc est mandatorum Christianissimi regis summa: etsi minime dubitat, quin vos, omnia de quibus convenistis, quæque ab hoc sanctissimo Concilio expectantur, summo sitis per vos studio acturi, a vobis tamen pro sua pietate in Deum, observantia in hunc ordinem, et in populum Christianum universum charitate petit: primum, ut pacis concordieque causa, ac ne amplius non solum imperitæ imbecillæque multitudinis, sed quorundam etiam robustorum (licet levium) mentes fluctent, et in diversa ac contraria ferantur, quæ res Ecclesie statum perturbet, et tanquam unitatem abruptat, de doctrinis ea semel constituatis, publicæque proponatis, quæ omnes ubique Christi fidem professi sequantur, teneant, credant; nec enim fieri potest, ut alia ex re ulla major existat animorum disjunctio rei que publicæ perturbatio, quam ex sententiarum, quæ de religione habeantur, dissidio, ut non libentissime omnes assentiantur iis, quæ vos auctore Deo, qui huic loco præsidet, sanctissimo Dei Spiritu comprobaveritis. Deinde enim omnia Ecclesie mala et incommoda ex eo fonte profluxisse multis videntur, quod omnium pæne

ordinum ministri Ecclesiae ab illa praeceptorum sanctorum innocentia plurimum deflexerint, ut vix tenuerit ejus vestigium jam appareat; ideo vos rogat et obtestatur, ut vitae morumque in Ecclesiasticis personis disciplinam acerrima sacrorum canonum norma dirigatis: ita enim fiet, ut hic ordo, qui praecellere ceteris et ad doctrinam et ad vitae exempla deberet, nunc autem maximo reipublicae malo, ob plurimas quorundam labe et maculas vulgo est despectissimus, longo intervallo pristinum suum splendorem dignitatemque obtineat; ex quo illud mox consequetur, ut cum tanta jam esse coeperit in ordine auctoritas, quanta esse in moderatoribus magistrisque vitae deberet, latius se fundat utilitas, ut qua in praeclearum Dei populum, id est, eos, quos propterea majores nostri clericos appellarunt, privatim sanxeritis, eadem valeant in omnes, nullusque jam in toto corpore Ecclesiae navus, nulla labe, nulla rixa, quae quidem sponsum queat gravius offendere, relinquatur. Agite ergo, excitamini per immortalem Deum aliquando, Patres, et in causam tantam, tam gravem, tam necessariam totis pectoribus animisque incumbite. De doctrinis, de moribus ea statuite ac decernite, quae sapientissimus ille hujus moderator Concilii Spiritus vobis suggererit, quibusque populus omnis Christianus ac Christianissimus, quasi certissimis ab ipso Deo editis miraculis libens pareat: ea certe, ut in Galliis loquere Francorum imperio observentur, Christianissimus rex pro sua pietate curabit. Has sibi ille partes deposcit, vestrorumque ille decretorum curam, patrocinium, propugnationem profuturum. In eam omnes regiae potestatis nervos intendet¹, gladii etiam, quem a Deo porrectum ad malorum, ut sanctissimus ait Apostolus, vindictam, honorum vero laudem agost, vim acciemque, si ita opus sit, experietur. Denique cum tanta esse constet Francorum regum in Ecclesiam, et praecipue Romanam merita, quibus majores vestri summique Pontifices, quae amplissima habuerunt praemia, semper tribuerint, a vobis hoc postulat, quod est profecto acquisitum, ea sibi ut praemia conservetis, neque quidquam omnino imminui aut mutari patiamini eorum, quorum in possessione cum ille ipse, cujus antea memini, Ludovicus Pius Caroli Magni filius, tum alii deinceps Francorum reges sine ulla dubitatione aut controversia, fuerint: prestremo, ut omnibus Galliarum Ecclesiis, quarum ipse tutelam a majoribus relictam et commendatam habet, sua omnia jura, privilegia, immunitates confirmetis. Haec si feceritis, erit cur et gratias vobis quam maximas universi ex Gallia agamus, nec vos ita aut sensisse, aut fecisse unquam poeniteat».

¹ Ext. etiam in Ms. arch. Val. sign. num. 3193, p. 35 et p. 60, et Ms. sig. num. 3232, p. 197.

Suprascripta oratione absoluta, reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte primus ipsius sacri Concilii praesidens et legatus respondit, consensu et approbatione totius Synodi, sub infrascripta forma¹:

123. « Sacrosancta Synodus, regis legati ornatissimi, magnam cepit ex adventu dominationum vestrarum voluptatem atque laetitiam, libentissime etiam audivit ea, quae de summa Galliae regum in Romanos Pontifices, Concilia et Catholicam Ecclesiam pietate et laboribus pro fide Christi luenda et amplificanda susceptis, comperta quamvis omnibus et explicata, dominationes vestrae luculenta oratione recitarunt. Sciunt omnes ii sanctissimi patres, Christianissimum regem Franciscum ab ejus majoribus nequaquam esse degenerem, fixumque in animo divinum illud eloquium habere: *Per me reges regunt, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam*. Itaque dominationes vestras, quas praestanti virtute praeditas esse non ignorant, letis amplectuntur atque recipiunt animis, regium mandatum in hoc loco lectum et recitatum, quantum de jure debent, admittunt. Ut autem pax et concordia, sanaeque et vera in Ecclesia doctrina statuatur, omniaque religionis dissidia tollantur, moresque depravati emendantur, pro se quisque, sicut decet Dei ministros et Apostolorum successores, atque hujus calamitosi temporis necessitas exigit, Conciliorum duce, auctore et gubernatore Spiritu sancto inspirante, maxime nitetur. Quod vero rex ipse patrocinium et custodiam eorum, quae sacrosancta Synodus decernenda censuerit, se in ditionis suae locis habiturum pollicetur, majestati ipsius Synodus universa quas potest gratias agit. Cujus sane ingentium in Christianam rempublicam meritorum privilegiorumque Galliarum Ecclesiis concessorum, quantum publica utilitas feret, rationem habebit, ita ut rex ipse Christianissimus sacrosancti Concilii propensam in se voluntatem ac studium agnoscere facillime possit, nec ei ulla unquam tempore causa futura sit, ut suae eum pietatis poeniteat ».

Deinde idem reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte post lectas et recitatas ad invocandum Spiritus sancti numen preces consuetas, rogavit Patres, ut prosequerentur examinationem articuli de justificatione: super quo dixit sententiam suam R. D. episcopus Favensis. Postea dimissa fuit congregatio.

124. *Septae sessionis prorogatio: Concilii transitio agitatur.* — Nonis Julii x, xi, xii, et xiv, executiendis acerrime articulis de justificatione data est opera, dieque a pluribus Patribus sententiae: episcopus vero Favensis in Congregatione generali decima septima Julii

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3232, p. 201.

habita cum in dicenda sententia nonnulla verba cum veritate Catholicae fidei parum consona protulisset, ab episcopo Chironensi correptus est: qua correptione ita exaudivit, ut dimissa concione antequam legati ex aula exissent in episcopum Chironensem petulantissime insiliens aliquos barbæ pilos evulserit; ad quem dein, coacta alia Congregatione ad eum castigandum, anathema contraxisse pronuntiat, et carceri in monasterio S. Bernardini addictus; licet ipse sedata ira veniam flagitii deposceret, atque etiam Chironensis episcopus læsus flexis genibus flagitaret, ut illi parceretur. De re tota certiore facto Pontifice, jussus est pelli e Concilio, exilioque Tridentinae urbis mulctari: deum anathemate solutus a legatis, cum reatum deflecteret, in suam diocesim amandatus est.

125. XXVII Julii actum est in Congregatione generali a cardinali a Monte de promulgando decreto de justificatione, verum consulti Patres sessionem prorogandam censuerunt, de qua alia Acta hæc addunt¹:

Prorogatio sessionis vi Concilii Tridentini sub Paulo III Pont. Max.

« Gerente bellum invictissimo Carolo V imperatore adversus Ecclesie hostes Lutheranos, eorum ducibus Joanne Friderico Saxone electore et Philippo langravio Hassiæ, qui contra ipsum Cæsarem rebellaverant, et primi arma ceperant, ingentemque exercitum paraverant, ac propterea cum jam omnia in Germania armis arderent, et dissensionibus, et tumultibus scaterent, Cæsari summo Pontifice Paulo III (uti fidei Catholicae et Christianæ doctrinæ propugnatori) suppliciter ferente: novatoribus rebellibus nonnullis aliis ipsius Germaniæ principibus, et ex liberis civitatibus quamplurimis faventibus, milites, pecuniam, tormenta bellica, commeatusque submittentibus: respublica Christiana in maximum discrimen adduci, sed in primis sacrum Concilium omni spe ejus, quam intenderat, restituendæ Ecclesie unitatis destitutum videbatur. Quare Patres in tanta temporum perturbatione, non solum ab incæptis rerum tractandarum discussionibus aliquantulum remorari coacti sunt, sed quod consilium capiendum foret ignorabant. Adveniente itaque die xxix mensis Julii m̄xlvi, quæ pro sessione vi celebranda fuerat constituta, cum neque decreta super re tam ardua, nempe de justificatione, tam præcipiti ac turbato tempore præparari, neque Patres ad ea publicanda quieto ac pacato animo esse possent (cum multo longius tempus, major alia perquisitio, alia discussio, alia denique animorum quies ad ea decreta conficienda atque decernenda requiretetur) necessario sessio ipsa proroganda erat. Cumque

Patres certi esse non possent, quo tempore, quave die decreta ipsa ita absoluta essent, ut publicari possent, consentaneum et opportunum visum est ut dies incertus relinqueretur, ne iterum ad prorogationem faciendam, non absque indignitate devenire necessum esset. Habita igitur in ipsa die xxix Julii Congregatione generali, sessio ipsa, quæ dicta die juxta decretum in V sessione publicatum celebranda erat, prorogatur ab beneplacito ipsius sanctæ Synodi ».

Adjuncta sunt præsulum, qui Congregationi interfuerunt nomina.

126. XXX Julii Congregatio generalis habita est¹, in qua cardinalis de Monte: « Vidi, inquit, vota Patrum, quæ quoniam mihi et collegæ meo aequalia videntur, propterea censui accelerandum esse, ut extrema manus huic decreto de justificatione imponatur, et deinde dies sessionis præliniretur ».

At Giennensis: « Nonnulli Patres retulerunt mihi numerasse vota et invenisse minorem partem sentire, ut dies certus præliniretur. Quamobrem sententiæ majoris partis, non vestra ordinationi standum est ». Cui cardinalis de Monte: « Fateor ego numerum eorum qui diem certam stauerunt visum in uno, aut altero excedere, sed non semper numerandæ sunt sententiæ ». « Mihi, inquit Giennensis, ex hoc irrogatur injuria, quoniam ex hoc censetur esse meam sententiæ debiliorem quam alterius, quamobrem afferantur sententiæ Patrum per secretarium collectæ, et secundum majorem partem decernatur ». Tum ex responsione cardinalis de Monte, qui suam in Concilio præsidentiali et Pontificis intentionem plurimum extollebat, Tridentinus paululum excitatus, ut magis blande, pie ac Christiane cum ipsis ageret, cardinalem de Monte admonuit. Hic vero intrepido animo, a quocumque etiam minimo privato se corrigi et moneri paratum esse, in publicis autem Synodi conventibus juxta delegatam sibi a Pontifice auctoritatem, nemini tanquam magistro sese nunquam subjecturum professus est. De hac dicendi libertate excusari merito potest cardinalis præses, quia Tridentinus semel et iterum ei dixerat, ne verbum proferret cujus deinde pœniteret, quod sane dictum minantis potius ac imperantis, non prælati in Synodo tantum libere loquentis speciem præferebat, tum subdidit constanti animo: « Sciat ipse, nullas esse Tridentini etiam irati minas apud cardinalem de Monte, cui vis quidem inferri potest, ut timeat autem, non sat fieri potest, maxime ubi id officium exigit sumum ».

127. Multis interjectis additur in Actis: « Secretarius legit vota Patrum dicta in hesternâ

¹ Ms. arch. Vatic. sign. num. 3232. p. 206. Angel. Massarelli. in Act. Conc. Trid. Ms. arch. Val. sig. num. 3212. p. 37.

¹ Ms. arch. Val. sign. num. 323. p. 207. Acta Congreg. Concil. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 154.

Congregatione super certitudine vel incertitudine diei sessionis, inventique fuerunt viginti septem, qui diem incertam probarent, novem, qui certam. Decernatur ergo, inquit Giennensis, secundum vota majoris partis. Cui cardinalis de Monte: Plura in hac materia concurrunt, quae consideratione indigent; primum, quod summus in rebus, quae ad ordinem rerum conciliarium pertineant, quarum directio et moderatio ad nos solos presidentes spectat, quorum est dirigere gesta Concilii, alioquin nihil differt praesideal quisque an subsit, si ubique omnium pares auctoritas; deinde cum in rebus magna est controversia, parvaque est in numero Patrum differentia, legatorum Sedis Apostolicae sententia ita ponderanda est, ut cuiuscumque parti adhaereri, stetur. Tertio considerandum est, quoniam non est major numerus eorum, qui diem certam volunt, si recte sententiae perpendantur, quoniam plures dixerunt diem certam, dummodo intra octo dies, alii dummodo intra quindecim, alii dummodo intra tres menses, alii intra sex, quae sententiae cum conditionales sint, nihil ponunt in esse, nihilque jvant partem illam, nisi prius statuatur dies ab ipsis nominata, quamobrem si haec conditionales sententiae submoveantur, remanebunt multo plures, qui diem incertam statuunt, quam certam, etc. ».

Dimissa Congregatione, statim Giennensis conversus ad cardinalem de Monte, petit ab eo, ut vellet in bonam partem trahere verba, quae ab eo dicta fuere, eique parcere, si in aliquo illum offendisset. Cui cum annuisset cardinalis de Monte, Tridentinus similiter lecit: verum cum cardinalis de Monte capite parum inclinato ei annuisset, indignatus cardinalis Tridentinus, quod non et verbis ei responderetur, dixit: « Capiatis mea verba ut vultis, quoniam mea nihil retet quomodo accipiatis, sum enim ego nobilis ». « Si nobilis es », inquit cardinalis de Monte, « ego ignobilis non sum, sed ibi ad locum, ubi nobilis mihi imperare non possit ».

Nimium elferri se sinit cardinalis Tridentinus inani nobilitatis generis jaetantia, quam nobilitatem D. Gregorius Nazianzenus luteam vocat. Cum vero Tridentinus et Giennensis, atque alii Caesareae majestati obnoxii praestules urgere vel etiam cogere velle viderentur legatos Apostolicos, ut polius Caesareas quam Pontificias voluntates sequerentur, a legalis de transferendo Concilio in Italiae urbem non obnoxiam Caesari cum Pontifice agi coeptum est, ex quo dissidiorem fonte proximo anno Tridentinum Concilium dissolutum visuri sumus. Cardinalis Cervinus Tridento tunc absens erat, ut cardinali Farnesio legato a latere cum Pontificio exercitu in Germaniam proficiscenti assisteret, et Rovereti oppidi, Tridento proximi, infirmitate detentus: itaque cum altercationes inter colle-

gas suos in Synodo recenler obortas percepisset, maximo affectus dolore, cardinali Tridentino insinuare sluduit, ut ipsemet imperatori necessitatem Concilii alio transferendi significaret, ejusque consensum impetrare conaretur, et ita honori suo consulere: alias totam in ipsum culpam Patrum Tridento discedentium refundendam. Scripsit quoque ad Bernardinum Maffium, qui Pontifici a secretis erat, ut Paulum de his omnibus certiore redderet: hanc praeter caeteras, quas sua sanctitas novit, occasionem minime amittendam; justissimas esse causas et ab omnibus etiam approbandas, quae hinc cogunt discedere, non ut Concilium suspendatur, sed ut in locum cunctis nationibus tutum transferatur; nullo modo sperandum ad dogmatum, ac praecipue ad justificationis decisionem posse perveniri, Germanis Patribus Caesaris voluntati nimium faventibus. Prosequitur idem Cervinus in Epistola referre, quod ipse Tridentum quamprimum reversus, ut turbatis rebus finem imponeret; cum Fanensi episcopo egisse, ut cardinalem Tridentinum ad impetrandum ejus opera ab imperatore alio Concilium transferendi consensum adhortaretur; ne ipsi causa hujusmodi recessus adscriberetur; etenim injuria, qua legatum, et Concilii praesidem affecerat, nota omnibus, coram oratoribus Gallicis et tota Synodo illata erat. Subjicit mox episcopum Fanensem cardinali Tridentino haec omnia renuntiassse, qui non modo de prudenti dato consilio sibi gratias retulerit, verum etiam ipsum Fanensem cum Nicolao fratre suo mittere decrevit ad imperatorem, quod jam operi mandaverat. Interim suam beatitudinem decernere posse, quomodo se gerere debeat in eo rerum eventu, et locum designare ad Concilii prosecutionem. Lucam tamen ipse summopere approbabat. Verum Pontificis mens ante has turbas in translationem valde propendebat; quare legalis facultatem per Breve concessit Concilium alio transferendi, quotiescumque major Patrum numerus assentiretur; quorum etiam arbitrio locum relinquebat, Ferrariam tamen, Senam et Lucam sibi praecipue placere significavit. Certior factus imperator de hac Concilii transferendi tractatione, antequam Fanensis ad eum perveniret ira excauduit, adeo ut cum legalis aspere de hac re exposulare suo oratori praeeperit, et praecipue cum cardinale Cervino, qui hujus rei auctor credebatur. De quo sic Aeta Concediaria tradunt: »

« III Augusti illustrissimus D. Didacus a Mendoza venit ad reverendissimos legatos, docuitque de mente imperatoris, qui non vult ut Concilium ex Tridento transferatur. In maximo periculo sunt res Christianitatis: indigne profecto ingentia mala imminet: ex una enim

¹ Hist. Genev. Eccl. Ms. arch. Nat. p. 163.

imperator non solum dicit, quod non vult, quod Concilium ex Tridento discedat, sed etiam minatur, si aliquis loquatur de translatione, et presertim minatus est reverendissimo cardinali S. Crucis, cui impingunt quod cupiat et agat ut Concilium hinc transferatur, contra quem cardinalem adeo prorupit in injurias, et jurgia, et minas imperator, ut nunquam contra aliquem talia dixerit. Ex altera vero, ob imminetia bella locus iste tutus non est, et undique Lutheranis circumvallatus et rusticis, qui etiam contra proprium episcopum non semel machinati et grassati sunt, ne dicam de rerum omnium in hac civitate penuria, sterilitate et loci angustia. Deus igitur faxit, ut quod republica Christianae expedit, et Dei gloriam concernit, fiat ».

128. Indigna Casarei oratoris exambientis Ecclesiasticum imperium subjicere Casareo insolentia asperavit magis legatorum animos, ut Pontificem urgerent ad Concilium Tridento transferendum in Italiam; ut eorum litterae ad cardinalem Camerarium ostendunt: « Nos expedire judicamus firma fronte et animo constanti translationem Concilii executioni mandandam esse, cum certum sit Tridenti non diu posse permanere: ideoque si hic repugnante natura retinere quis velit, dissolutio necessario, et alia absurda sequentur, et si sua sanctitas istis comminantibus vili animo cedat, episcopus non est, qui in futurum nec verbum pro nobis locuturus sit, nec imperatori et suis ministris oppositurus ». At dein legatorum animi sedati sunt ob Caesaris modestiam observantiamque erga legatos: nam cum ad imperatorem pervenisset cardinalis Farnesius, questusque esset de injuriis verbisque minacibus ab oratore profusis contra cardinalem Cervinum, negavit imperator dedisse oratori ea imperia: tum addidit, si ex Pontificis voluntate translatio Concilii fieret, eum invidiam ac reatum omnium malorum quae inde emergerent suscepturum, suamque conscientiam oneraturum: si vero praesules imperii sui ac regnorum translationi causam praerent, se in eos animadversurum. Posnere igitur iras legati, silentioque translatione pressa, ad damnandas Lutheranorum aliorumque impiorum haereses flagrantissima studia converterunt, ut Acta manuscripta denotant¹:

129. « XIII Augusti in Congregatione generali cardinalis de Monte (inquit Acta) admovuit Patres, ut bono essent animo, nihilque timerent (nam multi ob hos tumultus bellicos ex Tridento discedere decreverant) neque ex Concilio recederent, sed permanere vellent una cum ipsis reverendissimis et illustrissimis dominis praesidentibus, quibus salus et securitas cujuslibet ex Patribus ita erat cordi et curae atque propria: deinde proposuit examinandum

decretum de justificatione a dominis deputatis confectum ». De quo iterum Patres xvii Augusti sententias dixere, decreveraque, ut Pontificiae indulgentiae proposita oratoris pro felici successu expeditionis Casareae contra Lutheranos promulgarentur: ac xix Augusti¹ solemnibus supplicatio instructo agmine religioso a Patribus Tridentinis celebrata est:

« XXVIII Augusti in Congregatione generali praesides legati consulere Patres, an decidenda quaestio de certitudine gratiae, quae etiam inter Catholicos vertitur, an vero solummodo damnanda sit assertio Lutheranorum. Placuit majori parti damnandam tantum esse assertionem haereticorum, qui dicunt justificatum teneri ex fide ad credendum se esse in gratia Dei, quod nisi certo credat, non esse justificatum ».

130. *Errores et dubia de justificatione.* — XXIII Septembris² in generali Congregatione decreti nova formula proposita excussaque, necnon die xxvii Septembris, ac xxix. et i Octobris, ac ii et v et vi, quo die errores Lutheranorum circa justificationem collecti, atque in medium adducti fuerunt³, ut gravissimo examine discuterentur.

Errores Lutheranorum circa articulum de Justificatione collecti a R. D. Episcopo Minoricensi. et lecti in Congregatione vi Octobris MDLVI.

« Baptismo non tolli peccatum, sed solam imputationem.

« Solam fidem sufficere ad salutem.

« Opera nullo modo justificare.

« Evangelium pugnare cum lege.

« Deum praecipisse impossibilia.

« Justum in omni bono opere peccare, etiam dum orat.

« Omne opus optime factum esse peccatum, et mortale quidem, nisi Dei misericordia fiat veniale, licet alibi inter veniale et mortale non faciat differentiam: sed dicunt: Theologi, qui differentiam inter mortale et veniale docent, ad insaniam perditissime nituntur torquere conscientias hominum.

« Homo Christianus continuo per Christum liberatus est a lege Dei.

« Decem praecipita non pertinent ad Christianos, sed ad solos Judeos.

« Nihil est praecipitum a Deo in Evangelio.

« Opera Deus nihil curat, nec eis indiget.

« Opera nihil omnino ad salutem, aut ad justitiam valent.

« Sola fides Christi necessaria est, qua justus: caetera autem liberrima sunt, neque praecipita, neque prohibita.

¹ Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 213. In Diar. Conc. Trid. auctore Ang. Massarello. Ms. arch. Vat. — ² Ms. ead. Barb. sign. num. 23. p. 63. et aliud Ms. ead. Phi. — ³ Ms. arch. Vat. sign. num. 3249. p. 109.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 208, 1586.

« Nulla peccata possunt homines damnare, etiamsi velint, nisi sola incredulitas.

« Nulla est justitia nisi fides.

« Opera quaecumque ante charitatem facta, sunt peccata, et damnabilia, et indisponentia ad gratiam.

« Opera nihil sunt, aut sunt etiam aequalia, quantum ad meritum attinet.

« Omnia debet operari homo pro aliis, et non pro se, quia solum aliis vivit, non sibi.

« Sola ultima duo decalogi praecepta a nullo quocumque sancto aliquo modo implentur, caetera alia implentur, sed in his manent rei et peccatores.

« Praecepta duo ultima Decalogi non habent rationem peccati, et ideo non sunt confienda.

« Omne praeceptum Dei magis est positum ut ostendat praeteritum et praesens peccatum, quam ut futurum prohibeat.

« Bona opera non salvant nos, mala non damnant.

« Tam peccata quam bona opera damnant, sola gratia salvat.

« Nulla res tam bona, nulla tam mala quae non in bonum mihi convertantur, si credidero.

« Doctrina operum necessario fit doctrina demoniorum ;

« Caveamus a peccato, sed multo magis ab operibus bonis ; quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit.

« Christus non est Legislator ».

131. VIII die Octobris in generali Congregatione Hieronymus Seripandus Augustinianorum summus magister, postea cardinalis, sententiam dixit his conceptam verbis :

« Statum questionis hunc esse aiunt, utrum nos, qui iustificati sumus apud divinum tribunal, iudicandi simus ex una tantum justitia operum nostrorum procedentium ex charitate, quae in nobis est; an duplici justitia, nostra scilicet praedicta, et justitia Christi supplente imperfectionem justitiae nostrae ?

« Dicunt respondendum esse in hac re non speculative, sed practice. Statuatur scilicet peccator ante tribunal Dei, et interrogetur, an velit iudicari sua justitia tantum, et in ea fide? an et justitia Christi ejus imperfectionem supplere? cum Augustinus dicat: *Vae homini rite quantumcumque laudabilis, si remota misericordia discutatur*, quod et Bernardus sentire videtur.

« Secundo, justitia Christi nostra dicitur non quod nos informet, sed quod per sacramenta nobis communicetur, ut nostram suppleat imperfectionem; quemadmodum quae pro defunctis agimus, defunctorum dici possunt, quoniam nostrae charitatis vi illis prosunt, et quod illis deest supplemus.

« Haec assertione statuitur satisfactio, quia si nulla esset, quomodo ejus imperfectio posset suppleri per satisfactionem Christi ?

« Item, statuitur Purgatorium, quia non agimus, inquit, de animae glorificatione, sed de iudicio. Animae enim Purgatorii certe sunt de sua salute, et si diceretur: Nostra imperfectio suppletur justitia Christi, quid amplius purgatione egemus? Respondent, quod suppletur non usque ad glorificationem, sed ad iudicium, an scilicet digni iudicemur purgari in Purgatorio? » Et infra :

« Aiunt nonnulli : justitia fidei dicitur, quia fides prima datur etc. Quanto verius Augustinus, quem doctus sequitur theologorum schola, qui justitiam fidei comparatione ad actum credendi, atque ad actum iustificandi, non ad ordinem accipiendi definiit dicens : Justitia ex fide est, quae credimus iustificari, hoc est, justos fieri gratia Dei per Jesum Christum, vel quia credimus justitiam nobis divinitus dari, non nostris viribus in nobis fieri; cui justitiam ex lege opposuit, et ejus esse definiit, qui arbitrii sui viribus legem impleturum esse confidit, nec fide recurrit ad spiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat etc. »

132. Plura alia addidit, quae eo spectabant¹, ut admoneret Patres, ut quam oculatissimi esse vellent, ne dum Lutherum et caeteros sequaces damnare cupiant, inter quos Contarenus et Egidius cardinales sibi hoc decreto damnari videbantur, et cum ipsis Albertus Pighius, et alii plures.

« Neque inquit timendum est, per hujusmodi opinionem satisfactioni et bonis operibus detrahi, quoniam si recte inspicimus, ipsas maxime confirmat. Nisi enim aliquid essent coram tribunalibus Dei, asserenda non essent, et gratia, quam per Christum meruimus, non posset uti, quae non est incrementum dare, quemadmodum Augustinus dixit iis, qui propterea quod viderent ipsum magnificientem gratiam, dicebant ipsum negare liberum arbitrium. At ille inquit : Dum majorem gratiam facio, tunc maxime liberum arbitrium magni facio, quod nisi adesset, per gratiam angere nequiret. Neque rursus timendum est, per hanc ipsam opinionem Purgatorium negari, aut infringi, nam si ita est, ego omnium primus damnare illam cupio, sed, quae, advertatis quoniam non dicitur, quod statim ac quis se praesentat tribunalibus Dei, offerens nedum merita propria, sed et Christi, plene iustificatum, ut statim ad gloriam assumatur, sed ita dicimus etiam hominem iustificari, ut dignus habeatur qui in Purgatorium mittitur pro satisfactione penarum temporalium : nam certum est omnes qui in Purgatorio sunt, iustificatos esse ex eo, quod certi sunt de gloria caelesti, sibi aliquando debita post huiusmodi penarum temporalium ».

¹ Acta Conc. eg. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 165.

Addit se hæc Patribus dixisse, non ut ita sentiret, sed ut totam rem ob oculos sanctæ Synodi iudicandam proponeret, in hoc se saltem Synodo satisfecisse dicens, ne scilicet tot Patres inauditi per Synodum damnarent.

133. XI Octobris ¹ coacta Congregatione generali cardinalis de Monte ita Patres affatus est : « Inter alia, quæ in ipso decreto de justificatione consideranda occurrunt, præcipui sunt illi duo articuli de justitia imputativa et certitudine gratiæ : videri sibi ante omnia hos duos articulos bene examinandos cum a Patribus, tum etiam a theologis minoribus, ut inde magis veritas elucescat, et imponatur finis controversiis et contentionibus, quæ super eisdem articulis passim non solum inter hæreticos, sed etiam Catholicos versantur, quod cum ab omnibus laudatum fuisset, decretum fuit habendam Congregationem theologorum minorum ».

XII Octobris ² in Congregatione generali : « Reformationem (inquit cardinalis de Monte) nemo quam nos magis unquam concepivit, scimusque etiam S. D. N. non minus cordi esse, quam nobis et unicuique vestrum : et in primis hanc quam nonnulli notaverunt, avaritiam extirpare, quantum possumus, nobis in animo est, qua in re non parum faciemus, si veterum statuta observaverimus, nempe ut omnium Ecclesiasticorum proventuum quatuor partes faciamus, quarum una pauperibus Christi detur, altera clero, tertia fabricæ Ecclesiæ impendatur, reliquam vero dumtaxat nostris necessitatibus reservatam esse sciamus. Quod ad ambitionem atinet, et id reservandum erit, sed hæc pars non minus sæculares principes quam Ecclesiasticos tangit, quoniam et imperator, et Gallorum rex in Ecclesiis, in quibus eligendi jus habent, coercendi erunt.

« De titulo vero decreti, videlicet illa verba *Universalem Ecclesiam representans* addendane sint in Præfatione ipsius decreti, statueram me nihil velle dicere, sed in eorum gratiam, qui tunc non interfuerunt, cum hæc controversia a quibusdam suscitaretur, et maxime oratorum Christianissimi regis, specialiter aliqua dicere cogar, et in primis, quod hic, de quo agitur, titulus nunquam ab antiquis Conciliis usurpatus fuit. Constantiense Concilium primo hoc titulo usum est, sed eo tempore, quo nullus indubitatus Pontifex Maximus esset, et postquam Joannes XXIII qui majorem papatus partem oblinebat, papatus cesserat, quod quidem Concilium nihil commune habet cum isto ab unico et indubitato papa indicto. Basileensis vero Synodus quam feliciter hoc titulo usa fuerit, vos omnes scitis. His omnibus aliisque nullis rationibus, cum de re hujusmodi alias ageretur,

dictum fuit ab hoc titulo abstinendum esse, nisi aliter, et legatis, et Synodo quandoque videretur, idque ab omnibus (paucis exceptis) firmatum fuit, quorum qui sua in opinione permauserunt, id etiam in sessionibus firmaverunt, quod et nunc (si ita eis videbitur) facere poterunt, quoniam nos cum neque rei, neque temporis necessarium esse hujusmodi titulum cognoscamus, ut apponatur, volumus (nisi tamen vobis videatur) illis verbis et hoc addendum esse : *Universalis Synodus universalem Ecclesiam representans a S. D. N. qui unicum in Ecclesia militanti caput est et Christi vicarius, legitime convocata est* : quo casu facile patiar addi verbum *Universalis Ecclesiæ*. Addo etiam quod sive exemplum Constantiense, sive etiam Basileense Synodi accipiamus, neutrum casui nostro deserviet, quoniam in iis omnibus consentientibus titulus universalis Ecclesiæ appositus fuit, et hic nedum aliqui contradicunt, sed longe major pars ».

134. XV Octobris ¹ in theologorum Congregatione discussi sunt articuli controversi de Justitia imputativa, et certitudine gratiæ his concepti verbis :

Articulus de Justitia imputativa.

« Utrum justificatus, qui operatus est opera bona, ex gratia et auxilio divino, a meritis Passionis Domini nostri Jesu Christi profecto, ita ut retinuerit inhaerentem justitiam, presentans se cum illa ante tribunal Christi censendus sit satisfecisse divinæ justitiæ ad meritum et acquisitionem vitæ æternæ ? An vero cum hac inhaerente justitia opus insuper habeat misericordia et justitiæ Christi, hoc est, merito Passionis ejus, quo suppletur defectus suæ justitiæ, quæ justitiæ Christi communicetur ex divina dispensatione, secundum mensuram fidei et charitatis ?

Articulus de certitudine gratiæ.

« Utrum aliquis possit esse certus de sua adepta gratia, secundum præsentem justitiam, et quo genere certitudinis ? »

Habite sunt pluribus diebus a theologis concertationes in eorum Congregationibus, in quibus, addunt Acta ab Angelo Massarello scripta :

« Locuti sunt triginta septem theologi, quorum quinque tantum tenuerunt esse necessariam novam applicationem justitiæ imputativæ, reliqui omnes censuerunt justitiam inhaerentem sufficere.

« Quo vero ad certitudinem gratiæ viginti

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3232. p. 216. — ² Acta Congr. Concil. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 168.

¹ Ms. arch. Val. sig. num. 3232. p. 217. Doug. Conc. Trid. Ms. arch. Val. Ep. ALPH. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 24 p. 66 et aliud Ms. card. Pa.

supra unum fuerunt in sententia, quod homo justificatus possit in aliquo casu, sine certitudine fidei, scire se esse in gratia Dei: quatuordecim autem tenuerunt, quod in nullo casu homo (quantumvis justus) scire potest certitudine fidei, se esse in gratia, et inter hos omnes theologos duo fuere neutrales, facile huic vel illi parti adherentes ».

XXIX Octobris ¹ in Congregatione generali cardinalis de Monte Patribus retulit quæ acta fuissent, tum addit: « Propterea ad evitandas contentiones et scandala, videretur consultius eos damnare secundum assertionem hæreticorum: super qua re sententiis rogatis placuit majori parti, ut ii articuli damnetur, prout a Lutheranis asseruntur, et nihilominus super iis, in examinatione decreti de justificatione Patres sententias dicant.

« XXI Octobris ² cardinalis Polus tertius præses Concilii ob adversam valetudinem abijt e legatione cum bona Pontificis venia, Antonius Maria de Monte et Marcellus Tit. S. Crucis remansere ».

IX Novembris vocatur in examen decretum cum duobus articulis de justificatione et certitudine gratiæ, ac 18 præses sententias dixere: die sequenti alii duodecim; XII mensis alii sex; XIII Novembris octo alii, habiteque duodecim aliæ congregationes generales in eadem controversia, ac rursus decretum, et censure de eadem in pluribus aliis excutiuntur reliquo anni decursu.

« XVIII Decembris (inquit Angelus Massarellus) fil Congregatio theologorum prælatorum, qui diu disputarunt in inveniendò perpetuo consensu Ecclesiæ in interpretandis illis verbis Pauli: *Arbitratur hominem justificari per fidem*, et conclusum, ut inveniuntur verba, quæ ponantur in decreto in VII cap. quæ ad omnem justificationem referri possunt, scilicet primam, id est, dispositionem, ipsam justificationem, et incrementum ipsius: quod propositum fuit a reverendissimo domino cardinale S. Crucis, et ab omnibus approbatum est ».

XII Decembris ³ fil Congregatio theologorum prælatorum, quibus proponuntur verba declarantia, verba Pauli dicentis *per fidem sine operibus legis hominem justificari*, quæ sunt:

« Per fidem autem ideo justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum ac radix omnis justificationis: nam sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum Dei consortium pervenire »: quæ verba fuerunt examinata, et tandem ab omnibus approbata.

135. XXII Decembris ⁴ laborarunt prælati theologi in inveniendò perpetuo consensu Ecclesiæ in interpretatione verborum Pauli, cum dicit *gratis sine operibus nos justificari*, et omnes tandem consenserunt in infrascripta verba: « Gratis vero igitur justificari dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam meretur ».

« XXIII Decembris concordarunt ut manerent in decreto hæc verba, finalis causa, gloria Dei et Christi, ac vita æterna ». Et paulo post: « Egerunt magna disceptatione, an fides habere debeat aliquem locum in ipsis causis justificationis. Et quia Patres concordare non poterant, differtur decisio hujus questionis XXVII Decembris ». Et mox: « Conclusum concorditer, quod in nullam causam sit ponenda fides, sed satis ei tributum sit in verbis decreti pluribus in locis ».

In Congregatione vigesima nona Decembris celebrata ⁵, decreta fuil dies sessionis ad decimam tertiam Januarii anni proximi futuri, de quo sic inquit legati in Epistola ad cardinalem Farnesium. Illi qui sessionis decretum non approbarunt, fuere fere omnes illi, qui Julio præterito, ne stabiliretur tolis viribus contenderunt, seddecim fuerunt, et quinquaginta Indictionem sessionis approbaverunt.

XXX Decembris ⁶ in Congregatione generali actum est de residentia, in qua, inquit Acta, cardinalis Giennensis hora cum dimidia de materia residentia erudite et copiose disseruit. Ejus orationis summa hæc fuit, residentiam esse de jure divino, quod maxime ex Cajetano comprobavit, et episcopos non residentes ab Augustino pro non episcopis haberi, sed pro canibus, a Damaso vero papa meretricibus comparari, quæ partus suos aliis educandos tradunt, ut possint luxuria et voluptatibus indulgere; cum idem quoque faciant episcopi non residentes, quoniam populum sibi commissum, ut voluptatibus et genio indulgeant, aliis regendum tradunt. Quamobrem statuendum esse residentiam de jure divino esse. « Et mox »: Cui consequens est residentia parochorum, sine quibus parochis vix est, ut episcopus muneri sub commissio par esse possit: se scire affirmans, nullos fere hodie parochorum residentiam tacere, quorum aliqui, quod exempti sint, alii quod curiales, alii quod licentiam habeant, alii aliis de causis, ita ut omnis populus curatis commissus, non per se, sed per mercenarios pascatur, quorum proprium est negligere gregem, pastoris autem mori (si opus sit) pro ovibus suis etc.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 227. — ² Ms. card. Barber., num. 13. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 227 et seqq. — ³ Ang. Moss. in Diar. Cone. Trid. Ms. arch. Vat. — ⁴ Ms. arch. Vat. num. 3232. p. 238. Dio. Cone. Trid. in Diar. Missin. Ms. arch. Vat. in Act. Cone. Trid. p. 190.

⁵ Ms. Fr. car. Barb. sig. num. 23. et 260 Ms. car. Pal. — ⁶ Ms. car. Spada Ep. XXVII Dec. to. cccx. — ⁷ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 239. Act. Cone. Trid. Ms. card. Barb. sig. num. 1793. p. 176.

XXXI Decembris ¹ praelati theologi in Congregatione sua excussere ea verba (justificati in dies magis renovantur.) Cum aliqui dubitent, quod ex eis innuatur aliquid reatus remanere in homine post Baptismum, quod in dies in ipso justificatio innovetur, quod tamen falsum est: sed exquisitis sententiis placuit ut manerent, cum revera justificati in dies renoventur, id est, magis justificetur, et ex justitia crescant, et gratia augeatur, juxta illud, qui justus est, et justificetur adhuc, et illud, ne verearis usque ad mortem justificari. Item discursum fuit, an auctoritas Jacobi: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum, loquatur de secunda justificatione, hoc est de operibus quae subsequuntur ipsam justificationem: et conclusum sit: cum Jacobus dicat ex operibus justificari, et opera post justificationem justificent, id est justitiam augment, opera vero facta ante justificationem non justificant, sed præparant ad ipsam justificationem. Item, an consilia sint exprimentia inter bona opera, quibus justificatio augetur? et conclusum, quod non, cum sub nomine bonorum operum consilia comprehendantur.

136. Excurrente octo mensium flexu quæstio de Justificatione agitata est ², non modo propter gravissimas difficultates, quibus erat implicita, sed etiam, quia Cæsar variis artibus extrahabat administrorum opera perfectionem ac promulgationem decreti: verebatur enim ne Lutherani, quos armis fractos vel territos ad summum cogeat obsequium, audita fidei Lutheranæ damnatione, in rabiem desperationemque adducti, iterum ab eo deficerent: ac meditabatur animo clementia eos flectere, ut demum excipiendis in religionis causa Concilii decretis se subjicerent. Sed nullis officiis, nulla mansuetudine obdurata eorum pertinacia vinci poterat, omniaque Cæsarea consilia eludebat.

137. Ex retardatis vero Actis decretisque Concilii, fides Lutherana atque Zuingliana, et Calvinistica hæresis in plura regna latius diffundebatur, atque innumere animæ ignorantiae tenebris immerse in exitium salutis suæ præcipites ruebant: querebantur etiam episcopi se Tridenti in maximis domesticæ rei difficultatibus et periculis, ne a furentibus Lutheranis circumsiderentur, sine ullo fructu et divinae gloriæ ac religionis compendio, vel amplificatione distineri; cum tamen Concilium indictum esset ad hæreses exortas in Germania delendas, nec Germani præsules, nec hæretici ad Concilium accederent. Legati etiam Apostolici opponebant nitide Cæsareo consilio, non ita a Synodo Tridentina curandas res Germanicas, ut Gallia, Hispania, Italia et alia Christiana regna negli-

gerentur, nec sine crimine promulgationem decreti de justificatione differri posse; cumque Cæsar plures alios theologos ex Parisiensi et Lovaniensi Academicis exciri pro justificanda mora flagitaret, respondere legati non pendere auctoritatem Concilii ex hominibus illud componentibus, sed a Deo et a Sede Apostolica, nec tantummodo in questione de justificatione, sed etiam in aliis articulis fidei controversis, ut tandem hinc Concilio imponatur; nec quidquam salubrius et augustius pro Germania salute asserenda consuli vel fieri posse, quam veritas Catholicae fidei rite ac nitide sanciat ac promulgetur. Addidere etiam legati Tridentini Gallia regis oratores ejusdemque regni episcopos maxime gerere in votis, ut decretum de justificatione in Concilio, rescissa omni mora, feratur.

138. Tandem xiii die Januarii proxime sequentis anni, celebrato solemnî episcoporum consensu, doctrina Catholicae fidei de justificatione promulgata est, ut postea dicetur.

139. *Impii mors impia.* — Accidit hoc anno impioissima mors scelestissimi hæresiarchæ Lutheri; de qua hæc Joannes Cochlaeus ¹, qui ineptias hæreticorum refellit.

« Islebii die xvii Februarii, præacta in publico cum aliis cœna, eaque largiter sumpta, et factis hilariter extracta, eadem nocte interiit, de ejus obitu multa scribunt. Aliter narrant, scribunt ex vicinis locis Catholici, aliter loquuntur et scribunt Lutherani, qui multos agminatum emittunt Germanice libellos ad persuadendum emetis, quam sancte mortuus sit ille sanctissimus (ut aiunt) omnium eorum pater ». Et infra: « At quo majorum aut Apostolorum exemplo, ipse hæreticus notorius et ab utraque potestate suprema legitimo juris ordine damnatus, atque in episcopum nunquam electus aut ordinatus, novo ritu a sese frivole excogitato ordinavit et consecravit (ut ait Jonas in ista sua historia) Islebii duos presbyteros, ipse neque Missam celebrans, neque tunc cum aliis communicatus? Quid vero sanctitatis aut miraculi hoc habet, quod omni vespere, post cœnam opipare paratam et largiter acceptam, distento cibus et potu ventre, in habitaculo suo (per fenestram prospiciens) aliquantulum oravit, interdum tam serio ac sedulo (sicut recitat historia) ut circumstantes, dum taciti adessent, quaedam ejus verba admirabundi perceperint, cum nihil dicatur ibi vel de Floris Canonicis, ad quas dicendas utique, ut monachus professus et presbyter olim ordinatus, de jure obligatus erat, vel de aliis ab eo interdum factis (si quas modo fecit) orationibus! O sanctitatem miraculosam, et apud Christianos nunquam

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 241. — ² Ms. card. Spada p. 210.

¹ Cochl. in act. et scriptis Lutheri Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 2678. p. 149.

auditam! quod novus Saxonie apostolus, tota die secularibus intentus negotiis, prandiique et comae crapula oneratus, omissis totius diei horis Canonice, paululum antequam cubitum iret in fenestra prospectum orasse deprehensus est: cuius haresi ac scelere tot per omnem fere Saxoniam, Pomeraniam, Daniam, Sueviam et Norwegiam, monasteria et collegiata Ecclesie, atque etiam cathedrales (non solum omissis, sed etiam publica violentia prohibitis et interdictis Missis et Horis Canonice) desolantur, et a Dei laudibus obmutescunt die nocturne, et ab omni cultu veterique solemnitate cessant». El paulo post:

40. « Quid item egregium ejus apoplegetica? nos senes tam diu vivere oportet, ut in diaboli posteriora respiciamus, ac tot mala, infidelitates, miserasque mundi experientes, testes sumus diabolum tam malum spiritum fuisse». Id certe verissime factus est Lutherus, cum demonem ducem secutus sit, ejusque praeconis vestigiis inhaeserit, atque a sectariis perfidis et sceleratissimis mala innumera parata testis oculatus viderit. Pergit Cochlaeus, usurpataque a Luthero adagia afferit: « Item, genus humanum est sicut ovile ovium occisionis. Item, illud quod in historia omissum in Jone ad electorem Saxonie Epistola majusculis insertum est litteris: solitarium esse non allerit laetitiam: quasi vero monachis a Paulo dictum non sit: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*, aut quasi non ad vilam et salutem, sed ad occisionem et perditionem a Deo creatum sit genus humanum, aut falso dixerit Apostolus: *Deus cult omnes homines salvos fieri*, aut quasi non fuerit Luthero senior Moyses, quando dixit ei Deus: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*: ad Dei igitur potius quam ad diaboli posteriora respiciendum est senibus. Quid denique dicemus de ultima Lutheri ratione, quam historia majusculis litteris notatam recitat? O mi Pater, (inquit) celestis, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus totius consolationis, gratias ago tibi, quod mihi dilectum Filium tuum Jesum Christum revelasti, in quem credo, quem praedixi, et confessus sum, quem amavi et laudavi: quem abominabilis papa et omnes impii vituperant, persequuntur et blasphemant etc. Interroget hic Jonas Patres, excutiat vel diligenti sine omnes Scripturarum, legum, et canonum, Conciliorumque angulos, an apud ullum Christianum invenire queat talem morituri orationem, in qua quispiam ita sese jactet, ita praese cunctos, qui sub papa Christum coluerunt, contemnat et incuset, ita insectetur et calcumietur Ecclesiae pastorem summum Pontificem? An non potius credendum est, Christum judicem mox post verba ejus, in ipso exitu raptè jam de corpore annulae ejus dixisse, *De ore tuo judico te, serve nequam*: quia tu ipse antea dixisti et scripsisti, te audire in papa vocem Christi in eo loquentis et praesidentis. Item, anathema sit et maledictus, qui contra veritatem Apostolicarum veniarum loquitur. Item fateor sub papatu plurimum esse boni Christianorum, imò omne bonum Christianum: et sub papa esse veram Christianitatem, atque adeo verum nucleum Christianitatis). Quid igitur spei de salute potest esse homini sic indurato, et in finem usque contra charitatem, in haresi, schismate, ac rebellione, odioque contra papam perpetuo persistenti, ac pertinacem et obstinatam animam efflanti? judicat enim cum non solum Christi, Pauli, Cypriani, Augustini et similium sententia multipliciter attestata, sed etiam sermo ipsius, et oris proprii judicium. Stulle igitur ac impie laudat eum de hac oratione Jonas, quemadmodum et Pomeranus in fine funebri ad populum orationis suae cantatam jactilat stulle illius prophetiam hoc carmine:

Pestis eram vivens, moriens ero mors tua, papa.

41. « Non enim tam papæ, quam Germania et immure animabus pestis fuit vivus: mortuus quoque nemini magis, quam iis qui ei credunt, pestis et exitium fuit: quod si vivus et moriens, mors est summo Pontifici ut vane gloriatur, quid est, quæso, quod elector Saxonie in edicto suo nuper decima quarta die Februarii per omnes terras suas promulgato, tam vehementer sibi suisque confederatis a papa practicis ut ait timet, et suos domi manere, atque in continuo armorum apparatu persistere jubet? Numquid mortuus papa tam magnopere timendus est? ad vulgare est Halorum proverbium: *Homio mortuus non facit guerram*. Manet igitur papa, et manebit usque ad consummationem sæculi: hæretici vero velut aqua dilabuntur unus post alium: ubi nunc sunt magniloqui oppugnatores papæ, Zuinglius, Carolostadius, Capito, Grinaeus, Lutherus et complures alii? mors depascit eos nunc et usque in æternum: Papa et Sedes Apostolica supra petram firmiter aedificata perpetuo permanet. Quid vero prodesse potuit animæ Lutheri ad tribunal Christi raptæ vanissima pompa funeris? Et infra: « Quo denique exemplo Catherina monialis uxor Lutherina post funeris curram carpento vecta in publica processione, se suosque tres ex Luthero filios, Joannem, Martinum et Paulum et enumerat historia spectandus præbuit? numquid tali modo deductum fuit funus olim B. Marlini, aut B. Ambrosii, aut divi Augustini? O miseros et execratos homines, quos talium non pudet, qui tam cœcum habent, et de rebus humanis, et de religione Christiana judicium! Ne autem improbis et impiis lauda-

loribus illis, qui dicunt malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.

142. « Considerent autem pii, quid tantis prave intentionis laboribus curisque ac studiis effecerit Lutherus, cujus rebelli ac seditiosa concitatione tam multa hominum millia et corpore et anima in aeternum perierunt, atque deinceps adhuc peribunt, et tota per eum Germania confusa et conturbata omne decus pristinum perturbato imperio amisit, et ad bellum externa, tum civilia spectans trepidat, a generali et pacifico Concilio abhorrens, et a papa, a quo fidem Christi suscepit, velut ab antichristo per scelerata Lutheri dogmata sibi timet.

143. « Stulta enim Jonæ historia refert hanc quoque Lutheri morituri tam impiam quam ridiculam stultitiam, quod eadem nocte, qua periit, dixerit ipsi Jonæ, et Cælio, aliisque circumstantibus: Orate pro domino nostro Deo et ejus Evangelio, ut ei bene succedat, quia Concilium Tridenti et abominabilis papa graviter ei adversantur: quis unquam audivit orandum esse pro Domino nostro Deo? » Quem tandem pro Deo blasphemus ille orandum voluit? de quo illud Davidicum vere usurpari potest, *Stet diabolus a dextris ejus: cum judicaretur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. De eo vere antea adversus Bucerum Lutheri Encomiastem Joannes Eckius* ¹ scripserat: « Ex dictis, scriptis ac factis Lutheri luce clarius apparet, hunc carbonarii filium non esse organum Dei, sed diaboli, non membrum Christi, sed Antichristi et nonnæ suæ, Ecclesiarum internæ ac externæ deformatorem, Antichristi præcurso-rem et Apostolum, hæreticorum omnium hæredem et facem ». Et infra: « Vanissime jactat Bucer myriades Ecclesiarum quæ Lutherum sequantur: profecto hæc est ira Dei potentis, quod in tam modico tempore tot millia ex Germanis a stabilitate fidei exciderunt ad unius lupi excucullati monachi vocem; sic monuit Tertullianus: *Nemo miretur hæreses tantum valere*: ideo credibilis est, quid sit futurum tempore Antichristi, qui apertis thesauris suis (nam divitiæ Ecclesiarum et monasteriorum tunc erunt absumptæ: tot myriades hominum atrahet, ut Christus dicat: *Veruntamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* » paucis interjectis, dictum Bucerii lingentis Lutheranas Ecclesias non esse alienas a Christo ita refellit: « Bucer non vult Ecclesias Lutheranas judicari alienas a Christo: at hoc est Dei judicium, extra unam Ecclesiam Christi, extra arcam Noe, extra naviculam Christi nullam novimus. Judicium Christi est: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum,*

spargit. Non enim agnoscit Dominus oves extra ovile suum, sed male olentes capras et fetidos hircos damnat ».

Tradunt quo die Lutherus vivere desiit, in Belgio ² plures emergentes abentibus demonibus liberari visos, deinde vero in eadem corpora reversos de extincto Luthero, cujus animam ad infernalem barathrum delatum stipsissent, fidem fecisse, cum post aliquod tempus de Luthero eo die sublato publica fama manasset.

144. Id porro animadversione dignum est ³, quod cum Lutherus, Bucerusque, et alii hæretici adversus vitia sacerdotum Romanae Ecclesiae et Catholicorum acerbissime declamarint, maximam tamen morum cladem a Luthero et sociis reformationis buccinatoribus illatam fuisse, ut vitia longe magis inter sectarios quam inter Catholicos inhorruerint, ex eorundem confessione Lutheri libere professus est (inquit Erasmus ⁴): « Malle se pristinum papæ ac monachorum regnum quam hoc hominum genus sub Evangelii prætextu in Sogdianorum vitam sese proripientium. Idem in suis ad me litteris deploravit Melancthon. Idem in colloquio factus est Oecolampadius ». Sic item ⁵ Lutherus ipse de suis sectariis: « Voluit inquit) plusquam Christus ipse videri Evangelice; dicunt: Domine, Domine, sequar, quocumque, quocumque; et de Evangelio loquuntur, quasi sint Angeli, sed si opera spectes, sunt meri diaboli ». Imo vero (ut videas mirabile incrementum hujus Evangelii omnia hominum genera suo contagio vastantis) non solum (inquit ille ⁶) magni viri, nobiles et mercatores, sed ipsi etiam rustici, qui alias simplices et sinceri solebant esse, thrasonice, jactanter, sibi jam nullo prædicatore opus esse. Quid ita? An quia paucis annis prædicatum a Luthero Evangelium novum ita eos reddidit, vel in omnibus fidei mysteriis peritos, vel excellenti vitæ sanctimonia præstantes? Nihil minus, sed quia homines mira pernicitate ad extremum hujus Evangelismi finem et scopum proficiebant, « quia (ut ipse ait Lutherus) futuræ vite rationem habent nullam, sed sicut credunt, ita vivunt, sunt et manent sues et sicut sues moriuntur ».

Illud certe verissimum est ⁶, Lutherum in Commentariis suis omnes consecrari verborum et syllabarum argutias, quibus post mortem animas cum corporibus dormire et sepeliri probet, atque ita cum corpore omni, ut gaudio, sic pœna carere (exempli gratia sic ille ⁷ in Ecclesiasten): « Ex hoc, inquit, loco patet mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciunt, et est fortissimus locus pro mortuis nihil intelligentibus rerum nostrarum contra sanctorum invocatio-

¹ Jo. Eck. in Replicâ advers. Bucerum.
² Cratopolis. — ³ Guill. Ross. p. 191. — ⁴ Erasm. in Epist. ad Fr. infr. Germ. — ⁵ Luth. to. v. in Matth. c. v. — ⁶ Ib. enar. in 1 Corinth. c. xv. — ⁷ Guill. Ross. p. 209. — ⁸ Luth. to. v. in Eccl. c. ix, 5.

nem et Purgatorii fictionem ». Rursus in eodem capite ¹ : « Illic alius locus est, quod mortui nihil sentiant. Nulla est, inquit, in inferno cogitatio, ars, cogitatio, scientia. Sensit ergo Salomon mortuos omnino dormire, et nihil prorsus sentire ». Ubi ut prætermittam manifestam vim Scripturæ, et sensui et verbis illaliam, maxime si inferni vox sepulchrum significet, ut in eadem prorsus sententia Lutherus docet, illud solum animadvertat Christianus lector, quam curiose et acriter nefarius impostor omnes captat umbras, ut suam illam pestiferam de animarum dormitione hæresim persuadeat. Atque in hunc scopum, ne plurimis locis coarcervandis prolixior sim, perditissimus ille quæcumque potest obscura Scripturarum membra et incisa interpretatur, semperque illud inculcat ² : « Ego sequor Scripturam, quæ dicit, *mortui dormiunt*. Ego puto eos sic ineffabili et miro somno concopitos, ut minus sentiant ³ aut videant, quam hi qui alias dormiunt. Animæ mortuorum ingrediuntur, nec in Infernum etc. Deus facit similes bestiis dormiendo, vigilando, comedendo. Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis, etc. Ita nec mortuorum locus cruciatu ullos habet ». Quis autem fructus ex hac doctrina? nisi quod per universam Germaniam pervaserit, ut quam impudenter homines in omnem se luxuriam et libidinem effundant, quam effrenate publicas vias obsideant, et quorumcumque bona deprædentur, ut fœdissimis peccatis nullum statuatur finem nec modum, hac diabolica confidentia subnixi, quia post hanc vitam alia nulla est attendenda, nullum Dei iudicium, nulla in cælo præmia, nulla in inferno cruciamenta, sed morte corporis omnia terminentur, anima simul cum corpore in sepulchrum inclusa: hoc partim supra attingimus, partim deinceps ostendetur. Interim ex Brentio quo quem quærimus teslem fide digniorem? promptum est colligere hanc valde generalem Protestantium fidem et sententiam. « Et si », inquit Brentius ⁴, « nulla sit inter nos publica confessio, quod anima simul cum corpore intereat, et quod non sit mortuorum resurrectio, tamen et impurissima et profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat, quod non sentiant esse vitam post hanc, nonnullis etiam tam voces inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis excidunt ». Hæc Brentius, qui quod de impurissima et profanissima fratrum suorum vita, idque in ipso Evangelii flore conqueritur, tam est evidens, ut innumeris Musculi, Lutheri, Bucer, et Calvini testimoniis comprobari possit.

45. Denique de inebriatissimo Lutheri obitu tractationem cum Surio ita adversus eum de-

clamante claudamus : « O vere mortem expavescendam et horrendam, ita obstinato in Pontificum et Catholicos odio exhalare spiritum, atque sic proficisci ad illum æquissimum iudicem! O si miser ille seipsum cognovisset, certe illa extrema hora palam fassus esset, se longe omnium atrocissime et immanissime vituperasse, persecutum fuisse et blasphemasse Christum, cui unus ipse suis impiis dogmatibus tot abstulit animas, ut sine horrore et stupore nec dici queat! Ille quidem sic mortuus est, sed post se in multis Europæ amplissimis regnis et provinciis supremam fere reliquit vastitatem, religionem miserabiliter confusa et perturbata, innumeris eversis Ecclesiis, destructis monasteriis, omnibus piis abrogatis caeremoniis et ritibus Ecclesiasticis, sacramentis horrendum in modum profligatis, ut ad Mahometanam constituendam impietatem parum aut nihil superesse videatur. Eos nobis fructus affatim produxit miser ille, et mortalium omnium longe infelicissimus, qui utinam nunquam natus fuisset, aut certe solus periisset ». Et bene, quod de impiissimo Christi proditore Juda in Evangelio perlegit ¹: *Bonum erat ei, si notus non fuisset homo ille*, novo huic Judæ nefandissimoque apostatæ convenit: in ejus enim cor misit diabolus, cum quo assidue agebat (unde vas Satana a cardinali Hosio nuncupatum est) ut traderet Christi Ecclesiam, animamque suam ob vile humanæ gloriæ pretium perpetuis deputaret inferorum tormentis ². *Quantum enim glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum et luctus*.

46. *Petri Fabri mors pretiosa*. — Verum quam pessima fuit apostatæ Lutheri mors, tam pretiosa extitit Petri Fabri primi D. Ignatii socii, quæ hoc anno accidit, mors. Is ab optimo parente ex Hispaniis Romam evocatus, ut juxta Pontificis mentem ad Concilium Tridentinum pergeret, a ferventibus infestæ caniculæ caloribus, imbecillis ac prope ager, vexatus, pæcos infra dies nova morbi vi arreptus, e vita decessit. Strenuam pro fide Catholicâ in Germania navasse operam, Bucerum et Melanthonem ad certamen provocasse, ac validissimis argumentis rationibusque eorum insanias confutasse, ad Joannem Gropperum Ecclesiæ Coloniensis archidiaconum, et ad Antonium Perenoltum Granvelanum, qui demum cardinalis fuit, tum Atribatensem episcopum, acres litteras dedisse, quibus fallaces hæreticorum dolos aperiebat, et ad Colonienses potissimum Ecclesiæ causam omni ardore defendendam eos excitabat, alias vidimus. In Epistola ad Laimium in Societate collegam de modo hæreticos recte curando, qua potissimum in sanandis eo infectis veneno mentibus norma ipse se gereret, luculenter apparet:

¹ Luth. Rom. v. in Eccl. c. ix, 26. — ² Luth. in Jonam cap. — ³ Ib. ib. vi. Genes. c. xvi. fol. 361. lb. c. xliii. 41. — ⁴ Brentius in Luc. c. xxii. hom. 35.

¹ Matth. xxvi. 24. — ² Apoc. xviii. 7.

« Quoniam in cæteris Lutheranorum erroribus (post plura sic inquit) is est ferme communis, ut humanas actiones ac facta suis meritis spo- lient, contemptisque recte factis, omnia in fide reponant; ideoque faciendum nobis est, ut in eorum congressibus atque colloquiis ab operibus ac recte factis progrediamur ad fidem, iis perpetuo sermonibus inserendis, quibus eorum animi ad amorem ac studium excitentur ». Et infra: « Sic existimo, si quis efficacitate doctrinæ, aut ardore spiritus persuadere Luthero posset, ut excussis ex animo pravis suis opinionibus, et recepto religionis ornatu sese alacri quadam parendi voluntate ad ea, quæ imperantur, explenda et facienda converteret, fore ut eo ipso nulla adhibita concertatione hæreticus esse desineret ». Tanta autem in ejus dictis vis, tanta e consuetudine familiari questus pietatis, tanta apud omnes ejus existimatio ac celebritas percubuit, ut Lænius sanctum Ignatium per lileras, quanta cum Germaniæ labe ac honorum hominum desiderio Faber abscesserit, certiorum reddiderit, cujus vel nomen ipsum in utraque Germania Catholicos erigere, et ad utriusque reparandæ spem viros etiam principes excitare fassus est.

117. *Venetos hortatur Paulus, ut Lutheranæ hæresi Vicentiam inficenti se objiciant.* — Interim excubabat Pontifex omni studio, ne Lutheranæ hæresis Italiam pervaderet, quæ cum Vicentiam Veneto subditam imperio inficere cœpisset, ducem ac senatum Venetum præmonuit, ut fidei censores sua auctoritate fulcirent: verum licet Rodolphus cardinalis Vicentiæ Ecclesiæ administrator capiendis vulpeculis, quæ Vicentinam vineam demoliebantur, operam daret, tamen administri magistratus Veneti illius studiis non tam cito obsecundarunt, quare latius contagio hæreseos diffusa plures corripuit, adeo ut Pontifex iterum ducem senatumque Venetum sollicitavit, ut ad excindendas mali fibras, antequam ingravesceret, sedulo incumbere¹:

« Duci et senatui Venetorum.

« Dilecti filii etc. Egimus alias vobiscum, et per litteras, et per nuntios nostros sæpius, ut hæresim Lutheranam in vestra civitate Vicentiæ exortam et a non paucis illius civitatis receptam, vestro favore et pia justitia succidi facere in ipso semine velletis, ne mox confirmata invalesceret, intellectoque tunc per nos, quod potestati et capitaneo dictæ civitatis mandaveratis, ut in extirpationem ipsius hæresis totaliter intenderent ac faverent, firmiter speravimus, vestram auctoritatem apud illos magistratus, et eorum executionem adversus ipsos hæreticos ita valituram, ut negotio optatus finis atque exitus cito imponeretur, cum præsertim dilectus filius noster N. cardinalis Rodolphus Ecclesiæ Vicentiæ

administrator, suo boni pastoris officio nulla in parte defuerit, brachiumque dictorum potestatis et capitanei, sine quo rem perficere non poterat, sæpius imploraverit: sed tamen (sicut nobis relatum est) et de quo salis mirari nequivimus, effectu mandati vestri et spei nostræ ex eo caruimus, quod ipsi potestas et capitaneus jussionem vestram diligenter (sicut oportebat) exequi neglexerunt, ob quod ipsi hæretici alacriores facti, urgente gressus eorum diabolo, radices suæ impietatis latius postea protenderunt, et quotidie ita protendant, ut nisi vere ac alacriter huic malo obsistatur, verendum sit ne serpat ad proxima, et in dicta civitate multo acrius convalescat: quamobrem nobilitatem et devotionem vestram iterum in Domino requirendas duximus, et omni studio atque instantia requirimus, ut sicut dignum pietate atque officio vestro est, remedium huic malo nimium sane jam tolerato efficaciter afferre, potestatique et capitaneo in dicta civitate nunc existentibus districtius mandare velitis, ut vicario dicti cardinalis administratoris omnes labores in comprehendendis puniendisque dictis hæreticis quamprimum præbeat opportunos, negligentiamque prædecessorum suorum studio fideli et diligentia sua compensent: nam cum vos vestrorum majorum exemplo, religionem Catholicam summa constantia semper colueritis et colatis, minime est vobis ferendum vestros subditos in cultu Dei omnipotentis a vobis deviare, perniciosamque hanc hæresim aperte profiteri in oculis prope vestris et Universalis Concilii, quod Tridenti ob has præcipue hæreses expungendas indictum et apertum est: nec vero fugit sapientiam vestram, quæ singularis est, præter eam, quam Deo conservare debetis, sicut facitis, sanctam Catholicam religionem tot jam sæculis per vos majorisque vestros observatam, etiam ad divisiones factionesque illius civitatis animadvertendum esse, ne ad veteres hæc nova superaddita causa, novitatibus aditumque defectionibus aliquando præbeat, cum sicut nostris, vel hæc sola religionis dissensio multis in locis obedientiam ac fidelitatem excusserit, ideoque a vobis omnino sananda esset, cum hominibus fideles esse non possint, qui Deo omnipotenti fidem violaverint: sed prudentia vestra non eget monitis, excitanda solum a nobis fuit, ut quod laudabiliter cepistis, efficaciter perficiatis, quod sane nos a vestra pietate ac justitia firmiter expectamus etc. Dat. Romæ i Maii MDXLVI, anno XII ».

Parvere Veneti Pontificis monitis, atque acerbissimis edictis hæreticos proseripserunt, ut qui divino timore creeri a flagitio non poterant, suppliciorum metu ab impietate submoverentur, quorum pietatem ac prudentiam eximiam commendat Surius his verbis:

« Veneti edicto cavent, ut libri a Catholica religione discrepantes ad certos homines addu-

¹ Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 158.

cantur, idque intra dies octo, quibus elapsis, inquisitum iri aiunt, et qui deprehensi fuerint non impune abituros: his qui deferant hujus edicti contemptores, munera promittunt. Ilæc molestissime ferunt homines, sed si saperent, gauderent magistratus eorum salutis mature consulere, atque utinam ubique terrarum prescripti essent libri omnes ex hæreticorum officinis profecti, nam sermo eorum, quod verissime dixit Apostolus, *ut cancer serpit*.

148. *In Scotia nova circa fidem contentiones.*

— In Scotia maxime de religione contentiones hoc tempore exorta multos tumultus peperere, cumque Florentius Voluseus Scotus in patriam reditum pararet, Jacobus Sadoletus cardinalis illum hisce monitis præceptisque ad colendam religionem Catholicam, sectasque novas respuendas erudit:

« Cum et sacra nos litteræ, et rerum eventus ipse docuerit, Ecclesiam Dei turbulentis hominum seditiosorum consiliis perpetuo infestam esse et obnoxiam, nimirum id permittente Deo, quo hic honorum exploretur fides atque constantia, profecto dubium esse non potest, quin quod sanctissimi viri hujusmodi dissidiis et contentionibus exortis semper fecerunt, ut Ecclesiæ partes sequerentur, eique tanquam firmamento veritatis inmitterent, in hoc quoque optimus et gravissimus facere debeat, et sanctissimum parentem omni pietate et studio constantissime tueri atque defendere. Etenim summa sit, non dicam, imprudentia, sed amentia, Catholica relicta ac deserta Ecclesia, ejusque perpetuo consensu, et tot sanctissimorum patrum auctoritate contempta, eorum sectam sequi, qui impulsî odio, timore quodam rapti, tam temere ac nefarie ab Ecclesia discedere, eamque vexare atque oppugnare ausi sunt, quos ut corrupti sacerdotum mores gravissime offenderint, nequaquam ea tamen aut alia omnino turbanda pacis et commovenda seditionis causa justa esse potuit. Quamobrem suadeo, hortor et moneo, ut majorum nostrorum vestigiis insistas, atque ea, quæ statuit, decrevit, et tot jam sæculis observavit Ecclesia tanquam Spiritus sancti, qui illi custos et veritatis omnis doctor perpetuo adest, decreta et instituta, sanctissime servanda esse censeas. Dat. anno MDLVI ».

Præerat tum in Scotia sacre fidei censura David Betonius cardinalis, idemque archiepiscopus S. Andreae, qui in novatores legum severitate distringebat, ac concionatorem hæreticum flammis exuri jussit, ex quo impiorum oha adeo in se accendit, ut cum Normano Leslie comitis filio frucidandam conjurarint, quod inane flagitium eo in cubiculo profusione intercepto patrarunt, gladiusque confoderunt, ac deinde ad fenestras, ad majoris ignominie de-

decus suspenderunt. Sed mirum fuit, quod ejus sanguis in lapides effusus, nulla aquarum affusione quacumque adhibita, ab impiis arte et diligentia elui potuit: eo casu parricida arcem urbis S. Andreae occupavit, ad quam recuperandam Jacobus Arraniæ comes Scotiae administrator cum exercitu provolvit, ne Angliæ regi infensissimum Scotorum hosti dederetur. Cum vero obsessi de transigenda deditione verba nuncupassent, eam addidere legem, ut a Pontifice etiam censuris omnibus ob casum cardinalis solverentur, de quo proximo incaute anno factus certior Paulus, ne Angliæ ante recepta in regni interiora penetrarent, misso Diplomate de legum severitate remisit, quo Arraniæ comes uteretur, si militum virtute proditorum pertinaciam expugnare non posset:

« Dilecto filio nobili viro Jacobo comiti Arraniæ in regno Scotiae gubernatori.

« Dilecte filii, nobilis vir, salutem, etc. Scribit ad nos nobilitas tua, quod interfectores bonæ memoriae Davidis cardinalis S. Andreae olim in isto regno nostri et Apostolicæ Sedis de latere legati, qui post dicti cardinalis cædem castrum civitatis S. Andreae hostiliter occuparunt et adhuc occupant, castrum ipsum, quod tua nobilitas quamvis jamdiu magno labore obsessum, hæcenus recuperare non potuit, nullo modo restituere intendunt, nisi ab hujusmodi delicto absolvantur: et non ab re formidari, quod nisi idem castrum ad manus tuas quamprimum redigatur, Catholicae fidei hostes, qui dicti regni occupationi semper inhiant, occupantium deditione dicto castro potiantur, et per illud veluti ipsius regni januam regnum ejusmodi invadant ad direptionem: et huic imminenti periculo provideri posse nobilitas tua asserat, si dicti occupatores a dicto crimine absolvantur. Quamobrem, etsi nobis flagitium illud longe atrocissimum et omni indulgentia indignum videatur, tamen minus malum eligentes, ne dictum regnum aliquod majus detrimentum patiatur, ipsam absolutionem certis isthuc iudicibus commissimus, sicut in aliis nostris in forma Brevis litteris expressum est, quod etsi istius regni salute permoti fecimus, justo tamen Dei iudicio, tuoque ac tuorum militum virtute fore speramus, ut tanti criminis rei potius in tuas manus, si nondum devenerunt, deveniant, quod de absolute a nobis per vim extorta, gloriari non possint: nos quidem, qui hanc rem regi Christianissimo commendavimus, tibi et isti regno, quantum nobis licuerit, nunquam deerimus. Dat. Romæ in Februarii MDLVI, anno XII ».

Non potuit Scotia administrator peridos armis transgere, ad quos edomandos auxiliarem Gallorum classem exivit, ut proximo anno diceretur.

149. *Inter Gallum et Anglum confecta pax.* — Confecta porro est hoc anno pax ¹ inter Franciscum Galliae regem et Henricum Angliae tyrannum, quam etiam a Cæsare Bernardi Patrii Veneti opera promolam referunt. Sollicitatus enim ab Anglo, ut Gallicam expeditionem (omissa Germanica) oblato in singulos menses Anglicano auro subsidiario susciperet, ut interuentii Pontificii ad cardinalem Farnesium datæ litteræ ostendunt, flagitio abstinuit, ac potius Anglum ad concordiam cum Gallo incitavit. Fatigatus quidem erat Henricus, et morbo, et maximis sumptibus gravioris belli, in quo multis adversis exceptus erat, nam etiam hoc anno Anglos tumultuaria pugna cæcos describit Bellaius : Franciscum vero regem ad pacem inclinasse ait, eo quod extincto filio Aureliæ duce rebus suis a Cæsare diffideret : leges illaque late sunt in hunc modum, ut Bolonia et aliae arces in ejus agro excitatae ab Henrico Gallo traderentur. Gallus vero octingenta coronatorum millia, ex reliquatione pensionis intermissæ, vel ob sumptus in muniendis arcibus factos intra octo annos Henrico solveret : at hujus pacis beneficio rebusque humanis brevi potiri, utrique regi non licuit; cum utrumque Deus proximo anno ad tenendum alium in æternitate pro meritis demeritisve locum evocavit.

150. *Lusitani sua virtute Christi regnum explicant in Indis.* — In India ² gestum est hoc anno gravissimum bellum inter Christianos ac Mahometanos, ac divino potius miraculo, quam Lusitanorum virtute Christianum in India imperium stetit contra vim Mamudii Cambaie regis, qui Sofarem Diensi toparchia donatum huic bello præfererat. Præerat archi Mascharenius, a quo plura bellicæ virtutis exempla edita, ac licet in oppugnatione Sofar Diensis toparcha globo disceptus fuerit, succedente tamen militari imperio Rumeane filio, præferoci animo prædito, Lusitani in extremum discrimen a subeuntibus in mœnia hostibus, ac propugnacula cuniculis subruentibus, adducti sunt, donec Joannes Castrius prorex Indiæ instructa classe suppetias attulit, ac III idus Novembris in hostium castra tanto impetu irrupit, ut cæsis quatuor Barbarorum millibus, desideratis tantum Lusitanis sexaginta, florentissimum victoriam retulerit, potitus universo militari apparatu, atque inter alios triginta quinque majoribus tormentis æneis. His subdit Indiæ historiæ auctor.

« Clara admodum et gloriosa Lusitanis hæc victoria fuit, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium et fama : celebratè auctore divina miracula, quod hostes ipsimet affirmarent conserla jam pugna majores aliquot

ballistas applicitum, qualer ignem cælo minime pluvio respuisse, et super ædiculam arcis apparuisse mulierem cœlesti lumine radiantem, cujus fulgor ita adspicientium oculos mentesque perstringeret, ut cæci propemodum, neque in ordines ire, neque in unum conglobare se possent, ac tanto superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium specie, in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur; inde consternationem et fugam ortam; prætor ab tam felici eventu, primum Deo supplicationes habendas curavit, collaudato dein exercitu, laureatas ad Joannem regem litteras misit ».

151. Conlulit tam insignem victoriam Joanni regi Lusitanie Deus, ejusque in India firmavit imperium, cum Joannes paulo ante piis Michaelis Vasæi sacerdotis, virtutibus conspicui, et S. Xaverii consiliis inductus ad proferendam in India Christianam religionem augendamque, delendam idololatriam, tuendos neophytos, alendos sacerdotes insignem edictum ad Joannem Castrium proregem dedisset, quod veluti illustre regie pietatis monumentum subjicimus ¹ :

« Joannes rex Joanni Castrio Indiæ prætoris amico, salutem.

« Quod non ignoras, idololatria tam grave piaculum est, ut ea in meis regnis ullo pacto ferenda non sit : delatum autem est ad nos in Goanis finibus, tum publice, tum privatim coli sacella idolorum. Præterea ludos ritusque ethnicos celebrari palam, et proinde libi etiam atque etiam mando, atque plane jubeo idola omnia per idoneos administratos investigata et undique sublata comminuas comburasque, et cum gravibus edicis munitis, ne cui prorsus ullum ejusmodi simulachrum, aut signum ex ære, ligno, argilla, gypso aliove metallo, materia, massa, fundere, ducere, sculperè, fingere, exprimere, figurare, aut aliunde importatum habere, seu sacra ludosve ethnico more facere, aut Brachmanas concionatores magistrosve, terribimos Christi adversarios, ulla ope juvare, vel lecto recipere liceat. Qui secus faxit, penis in edicto propositis nulla remissione munitus.

« Et quia gentes ad legitimum unius Dei cultum non modo spe futuræ beatitudinis, sed etiam presentibus interdum præmiis invitandæ sunt, curabis emixe ut redempturæ vectigalium, curationes publicæ, et alia munera quæstiosa, in homines ethnicos ad hanc diem conferri solita, in ipsos Christi neophytos primo quoque tempore transferantur ». Et infra : « Ad hæc certis auctoribus magno mihi meo dolore comperit est, ab Lusitanis hominibus vili pretio coempta mancipia, quæ apud Christianos dominos perfacili negotio adduci possunt, Mahometanis ac barbaris mercatoribus ad non dubium animarum interitum, uberiores quæstus

¹ Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 137. p. 44. Ludovic. Guic. in Comm. Martini Bellaius in Comm. — ² Maff. hist. Indiæ l. XIII.

¹ Ext. apud Joan. Pet. Maff. lib. histor. Indiæ XII.

causa venundari. Id periculum ne admittatur in posterum, neve servituti ulli nisi Christiano emptori aut licitatori, gravi cavebis edicto. Fœneratorum licentiam, quam certo capite Goanarum legum didicimus, fac imperio atque auctoritate coerceas, idque caput e legum serie quamprimum expungas. In oppido Bazaino templum divo Josepho exstructo, idoneumque stipendium alendo vicario et beneficiariis aliquot de meo assignato. Annua porro tria paradam millia in impuras Mahometis ades et nefarium cultum ab ejus sectatoribus antehac impendi solita, Evangelii præconibus et conversionis adiutoribus in posterum numerantur. Et paulo post: «Ages etiam cum ipso Cocini rege ut ritus quosdam ethnicos ab ipsius anguribus in piperis venditione adhiberi solitos (quandoquidem nihil ipsius ea res interest) e nostro commercio tolli permittat. Ab eodem rege aiunt ludos ex ejus ditione, qui relictis idolis Christiana suscipiunt sacra, fortunis omnibus illico spoliari. Ab ejusmodi immanitate, et tu omnibus nervis amicum regem nitentis avertere, et nos ipsi quoque in eandem sententiam ad eum litteras dabitur. Socotoranam causam diligenter ipse tu mihi coram, et per litteras commendasti: eos ego populos e miserrima servitute creptos admodum cupio, sed cum eo ne Turca, cujus in imperio sunt, aerius irritetur, classesque in isthac maria mittere paulatim adsuescat. Piscarii littoris incolae cum aliis, injuriis affici a meis ducibus ferunt, tum vero cogi ad ea qua piscantur sibi tantum iniqua conditione vendenda. Cavebis igitur etiam atque etiam ne populis iis liberum vendendi arbitrium adimatur, ducesque mei in commercio ejusmodi ne quid sibi proprium arrogent; atque ad eæteram quoque tollendam vexationem, videbis num ea littora sal eustodiri, meaque vectigalia sal commode exigi sine classibus possint, que res si facultatem habuerit, non est cur illuc in posterum navigent. Præterea cum magistro Francisco Xaverio consultabis, atque dispicies num ad ejus Ecclesie incrementum expedit, fasve sit piscandi potestatem petere tantum iis, qui Christum induerint, cæteros quoad sapiant, eo questu et commodo prohiberi. Qui ex ethnicis ad Christum sese convertunt, eos audio tanquam sceleratos et sacros, a parentibus, cognatis amicisque teelo ejeci, bonis everti, ac summa profanus in solitudine atque egestate versari: horum tu inopia sublevanda, communicata cum Vasæore, annuam et redditibus meis pecuniam summam decernes distribuendam a sacerdote, qui ejusmodi neophytorum institutioni præfuerit.

«E Ceylano insula regnus, uti fertur, adolecentibus, impiis avuncule in parentis ebulliens manus, Goam baptismi gratia se contulit, hujus in persona, quando ad aliorum

conversionem haud leve momentum est, dabis operam, ut doctrina quidem ac moribus in D. Pauli collegio cum alumnis cæteris imbuetur: quod vero victum cultumque attinet, lauto separatim hospitio impensa mea copiose ac liberaliter habeatur. Significavit is ipse mihi per litteras ad Ceylani regnum sibi jus actionemque competere, quidam hoc sit, totamque rem probe exploratam et cognitam ad me perscribes. Quod autem Tyrannus in suos populares, qui Evangelio credidere, tam crudeliter saevit, seras quidem illas, verum tamen debitas tanto sceleri penas ab eo per te quamprimum exigi volo, et gravem audacia mercedem statui, quo intelligant omnes, nihil mihi esse antiquius, quam ut omni ex parte integri incolmesque serventur, qui a daemonum castris ad Christiana sacra transierint. Ab ethnicis artificibus, Christi Domini, Virginis Mariae, et sanctorum imagines pingi atque adeo circumferri venales, minime decorum est nomini Christiano: tu ergo cum proscriptionis ac virgarum minis edices, ne cui profano ejusmodi tabulas pingere aut vendere quoquo modo in posterum liceat. Pareciale Cocini templum, atque Colani dudum inchoata patere imbribus putrefacienda turpissimum est, utrumque, architectis ac fabricis adhibitis, quamprimum legendum ac perticiendum curabis. Placet etiam invito Noroa templum D. Thomæ Apostolo fieri. Calapore ceptam Sanctæ-Crucis adem absolvi, itemque in Ciorano insula templum excitari. Præterea locis idoneis auditoria et scholas institui, ad que statis diebus non Christiana modo plebs ethnicis causa, verum etiam ethnici ad Evangelium audiendum, vel inviti convenient: quandoquidem in ista mea ditione mihi primum omnium et maximum est obsequium Dei et Christianæ religionis amplificatio; cupio vehementer e Salsetanis et Bardisiis finibus, quibus mihi nuper Idæcan cessit, idolorum cultum, ac profanas gentium superstitiones prorsus evelli, id quod citra tumultum ac vim hoc præsertim initio fiat expedit, rationibus ac disputationibus quam lenissime populos edoceri, quando in errore ac veritatis ignoratione versentur, quamque, vel perversum, vel impium sit, cultum uni debitum Deo, simulacris lapidibusque ab homine tribui. Porro ad eas pelendas leuebras, alios viros adhibebis virtute et eruditione præstantes: tum vero ipse tu primarios gentis, evocare, alloqui, monere non desines, atque omni ratione ad Christum allicere. Qui sese dederint hosce in fidem receptos non tueris modo, sed etiam pro suo quemque capiti forebis omnibusque. Hæc omnia scito nobis unquam in modum esse cordi: que singula te pro tua industria et probitate sedulo curaturum esse confidimus. Almerum VIII idus Martii MDCXLVI.

152. Hoc anno ¹ S. Franciscus Xaverius in Indiis legatus Sedis Apostolicæ demandatum a Paulo III, convertendorum ethnicorum munus strenue exercens mense Maio ad insulam Mauricam appulit, ac dum forte die Michaeli archangelo sacro divinam rem de more faceret, repente tota insula contremuit, quod ille ita interpretatus est, ut diceret divum Michaellem deturbasse in tartara demones divino cultui adversantes, tot vero ethnicos ad Christum traduxit, ut in uno oppido, cui Tolom nomen est, ad viginti quinque millia capitum Christo initiata tradantur. At magna eorum pars postea Gelliofilii tyranni externi vim veritii seu gratiam initari, simul a Christo atque a Lusitania rege defeecerunt: ac mox sacram adem evertere, cruces et sacras imagines per ludibrium fringere, piorum bona invasere: at in perfidissimos apostatas mox divina ira sævit: eorum ager ex feraci squallidus et sterilis evasit, fruges in horreis corruptæ, aquæ amara efflectæ, indeque plures mortales assumpti: Molecorum præfectus hortatu Xaverii in eos bellum cepessivit, moxque Deus pro Lusitanis pugnare visus, nam antequam excensionem facerent, sol circa meridiem a repentina caligine offusus est, atque ex vicini montis vertice horrendo cum fragore erupit incendium, vibrataque maxima cineris et pumicum vis, arcis fossas implevit, succussa terræmotu horrido terra tectorum magnam stragem fecit, tempestas tres dies noctesque tenuit: Tolani plures ruinis oppressi, plures in fugam acti, plures pavore consternati, cum armatus Lusitanus irruit, ac per aggestos pumices conscendit facile in mœnia, ac sine prælio arcem, urbem, regionemque subegit, pacemque victis dedit iis legibus, ut templum eversum reticerent, adempta piis restituerent bona, fidemque Christianam sanctissime colerent; subdit auctor: « Tam memorabilem victoriam divina magis quam humana ope partam etiam inter Barbaros constitit. Cæterum tam opportunum flagrantis montis auxilium, cum subita cineris ac pumicum congerie, communis Lusitanorum consensus acceptum Francisco retulit, qui velut alter Moses ipsis cum perfido hoste bellantibus, divinam opem conciliavit, ut cuius belli fautor exlitterat, præcipuum quoque existeret adjutor ».

153. Meliapore ² insignis ad memoriam accidit res: Lusitani suburbano in colle, ubi mactatum a barbaris Apostolum Dei Thomam fuisse docuimus, novum eidem Apostolo sacellum instruebant. Aperientibus fundamentum insculpta quadrato lapidi sanguineis et in speciem recentibus conspersa guttis apparuit crux, lapideo item circulo inclusa repandum in lilium

desinens, insidet in summo columba: late ab imo herbe luxuriant: in eo circulo incisæ note cernuntur, quas propter vetustatem legi potuisse negant, quidam alii seorsum ad legendum adhibitos diversarum nationum Brahmanas duos præcipua eruditionis fama, haud parvo quidem labore, verumtamen congruente amborum interpretatione, respondisse ferunt. Notas eas plurium litterarum singulas obtinere vim, iis Apostoli sancti martyrium, quale nos e traditione descripsimus, breviter contineri, atque illud nominatim (quod ipse testantur guttæ) Christi famulum inter ejus crucis adorationem et oscula cecidisse. Extractam ergo tabulam ac probe purgatam Lusitani confestim in ara gratulabundi constituunt, intentiore cura sacellum absolvunt. Nova inde loco frequentia, novus honos accessit, sed miraculo mox evidenti majorem in modum aucta religio: octo ante Christi Domini, tribus ante Apostoli natalem diebus, cum ab Ecclesia celebratur expectatio Virginæ partus, in eam adiculam Christiani rei divinæ conveniant. Mirum dictu, simul atque a sacerdote ceptum Evangelium est, universo inspectante populo crux ea, modicis primum stillis, largo dein sudore manavit, admota hinc tersui finteola sacra liquido eruentas ebibere maculas. Color etiam crucis e candido sensim in pallidum, ex pallido in atrum cessit: grato post hæc splendore ceruleus effulsit: ad extremum sacrificio peracto natus rediit. Scilicet res tam nova et illustris ineffabili quodam gaudio delibutis adstantium animis, altos gemitus, piæ acclamationes, vim lachrymarum excitavit: neque vero proprium illius dumtaxat diei cœtusque id spectaculum fuit. Ex eo tempore singulis ferme annis eadem festa luce, eodem non modo sacrificii, sed etiam Evangelii momento recurrit, si quando intermissum est, ipso doctus eventu dierum aliquid portendi populus putat. Ac ne quis apud nos in tali tantaque re dubitandi foret locus, totam dein facti seriem publicè designatam litteris, et operis effigiem e lapide ipso diligenter expressam Cocinensis episcopus in Europam sub initia Concilii Tridentini transmisit.

154. *Plures archiepiscopatus constituti in America.* — Propagata latius in America sive Indiis Occidentalibus religione Catholica plures episcopatus conditi sunt; ut referunt Acta Consistorialia ¹ his verbis: « VIII Januarii erexit ad supplicationem Cæsareæ majestatis oppidum del Quito, aut Santi-Francisci del Quito nuncupatum, situm in Brasilia in insulis Indiarum Oceani, in civitatem, ut archiepiscopo Hispalensi jure metropolitico subsit, attributis pro dote a Carolo imperatore ducentis nonaginta ducatis auri annuis, deque persona Gar-

¹ Horat. Tursellin. in Vit. S. Franc. Xav. I. III. c. 3. — ² Journ. Mall. hist. Indica I. XI. Tursellin. in Vit. S. Xav. I. II. c. 13.

¹ Acta Consist. Ms. card. Spade sig. num. 133. p. 474.

ziæ Dias Toletanæ diœcesis providit in episcopum et pastorem ».

155. Quo efferaiores fuere Brasiliæ et ab humano cultu abhorrentes, eo clariore triumpho de iis Christo adjunctis fuere.

In Mexicano etiam regno et aliis vastissimis provinciis novi episcopatus, proximo mense instituti sunt ad barbaras eas gentes ad Ecclesiæ castra traducendas, quo tempore plures sathanico astu illusi ab Ecclesiâ infelicissime desciverunt, placuit enim divinæ misericordiæ coronas celestes in eos transferre, quæ indigne a pluribus Europæis abjiecerantur oblitis ejus sacri moniti : *Vide ne coronam tuam alter accipiat*. Eorum vero episcopatum provinciæ limites in Actis consistorialibus¹ subjectis verbis recensentur :

156. « XI Februar. MDXLVI, referente reverendissimo cardinali Burgensi, S. D. N. dismembravit et separavit ad supplicationem Cæsareæ majestatis singulas cathedrales Ecclesiæ insularum magni maris Oceani quæcumque essent, cum earum civitatibus et diœcesi, a provincia metropolitana Ecclesiæ Hispalensis, cui metropolitico jure suberant, de consensu moderni archiepiscopi Hispalensis, ac illarum præsulæ pro tempore existentes, necnon clerum et populum a superioritate, visitatione, correctione et jurisdictione pro existentis archiepiscopi Hispalensis, prorsus exemit et totaliter liberavit, ac de Mexico, cui Joannes de Zumarraga, et Sancti-Dominici, cui Alfonsus de Fuente Mayor, ac Regum Ecclesiæ in dictis insulis consistentes, cui Hieronymus de Lojasa de Mexico, et Sancti-Dominici, ac Regum episcopi præesse dignoscuntur, in metropolitanas, cum archiepiscopali dignitate, jurisdictione, ac omnimoda palli et crucis delatione, et aliis metropolitice insignibus crexit et instituit, ac eosdem Joannem, et Alfonsum, et Hieronymum illis in archiepiscopos respective præfecit et pastores, necnon de Mexico, de Antequeras, et de Mechoacan, ac de Texcala, et de Guatimala, ac civitatis regalis de Jos Navos, de Chiapa, et de proximo in nova Galitia, aliarumque limitibus et terminis dictæ Ecclesiæ de Mexico erigendarum et instituendarum cathedralium Ecclesiarum, ac Sancti-Dominici, Conceptionis, et de la Yega eidem Ecclesiæ Sancti-Dominici ad vitam dicti Alfonsi unitæ, si ab ea dissolvi contigerit, ac insulae Sancti-Joannis de Puerto Rivo, et insulae de Cuba, ac civitatis de Cozo provincia de la Veruevela, ac Sanctæ-Marthæ, et de Carthagenæ, necnon civitatis de Trugillo provincia de Hondras, Regum vero Ecclesiis prædictis del Guzeo, et civitatis del Quito, ac Castellæ de auro provincia terre firmæ, et civitatis Legionensis in provincia de Ricaregna, ac

de Popatan, aliarumque in ejusdem Ecclesiæ Regum limitibus ; et provinciis similiter erigendarum cathedralium Ecclesiarum, civitates et diœceses pro suis provinciis, ac earumdem Ecclesiarum præsulæ pro tempore existentes pro earum suffraganeis, ac illarum capitula, clerum, et populum pro suis provincialibus clero et populo concessit et assignavit, cum clausulis opportunis et consuetis ».

Sub ejusdem Caroli V imperatoris auspiciis Popatensis episcopatus in Americæ provincia ejus nominis institutus est ut eadem Acta narrent¹ :

157. « XXII Augusti MDXLVI. Exiit ad supplicationem serenissimi dom. Caroli imperatoris oppidum, seu pagum de Popatam situm in provincia de Popatam Indiarum Maris Oceani in civitatem de Popatam nuncupandam, in qua crexit cathedralem sub invocatione beatæ Mariæ pro uno episcopo de Popatam nuncupando, qui illi præsit, et in ea, ac ejus civitate et diœcesi verbum Dei prædicet, ac eorum incolas infideles ad fidem convertat, et in ea instruat, necnon spiritualia ministret et ministrari faciat, ac jurisdictionem temporalem exerceat, necnon in ipsa Ecclesiâ dignitates et canonicatus, et præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura erigat, et archiepiscopo civitatis Regum pro tempore existenti jure metropolitico subsit. Subditur, ut Carolus V imperator annum vectigal ducentorum aureorum episcopato illi contulerit, cui Joannes Valle presbyter Segobiensis præfatus est ».

Addunt eadem Acta Consistorialia translatum fuisse ad Americæ, sive Novi-Orbis patriarchatum Ferdinandum archiepiscopum Granatensem :

« VIII. MDXLVI absolvit reveren. Ferdinandum archiepiscopum, nuper Granatensem, et eum ad præsentationem Cæsareæ majestatis, transtulit ad patriarchalem Ecclesiam Indiarum Maris Oceani, tunc per obitum bonæ memoriæ Gabrielis tit. sanctorum Joannis et Pauli vacantem, et curam ipsius Ecclesiæ, quæ sedes patriarchali et capitulo caret, et ejus fructus nulli sunt, sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Romæ apud S. Petrum ».

158. *Apud Armenos archiepiscopum Nazovanensem Paulus creat.* — Non prætermittendum etiam ducimus Paulum ad continendos in fide Catholica Armenos² creasse archiepiscopum Nazovanensem virum doctrina et pietate clarum ex Ordine Predicatorum, qui in iis regionibus præclaram Christo et Ecclesiæ operam navabat.

« Romæ XXVII Januarii MDXLVI. Referente reverendissimo cardinali camerario providit Ecclesiam Nazovanensem in partibus Armenia,

¹ Acta Consist. Ms. card. Spada sig. num. 111.

² Acta Consist. Ms. card. Spada sig. num. 133, p. 490. — ² *Ibid.* p. 476.

tunc per obitum quondam Benedicti de Masciocan olim archiepiscopi Nazovaniensis extra Romanam curiam defuncti, de persona D. Stephani Cazorzontis Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris, qui ejusdem Ordinis in illis partibus professores juxta eorum laudabilem consuetudinem, sanctitati suæ ad hoc per eorum litteras nominaverant, ipsum in archiepiscopum præfecit ».

159. *Fratri Lusitaniæ regis ad cardinalatum evecto permittitur apud regem ipsam morari.* — Motus quoque idem Paulus rationabili desiderio regis Lusitani, benigne indulisit Henrico illius germano XVI kal. Januarii præcedentis anni ad cardinalatum evecto apud ipsum regem morari, ad quem finem pileum rubrum transmisit, et sequenti littera directa regi ¹ associavit :

« Regi Portugalliæ.

« Charissime etc. Quanti ponderis apud nos sit voluntas majestatis tuæ, cum in cæteris, tum in hoc quoque gaudemus tibi ostendisse. Licet enim statuissimus, ut dilectus filius noster Henricus cardinalis Portugalliæ frater tuus veniret ad nos pro pileo rubro a nobis ipsis juxta veterem et probabiliorem morem recipiendo, denique apud nos commoraretur, ut opera, consilio et auctoritate ejus in hac tanta temporum et rerum difficultate, uti possemus; tamen, ut cognovimus desiderium serenitatis tuæ nobis juxta tuas litteras per protectorem et agentem

tuos declaratum de ipso cardinale apud te nunc retinendo, cunctis posthabitis respectibus, tuæ voluntati ac desiderio satisfaciendum duximus, firmiter etiam sperantes, ipsum cardinalem se membrum hujus sanctæ Sedis honorificentissimum reminiscentem isthic laud minorem ejusdem Sedis utilitati atque ornamto, quam si apud nos moraretur esse, posse, ac futurum esse: præsertim pio tuæ serenitatis favore accedente. Quemadmodum igitur ipsum Henricum adjutum quoque suis virtutibus in gratiam tuæ majestatis cardinalem creavimus, ita etiam eum absentem ipso pileo rubro in eandem tuam gratiam ornandum existimantes, mittimus ad eundem cardinalem ipsum pileum rubrum per dilectum filium Stephanum de Bubalis nobilem Romanum camerarium secretum nostrum exhibitorem præsentium, cui mandavimus, ut serenitate tua nostro nomine officiose atque amantissime salutata, nostram tibi paternam et intimam benevolentiam, sicut in hoc ostendimus, ita etiam in cæteris tuis honestis desideriis semper paratam fore crederet, cum te etiam pro tua pietate præstantissimique regis officio, et majorum tuorum consuetudine nobis in amore et observantia filiali responsurum esse speremus, quemadmodum tam ipse Stephanus, quam venerabilis frater Joannes archiepiscopus Syponlinus nuntius apud te noster hac latius explicabunt. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die xv Octobris M^oXLVI, anno XII ».

¹ Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 304.

PAULI III ANNUS 14. — CHRISTI 1547.

1. *Disputatur de decreto residentiam præscribente.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Indictione quinta, in Tridentino Concilio, ut referunt ejus Acta ab Angelo Massarellò conscripta ¹ : « Prima Januarii fit Congregatio in qua exami-

natur, an sit simpliciter verum, quod per infidelitatem amittatur fides, cum habeamus exemplum beati Petri, qui licet infidelitate peccaverit, dum Christum etiam eum jramento negavit, fidem tamen non amisit, cum Christus ipse Petro dixisset : *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua; sed conclusum quod amittatur* ».

In iisdem Congregationibus de tollendis impedimentis residentię episcoporum actum

¹ Diar. Conc. Trid. auct. Angel. Massarell. Ms. arch. Vat. p. 53. Epist. card. Farnes. apud Pallav. to. I. l. VIII. c. 18. num. 1.

fuit, quæ erat reformationis materia; multæ et diversæ sententiæ in medium prodierunt. Legatis autem jam mente Junio, quando post quintam sessionem decretum fuerat, ut de residentia tractaretur, Pontifex expresse præceperat, ne in decreto de reformatione residentie permitterent, ut de cardinalibus mentio fieret, nam isti cum præcipui Ecclesiæ senatores sint, decere non videbatur, ut ab aliis, quam a Summo Pontifice emendatione et pena afficerentur, sicuti ipse postea cum peculiari Bulla executioni mandavit; et insuper iussit, ne in disputationem adduci patenterent, an residentia esset de jure divino necne, quia ubi de penis agendum erat, non debebat disenti an residentia esset de jure divino, cum esset res difficultatibus plena, et longum tempus ad discipandum exigeret. Sed quando legati residentia decretum proposuerunt, quamvis ista duo capita evitaverint, tamen Hispani et alii, ut de istis etiam ageretur, postularunt; quibus cardinalis de Monte sic respondit, ut Acta Concilii a Massarello conscripta testantur¹:

2. « Dictis sententiis, cardinalis de Monte: Non sum (inquit) ejus sententiæ, ut velim omnia a Patribus dicta recensere, neque illis respondere, qui ab aliis dissentire visi sunt; dicam tamen aliqua, et in primis, quod pertinet ad illam questionem, an residentia sit de jure divino? Reverendissimus dominus meus Giennensis multa dixit, sed tamen non mihi esse hujus sententiæ visus est, ut velit illam statui esse de jure divino. Et licet aliqui post eum ita tenuerint, nihilominus majori parti aliter visum est, et certe non absque ratione. Scimus enim nos et in hoc conveniunt omnes, residendum esse. Ad quid ergo, quo jure id facere teneamur explorare? certe si hoc sit, ne Pontifex dispenset, ridicula est ratio. Nam cum nullo episcopo non residenti dispensavit papa, etsi vellet dispensare, non propterea prohiberetur. Quando omnes fatemur aliqua esse impedimenta, quæ excusant episcopum non residentem; quid ergo hæc statuere, ut onus nostris humeris imponamus, quod ferre non valeamus? Alii fuerunt, qui cardinales omnino ad residentiam cogendos esse arbitrantur, allegantes charitativam quamdam quorundam cardinalium, qui alias hoc bonum esse Pontifici suaserunt. Illos sciant hi, nihil esse actum, tametsi cardinales ipsi interrogati a Pontifice sententiæ suas dixerint, tamen non super ea re facta fuit aliqua lex, idque in causa fuit, quod multo plures ex numero cardinalium, et alii, non consentientes, auctoritate juris ipsi Pontifici Maximo aliter faciendum esse, multis et maximis rationibus dixerunt. Sed quicquid sit, ego, quantum in me est, facile assentiar, idemque facturum puto re-

verendissimum collegam meum, ut omnes quocumque gradu sint et cujusvis existimationis, residere cogantur, legemque ferre, quantum unquam latam: ut tamen expresse nominentur cardinales, æquum esse non censeo. Videretur enim de illis male existimari. Unum est reliquum, quod admoneam Patres, quam brevissime possunt, sententiæ dicant. Consumimus enim tres integras congregationes in hoc uno articulo de pena contra non residentes, quibus potuissemus discutere decem et amplius capita ad residentiam pertinentia: quomobrem, si pauca hoc tempore expediant, non putetis per nos stesisse; verum fiet decretum, et in prima Congregatione Patribus legendum exhibebitur.

3. « Die octava fuit Congregatio ad dicendum sententiæ super decretum de residentia. Giennensis: Etsi heri (inquit) dum legeretur decretum, auribus meis quodammodo applaudere visus sim, tamen re maturius considerata, et singulis decreti verbis bene pensatis, in eam descendo sententiam, ut mihi non placeat, et parcant mihi qui illud fecerunt, dico, quod nulla decreti pars, præmio excepto, mihi placet: et ut aliqua tangam, videtur omitti provisio, ut episcopatus personis dignis concedatur, quod in primis curandum erat: deinde, quoad residentiam episcoporum, non video, quomodo provisum esse quisque dicere possit, nisi in primis caveatur expresse, quod nemo possit duos episcopatus obtinere, quocumque honore fulgeat, etiamsi cardinalis sit; alioquin decretum facimus inane et vanum, obligabimus habentes plures episcopatus ad impossibilia, quod nihil aliud est, quam conscientias illorum onerare, et nihil providere calamitatibus Ecclesiæ; quoad penam et executores pertinet, utrumque remedium mihi leve videtur. Si tamen videatur augenda pena, non negligatur executio, et propterea sum in sententia, ut alias dixi, ut executores sint talium penarum Concilia Provincialia. Quæ quidem Concilia tot honorum fuerunt causa, ut audeam dicere per ipsa conservari eam canonicæ discipline partem, quam habemus: et miror aliquem tam sancto et pio instituto velle adversari, cum utique post tot Concilia generalia, etiam postremo loco Concilio Lateranensi ultimo confirmata fuerint. Quoad curatorem residentiam attinet, melius, arbitror, fuisset nihil dicere, quam ita demisse loqui: quinimo hoc confirmare est eorum excusationes, non illas tollere. Scio enim, non solere concedi in Romana curia, ut perpetuo quis non accedat, sed pro tempore: at confirmare ista nihil aliud est, quam introducere, ut auctoritate hujus Concilii nemo accedat. De revocandis vero exemptionibus, non video ad quid prosit decretum factum, nisi ut exempti in suis exemptionibus firmentur; nam si firmentur exemptiones in lundatione concessæ, si exempti ab

¹ Ms. card. Spade 10. XII.

inmemorabili tempore debent remanere exempti, si denique temporales exemptiones firmentur, quis erit hujus decreti fructus? aut in quibus casibus locum sibi vendicabit? Cerle in nullo. De reliquis decreti partibus, non est, quod amplius loquar, hoc unum est, decretum mihi non probari, et magis esse convenientius Synodo nil agere, quam tale quid agere.

« Ad hæc cardinalis de Monte, cum non parum commotam Synodum animadvertisset ex verbis Giennensis: Ut Patres (inquit) melius rem totam teneant, paucis respondebo ad ea quæ reverendissimus dominus Giennensis dixit; et in primis, ut admoneamus et rogemus Summum Pontificem, ut episcopatus det dignis tali honore, id mihi cautum plane ipso decreto videtur, plene, inquam, quantum Synodo et nobis convenit. Certum est enim, nostrum non esse, legem in hoc præliare Sanctissimo Domino nostro, et si antea aliquæ facte fuerunt provisiones circa tales promotiones episcoporum, fuerunt factæ tunc cum per capitula fiebant promotiones episcoporum, quibus Synodus jubere poterat, at nostra alia est causa: propterea debet sufficere, et abunde quidem, id, quod in decreto provisum est. Legitque verba ipsius decreti in præmio, ubi habetur: Sancta Synodus confidens sanctissimo Domino nostro ejusque successoribus, ut tales eligat episcopos, qui Ecclesiæ regimine juxta canonicas sanctiones digni sint. Quod vero pertinet ad pluralitatem episcopatum, sciant Patres, id raro, et non sine magna causa Romæ concedi solere, ut liceat alicui duos episcopatum habere. Scio enim, quod cum reverendiss. Tridentinus, tunc in minoribus constitutus, fuisset a capitulo Brixinonensi postulatus, facta fuit maxima diligentia et diu disputatum, et tandem propter magnam Ecclesiæ utilitatem, hoc illi indultum fuit; ea maxime ratione, quia creditum est, illum ita posse melius quam alius, adversum Latheranos et hæreticos resistere. Præterea habemus exemplum Gregorii, ut liceat alterum episcopatum in titulum, alterum in commendam habere. Sed quidquid sit, nunc de hoc non est sermo: quando de reformatione plenius agitur, tractabitur de hoc articulo, et circa hoc considerandum erit, et si placuerit, poterit tunc prohiberi multiplicitas episcopatum. De pena ego non curo, quicquid in hac parte placuerit Synodo, id facile sequar, idemque faciam de executoribus. Quanquam non video alium legitimum episcoporum executorem, præter papam. Quod ad exemptiones attinet, satis superque provisum est, nec amplius sine aliorum injuria concedi poterat, quam concessum est. Nam quoad ea privilegia, quæ exemptis in fundatione alicujus beneficii vel Collegiæ Ecclesiæ concessa fuerunt, quæ tractu temporis in usu fuerant, cujus contrarii memoria non extat,

iniquum esset illos suo jure privare. Quoad vero exemptiones temporales infirmari volumus, si ex causa et ad tempus; propterea additum est in decreto, contra certum prælatum. Quod autem ad curatorum residentiam pertinet, nunc dumtaxat casus exceptus videtur, ut quando ad breve tempus concessa sunt, veluti his, qui sunt in studiis, vel aliis hujusmodi. Et propterea, salva pace domini mei optime decretum providisse videtur in omnibus his casibus. Tunc Giennensis cum ad hoc respondere vellet: Hoc (inquit cardinalis de Monte) esset in infinitum procedere. Nolo (inquit Giennensis) respondere, sed unum verbum addere, et hoc est: Me semper existimasse, in rebus reformationis plus posse uno die Pontificem quam Synodum uno anno, et propterea cuperem hæc per Sanctissimum Dominum nostrum sanciri, et nunc abstinendum esse a nobis, quando in rei veritate, hoc non est quod a nobis expectat mundus ».

4. Alii Patres¹ suas sententias super idem decretum non solum in ista Congregatione, sed etiam in aliis dixere, sed inter se adeo dissidentes, ut perdifficile esset ad unitatem adducere. Quare cardinalis de Monte, in Congregatione decima Januarii, ut in Diario Massarellus refert, ad Patres conversus: « Plures fuerunt (inquit) Patres, qui dixerunt in hoc decreto cardinales comprehendendos esse verbis expressis, sed si recte verba decreti ipsi perpendant, nihil dubitabunt, quin hoc decreto et cardinales comprehendantur; verba enim generalia sunt, et ad omnes qui quovis modo Ecclesias regunt, pertinent. Et ideo omnes, quovis colore illas oblineant, comprehendi in dubium non venit. Et si quid est, quod deesse videatur, suppleri potest. At dixerunt aliqui: nominentur ergo cardinales expressim. Hoc æquum, ut arbitror, non est, multis magnisque rationibus. Præcipue quod nec episcopi nec alii in decreto nominantur. Ideo ne quodammodo contradicere nobis ipsis videamur, quod esset, si diceremus, cardinales (quorum officium est papæ in concilio adesse) resideant: quomodo enim residebit, qui apud papam erit? Quoniam autem a multis probari video, ut renovetur Provincialia Concilia, sciant Patres, nobis quoque (quoad me tantum loquor) id non improbari, instaurationem Conciliorum provincialium (inquam) quæ ab uno metropolitano et suffraganeis ejusdem constituuntur, non plurimum, veluti quæ nationalia vocant; hæc enim semper pernicioosa fuere, illa vero, ut plurimum, salubria. Quamobrem mihi non displicet, nedum ut hujus decreti de residentia executores sint, sed etiam omnium, quæ ab hac sancta Synodo emanabunt. Verum hæc alia erit materia, et necesse erit hæc sanctæ Synodo referre. Alii alia multa

dixerunt, quæ ut breviori manu tractare possumus, cras de mane legum professores mecum erunt, et curabimus ut decretum ipsum aptetur.

5. « Hoc interim (ut Massarellus ¹ ait) die Dominica, nona Januarii, fuit Congregatio prælatorum theologorum, qui diffuse egerunt de certitudine gratiæ, et tandem omnes conveniunt, quod nemo potest esse certus certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, de gratia Dei, quod magno gaudio, cum Dei laude factum est, approbatumque Can. xxvi, secundum censuram Parisiensem. Et propterea die undecima Januarii, hora xxi, fuit Congregatio generalis, in qua plures ex Patribus sententias dixerunt super decretum Justificationis, Giennensis cupiebat per Canones damnari tenentes certitudinem gratiæ, probaveruntque omnes decretum, paucis admodum exceptis, qui magis de quibusdam verbis, quam de re ipsa loquebantur. Deinde cardinalis Sanctæ-Crucis admonuit theologos, ut de mane essent coram eo, ut pauca hæc, quæ remanserant, ex theologorum voto aptarent, et huic decreto ultima manus imponeretur. Die vero Mercurii ejusdem fuit alia Congregatio generalis (quæ fuit ultima ante sessionem) in qua cardinalis de Monte: Habui, inquit, hoc mane consultationem cum D. prælati juris professoribus, et tandem in hunc modum, præsenle etiam reverendissimo D. Giennensi decretum aptavimus. Legit deinde ipsum decretum, quo lecto dixere Patres sententiam. Giennensis decretum probavit, si quædam non adeo maximi momenti adderentur. Aliorum desiderium, et Concilio in eo ut plurimum versata est, ut velent omnino expressis verbis cardinales comprehendere. Itemque hoc decreto pluralitatem tum parochialium, tum etiam metropolitanarum Ecclesiarum prohiberi. Dictis omnium sententiis cardinalis de Monte conversus ad Synodum, dixit: Post sex mensium quidem spatium, Deo juvante, cras hora xvi celebrabimus sessionem, et duo ista sanctissima decreta publicabuntur. Quoad primum de justificatione, certi sumus neminem aliquid desideraturum. Quo vero ad aliud de residentia, aptabimus nos illud in his, quæ votis Patrum adaptari posse videbimus. In reliquis, si quis vestrum erit, qui aliquam decreti partem non probet, id in ipsa sessione

chirographo manu propria subscripto, significare poterit, quod quidem chirographum recipietur, et ad futuram rei memoriam registrabitur. Statuta est etiam, omnibus consentientibus, sessionis dies Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ. Mox cardinalis de Monte podagra dolore vexatus discessit. Egredietur cardinal. Sanctæ-Crucis de prælatorum contumacia, qua in re, instante Concilii promotore, placuit Patribus, ut tres ex Patribus per reverendissimos legatos deputarentur iudices, ad processum faciendum contra episcopos absentes. Pacensis conversus ad Synodum, dixit, se adhuc permanere in sua sententia, ita ut animus non quiesceret suus, nisi iis decretis addatur clausula. Ecclesiam representans, dictaque sunt multe rationes a cardinali Sanctæ-Crucis, quare id fieri non deberet ».

6. *Sessio sexta: decretum et canones de justificatione.* — Celebrata est de more sollemnis Sessio sexta (1) de qua hæc refert Diarii auctor: « Die Jovis, xii Januarii, anno salutis M^oXLVII, fuit Sessio, in qua interfuerunt duo Sedis Apostolicæ legati, item cardinalis Tridentinus et Giennensis, decem archiepiscopi, quadraginta quinque episcopi. Nullus tamen orator principum interfuit. Nam Galli, qui soli ex omnibus Tridentini erant, ad Sessionem venire recusarunt, quoniam aiebant se nolle Cæsari injuriam facere, arbitantes Cæsarem non sane libenter auditurum Sessionis hujus celebrationem, quod ex eo aiebant constare, ex quo ad Sessionem Didacus de Mendoza suus orator non venisset, et venisset, si Cæsari Sessionem placere cognovisset, tandem se venturos aiebant, et intervenituros, si cardinalis Giennensis nomine Cæsaris huic sessioni interfuisset, et chirographo manu sua conscripso affirmaret, quod cum cardinalis Giennensis se facturum recusaret, domi manserant Galli: cæterum missam celebravit archiepiscopus Salpensis, deinde decantatis Litaniiis, et per diaconum Evangelio: *Vos estis sal terræ*, Matt. c. 5, ipse reverendiss. et illustriss. dominus cardinalis de Monte allocutus est Sanctam Synodum ²:

7. « Magnus ille propheta Isaias, dignissimi antistites, providens lumen atque gloriam per Christum Ecclesiæ venturam, exclamavit: *Surgere, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum,*

¹ Act. Cong. Concil. Trid. Ms. card. Spadae fo. XII. Diar. Conc. Trid. Massarell.

² In act. sess. 6. Ms. arch. Vat. sign. num. 319. p. 122. et Ms. sig. num. 3242. p. 251. Ms. card. Barber. sig. num. 23. et aliud Ms. card. Pin.

[1] Certa dies habita sessionis sextæ tum et Patrum numerus multo diligentius detinendi sunt. Die XII Januarii coevisse Patres in sessionem præter Pallavicinum et Snavium affirmant acta Curtenbrochii, nec dissentant Acta ab ann. dista excerpta: quatinus enim diem XII Januarii præferunt, diem tamen illam sessionis cum feria V componunt: feria vero quinta eo anno in diem VIII non vero XII Januarii incidit. Sæcis operatus est, non quidem episcopus Salpensis, ut Acta analista mendose legit, sed archiepiscopus Spaldensis: neque enim Salpensis archiepiscopus, sed episcopus tantummodo erit. Qui tamen Salpensis pro concione verba fecit ad Patres et synodalia decreta prælegit. Attulerunt Patres « sexaginta octo et doctores quinquaginta sex », Curtenbrochio teste, apud quem orationem episcopi Salpensis legas.

Proxima sessioni ad diem III Martii indictæ Patres LX idem Curtenbrochius recenset.

et gloria Domini super te orta est; quam sane pulcherrimam jucundissimamque vocem his proximis solemnibus sæpe repetitam, cum nunc lumen illud fulgentissimum fidei, spei et charitatis (quod pæne absconditum videbatur) iterum appareat, jure ac merito putamus a nobis hodie repeti posse: Surge igitur, et illuminare, Jerusalem, surge, inquam, tu, et illuminare, ipsius Christi Domini ac Dei nostri Sponsa dilecta nimis Ecclesia. Non te posthac hæreticorum versutia dolique decipient, ut scelus pro pietate, iniquitatem pro justitia, neglectum sacrorum pro religione, caremiliarum contemptum pro cultu, servitutem carnis pro libertate legis Christianæ, confusionem, perturbationem, dissipationem pro recto bene beateque vivendi ordine, cuncta denique vitia pro virtutibus amplexaris.

« Cessent nunc, jam cessent irridere te hostes tui, probris contumeliisque lacessere, doctrinam tuam spernere, se puros, beatos, veritatis amatores falso jaclent. Nam tenebræ quæ tot annos operuerunt ferram, et caligo quæ tam longo tempore operuit populos, jam adveniente lumine, recedunt. *Populus, qui ambulabat in tenebris, jam videt lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis hæc orta est eis. In lumine tuo ambulabunt gentes, et reges in splendore ortus tui.* Te audivimus, tua monita et jussa sequentes, tuas leges venerantes. *Lera in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti filii tui congregati sunt, venerunt tibi,* quo sua videlicet singulari prudentia, humanarum divinarumque rerum peritia, pietate demum et auctoritate, tuis prospiciant incommodis, tuis medeantur vulneribus, tuum tibi pristinum splendorem restituant, pro tua denique dignitate ac majestate tuenda, vel sanguinem et animam effundant.

« Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, cum et Ecclesie testimoniis, et re ipsa videamus apparuisse gratiam, et benignitatem, et lumen, atque gloriam Salvatoris nostri Dei, sine mora surgamus. Jam tempus est nos de somno surgere, satis superque satis dormivimus, satis induciarum dedimus callidissimo hosti ad seminanda zizania, parandas insidias, struendos laqueos, diffundenda venena, invadendos mactandosque greges nostros. Expergisamur, vigilemus, laboremus, omnibus hominibus præbeamus nos ipsos exemplum bonorum operum, omnis conversatio nostra sit rationalis, casta et sancta, quam infideles reprehendere nequeant, fideles imitari queant. Sedemus censors Christiani orbis, de religione ac fide, deque miscuiusque vita et moribus judicantes. Decet propterea nos a nobis ipsis judicium auspicari, nos ipsos ante omnes alios in fide, spe et charitate corroborare, moresque nostros componere et in melius formare. Alioqui, ut D. Ambrosii verbis utamur, quis et turbida

aqua potum sumat? Quis in cœno fontem requirat? quis ab intemperantibus hominibus aliquid hauriendum putet? quis nos alienæ causæ utiles credat quos viderit inutiles esse suæ?

« Audivimus in Evangelio dictum esse: *Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi*: Ad nullos alios verba illa magis quam ad nosmetipsos pertinere credi par est, ut scilicet sanæ doctrinæ veræque sapientiæ sale condire, et honorum operum luce mundum illuminare debeamus, præcavescentes in primis illud quod ipse Servator nosler nos monet, ne si sal evanuerit, misflatur foras et conculcetur ab hominibus; memoresque æternæ ejus ac divinæ promissionis: *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*; nempe hæc una ratio fit, ut ii, qui ex adverso sunt, veariantur et confundantur, suamque abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste et pie vivant, ac pacem Ecclesie reddant. Quod ut nobis clementissimus ipse Deus largiri dignetur, Spiritus ejus almi præsidium atque opem supplices omnes una nobiscum implorate.

« Quibus verbis completis, ipse reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte invocavit auxilium Sancti Spiritus per hymnum: *Veni, Creator Spiritus*; cantoribus prosequentibus.

« Illis omnibus absolutis, reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis Sanctæ Crucis secundus ipsius Concilii præsidens et legatus accessit ad Altare majus, ante quod ipsi reverendissimi et illustrissimi domini legati conederunt in faldistoriis versa facie ad sanctam Synodum, cæterisque prelatiis sedentibus in locis suis secundum ordinem suarum promotionum. R. D. archiepiscopus Spalatinus accepit e manibus reverendissimorum et illustrissimorum dominorum legatorum decreta duo, quæ in hæc sessione publicanda erant, alterum scilicet de Justificatione, et alterum de residentia episcoporum et aliorum inferiorum, ascendensque ambonem legit primum alta et intelligibili voce ipsum decretum de Justificatione ».

8. Distinctum est illud decretum capitibus sexdecim, quibus adjecti sunt anathematis triginta tres contra hæreticos male sentientes de justificatione.

In Præfatione declaratur a Tridentina OEcumenica et generali Synodo præsidentibus in ea nomine Pauli III Pontificis Joanne Maria de Monte episcopo Prænestino, et Marcello S. Crucis presbyteris cardinalibus Apostolica Sedis legatis: « Exponi omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam Justificationis, quam Sol Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ auctor et consummator docuit, Apostoli crediderunt, et Catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente perpetuo retinuit, inlibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere,

quam presenti decreto creditur ac declaratur ».

Primo capite decernitur, omnes homines, ut in decreto de peccato originali constitutum est, ex pravariatione Adæ effectos filios iræ, servitutique Dæmonis addictos, ut nec gentes lege naturæ nec Judæi lege Moysis possent a peccato vindicari in gratiæ libertatem, licet liberum arbitrium extinctum non esset, sed viribus debilitatum.

Secundo docetur, Deum Patrem miserum generis humani, ante Legem et Legis tempore, promississe Filium venturum, ac proposuisse propitiorem per fidem in sanguine ipsius, non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis.

Tertio decretum est, etsi ille pro omnibus mortuus sit, non tamen mortis ejus beneficio omnes poliri; sed eos tantum, quibus meritum passionis ejus conferitur: ut enim, qui ex Adam propagantur, peccatum contrahunt, ita qui in Christo renascuntur, per meritum passionis ejus gratiam justitiæque adipiscuntur, atque in regnum Filii dilectionis suæ e potestate tenebrarum erepti transferuntur.

9. Quarto sancitur post Evangelium promulgatum eam translationem in adoptionem filiorum Dei, non perfici sine lavacro regenerationis aut sine ejus voto ex Christi Domini oraculo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Quinto declaratur, hominem adultum peccato inquinatum, non posse viribus naturæ disponere se ad gratiam justificantem, collustratum vero divina luce præveniente a Spiritu sancto posse, non ut omnino ipse nihil agat, cum eam motionem abjicere possit, si velit, nec tamen sine gratiæ Dei movere se ad justitiam, libera sua voluntate possit, quod testantur sacræ litteræ, cum dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur; cum respondemus: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, Dei nos gratiæ præveniri confitemur.

Sexto illustratur modus, quo adulti ante baptismalia sacra suscepta se comparant ad justificationem, excitari nimirum illos a divina gratiâ, ut fidem ex auditu concipiant, credant quæ divinitus revelata sunt, atque a Deo promissa atque in primis justificari per gratiam redemptionis, conceptoque peccatorum odio, et divino timore perculti, spem ligant in Dei misericordia, proponantque suscepto baptismo novam ac piam vitam instituire, divinisque mandatis parere: quæ Evangelico illo oraculo continentur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

10. Septimo decisum est, dispositionem, de qua dictum est: *Præparate corda vestra Do-*

mino, præire justificationi, justificationemque non esse solum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum supernaturalium, quibus homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.

De causis justificationis pronuntiatum est, finalem esse gloriam Dei et Christi, ac vitæ æternæ præmium: efficientem vero, misericordem Deum ablucem peccatorum sordes, et sanctificantem, consignantemque Spiritu sancto: causam meritoriam passionem Christi qua scelera nostra expiavit, nec tantum placavit divinam justitiam, sed etiam justificationem adoptionemque nobis promeruit: instrumentalem, Baptismum, quod est Sacramentum fidei, sine quo non fit justificatio: formalem denique, justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua ipse justos nos efficit, ut simus *nova Dei creatura, diffusa charitate in cordibus nostris*: nec modo reputamur justî, sed etiam vere dicimur et sumus justî secundum mensuram, quam Spiritus singulis impartitur, et una cum remissione peccatorum per Christum, cui inserimur, Fides, Spes et Charitas infunduntur: sola enim fides non perfecte nos conjungit Christo, ut vere simus illius membra viva, cum sine operibus mortua sit: quare dictum est ab Apostolo neque circumcissionem valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur, ad de vera fide et justitiâ prolata est a Christo hæc sententia: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Octavo illustratur verus sensus verborum Apostololi dicentis, *hominem gratis justificari per fidem*, dici per fidem, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo: ideo vero dici justificari gratis « quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin ut idem Apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.*

11. Nono confutatus est hæreticorum error asserentium justificationem sitam esse in fiducia inani et persuasionem, sibi remissa esse peccata propter Christum, atque hæc sola fide absolute non justificationemque perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet; ut enim nemo de Sacramentorum virtute et efficacia dubitat, ita propter infirmitatem de recta dispositione sua ad gratiam pertimescere potest, *cum nullus scire valeat veritulinæ fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Decimo pronuntiat justificatum hominem per gratiam Christi, cooperante fide et bonis operibus perfectis, crescere posse in gratiâ et

justitia, ex oraculo D. Joannis : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et ex Jacobo Apostolo : *Videbis quantum ex operibus justificetur homo, et non ex fide tantum.*

Undecimo promulgatum est prohibitam intentato anathemate impiam illam vocem ; Dei præcepta ad observandum esse impossibilia homini justificato : « Nam Deus impossibilia non præcipit, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve ». Tum subdit : « Itaque nemo sibi in fide sola blandiri debet putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consequatur, etiam si Christo non compatiatur, ut et conglorificetur : nam et Christus ipse, inquit Apostolus, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, et consummatus factus omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ ».

Damnati etiam omnes, qui dicunt justum in omni bono opere peccare, vel ut sit dignus venia, aut quod intolerabilis est, æternas pœnas mereri, vel peccare qui præriorum æternorum tpe ad virtutes se excitavit.

12. Duodecimo, damnata quoque eorum vana præsumptio, qui certo statuunt se in numero esse prædestinatorum, quasi verum sit justificatum amplius peccare non posse ; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam arrogare debeat. Non enim sciri posse sine divina revelatione quos Deus elegerit.

Decimo tertio sancitum est de perseverantiæ munere, oblineri tantum posse a Deo, qui stantem confirmare potest, ut stare perseveret, et eademem restituere : firmissimam vero in Deo spem collocandam : « Deus enim, nisi illius gratiæ defuerimus, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere ». Formidandum tamen, cum sciamus in spem gloriæ, nondum in gloriam renatos, et in pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, victores esse non posse nisi cum Dei gratia.

Decimo quarto pronuntiatum est, peccantes post Baptismum amissam gratiam recuperare posse per Pœnitentiæ sacramentum, quod sancti Patres secundam, post naufragium, deperditæ gratiæ tabulam appellarunt. Hoc vero sacramentum Pœnitentiæ institutum a Christo cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retento sunt.* Atque adeo pœnitentiæ Christiani hominis post lapsam differre a penitentia baptismali ; complectique non modo abstinentiam a prioribus peccatis, eorumque odium, sive cor humile et contritum, sed etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto, ac suo tempore peragendam, et sacerdotalem absolutionem, ilemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et

alia pia spiritualis vitæ sacrificia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporaria, quæ non tota semper, ut in Baptismo, dimittitur : hæc enim plecti pronentur, qui ingrati gratiæ acceptæ immemores, templum Dei violare ac Spiritum sanctum pellere non perhorruerunt. De qua penitentia scriptum est : *Memor esto unde exideris, age penitentiam, et priora opera fac.*

13. Decimo quinto convieti impii assentatores peccantium, fingentes solo infidelitatis peccato justificationem amitti : cum Apostolus plura recenscat peccata lethalia, quibus fideles obstricti a regno Dei excluduntur ; et ab iis, divina adjuvante gratia, abstinere poterunt.

Decimo sexto, explicata est meriti ratio, et commendata fidelibus bona opera, quæ spernant hæretici, cum dicat Apostolus, *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* : bene enim operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proposita est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis operibus et meritis fideliter reddenda. « Cum ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificados jugiter virtutem infundat, quæ virtus eorum bona opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent ». Et paulo post : « Itaque neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei, quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quæ a Deo nobis infunditur per Christi meritum ». Et infra : « Absit tamen ut Christianus homo in seipso vel contidat, vel gloriatur, et non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona ». Additum est, quia in multis omnes offendimus, divinæ spei divinum timorem conjungendum, quia humana vita non humano judicio, sed divino exutienda et judicanda est.

Huic doctrinæ sive decretoriæ sententiæ adjuncti sunt triginta tres Canones, quibus defixi anathemate promulgantur, qui doctrinam de justificatione respuerent.

DE JUSTIFICATIONE.

CANON I.

14. « Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo : anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merque passive se habere; anathema sit.

CANON V.

« Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re; figmentum denique a Satana inventum in Ecclesiam; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quo ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, cum sua

voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, hominem sine Christi justitia per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis et dispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perlici; anathema sit.

CANON XV.

« Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

CANON XVI.

« Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absolutæ et infallibilitatis certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

CANON XVII.

« Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divinæ potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

CANON XVIII.

« Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

CANON XIX.

« Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

CANON XX.

15. « Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis; anathema sit.

CANON XXI.

« Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant; non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

CANON XXII.

« Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

CANON XXIII.

« Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Maria Virgine tenet Ecclesiæ; anathema sit.

CANON XXIV.

« Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

CANON XXV.

« Si quis in quolibet opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

CANON XXVI.

16. « Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare et sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.

CANON XXVII.

« Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti. anathema sit.

CANON XXVIII.

« Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.

CANON XXIX.

« Si quis dixerit eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesiæ a Christo Domino, et ejus Apostolis edocta, huc usque professæ est, servavit et docuit; anathema sit.

CANON XXX.

« Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit; anathema sit.

CANON XXXI.

« Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

CANON XXXII.

« Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

CANON XXXIII.

« Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de justificatione, a S. Synodo hoc præsentis decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

17. *Animadversiones quorundam Patrum circa titulum decreti.* — « Perfecto decreto de

justificatione una cum canonibus, R. D. archiepiscopus Spalatrensis interrogavit Patres, an placeret, per hæc verba, videlicet: Reverendissimi et illustrissimi Domini, placentne hæc omnia vobis? Tunc a reverendissimo et illustrissimo D. card. de Monte primo presidente et legato responsum est his verbis, videlicet: Placent, et ita cum magna veneratione suscipimus, et amplectimur hanc sanctam et Catholicam de justificatione doctrinam. Et successive a reverendissimo et illustrissimo D. card. S. Crucis secundo presidente et legato responsum fuit per eadem verba formalia. Deinde quilibet ex Patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo Massarello sacri Concilii secretario, an placerent. Et primum reverendissimus et illustrissimus dominus card. Tridentinus dixit hæc verba, videlicet: Placebunt omnia probata per sanctam Synodum, quia ego non intertui Congregationibus. Postea reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis Giennensis, et successive archiepiscopi et episcopi cæterique prælati responderunt omnes per verbum: Placent, profrens fere quilibet hæc verba formalia: Placent, et magna cum reverentia et devotione suscipio, et amplector sanctam hanc Catholicam et salutarem de justificatione doctrinam, et anathematizo omnes, qui eam non receperint. Dederunt tamen aliqui schedulas infrascriptas, videlicet:

« R. D. Archiepiscopus Turritanus.

« Sanctam hanc et Catholicam de justificatione doctrinam, fidem et regulam amplector et venero ego archiepiscopus Turritanus: et sic fideliter toto corde suscipio. Ita me Deus perpetuo justificare dignetur. Amen.

« Et quod sancta Tridentina hæc Synodus tenet, teneo: quod anathematizat, anathematizo.

« Idem archiepiscopus manu propria subscripsi, et placet decies.

« R. D. episcopus Senogalliensis.

« Patres amplissimi, quantum nefas opinor repugnare conformibus sententiis vestris, et tantumdem reluctante conscientia quidquam statuere. Et igitur ex his tris eo modo, quo possumus, in presentiarum me ipsum explicem, eas partes decreti, in quibus cum de misericordia Dei diminue tractatum fuisse censui, rationibus in Congregationibus adductis, exonerando conscientiam meam, atque vestras onerando comprobo, dummodo conformerentur in omnibus et sacra Scriptura et sanctorum Patrum sententiis, quemadmodum profitemur, qua lege reliqua mihi probantur omnia. Articulum præterea certitudinis gratia: ea lege comprobatum volo, si quemadmodum a sacrosancta Synodo decretum fuit, opiniones tantummodo confutentur hæreticorum.

« MARCUS EPISCOPUS SENOGALLIENSIS.

« Reverendus dominus episcopus Sibiricensis.

« Decretum sanctissimum justificationis in omnibus suis partibus mihi summo placet, quo vero ad præmium ipsius decreti, videlicet *Universalem Ecclesiam representans*, aliqui ex reverendis patribus objecerunt titulum Constanliensem, quod Concilium ab Ecclesia vera est receptum: propterea dico et respondeo cum B. Augustino; distingue tempora, et concordabis Scripturas. Intelligo considerandum esse quo, et quali tempore, quave ratione Concilium Constanliense ista dixerit, nimirum tempore schismatis, quo erant tres quorum quilibet se verum papam asserbat, et in tali casu et tempore schismatis fateor Concilium esse supra papam, quia aliter non posset Ecclesie Dei provideri, et scandalum exitiale schismatis non posset extinguere. Hoc enim unicum est remedium in terris: aliorum autem temporum non est similis ratio, et propterea aliis temporibus talis clausula, videlicet *Universalem Ecclesiam representans* (prout ipsi Patres asserunt) non debet apponi, et præsertim ad removenda multa scandala, quæ exinde possent oriri in Ecclesia Dei, maxime his temporibus. In summa dico, clausulas illas Concilii Constanliensis esse intelligendas tempore schismatis, non alio, et ideo non esse apponendas. Quidquid videtur aut simile reperitur in Actis ejusdem Concilii Constanliensis, ad idem tempus schismatis censeo referendum: cum ante nihil unquam tale in ullo Concilio fuerit constitutum: imo potius trecenti illi Patres, qui sub Marcelino papa et propter Marcellinum collecti fuerunt, asseverant primam Sedem, id est, Romanam, a nemine judicari: atque propterea non ipsi damnant aut deponunt Marcellinum; sed eo instante ipsi (inquit) ex tuo ore ipse iudicabis, et ex tuo ore condemnabis, nam primam Sedem nemo iudicat, prout recitatur in decretis Gratiani 21. dist. c. *Nunc autem*. Itaque non expedit, ut hoc temporis talis clausula decreto inseratur, sed fuerit satis statuere hoc sacrum Concilium esse Generale aut Oecumenicum, quando id fuit satis Concilio illi frequentissimo et celeberrimo Chalcedonensi, reliquisque præseis, quorum auctoritas et nunc est, et merito erit semper gravissima atque sanctissima. Hæc pauca volui dixisse submitte me correctioni reverendissimorum et illustrissimorum dominorum meorum presidentium et hujus sacrosanctæ Synodi.

« Reverendus dominus episcopus Lancianensis.

« Displicet, ut non ponatur in tit. decreti de Justificatione *Universalem Ecclesiam*, et quia non confunduntur hæretici contrarium asserentes.

« JOANNES EPISCOPUS LANCIANENSIS.

« Reverendus dominus episcopus Pacensis.

18. « Decretum de Justificatione summe

probo, quandoquidem video illud esse pium, sanctum, et vere Christianum. Opto tamen in titulo apponi illa verba, scilicet *Universalem Ecclesiam repræsentans*: absit a me hoc velim, ut in ullo conveniam cum schismaticis, quos omnes minus bene sentientes de auctoritate Sedis Apostolicæ detestor et execror, ut verum deceat Christianum; sed quoniam mihi pro re competentissima habeo Concilium Universale rite indictum et congregatum ab eo, qui habet hanc potestatem, nempe a summo Pontifice Christi vicario (ut est hoc Concilium Tridentinum) repræsentare Ecclesiam Universalem, ut tenent D. Gregorius cap. *Sicut*, bonæ memoriæ Gelasius papa c. *Majores* 24 q. 1, idem Gelasius c. *Confidimus* 25. q. 1. facit sexta Synodus actione 17. cum dicit: *Hoc Sanctum universale nostrum congregans collegium totius Ecclesiæ adunavit compaginem*. Unde hoc *sanctum nostrum universale*: etc. quare si hæc verba non apponuntur, videtur Concilium privari suo proprio et debito titulo.

« Item notum est Concilium Constantiense fuisse usum hac præfatione, non tantum propter schisma, quod tunc erat in Ecclesia, sed, ut ex eo constat, quia Wicleff, Joannes Hus et Hieronymus a Praga, quorum errores in eo Concilio damnati sunt, falso assererant, Concilium Universale rite congregatum non vere repræsentare Ecclesiam Universalem, quod postea approbavit Martinus V in sua Bulla, et præcepit inquiri contra omnes suspectos quod favissent dictis hæreticis, scilicet Wicleff, Hus, et Hieronymo a Praga, vel credidissent illorum erroribus, dicens quod interrogentur inter alia si credant, teneant et asserant, quodlibet Concilium Generale, et etiam Constantiense repræsentare Universalem Ecclesiam »: et post alia: « Liber etiam Cæremonialium, lib. 1. cap. de Concilio generali fol. 62. dicit eam esse observantiam Conciliorum, cum summus Pontifex est præsens in Concilio, omnia expediantur sub nomine papæ et per ejus Bullam; cum autem est absens, sub nomine Concilii, additis illis verbis, *Universalem Ecclesiam*, etc. Meminerint etiam reverendissimi legati, quod cum in principio Concilii fuit controversum de his verbis apponendis in titulo, dictum fuit quod, cum causa graviores tractandæ essent, maxime quæ spectant ad fidem, apponenda erant illa verba in titulo. Cum igitur in decreto de justificatione agatur de fide nostra, itaque de re gravissima, non video cur non debeant apponi in titulo.

« FRANCISCUS EPISCOPUS PACENSIS.

« Reverendus dominus episcopus Calagurritanus.

19. « Placet decretum in omnibus, nisi in eo, quod desunt verba illa: *Universalem Ecclesiam repræsentans*, in titulo ejus.

« EPISCOPUS CALAGURRITANUS.

« Quibus volis collectis, et reverendissimis et illustrissimis dominis præsentibus significatis, ipse illustrissimus dominus cardinalis de Monte dixit alta et intelligibili voce hæc verba, videlicet: Gratias innumeras agimus omnipotenti Deo, sanctum hoc decretum de justificatione approbatum esse universaliter ab omnibus uno consensu.

20. *Approbatur decretum de residentia, sed nonnihil emendatum.* — « Deinde idem reverendus dominus archiepiscopus Spalatensis, existens adhuc in ambone, legit decretum de residentia episcoporum et aliorum, in quo hæc primo capite: Quia integritas præsentium salus est subditorum, continentur: Eadem sacrosancta Synodus, eisdem præsentibus et Apostolicæ Sedis legatis, etc.

« Quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenæ quæ cælestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, sinunt sese occupatos esse, placuit sacrosanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pæne in dissuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute præsentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem residentia, de reformandis in Ecclesia moribus, in hunc qui sequitur modum statuere atque sancire. Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causa, nomine seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et præminencia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis et rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diocesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, et pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticam applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censura subjiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses, per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes prout cuiusque major aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire ».

21. Capite secundo decreti ejusdem jussi episcopi adigere sacerdotes ad personalem resi-

dentiam obstrictos, ut eam exhibeant pro divini cultus amplificatione, et optimo Ecclesiarum regimine gerendo, ac in reluctantes legibus animadvertere, rescissis omnibus contrariis prerogativis.

Tertio capite imperatum est Ecclesiarum praelatis, ut severitatem in subditos criminum reos distringant, ac regulares extra monasterium vagantes ex canonicis sanctionibus coercant.

Quarto capite canonicorum collegia in Ecclesiis principibus episcoporum auctoritati subesse jussa, pronuntiatumque in eosdem canonicos ab episcopis inquiri et animadverti posse, si a suo munere defecerint, et omnia contraria acta et privilegia quovis modo concepta deleta.

Quinto capite decretum, ut nullus episcopus cujusvis prerogativa pretexto in aliena diocesi pontificata erant, sine ordinarii praelatis facultate data, exercere possit. Subdunt Acta Concilii :

22. « Quo decreto lecto, rogavit patres, num sibi decretum placeret. Cui reverendissimus de Monte sibi placere respondit, et cum eo multi fuere : tamen plures multa in decreto desiderarunt, dederuntque ipsi chartulas, quibus eorum sententia explicata erat : omnium itaque collectis votis, cum difficile tunc foret omnes schedulas percurrere, et singulorum sententias excutere, reverendissimus de Monte dixit : Patres omnes probant decretum exceptis quibusdam particulis, de quibus habebitur sermo in Congregatione. Quod cum omnibus placuisset, idem episcopus ex Patrum voto unanimi, pronuntiavit futuram sessionem tenendam esse Feria quinta post primam Dominicam Quadragesime. Post haec Hieronimus Sevarolus promotor Concilii accusavit contumaciam omnium praelatorum absentium, et petit illos ut contumaces haberi et declarari, et propterea eos incidisse in censuras et penas tam in jure, quam in ea a sanctiss. D. N. expressas. Cui reverendissimus de Monte : Placeat, inquit, de accusatione contumaciae, et declaramus adversus omnes, exceptis legitime impeditis, procedendum esse per dominum episcopum Aquensem, episcopum Asturicensem, et Alifanensem, quos ad hoc specialiter deputamus. Placuit omnibus deputatio et contumaciae accusatio adversus omnes, exceptis tamen Germanis episcopis, tanquam notorie impeditis. Mox idem promotor petit auctoritate sanctae Synodi, moneri omnes praelatos praesentes ne ab hac civitate discederent, ante finitam proximam sessionem, sub penis excommunicationis et privationis omnium officiorum et beneficiorum Ecclesiasticorum ipso jure incurrendis. Ad cujus petitionem reverendissimus cardinalis de Monte : Placeat, inquit, omnes praelatos moneri ; et ita omnes hac monitione,

quam pro trina et canonica haberi volumus, sub penis praedictis, monemus et requirimus, ne discedant ab hac civitate ante finem sessionis subsequens : quod et alii probaverunt, paucis admodum exceptis. Postremo idem promotor petit, per notarium et protonotarium praesentes fieri unum vel plura instrumenta de omnibus et singulis gestis, solutaque est Synodus, cum jam esset hora xxiii ».

23. Absoluta igitur sexta Sessione, ita Acta Concilii loquuntur. « Die Decima quinta ejusdem mensis Januarii fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte laudavit summopere Patres de concordia eorum super decreto de justificatione. Tum idem diversas recensuit Patrum sententias quae exhibite per chirographum fuerant super decretum residentiae : Fuere, inquit, viginti et octo qui decretum simpliciter probaverunt, sex qui nomine cardinalium exprimi desiderarunt ; quatuor, qui titulum Ecclesiae Universalis vellent addi in decreto ; totidem, qui unam reformationis partem sine altera sanciri non debere affirmarent ; duodecim, qui penas contra non residentes statutas, desiderarunt ad jus commune reduci. Tum addidit : Scitis vos, Patres, iis, qui nomina cardinalium exprimi desiderabant, saepius responsum esse, itaque non placeat, neque aequum est nominare expresse. De titulo saepius dictum est, adhuc tamen si quis dubitat, videre poterit in Cajetano et Turcremata adversantibus Concilio Basileensi et Constantiensi, in hoc, quod in decretis suis nomen *Universalis Ecclesiae* representans apposuerunt. Legiturque Patribus eorum hac de re sententiam. His autem, qui unam partem reformationis sine altera non esse expediendam censuerunt, non est quid respondere oporteat, adeo ab omni ratione aliena est eorum sententia. De penis vero et de Provincialibus Conciliis, sufficienter ea quae a me proximis diebus dicta fuerunt. Hoc unum adderem, me cogitare in futurum abstinere a Congregatione, postquam video plures ita dura cervice, ut ex sua opinione nulla ratione divelli queant, et certe si ita agendum est, frustra hunc laborem Congregationum assumimus. Cogitent igitur Patres, quid hac de re agendum sit : ego illorum opinionem libenter audiam ; quae vero in futurum tractanda erunt, sunt haec, videlicet, de dogmatibus et materia Sacramentorum. De reformatione vero agetur, et de impedimentis episcoporum. Expedienturque omnia, quae ad decretum de residentia pertinent. Ad haec cardinalis Giennensis : Ego simpliciter (inquit decretum probavi et probo, quantum ad me attinet, et desideravi ab omnibus item probari, verum postquam aliter se habuit, optimum esse arbitror, de hac ipsa re habere aliquas Congregationes particulares, et de consensu jurisperitorum, ac demum Congregationis generalis aptare decretum ; idque

non parum Patribus placere videbatur: fuere tamen, ut Asturicensis et Calagurritanus, qui omnino publicandum decretum dixerunt post decretum admonitionis penarum, quod et in aliis Conciliis, et præcipue in ultimo Lateranensi factum fuisse constat. Quibus cardinalis de Monte: Non est par ratio (inquit) illius atque istius Concilii, et non est unus, aut alter, qui dissentit, sed plures admodum. Et propterea satius existimo decretum ipsum non publicare, quam tot notis in illo appositis edere. Ad hæc Pacensis: Non (inquit) titulum desideravi inscribi decreto alia de causa, quam ut hæreses damnarentur, constat enim inter alias hæreses, hæc unam præcipue Lutheranos opinionem sequi, ut negent Concilium legitime congregatum Ecclesiam Universalem representare. Cui cardinalis de Monte dixit: Si hæc causa quisque movetur, bono zelo eum moveri necesse est; sed ne amplius hoc desideret quisque, facile fiet, si in uno atque altero articulo hæc adversariorum hæreticam sententiam damnaverimus, quod cum omnes probare viderentur, episcopus Salutiarum: Credo, inquit, Patres, et nullis quidem rationibus, Concilium Ecclesiam Universalem non representare, nam cum constet ex capite et membris, non potest totum corpus representare sine capite, quod est Christi vicarius. Item Ecclesia constat ex vivis et mortuis, ac hic nulli mortui reperiuntur. Præterea Ecclesia est omnium fidelium, et constat extra hoc gremium multos esse fideles. Addebat et alia in hæc sententiam, sed ejus oratione adeo Patres commoti sunt, dicentes hæc sententiam hæresim sapere, ut omnes inclamarent. Sed et præsidēs dixere, nunquam se ita sensisse: Et quid est, inquit, cardinalis de Monte, ut ego hic triginta episcopis præsim, nisi Ecclesiam Universalem correpresentare sciam? sed abstinendum esse titulo censuimus semper, ne posteris malum exemplum præbeamus, non enim hoc Concilium, sed posteriora timemus, ne aliquando hujus exemplo invitati aliquid adversus Apostolicam Ecclesiam moliantur. Addidit mox episcopus Salutiarum: Ego (inquit) verba mea intelligo adversus eos, qui moluntur aliquid sub illis verbis, ut velint papam alicui subesse Concilio, ut scio aliquas vulpeculas facere. Quæ postrema verba tanta cum indignatione a pluribus, et maxime ab Hispanis audita sunt, ut nihil supra; multaque mox verba ab illis in illum dicta sunt, nec cessatum fuisset, nisi præsidēs silentium indixissent. At vera sententia erat Concilium Ecclesiam universalem non representare sine capite, id est, sine Pontifice. At in Concilio Tridentino legati Apostolici representabant Pontificem non dubium. Basiliense quidem post translationem cum esset accephalum, stante non ambiguo Pontifice, Conciliabulum exilitit schismaticum, Constantiense

Concilium, cum plures dubii Pontificium nomenque sibi asciscerent, universalem Ecclesiam representare jure professus est.

21. *Disponitur materia provincie sessionis, scilicet de Sacramentis et de Reformatione.* — « Die Lune decima ejusdem fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte: Non parum (inquit) hodie agimus, si præparabimus materiam sequentis Sessionis; hæc duplex est, una ad dogmata, altera ad mores spectat, de prima dicet reverendus collega meus, ego alteram prosequar. Mox cardinalis Sancta-Crucis: Dedimus (inquit) operam, ut omnes errores circa Sacramenta inveniremus, inventi autem sunt hi, qui sequuntur, quod in tres partes divisi sunt; prima pertinet ad errores concernentes circa Sacramenta in genere: secunda ad errores, qui versantur circa aliqua Sacramenta. Quod rursus in duas dividitur partes, legitque ipsos omnes, et Patres admonuit, ut eorum exemplaria acciperent, et suo tempore essent parati dicere sententias, postquam sacri theologi extra Concilium auditi fuerint. Deinde cardinalis de Monte legit notulam impedimentorum collectorum ex diversis impedimentorum chartulis porrectis ab ipsis episcopis. Nec (inquit) erit materia a nobis tractanda eodem tempore, quod reverendus collega meus pertractabit materiam Sacramentorum, seorsum tamen intervenient mecum jurisperiti, et qui interesse volent: cum illo autem theologi. Hæc fuerunt verba reverendissimi de Monte, et mox impedimentorum lectio, tam Patribus grata, ut præ letitia gestire omnes viderentur. Admonitque fuerunt omnes, ut eorum impedimentorum exemplaria, si qui velent, describi facerent. Actum est denique, ut concederetur licentia aliquibus episcopis, qui ex causa essent discessuri, brevi tamen reversuri. Quod ita demum fieri placuit, si hi episcopi antequam discederent, se obligarent ad redeundum intra terminum per legatos statutendum ». Errores autem circa Sacramenta in genere et in specie sunt qui sequuntur:

ARTICULI HERETICORUM SUPER SACRAMENTIS IN GENERE.

25. « I. Sacramenta Ecclesiæ non esse seplem, sed vel plura vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« II. Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto homines a Deo gratiam adipisci.

« III. Nullum Sacramentum esse alio dignius.

« IV. Sacramenta novæ Legis non conferre gratiam etiam non ponenti obicem.

« V. Sacramenta nunquam gratiam aut remissionem peccatorum dedisse; sed solam fidem Sacramenti.

« VI. Satim post lapsum Ade fuisse Sacramenta a Deo instituta, in quibus gratia daretur.

« VII. Sacramentis tantummodo dari gratiam credentibus sibi remitti peccata.

« VIII. Non dari gratiam in Sacramentis semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, sed quando et ubi visum est Deo.

« IX. In nullo Sacramento imprimi characterem, sed rem fictitiam esse.

« X. Malum ministrum non conferre Sacramenta.

« XI. Omnes Christianos cujuscvis sexus habere parem potestatem in verbo et Sacramento ministrando.

« XII. Quemvis pastorem habere potestatem formas Sacramentorum prolongandi et abbreviandi pro arbitrio suo, et mutandi.

« XIII. Intentionem ministrorum non requiri, nihilque agere in Sacramentis.

« XIV. Sacramenta ad solam fidem nutriendam esse instituta.

« Die xx Januarii, Feria v, vocalis in Congregationibus Patribus lecti sunt errores hæreticorum circa Sacramenta Baptismi et Confirmationis, ut maluro examine discutiantur ».

ERRORES LUTHERANORUM CIRCA SACRAMENTUM BAPTISMI.

26. « I. In Ecclesia Romana et Catholica, non esse verum Baptismum.

« II. Baptismum liberum esse, nec necessarium ad salutem.

« III. Baptismum datum ab hæreticis verum non esse, et ob hoc iterandum.

« IV. Baptismum esse penitentiam.

« V. Baptismum esse tantum externum signum, ut ovium creta rubea, nec habere partem in justificatione.

« VI. Baptismum iterandum esse.

« VII. Verum Baptismum esse fidem credentem penitentibus remitti peccata.

« VIII. Baptismo non tolli peccatum, sed solam imputationem.

« IX. Eandem esse vim Baptismi Christi, et Joannis.

« X. Baptismum Christi non evacuasse Baptismum Joannis, sed ei addidisse promissionem.

« XI. Ritus alios in Baptismo adhiberi solitos liberos esse, id est, sine peccato omitti posse, et solam immersionem esse necessariam.

« XII. Præstare, omittere Baptisma puerorum, quam eos non credentes baptizari.

« XIII. Parvulos propriam habere fidem, ideo non esse baptizandos.

« XIV. Baptizatos in puerilia, quia non crediderunt, esse rebaptizandos, cum pervenerint ad annos discretionis.

« XV. Baptizatos in infantia cum adolescenti

interrogandos, an ratum habeant Baptismum, quod si negent se habere ratum, dimittendos.

« XVI. Remitti peccata post Baptismum sola recordatione et fide quod quis sit baptizatus.

« XVII. Votum Baptismi non habere conditionem nisi fidei, et alia omnia vota evacuare ».

ERRORES LUTHERANORUM CIRCA SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS.

27. « I. Confirmationem non esse Sacramentum.

« II. Confirmationem esse a Patribus institutam, et non habere promissionem gratiæ Dei.

« III. Confirmationem esse otiosam ceremoniam, et olim fuisse catechesim, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant.

« IV. Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis sacerdotem.

« Die vero Lunæ, ultima Januarii, fuit Congregatio, et cardinalis de Monte dixit : Per deputationem particularem jurisperitorum aptatos fuisse nonnullos canones in materia residentiæ, de quibus in proximis Congregationibus generalibus erit sermo habendus, et propterea poterant omnes episcopi eorum canonum exemplaria sumere, et in prima Congregatione venire parati ad dicendum super iis. Interim enim (inquit) dum hæc a nobis geruntur, reverendus collega meus curabit, ut audiantur theologi non conciliares super reliquis Sacramentis. Quod ea ratione cogitatum est, non ut omnia in hac proxima Sessione expediantur, sed ut in subsequenti Sessione paratiores simus. Sunt enim proxime abfuturi theologi isti ob prædicationem, et propterea judicavimus esse prævenientem ». Et ideo tertia Februarii die capti sunt discuti a theologis hæreticorum articuli ¹ de Eucharistia subjectis his concepti verbis :

ARTICULI HÆRETICORUM SUPER SACRAMENTO EUCHARISTIE PROPOSITI EXAMINANDI THEOLOGIS.

28. « I. In Eucharistia non esse revera Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum ut in signo, sicut vinum dicitur esse in cirento ante tabernam ».

Hic error est Zuinglii et Oecolampadii, et Sacramentariorum.

« II. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed specialiter tantum manducandum per fidem ».

Hic error est Oecolampadii in libello de Eucharistia cap. II et multis aliis in locis.

« III. In Eucharistia esse quidem Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit tran-

¹ Ms. Vat. sig. num. 3232, p. 298.

substantiatio, sed unio hypostatica humanitatis et substantiæ panis et vini ».

Lutherus in Testamento de Sacramento Altaris ait : Profiteor quod in eo veraciter corpus et Sanguis Christi in pane et vino corporaliter manducatur et bibitur, idem in Assertionibus.

« IV. Christum in Eucharistia non esse adorandum, neque festis venerandum, neque in processionibus circumgestandum, neque ad infirmos deferendum, et ejus adoratores esse veros idololatrias ».

Lutherus ad Valdenses.

« V. Non esse reservandam Eucharistiam in sacrario, sed statim consumendam, et presentibus dandam, et aliter facientes abuti hoc Sacramento ».

Hæc habentur in Libello reformationis ad Colonienses.

« VI. In hostiis seu particulis consecratis post Communionem remanentibus non remanere Corpus Domini, sed tantum ibi esse dum sumitur, non autem ante nec post sumpcionem ».

Lutherus, ut refert Coelaus in Libello contra eum edito.

« VII. De jure divino esse, sub utraque specie etiam populum communicare, ac propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti, et tamen præcipiente Concilio ut plebs sub utraque specie communicet, eo casu sub altera tantum communicandum ».

In Confessione Aug. c. *De utraque specie* et Lutherus *De Formula Missæ*. Si quo casu Concilium statuerit (minime omnium vellemus) utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum Concilii vellemus, aut una tantum, aut neutra, et nequaquam utraque potiri, ac plane eos anathema habere quicumque auctoritate talis Concilii potiretur utraque.

« VIII. Non contineri sub altera specie quantum continetur sub utraque, nec tantum sumere communicantem sub altera specie quantum sub utraque ».

Joannes Eckius in disputationibus, item Lutherus Lib. disput. 631.

« IX. Solum fidem esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam, neque teneri homines ad Communionem in Paschate ».

Luther. *Libr. de Captiv. Babylonie*. Item *In Visitatione Sacconica cap. De Euch.*

« X. Non licere, ut quis seipsum communicet ».

Hic error videtur esse Lutheri et aliorum hæreticorum superiorum. Hos articulos Alphonsus Salmeron in Congregatione theologorum luculenter confutavit, et consequentibus diebus alii theologi refellerunt.

29. Dum a theologis dissereretur de Sacramentis, et jurisperitis egissent de reformatione :

« Die tertia Februarii fuit Congregatio, in

qua dixerunt plerique Patres sententias super canonibus præmissis. Omnium primus fuit Giennensis, qui non pauca adnotavit. Non enim probavit, ut recentioris Concilii Lateranensis mentio haberetur, addique cupiebat, neminem in episcopum creari debere, nisi legitimo matrimonio natum. De beneficiorum et Ecclesiarum pluralitate nihil actum esse aiebat, nisi etiam de præteritis provideretur, subjiciebat insuper ut nulli pastoralis Ecclesia daretur, qui non actu residentiam impleret, quod facillime fieri posset, si ita omnes curata Ecclesiæ conferrentur, quo modo patrimonialia beneficia conferri in Hispania consueverunt, hoc est, præhabito riguroso examine. De dispensationibus autem, hoc in universum censuit, ut quoad possibile esset, restringerentur; adjeit et alia in hanc pæne sententiam, quam et Turrianus, et nonnulli alii secuti sunt. Præfatus in primis tamen est Turrianus, se maximo opere cupere, ut totus hic de reformatione tractatus rejiceretur ad Sanctissimum Dominum nostrum, cujus de hac re sententiam secuti sunt Feltrensis et Aciensis. Sed pluribus Aciensis disseruit, ut ostenderet omnia congregationem frustra acturam esse, nisi Pontifex Maximus assenserit, aiebatque sæpius Romæ actum fuisse hac de ipsa reformatione, primo per decem a sua Sanctitate deputatos, et alios deinceps, et tamen omnium laborem incassum cecidisse. Propterea scirent Patres, ita demum decretum de residentia locum habiturum, si Pontifici Maximo placuisset. Adjeit præterea, non esse potestatem Concilii ad hoc. Hujus sententiam nonnulli secuti sunt. Senogalliensis potius aiebat, omnino a reformatione abstinendum, quam tales canones edere, per quos potius reformaretur, quam reformaretur Ecclesia; dicebatque maxima expectari ab isto Concilio, quæ nisi præstentur, futurum, ut maximum in Ecclesia Dei scandalum veniat. A cujus opinione parum dissiderunt Fesulanus et Caputaquensis. Illud in primis affirmantes, se huic decreto assensum non præbituros, nisi expresse de cardinalibus mentio haberetur, affirmantes nunquam ferendum esse, ut posthabitis majoribus Ecclesiis, quorum major pars est in manibus cardinalium, tenuioribus tantum Ecclesiis provideatur ».

Sed cum Patres in ista Congregatione non dixissent omnes suas sententias, in aliis tamen Congregationibus protulerunt, et ideo sequuntur Acta : « Die Veneris quarta Februarii dixerunt sententias plures ex Patribus eadem de re. Episcopus Salutarum nisus est defendere canones ipsos ab his objectionibus, quæ a cardinali Giennensi et aliis Patribus factæ fuerunt, quod et ante Tarentinus episcopus præstiterat; cæteri pæne omnes canones probaverunt, læsionibus iisdem notis adjectis.

30. « Die sequenti dixerunt sententias reliqui

Patres, tribus quatuorve exceptis. Agathensis omnia pene improbavit, quæ a cardinali Giennensi dicta fuerant, itemque etiam fecerunt Lancianensis, Syracusanus, Pacensis, Asturicensis, Osciensis, Calagurritanus, cum quibus et Aquinas, et Bituntinus, et Britinoriensis in nonnullis capitulis sensere, et maxime in hoc, ut lex de pluralitate cardinalium et curatorum Ecclesiarum generalis esset, nemoque ab ea exciperetur, ita etiam ut lex non tantum futuris, sed etiam presentibus provideret; verum hæc in re et in aliis pluribus longe vehementiores fuere Hispani; quorum summa sententiæ hæc continebat:

« Et quæ a majori parte Patrum in proxima sessione sancita fuere, eederentur, nec amplius de illis esset quæstio.

« Et Concilium Lateranum nullo modo probaretur quoad reformationem, et quod in pluribus suis capitulis deformationem Ecclesiæ magis augetet quam tolleret.

« Et nulla omnino dispensatione liceat cuique ultra duas curatas Ecclesias habere.

« Et nemo nisi unam cathedralem haberet, quacumque præfulgeat dignitate.

« Et in hoc decreto de cardinalibus expressa fieret mentio.

« Et nulla omnino teneat dispensatio, nisi ex justis et in jure expressis, vel saltem rationabilibus causis concessa.

« Et cause hujusmodi coram ordinariis probandæ sint.

« Canones autem ita comprobandos esse, ut dicantur abusus esse aliter facere.

« Dispensationes esse dissipationes, et non juvare quemquam in Foro Poli, nisi ex justis et rationabilibus causis concessa essent.

« Et propterea cardinales beneficiis nunquam sat plenos, cum peccato mortali beneficia retinere.

« Ad hæc omnia Albiganensis nullis rationibus respondit, sed minus grata ejus oratio visa est nullis, propterea quod asseruit omnino episcoporum auctoritatem a Sede Apostolica emanasse, nec aliquam episcopos auctoritatem habere a Deo, nisi eo quod et omnes aliæ res immediate sunt a Deo. Item, quod Concilii potestas delegata esset, nec quicquam Concilium decernere posset, quod non sibi a prima Sede mandatum esset.

« Die sequenti dixerunt sententiam reliqui ex Patribus. Canariensis multa deduxit, ut persuaderet, ante omnia statuendum esse episcoporum residentiam de jure divino esse; episcopatum et episcopale officium in jure divino esse contendit. Cui Alisamus et Minoritensis responderunt, adeo ut omnes ejus rationes convellerent. Sequuntur Acta narrare quæ gesta fuerunt in alia Congregatione. Die sequenti, septima ejusdem fuit Congregatio, in qua reverendissi-

mus de Monte aliqua ad Patres præfatus est super querelis, quas nonnulli fecerunt adversus corruptos mores hujus sæculi: Tum dimittamus (inquit) querelas et veniamus ad remedia ipsa. Multi de potestate Concilii frustra disputarunt: quid enim opus est tam longis disputationibus tempus terere, cum id quod a multis petitur verbo, re ipsa præstatur, dum a nobis leges promulgantur. Aliqui suadere conati sunt, ut negotium reformationis remittatur ad Sanctissimum Dominum nostrum, non ea ratione, ut putarent Concilium carere potestate, sed quia videbant Patres non convenire inter se: plerique etiam ad interrogata non responderunt. Aliqui consueverunt statuenda esse omnia, qua de re alias a me dictum fuit. Non enim video, quod ex hoc provenire possit aliqua utilitas. Omnes enim bonum et rectum cupimus, sed sæpius decipimur specie recti; aliquos episcopos cupere examinari omnes beneficiatos, omnes uniones, et omnesque dispensationes revocare, quod tempora minime ferunt, et vereor, ne si hoc statueretur, plurimis ridiculi essemus. Quid ergo faciendum? Illud quod licet et quod expedit, hoc est, ut cura animarum a nobis nullatenus negligatur. Quod credimus his canonibus ample provisum esse, si tamen aliquid deerit, ex sententiis dominationum vestrarum supplebitur. Alii execrati sunt simoniam, maxime curialium, et hæc culpa non est rejicienda ad Sanctissimum Dominum nostrum. Sunt et in curia Romana et boni et mali, nec est possibile in omnes malos animadvertere, et præcipue quia mali homines caute in hæc materia procedere solent, ut a nemineprehendi valeant; fiat tamen de hoc quæcumque provisio Synodo placuerit.

« Permagnum putant plurimi¹ ad conservandam auctoritatem Sedis Apostolicæ fidei exactissimam reformationem; probamus hæc sententiam, fiat reformatio, sed debito modo fiat, ne dum volumus auctoritatem et potestatem ipsius Sedis tueri et defendere, ejus causa præcipue et Concilium in hæc civitate indictum fuit, ipsam lædamus et intringamus, nec satis esset verbo affirmare et fateri supremam potestatem, si facto vellemus illam convellere. Operæ pretium igitur erit in hoc sequi antiquorum canonum normam. In Canonibus enim Nicæni Concilii insertis inter decreta papæ Julii § 3, 6 et 11 his verbis Apostolica auctoritas excipitur, salvo in omnibus Romana Ecclesiæ privilegio, quod et alibi habetur c. 6, q. 3, c. *Peregrina*. Aliquis prælatius dixit promulgandam esse legem de beneficiis conferendis, quam etiam Sanctissimus Dominus noster observare teneatur; huic respondet Paschalis Pontifex, qui in c. *Significasti*, De electione: Vivunt (inquit) in Conciliis

¹ Lib. VII, de Cons. c. 1. ann. 1206, p. 190 Ms. sl. num. 1232, p. 273 et 283 V. D. Gerol. Ed. Ms. I., c. d. Baber. st. n. num. 1599, p. 202.

statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia illa præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, et facta sint, et robur acceperint, et in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Aliquis dixit canones hos sophisticos esse. Certe si hæc verba canones ipsos respicerent, non autem personas nostras, non aegro animo id accepissemus : propterea enim canones dantur Patribus, ut ex perfectis eorum sententiis, quod ipsis deest suppleatur. At dicere sophisticos esse canones, est nobis imponere quod Patres his canonibus decipere voluerimus, qua de re plura a nobis dicenda essent, ni inter eos essemus, apud quos certe habemus fidem et integritatem nostram esse perspectam. Hactenus fortassis plusquam oportebat patientes fuimus, si post hæc aliquis adversus nos talia dixerit, sciat nos muneris nostro non defuturos, et hæc familiariter et cum omni charitate dicta sint. Patres omnia boni consulant, Patrum sententiæ proponant, et ex eorum voto Canones aptabuntur. Patres dicent sententias in materia Sacramentorum.

31. « Mox cardinalis S. Crucis : Redegimus articulos istos de Sacramentis in tres classes, quorum prima continet articulos, qui ex iudicio theologorum visi sunt omnino hæretici. In secunda classe positi sunt, qui scandalosi visi sunt. In tertia vero articuli, qui partim omitendi, partim autem dubii visi sunt ».

Hic animadvertendum est, repetitionem articulorum hæreticorum circa sacramenta, quos supra recitavimus, in hoc congressu factam fuisse : qua autem ratione id gestum fuerit, curioso lectori discutendum relinquimus.

ARTICULI AUTEM SEQUUNTUR, ET SUNT TALES.

*Errores Lutheranorum
circa Sacramenta in genere.*

« Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, sed vel plura, vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto homines gratiam adipisci.

• « Nullum Sacramentum esse alio dignius.
« Sacramenta novæ Legis non conferre gratiam etiam non ponenti obicem.

« Sacramenta nunquam gratiam, aut remissionem peccatorum dedisse, sed solam fidem Sacramentorum.

« Sacramentis dari tantummodo gratiam creditibus remitti sibi peccata.

« Non dari gratiam in Sacramentis semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, nisi quando et ubi visum est Deo.

« Malum ministrum non conferre Sacramentum.

« Omnes Christianos cujusvis sexus habere

parem potestatem in verbo et Sacramento administrando.

« Sacramenta ad solam fidem nutriendam esse instituta.

De Baptismo.

« In Ecclesia Romana et Catholica non esse verum Baptisma.

« Baptismum liberum esse, nec necessarium ad salutem.

« Baptismum datum ab hæreticis non esse verum, et ob hoc iterandum.

« Baptismum esse tantum externum signum, et ut ovium creta rubra, nec habere partem in Justificatione.

« Baptismum iterandum esse.

« Verum Baptismum esse fidem credentem pœnitentibus remitti peccata.

« Baptismo non tolli peccatum, sed solum imputationem.

« Præstare omittere Baptisma puerorum, quam eos non credentes baptizari.

« Paryulos propriam habere fidem, et ideo non rebaptizandos.

« Baptizatos in pueritia, quia non crediderunt, esse rebaptizandos cum pervenerint ad ætatem discretionis.

« Baptizatos in infantia, cum adolescunt, interrogandos, an habeant ratum Baptismum, quod si negent, habendos pro Ethnicis.

« Remitti peccata sola recordatione, et fide quod quis sit baptizatus.

« Votum Baptismi non habere conditionem nisi fidei, et omnia alia vota evacuare.

De Confirmatione.

« Confirmationem non esse Sacramentum.

« Confirmationem esse a Patribus institutam, et non habere promissionem gratiæ Dei.

« Confirmationem esse otiosam cæremoniam, et olim fuisse catechesim, qua olim adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant ».

ARTICULI, QUI MULTIS THEOLOGIS NON VIDENTUR DAMNANDI, SINE ALIQUA DECLARATIONE.

De Sacramentis in genere.

« Sacramenta non esse septem, sed vel plura, vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« Hunc articulum aliqui cuperent damnari tantum quoad primam partem, videlicet Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, nulla facta mentione partis posterioris, scilicet, quod non sint plura vel pauciora, ut factum est in Concilio Florentino.

« Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto per solam fidem hominem a Deo gratiam adipisci.

« Nonnulli censent hunc articulum non esse damnandum, prout jacet, sed cum hac additione, ut dicatur non esse necessaria in Ecclesia, quia non singula Sacramenta singulis necessaria sunt.

« Nullum Sacramentum alio dignius.

« Quia Sacramenta diversis respectibus alia aliis digniora esse possunt, aliquibus non videtur hic articulus damnandus sine declaratione.

« In nullo Sacramento imprimi characterem, sed rem fictiliam esse.

« Quidam optarent hunc articulum non simpliciter damnari ut hæreticum, sed amplectendam aliam partem, ut probabiliorem.

« Intentionem ministrorum non requiri, nihilque agere in Sacramentis.

« Quoniam intentio ministrorum, ut aliqui asserunt, non est simpliciter necessaria, sed tantum quod intendant facere id, quod Ecclesia intendit, ideo cuperent hunc articulum damnari cum aliqua declaratione.

De Baptismo.

« Baptismum esse penitentiam.

« Cum Baptismus aliquo modo dici possit Penitentia et ita appelletur ab Epiphania et Tertulliano, nonnulli censent hunc articulum damnandum hoc modo, Baptismum esse Sacramentum Penitentiae, quod a nemine non esse damnandum iudicatur.

« Ritus alios in Baptismo adhiberi solitos liberos esse, id est, sine peccato omitti posse, et solam intentionem esse necessariam.

« Aliqui declarandum putabunt de ritibus substantialibus, quia arbitrantur alios omitti posse sine peccato.

De Confirmatione.

« Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis sacerdotem.

« Hunc articulum vellent redigi ad normam verborum expressam in Concilio Florentino ».

ARTICULI, QUOS ALIQUI THEOLOGI NON DAMNANDOS, SED SILENTIO PRÆTERFUNDOS CENSENT.

De Sacramentis in genere.

« Statim post lapsum Adæ fuisse a Deo Sacramenta instituta, quibus gratia daretur.

De Baptismo.

« Eandem esse vim Baptismi Christi, et Joannis.

« Baptismum Christi non evanuisse Baptismum Joannis, sed ei dedisse promissionem ».

ARTICULI, QUOS ULTRA PROPOSITOS THEOLOGI DAMNANDOS ARBITRANTUR.

De Sacramentis in genere.

« Omnia Sacramenta non esse a Christo instituta.

« Sacramenta esse tantum signa et notas nostræ professionis, sive allegoria bonorum operum.

« Non esse Sacramentum, nisi habeatur in Scripturis.

De Baptismo.

« Pueros in uteris maternis per invocationem Trinitatis et benedictionem salvari.

« Negantes fidem Christianam apud infideles, cum revertuntur ad propria, rebaptizandos esse.

« Neminem baptizandum esse, nisi in mortis articulo.

« Neminem baptizandum esse, nisi ea ætate, qua baptizatus est Christus.

« Aquam non esse de necessitate, sed solam assistentiam Spiritus sancti.

« Baptismum non esse nisi signum afflictionum, quod oporteat Christianos subire fluctus, et pericula omnis generis perferre.

« Morte corporali Baptismo satisfieri, et eam esse ejus proprium significatum.

« Baptismum omnia peccata, quæ post ejus susceptionem perpetrantur, venialia facere.

« Fœdus inter Deum et baptizatum in Baptismo initum non implicare divinæ legis observantiam.

« Filios Israel in transitu Maris Rubri non figurative, sed vero fuisse Baptismate baptizatos, sicut et Noe cum verberetur in arca.

« Fomitum retardare baptizatos ab ingressu cæli.

De Chrismate.

« Qui dicunt oleum Chrismatis esse oleum salutis, Christum negant.

« Spiritui sancto sunt injurii, qui Confirmationis oleo ullam tribuunt virtutem, quia, perinde est ac si quis diceret, omne oleum virtutem esse Spiritus sancti ».

Octava Februarii ¹ coacta Congregatione generali primus Concilii præses de instauranda vetere disciplina Christiana moribusque ad sanctionem normam revocandis egit, remque a Pontifice et legatis maxime eflagitari demonstravit, ita tamen, ut offendicula præcaveantur: « Quoniam nonnulli conquesti sunt in votis suis reddendis de malignitate temporum,

¹ *Proc. Conc. Trid. in 4. An. Massard. Ms. arch. Vat. p. 203.*

et quod presentanea indigemus reformatione, de qua longo sermone perorarunt; reverendissimus D. cardinalis de Monte confessus est Ecclesiam Dei indigere reformatione, et quod nemo magis eam cupiat quam Pontifex et ipsi reverendissimi DD. legati: verum ea statuenda sunt, quae executioni demandari possunt, ne cum reformare volumus, orbem Christianum in scandalum ponamus, dum praesertim praeterito et presenti providere intendimus, in quo multorum iura offendunt. Sed id in primis attendendum est, quod licet aliqui dixerint, quod Concilium non potest facere reformationem (qui fuerunt episcopi Feltrensis, de Nobilibus et Chironensis) hoc verum non est, quia Concilium hoc legitime congregatum omnia potest in his, quae sibi a Sua Sanctitate demandata sunt, in aliis autem nihil potest. Si igitur Concilium procedere voluerit in his, quae in Bullis Sanctissimi D. N. continentur, procedat, quia habebit ipsos legatos promptissimos, salva tamen semper auctoritate et praeminentia Sedis Apostolicae, ut alia Concilia semper fecerunt, allegando exempla Niceni Concilii in multis canonibus, et nonnullorum aliorum Conciliorum. In his autem, quae Concilium non potest et proprie spectant ad Pontificem, asserunt legati se paratissimos futuros mediatores, ut Sua Sanctitas ea concedat, quae a Sua Sanctitate petuntur.

« Die octava ejusdem fuit Congregatio ¹, et successive diebus sequentibus, exceptis Dominicis diebus, usque ad vigesimam primam hujus mensis, fuerunt Congregationes, in quibus disceptatum est super articulos damnandos, de quibus supra. Patrum vero sententias non recensendas esse duxi propter illarum multitudinem.

32. « Die Jovis xxiv ejusdem mensis Februarii fuit Congregatio, in qua cardinalis Giennensis: Antequam, inquit, de canonibus dicere incipiam, velim scire, an canones, qui promulgati fuerunt in proxima Sessione, vim et robur obtineant. Si enim vim obtinent, ut et ego credo, non erit amplius de iis dicenda sententia, alioquin oportebit et illos iterum examinare. Quantum tamen si simpliciter ego illos tunc probaverim, id feci, ne aliqua inter nos controversia oriretur, et ideo si non essent expediti, dicerem et de illis quae mihi occurrunt. Ad haec cardinalis de Monte. Sciunt, inquit, Patres omnes, quod propter sententiarum varietatem in sessione concludi non potuit, et ideo tunc dixi nos in Congregatione deliberaturos, sed postquam Patrum tam varias vidimus annotationes, censuimus parvum decorem esse Concilii, si hujusmodi canones cum tot censuris ederentur, et propterea cosdemmet canones,

et majori ordine et majori lima politos una cum aliis canonibus vobis nunc dedimus in manibus, ut omnes, si ita Patribus placebit, ex integro et in proxima sessione statuamur. Si tamen Patribus placet, ut canones ipsi habeantur pro expeditis, nos legali libenter voto Patrum subscribemus, et ita minuetur in hac parte labor noster. Sed considerent Patres ne ridiculi videamur, si canones tantis notis onustos edamus. Cardinalis Sanctae-Crucis: Quaestio, inquit, facti est, crastina die vota et censure Patrum videbuntur, et quod a pluribus probatum fuisse cognoscetur, id pro firmo habebitur. Ego quidem, quoad me, semper tenui decretum ipsum valere, nec esse in potestate nostra illud amplius minuire, vel variare, nisi simus in alia sessione. Fuerunt viginti novem, qui decretum simpliciter probaverunt; reliqui Patres divisi sunt, adeo ut decretum ipsum obtentum fuerit; tamen de hoc lectis et consideratis sententiis Patrum, deliberare poterimus. Feltrensis dixit: Separari poterunt capitula, et quae nullam habuerunt controversiam publicare, reliqua vero remanere, ut judicatis. Contra Pisarenensis inquit: Omnia sunt connexa, et a residentia omnia dependent, et propterea unum caput sine altero publicari non potest. Castellimaris episcopus omnia aiebat separata esse, et tot esse sententias, quot rerum capita, propterea posse unum sine altero sustineri. Adject ad haec Calagurritanus notas Patrum a decreto non dissentire, quoniam non videntur decretum improbare, qui dicunt ultra personas in decreto comprehensas, velle etiam ut nominatim cardinales exprimantur. Cardinalis de Monte: Omnia (inquit) a residentia dependent, et ideo si illa non stat, nec reliqua stare poterunt, quoniam ejus respectu canones conditi sunt, nec subsistit ratio domini Calagurritani, quoniam cum in lege interveniat stipulatio, scilicet interrogatio, et responsio, non dicitur respondere ad interrogatum, nec aliquid firmare, qui pure et simpliciter interrogatus, sub conditione respondet; leg. 1. §. *Si quis simpliciter. ff. de verborum significationibus*, et jura sunt vulgaria. Giennensis: Mihi placet, inquit, opinio ista, ut reliqui canones pendeant a residentia, et quod nisi ista subsistat, nec reliqua subsistant. Hoc tamen scimus, quod in Concilio Lateranensi, etiam in praesentia pape, audiebantur vota Patrum contradicentium, et registrabantur eorum dicta, una cum ipsis decretis. Frustra nunc de hac re, inquit cardinalis de Monte, meo iudicio disputatur, cum praecipue nos parati simus sequi Patrum sententias, nam nihil omnino nostra neque Synodi referre putamus, hoc vel in praeterita sessione statutum fuisse, vel in proxima illud ipsum esse statuendum. Nam de canonibus illis nihil omnino, quod substantiam mulct, demimus. Quod autem alias in Concilio

¹ Acta Conc. Ms. card. Spadae to. XII.

Lateranensi factum fuerit, nihil ad propositum facit, quia papa in Concilio non tenebatur sequi sententias Patrum, si nolebat, et propterea etiam si major pars contradixisset, potuisset etiam ipse solus statuere. Sed dimissa pro nunc controversia huiusmodi dicantur sententiæ super reliquis octo canonibus, de quibus nondum audita fuerunt Patrum sententiæ, nam de reliquis, quorum audita sunt semel Patrum sententiæ, alia die agetur.

« Mox Giennensis sententiam de canonibus ultimo additis dixit; illud solum desiderans, ut uniones, quæ ex causis non veris factæ essent, revocentur. Item, quod episcopi, qui seisciscitentur, exemptos habere stipendium, et in omnibus privilegiatis servetur c. 1. de *privilegiatis* in VI. Materensis admonuit in hisce canonibus plura esse, quæ Apostolicæ Sedi derogarent, et propterea scirent omnes, cum qui de privilegio primæ Sedis detrudere studet ut hæreticum a jure haberi. Senogalliensis dixit, se canones acceptare, dummodo iuribus DD. episcoporum non derogent in aliquo, et sint conformes regulis sanctorum Patrum, et aliquibus abbatibus non faveant. Fesulanus ex scripto recitavit, se valde condolere, episcopos in propriis diocesisibus auctoritate aliena agere, hoc nequaquam ferendum esse aiebat, ut episcopi Apostolicam, id est, alienam auctoritatem in gregem sibi commissum animadvertant. Quod, inquit, quam iniquum sit, non meis verbis, sed verbis Clementis papæ I Pontificis attendite. Tunc alta voce clamavit episcopus Alifanus conversus ad legatos, dixit: Non esse ferendum Fesulanum in tanto consensu adversus primam Sedem loquentem, petiitque dari sibi libellum, quem habebat Fesulanus in manibus, quoniam convincere volebat verba illa hæretica esse. Ad quæ Fesulanus: Quid, inquam, dixi, quod hæreticum sapiat? Ego dixi quod dixi. Dico autem juxta Clementem papam I, et quicquid sit, sententiam meam, quam nondum protuli, submitto iudicio sanctæ Synodi. Contra hæc Alifanus dari libellum postulabat, ut redarguere posset illum de heresi. Adversus quem Calaguritanus et Giennensis dixerunt: Inconveniens esse in Synodo libertatem impedire, neque esse Alifani aut alterius cuiusque prælati, dicentem impedire, vel de heresi arguere, sed solum reverendissimorum præsidentium. Albiganensis: Non, Patres, amplius Fesulanus, inquit, audiendus, quia relapsus est, sed acriter coercendus. Castellamartus: Nulla est, inquit, Concilii amplius libertas. Cardinalis de Monte iussit Fesulano sub excommunicationis pœna libellum tradere; cui cum statim non pareret, iterum atque iterum illum admonuit, tandemque Fesulanus libellum porrexit cardinali S. Crucis, asserens omnia, quæ dixit, submittere iudicio sanctæ Synodi. Non

hoc, inquit Albiganensis, sufficit, quando protestatio contraria est facta, indeque ortis multis verbis inter Castellamarensem et Albiganensem, dixit: Castellamarensem non vera dicere, inde clamores magni ex omni parte exorti. Hispani omnes Fesulanum tuebantur, et cum eis Senogalliensis: contra Albiganensis et Alifanus clamabant, adeo ut præ clamore non facile dicentes audirentur. Isti, non esse quemquam adversus primam Sedem loquentem audiendum: alii libertatem Concilii læsam clamabant. Armacanus¹ se ex Sanctis. D. nostro audivisse nuper dixit (redierat is Tridentum ab Urbe, pauci erant dies, ut Pallavicinus observat) quod vellet liberum esse unicuique dicere sententiam in Concilio, tam erca mores quam circa dogmata, nec aliquem velle reprehendi, etiam si manifestam hæresim dixerit, dummodo se submitteret Concilio. Cuius verba ita laudaverunt Hispani, ut nihil sanctius, nihil sapientius a summo Pontifice exire potuisset. Tandem legatorum auctoritate omnes quieverunt. Dixeruntque reliqui Patres sententias, quorum plures simpliciter canones probaverunt. Alii se imparatos ad dicendum sententiam dixerunt. Reliqui fere omnes cum Giennensi fuerunt. Calaguritanus post hæc multa de læsa libertate Concilii conquestus est, petiit sibi licentiam abeundi concedi, si pro arbitrio uniuscuiusque in alium sit invehendum, et adversus ea, quæ Materanus postulaverat, dixit: Non est aliquis hic, ut arbitrator, qui primæ Sedi privilegium auferre conetur, sed omnes, si opus esset, credo, pro ipsa moreremur. Sed sumus vocati hæc, non alia causa, quam ut restituantur collapsi mores, et quomodo hoc fiet, nisi plagæ ostendantur? Non dico ego papam hoc vel illud facere non posse, sed dico non debere, non decere, hoc non edificare. Si præterea male dico, non est quod ultra permaneamus in hoc loco, nec quod laboremus. Adjecit et alia in hac sententia. Multa etiam protulit, quare omnes exemptiones omnesque annexiones, maxime Parochialium Ecclesiarum, non funditus essent revocandæ. Adversus quem mox Alifensis disseruit, affirmans, nulli libere loquenti dandum esse vitio, si quæ mala esse arbitratur, proferat, sed nullum esse ferendum, qui potestatem papæ neget. Revocare autem omnes uniones, nihil aliud esse, quam omnem mundi machinam evertere, et quod subter est, sursum ponere. Exemptos quoque privare suis privilegiis, omnino nihil aliud esse, quam nolle Pontificem posse aliquem ex unius episcopi gremio ad se transferre. Satis abundeque fieri, si in hoc, unde delinquendi occasionem percipere solebant exempti, canone provideatur, ut provisum erat. Nemo, ut episcopi auctoritate Aposto-

¹ To. I. L. IX. c. 2. num. 2.

lica quando sua non poterant) punire possent discipulos et delinquentes. Dictis omnium sententiis, cardinalis de Monte : Nisi, inquam, fiduciam in Domino habemus, malam omnino conjecturam facere oporteret de progressu hujus sanctæ Synodi videntes in principio Quadragesimæ, tam omnium pæne sensus irritatos, ut ne unum quidem verbum quisquam ferre possit, sed ut dixi, fidimus in Domino, et etiam in vobis, ut deinceps quietiores esse debeatis. Et certe si cum unus ex Patribus pro zelo suo contra aliquem loquitur, quod omnino temperate agendum est, alii silerent, non profecto in tantas rixas incideremus. Scilicet quod hæc perferuntur nedum ad Catholicos, sed etiam ad hæreticos, hujusque rei causa apud plurimos male auditur. Propterea obsecro Patres, ut deinceps omnia patienter ferant. Nos omnia etiam quæ Fesulanus dixit, boni consulimus, et credimus ipsum potius iudicio deceptum, quam sponte errasse, et propterea facile ignoscimus illi, dummodo in futurum a simili abstineat ; rogamusque Patres, ut dicta ad invicem sibi remittant, agantque ut episcopus deceat. Et ad Calagurritanum conversus : Non sunt, ut alias dixi, domine Calagurritane, tales nostræ aetatis homines, ut talem qualem vos cupitis, reformationem suscipere possint. Scio enim omnia a bono zelo proficisci, sed idem quoque bonus zelus est apud nos, sed sæpe recti specie plurimum homines decipiuntur ; inchoata est reformatio, et (Deo dante) perficietur, et talis quæ possit omnibus placere, sed omnia suo loco et suo tempore. Quod vero sæpius inculcatum est, et de cardinalium mentione faciendâ, proculdubio S. D. N. certior fiet. Mox cardinalis S. Crucis conversus ad Antonium a Camera (qui erat proximus episcopo Albiganensi et ad Alifanum illos leniter corripuit, admonuitque, ut deinceps minus hoc redarguendi præfatos non sibi assumerent. Si enim, inquit, nos hæc audimus et toleramus, qui legati sumus, et nihil minus quam vos Sedem Apostolicam diligimus, vos etiam tolerare potestis. Mox Fesulanum admonuit, ne toties repetitas canilenas cum offensione aurium omnium bonorum repeteret, hortatusque est illum, ad remittendam, si quam animi propter verba D. Alifani concepisset tristitiam. Et ita deinceps, et Fesulanus et Alifanus mutuis amplexibus sese exceperunt. Idem mox fecerunt Antonius a Camera et Castellamaris, quibus peractis reverendissimus de Monte restituit Fesulano suum libellum cum maxima Patrum consensione ».

33. Hic lectores animadvertant, Concilio homines, et non angelos interfuisse, nam etsi in sacra Apocalypsi¹, episcopi angeli appellen-

tur et angeli sint, tamen sunt ex carne procreati, et carne circumamicti : quod si inter sanctissimos Paradisi incolas dissensionis circa media (licet non circa finem) oriri possint, antequam Dei voluntas illis innotescat, ut clare ex Danielis² revelationibus nobis constat, non erit mirum in terris episcopos aliquos nonnunquam inter se dissensisse.

« Die sequenti, xxv ejusdem, fuit Congregatio³, in qua dixerunt sententias Patres illi, qui prius non dixerant, quæ parum, imo nihil ab illis, in priori Congregatione dictis fuere disserepantes. Deinde cardinalis de Monte : Consideravimus, inquit, et diligenter consideravimus vota Patrum super decretum de residentia in proxima sessione lectum, et invenimus plures esse eos, qui decretum simpliciter probaverunt : fuerunt triginta duo, quibus si addantur generales et abbates, sunt triginta octo. Qui autem dissenserunt, vel cum aliqua conditione decretum probaverunt, non sunt nisi viginti quinque. Et propterea pronuntiamus et concludimus, decretum fuisse obtentum et observandum, et quamvis ab initio fuerim alterius sententiæ, tamen admonitus a reverendissimo domino Giemensi, et etiam considerata rei qualitate, facile ex sententiâ discedo, et dico cum reverendissimo collega meo, decretum haberi pro expedito, et dandam copiam petentibus. Ad hæc, inquit Pisaurensis, indecorum valde erit Synodo, si lot nobis distinctum decretum edatur ; quamobrem statuatur, ut sine notis edatur. Cumque ea die et a diversis diversa preferrentur sententiæ, cardinalis de Monte dixit : Missa nunc faciamus ista, alias forte de hac re agetur. Nunc descendamus ad reliquorum canonum absolutionem, quod antequam faciamus, volumus vos certiores facere, jam per sanctissimum Dominum nostrum circa cardinales provisum esse, legitque alterum caput litterarum reverendissimi Farnesii, in quo continebatur, in proximo Consistorio statutum fuisse, ne quis deinceps cardinalis ultra unam oblineat Ecclesiam cathedrali ; qui autem nunc habent, illas dimittant infra sex menses, si Pontificis sit libera ejus collatio, si vero ad nominationem vel aliam dispositionem principum esset, infra annum ». Ista etiam adnotata sunt in Actis Consistorialibus² sub die xxvii Februarii hujus anni : « Legit deinde canonem, quo statuatur de qualitatibus assumendorum ad cathedrales Ecclesias, rogavitque an is Patribus placeret ? Et omnes responderunt, placet. Deinde legit canonem de submovenda pluralitate Ecclesiarum cathedralium, quod omnibus pæne placuit, si ea ederentur, quæ a Sanctissimo D. N. optimo de cardinalibus provisâ fuerunt. Quod a Giemensi

¹ Cap. 2.

² Dan. x. 13. — ³ Acta Concl. Ms. card. Spade tom. vii. — ⁴ Ms. card. Spade to. xxxviii.

primum, et deinde a plurimis firmatum fuit, paucis admodum exceptis, qui simpliciter canonem probarunt. Et ita, inquit cardinalis de Monte, ut placuit Patribus canonem aptabimus, ulinam ita in reliquis conveniamus. Legitque alterum caput, quo cautum est de qualitate promovendorum ad curata beneficia. Ad quod cardinalis Giemmensis respondit: Frustra esse membranas occupare repetitione antiquorum canonum, si nihil adderetur de novo, prout nihil addebatur. Cui Alifanus dixit: In hoc ultra jura antiqua provisum esse, ut etiam provisum a Sede Apostolica examinari possint, et si minus idonei visi fuerint, sacerdotiis privari, quod in antiquis canonibus cautum non erat. Si ita est, inquit Giemmensis, bene est, sed declaranter taliter verba, ut nemo de voluntate Synodi dubitet in futurum. Fuere deinde alii aptati canones plures, magno cum Patrum consensu.

31. « Die vigesima sexta Februarii, et ultima ejusdem mensis, et die prima et secunda Martii fuerunt Congregationes, in quibus cum maximo consensu Patrum fuerunt approbati canones, tam ad Sacramenta spectantia, quam ad reformationem. Die secunda Martii de sero hora vigesima prima fuit Congregatio generalis, in qua postrema manus canonibus de Sacramentis imposita fuit, et aptata fuere in eis ad viginti loca de Patrum consensu. Fuerunt nonnulli, qui prorogationem sessionis ad aliquod breve tempus desiderarunt, qui majori cum animi quiete et majori cum diligentia canones ipsi expediri possent, non tamen de hac re quidquam a presidentibus propositum fuit. Deinde cardinalis de Monte legit decretum de reformatione, quod ab omnibus probatum fuit; fuere ad decem, qui aliqua desiderarunt; Senogalliensis se aiebat probare canones, quatenus conformes essent canonibus sanctorum Patrum, et nihil iuribus DD. episcoporum præjudicaret. Claromontanus, providendum esse de præterito, et nominandos esse cardinales, et imitandum in hoc decretum Sanctissimi D. N. qui cardinalibus in suo sanctissimo de pluralitate Ecclesiarum decreto non pepererat. Fesulanus ut omnia episcopi suo jure agerent, desiderabat, non ut Apostolica Sedis delegati. Pacesis, itemque Asturicensis, et Calagurritanus addi in titulo desiderabant, *Universalem Ecclesiam representantes*, et exprimi cardinalium nomina, et provideri de præterito circa pluralitatem curarum beneficiorum, et insuper nullas amplius fieri annexiones perpetuas parochialium Ecclesiarum. Castellumaris canones, non autem decretum, se publicare dixit, quod perinde erat ac si dixisset, se neque titulum, neque verba illa probare, videlicet, *salvo Apostolica auctoritate*; quod et Lancianensis secutus fuit. Dimissa est Congregatio hora tertia noctis. Absolutis Con-

gregationibus celebrata fuit septima sessio; de qua sic Acta:

35. *Conones de Sacramentis et decretum spectans ad disciplinam Ecclesiasticam.* — « Die sequenti tertia Martii fuit sessio publica¹, in qua cantavit missam archiepiscopus Corcyrensis. Oratio habita autem non fuit, quia episcopus S. Marci, cui hoc munus mandatum fuerat, rancens adeo erat, ut vix loqui posset». Post consuetas caeremonias, episcopus Salpensis legit decretum sive canones de Sacramentis, per quae justitia vel incipit, vel coepa augetur, vel amissa recuperatur: concepta vero sunt hisce verbis:

« Sacrosancta Oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, ad errores eliminandos et extirpandas hereses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris hæresibus suscitata, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati et animarum salutis magnopere officiant: sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus atque aliorum Conciliorum et Patrum consensui inhaerendo, hos præsentés canones statuendos et decernendos censuit: reliquos qui supersunt ad cepti operis perfectionem deinceps, divino Spiritu adjuvante, editura.

DE SACRAMENTIS.

CANON I.

36. « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam Unionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquid horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta, a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia caeremonia sunt alia, et alii ritus externi; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine iis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet

¹ Ms. card. S. Marci, X.

omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

CANON VI.

37. « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divini promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unda ea iterari possint; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta faciunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum faciendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro-

libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

38. Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit*; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse verum Baptismum; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo; anathema sit.

CANON X.

39. « Si quis dixerit peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi, vel dimitti vel venialia fieri; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad penitentiam convertitur; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo intra fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut prestare omitti eorum baptismam, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie, anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrum eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistie aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec respiciant; anathema sit.

DE CONFIRMATIONE

CANON I.

40. « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentie proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis christiani virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinariæ ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit ».

41. Perfecto superiore decreto rogati patres singuli summa animorum consensione respon-

derunt per verbum *Placet*. Calagurritanus vero episcopus flagitavit adijci titulo has voces *Universalem Ecclesiam representans*. Postea Salspensis episcopus decretum spectans ad Ecclesiasticam disciplinam solutionem adstringendam perlegit et suggestit. In primis ut nullus ad moderandas cathedrales Ecclesias nisi legitimo conjugio procreatus, ætate matura, morum gravitate et scientia ornatus præficeretur.

Secundo, ut nullus quacumque dignitate conspicuus ac præcellens plures cathedrales Ecclesias quovis titulo vel prætextu obtineat.

Tertio, ut Ecclesie, quibus animarum cura conjuncta est, viris dignis atque idoneis probitate et doctrina instructis tradantur, et residere in iis cogantur.

Quarto, qui plura sacerdotia gerunt, quæ ab eodem jure nequeunt possideri, retenito uno, alia dimittere jussi sunt.

Addita sunt alia undecim capita que in Actis Concilii avidus lector consulere potest.

Rogati Patres, an hæc decreta placerent, quinquaginta ea comprobarunt; tredecim vero alia quædam addenda, de quibus actum erat in ultima Congregatione, flagitarunt. Interfuere huic Sessioni tres cardinales, archiepiscopi novem, episcopi quinquaginta: duo abbates mitra ornati, religiosarum familiarum quinque præfecti generales: de quibus petente Severolo promotore Concilii publica Instrumenta confecta sunt: proxima vero Sessio ad XXI Aprilis indicta est.

42. *Peste Tridenti saciente, transfertur Concilium Bononiam.* — IX Martii, die Mercurii, Congregatio generalis habita est, in qua plures Patres de sacramentis suam sententiam dixerunt: quibus dictis, cardinalis e Monte significavit Patribus grassari Tridenti morbum pestilentem pestisque prænantium, dictum lenticularum, quo affecta corpora maculis instar lenticularum aspersa apparent; quas maculas appellant medici *pettechias*, quod plerumque pectora inquinant; discessisse Tridento duodecim prælatos, partim se insalutato, partim petita a se ad non obtemperandi facultate, hesternaque die plures præsules Caputiaquensis episcopi morte perturbatos ad se contulisse, ac denuntiasse Tridento discessuros, ut vite consulerent, rogatos vero ut differrent discessum, donec de ea re ad Synodum relatum fuisset. Addidit legatus se in hac rerum difficultate nullius opinionis vel consilii velle auctorem fieri: sed eam sententiam, quam Synodus amplectatur, secutum; dummodo Christiana reipublicæ et Synodi salutem consulat, nec Concilium dissolvatur.

Dicturus sententiam cardinalis Giennensis subiecit gravissimam questionem de translatione Concilii, vel de discessu Patrum et Concilio proposam, sequi non perspicere, an ea, Pontifice et Cesare ac principibus Christianis

inconsultis, traelari vel dirimi possit; atque adeo rem perdifficilem in dies aliquot differendam, ut prudenter deliberari possit, intereaque Pontificem Casaremque consulendos.

Sententiam cardinalis Giennensis seculi sunt Hispani omnes, et cum iis consenserunt archiepiscopus Turritanus, et Panormitanus, ac episcopi Caestanus, Fesulanus, Sancti-Marci, Syracusanus, et alii nonnulli. Vicit tamen contraria sententia, ut discendum omnino esset. Succlamabant enim Materandus et cum eo plures non expectandam esse pestem, quandoquidem sufficit sola pestis suspicio, ne alioquin tarda sint remedia.

« Commemoratumque fuit a nonnullis, quod cum anno præterito duo peste peritissent in oppido Rovereti, clausæ fuerunt Tridentis omnes vicinarum civitatum portæ, interdictumque fuit omnino commercium, unde accidit, ut non pauci ex his Patribus, qui eo tempore discesserant a civitate Tridentina, nullibi in terra Venetorum hospitio reciperentur; quamobrem sub dio pernoctarunt, non sine maximo vitæ periculo. Additum est præterea, hesternò die septem in eadem civitate sepultos fuisse; et ultra quadraginta reperiri eodem morbo laborantes. Eorum autem, qui discendum esse arbitrabantur, divisa erat sententia, quoniam nonnulli suspendendum esse Concilium aiebant; alii concedendam esse Patribus licentiam ad aliquot menses; alii transferendum esse Concilium dicebant; multæ in his sententiis difficultates sese offerebant. Nam per suspensionem, si fieret ad certum tempus, non satis rebus consulebatur, quia possibile esset, ut finito suspensionis tempore, adhuc duraret aeris intemperies. Si vero suspensio ad certum tempus non referretur, videretur potius dissolutio, quam Concilii suspensio, quod et eveniebat, si Patribus daretur licentia discendendi quo vellent. Translatio improbari non posse videbatur, sed locus, quo Concilium transferendum esset, non minimam difficultatem habebat, quoniam ad alienam civitatem, sine principis illius sententia accedere, præter id quod indecorum erat, etiam periculosum, ne ipse cuius esset civitas, nollet Concilium admittere, et nullum datur tempus, quo consuli possit. Deinceps iterum cardinalis Giennensis eadem pæne, quæ antea dixerat, replicavit, addens, plures quidem causas a pluribus allegatas fuisse, quare discendum esset, si veræ essent, ut proponebantur, idoneas posse judicari ad Concilii translationem: verum non esse de facili credendum omnibus, et eo minus, quoniam ea quæ dicebantur, in facto consistebant, de quorum veritate una die constare non poterat; propterea si quid agendum erat, ita ageretur, ut ablato quodammodo velo, ut aiunt, tanta res agi videretur. Fuerunt aliqui, qui legatorum sententias se adjuutores libenter affir-

marent ». His dictis, cardinalis de Monte: « Audite sunt, inquit, Patrum sententiæ, et licet longe major fuerit pars eorum, qui discedendum esse ab hoc loco quamprimum arbitrantur, et propterea secundum eorum sententias concludi posset; tamen quoniam res gravis est, et quoniam non adhuc planum est, quo abeundum sit, videtur nobis, pro rei gravitate, audiendos iterum esse Patres, qui hic ad diem crastinum cogitare poterunt super his quæ a Patribus dicta sunt, et sic sacra Synodus cavere, postpositis omnibus humanis affectionibus. Hoc interim volumus scire Patres, nos non recusare licet permanere cum nostræ vitæ periculo, quamvis maximo, si reliqui Patres nobiscum permanent; verum si major pars discesserit, nos hic cum minore parte Patrum permansuros non esse ».

13. Die sequenti eadem hora fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte: « Cogimur, inquit, ea, quæ in hesternâ Congregatione gesta sunt, summam repetere; diximus enim, plures ex Patribus post Sessionem celebratam recessisse, partem nobis insciis, multos præterea nudius tertius testatione nobis firmasse, se omnino discessuros esse, propter hanc influentiam, sive morbum. Quamobrem a nobis accitis medicos esse, ex quibus multa de hujus morbi evidentiâ audivimus, quæ quoniam non contemnenda videbantur, ad vos retulimus, quod cum causa communis esset, et videremus ex hac Patrum profectione Concilium dissolvi, existimasse ad officium nostrum pertinere, Patres de his omnibus admonere, et insuper rogare, prout rogavimus, ut omni humano affectu deposito, et solum Deum præ oculis habentes, sententiæ prout unicuique Spiritus suggesserit, pro communi securitate et Concilii conservatione dicerentur. Diximus etiam nos auctores aut persuasores esse nolle alicujus consilii vel deliberationis, sed omnem super hac re deliberationem liberam et integram Patribus relinquere, protestantes omni vitæ discrimine neglecto, paratos esse remanendum hic usque ad finem Concilii, si Patres vellent manere nobiscum, de quibus omnibus vos, Patres, testis estis. Consideratis Patrum sententiis, invenimus longe majorem partem stare, ut ex hoc loco discederetur: pro gravitate rei visum est nobis conclusionem differendam usque ad præsentem Congregationem, et interim rogavimus Deum ex toto corde ad inspirandum illud consilium, quod magis conveniret Republicæ Christianæ. Restat nunc discutiendum de modo discendendi, ita ne Concilium dissolvatur, qua de re aliqui putabant transferendum, aliqui suspendendum esse Concilium, aliqui dandam esse licentiam Patribus, ut possint secedere ad loca vicina, non tamen ultra duas vel tres dictas, et ibi expectandam deliberationem Sanctissimi Domini

nostrum super loco : aliqui putabant retardandam esse deliberationem ad aliquod tempus, donec Sanctissimus Dominus noster et Caesar consulerentur : acclamantibus vero aliis et dicentibus, vim et genus morbi tale esse, ut nullam pateretur moram, nos quamlibet deliberationem probare cupimus, dummodo Concilium non dissolvatur, et quia multi rogaverunt nos heri, ut vellemus super hac re aperire mentem nostram, libere proferemus id quod nobis occurrit, repetentes id quod a nobis sepe dictum est, omnem nostram curam et sollicitudinem ad id tendere, ut Concilium conservetur, quamobrem non satis probare possumus Concilii suspensionem, quoniam suspensio ipsa in hominum opinione haberet speciem dissolutionis. Primum igitur quod sese offert nobis est, ut presupposita protectione et discessu ab hac civitate, ut majori parti Patrum placuit, designemus locum, in quo certi simus Concilium recipiendum esse : secundum, quod locus sit huic civitati propinquus quantum fieri potest, non solum pro majori commoditate hinc recedentium, sed etiam pro majori facilitate redeuntium ad hanc urbem, si quando, cessantibus impedimentis quae nunc urgent, videretur Sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniae Concilium esse in hanc civitatem reducendum : tertium, quod locus sit capax, habeat salubritatem aeris et copiam rerum humano victui necessariarum, ut uno nos absolvamus verbo, sola Bononia videtur nobis huic intentioni accommodata. Non dubitamus quin ibi recipiamur, cum magna gratulatione et veneratione, de illius civitatis dotibus disserere supervacaneum esset, cum omnibus palam sit paucis admodum Italiae civitatibus secundam esse. Itaque putamus posse a nobis commode statui, Concilium illuc transferendum, et ibi celebrandam esse sessionem a nobis indictam pro XXI Aprilis, et proserutioni Concilii incumbendum ad beneplacitum Sanctissimi Domini nostri, et donec et quousque aliter Sanctitati Suae et sacro Concilio providendum et decernendum videbitur.

41. « Hoc enim pacto videtur satisfieri quodammodo iis, qui volebant Patres ultra tres dietas ab hac civitate non abesse, et nullum scandalum in populo generabitur. Quod recedant qui voluerint recedere et remanent, qui voluerint remanere, hoc nos prohibere non possumus. Poterunt igitur Patres dicere sententiam. An placeat eis Concilium Bononiam transferri, et ibi celebrare jam dietam sessionem, et deinceps ad ulteriora procedere, usque ad beneplacitum sanctissimi Domini nostri et Sedis Apostolicae, donec aliter statutum fuerit per

Sanctitatem Suam et ipsam Sedem Apostolicam, accedente consensu sive approbatione majoris partis Concilii ». Quibus ab eo graviter explicatis cardinalis Giennensis : « Quanto, inquit, majore studio et diligentia potui, quantumque mihi propter temporis penuriam datum est, evolvi libros de materia translationis loquentes, eorum nemo non fatetur articulum ipsum gravissimum esse, et plures sunt qui hoc esse de reservatis papa fatentur, et propterea nescio quomodo nos sine auctoritate expressa sanctissimi Domini nostri hoc nedum facere, sed etiam tentare possimus. Sciunt enim omnes Patres, quanto labore quantisque vigiliis tandem factum sit expectente serenissimo Carolo imperatore ut Concilium hic haberetur, et deinceps quamdiu hic permanerimus, antequam Concilium aperiretur et debitum haberet progressum, quod quo magis notum est Patribus, eo minus mihi laborandum est, ut ostendam vobis et invictissimum imperatorem, et reliquos principes Christianos hanc nostram protectionem, et si modo hinc abierimus, non requo animo laturus, eoque minus ab omnibus probabitur protectio Concilii, quoniam nullam habemus proficiscendi legitimam causam. Nam morbus iste punctularum, qui praelenditur, si vera essent, quae a multis heri dicta fuerunt, fortasse legitima causa abeundi esse posset, sed maximam ego pro mei informatione diligentiam feci, ut invenirem veritatem tam eorum, qui ex hoc morbo perierunt, quam infirmorum; de mortuis quidem testantur parochi, qui medio juramento testantur, paucos admodum morbo defunctos esse, et inter ceteros parochus sancti Petri, vir fide dignus, juramento firmavit, in sua parochia, quae valde ampla est, toto hoc mense non nisi duos defunctos esse, alterum quidem infantem, alterum vero hydropsi laborantem. Infirmi quoque diligenter perquisiti sunt, nec inventi sunt in tota hac civitate plusquam tringula quinque infirmi, quorum quatuor vel quinque ad summum hoc punctularum morbo laborant. Quamobrem non video quomodo causa ista descendendi legitima videri possit. Si tamen aliquis de his, quae a me dicta sunt, dubitat, possunt eligi per sanctam Synodum tres vel quatuor praelati, qui de praemissis se diligenter informet et ad Synodum referant. Quod enim ad medicorum iudicium attinet, se contraria ex medicis hujus civitatis intellexisse.

45. « Sed esto, quod causa quae praetenditur manifesta esset, adhuc non posset Concilium transferri, nisi omnes consentiant. Et propterea, cum ego unus dissentiam, translatio fieri non potest. Et tamen perpetuis temporibus constet me translationi hujusmodi non consensisse, in hac schedula, quam registrari peto, meam sententiam exposui. Melius igitur erit

1 Acta Cong. Conc. Trid. Ms. Franc. card. 10. her. sign. num. 2978. p. 219.

meo iudicio, ut expectetur per tres vel octo dies, donec habeantur litterae a Casare et sanctissimo Domino nostro, quos certi esse possumus, non esse huius mentis ut velint eum vitæ discrimine hic nos permanere. Et interim cogantur praelati sub gravissimis penis, ne discedant ab hac civitate, donec aliter delibetur. Illud non prætermittam, medicos huius civitatis rogatos fuisse a Fracastorio, ut se subscriberent ejus sententiæ, et id facere recusasse, quoniam sibi non videbantur vera ea, quæ ab ipso Fracastorio in scriptis redacta erant.

« Cui cardinalis Sanctæ-Crucis: Hoc, inquit, quod medici Tridentini dicunt, verum non est. Mox cardinalis de Monte: Pauca adhuc me dicere necesse est. Nam quoad infirmos et mortuos attinet, quid opus est amplius querere, cum cæmeteria jam omnia pro mortuorum multitudine defossa sint; et Tridentini cives, ne tot quotidie mori intelligerentur a nobis, prohibuerint pro mortuis campanas pulsari, proptereaque mortuorum corpora noctu eleruntur, ne sciamus stragem huius contagionis, antequam nos occupaverit. Quod medicos attinet, non esse comparandos huius civitatis medicos cum Fracastorio, ejus fides a Concilio jam probata est, et eo maxime, quod apud nos istorum fides suspecta non parum est ex justissimis causis, verumtamen scimus se subscripturos fuisse dictis per Fracastorium, nisi quibusdam rationibus Patribus notis detenti fuissent; quæ autem dicta fuerunt de auctoritate sanctissimi Domini nostri, satis adesse ejus auctoritatem ubi legati ejus adessent. Quod autem requiratur in translatione omnium consensus, se non invenisse apud graves auctores, nisi cum translatio fit absque aliqua causa: quod autem jubeamus majori parti ne discedat, non sat scimus quo jure facere possimus, cum teneamus hæc in re sequi majoris partis sententiam, eo maxime, quo quis non est cogendus invitus ad permanendum aliquo in loco cum suæ vitæ discrimine. Ad hæc Giennensis inquit: Unum verbum tantum addam, videlicet, quod consentire translationi Concilii est de reservatis papæ, et propterea ad hoc speciali mandato opus est. Dixerunt deinceps ordine reliqui Patres sententiam. Quorum decem et sex, vel decem et septem ad summum, secuti sunt Giennensis sententiam, pluresque eorum eo sub prætextu Giennensis sententiæ inhærebant, quoniam aiebant sibi non constare de voluntate Pontificis, ejus voluntas si perspecta illis esset, se ab eo, quod sanctissimus Dominus noster juberet, ne latum quidem unguem discessuros. Et cum haberent, uti inferius videbitur, Bullam facultatis Concilii transferendi, legati illam tunc non publicarunt, ut Patribus libertatem dicendi non adimerent. Addidit episcopus Castellimaris, et post eum Pacensis, Asturicensis et Oscen-

sis, se testatione firmare, ut nullus omnino discederet ex hac civitate; quod si discesserit, se protestari, remanere et remansuram semper apud eos, qui remanerent, omnem Concilii auctoritatem et potestatem. Qua de re libellos sive chartulas quasdam secretario registrandas tradiderunt, in quibus eorum sententiæ scriptæ erant. Cæteri omnes uno ore consilium reverendissimorum legatorum probarunt, nec defuerunt qui responderent Hispanis et cardinali Giennensi, dicentes protestationes hujusmodi nullum habere robur, quoniam contra jus factæ erant. Alii adlaborarunt ut ostenderent, in casu inopinato, maxime licere Concilium et transferri et suspendi, etiam absque auctoritate Sedis Apostolicæ. Duo, qui hesternæ die cum Giennensis sententiæ fuerant, sententiam mutarunt, laudantes Concilii translationem: hi fuere Hispalensis archiepiscopus et episcopus Calesfanensis, et torte alii. Dictum fuit a nonnullis, adeo rem instare, et periculum esse in mora, ut bonum esset confestim accedere ad Ecclesiam, et ibi celebrata parva missa de Spiritu sancto in arena capere consilium. Quod et multi Hispani, et in primis episcopus Castellimaris probare videbantur. Sed hoc minime Giennensi placebat, ejus opinionem secuti sunt etiam legati, nedum propter horæ tarditatem, sed ne tumultuaria protectio videretur. Omnium sententiis explicatis, cardinalis de Monte: Non est, inquit, cur hic amplius laboremus, hora duodecima ibimus in Ecclesiam, et ibi celebrata Missa, et factis aliis de more invocationibus, orabimus ad Paraclitum illum Spiritum sanctum, qui devote invocantibus non deficit: hoc iterum edicimus: nos nullo modo cum decem vel viginti prælatis hic permansuros esse, verum si omnes permanere voluerint, nos libenter permanebimus, omni vitæ periculo posthabito ».

46. Undecima Martii octava Sessio habita est, in qua ob morbum epidemicum, qui Tridentum et vicina loca invaserat, Concilium Tridentum Bononiam translatum est, qua auctoritate legati instructi fuerant Diplomate Pontificio, ejus Sessionis Acta compendio contracta referuntur in Actis typis excusis. Cum vero ex ea translatione maxime controversiæ exarsent, non sine gravissimo schismatis terrore et incremento hæreses, ipsunque Concilium interitum sit, Insus repetenda Acta ex Ms. Archivi Vaticani ab Angelo Massarello¹, qui Concilio, ut sæpe diximus, a secretis erat, conscripta, ex quibus nonnulla visa sunt ad rei gestæ veritatem in sua luce collocandam decerpenda:

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno a Nativitate ejusdem MDCXLII. In-

¹ Ang. Mass. Scrp. in Actis Ms. Sess. 8. Ms. Ch. V. sign. num. 3190. p. 182. Ms. ejusd. a. 1. c. 12. num. 3242. p. 313.

dictione v, die vero Veneris undecima mensis Martii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli divina providentia papæ III anno XII. Convenerunt in Ecclesia Cathedrali Tridentina sub invocatione S. Vigili in loco ad Sessiones habendas et Concilium celebrandum deputato, pro Sessione habenda ad infrascripta, reverendissimi et illustrissimi domini Joannes Maria episcopus Prænestinus de Monte, et Marcellus tit. S. Crucis in Hierusalem presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ipsius sacri Concilii præsentibus et Apostolici de latere legati, necnon reverendissimi et illustrissimus dominus Petrus Pæceus cardinalis Giennensis, et reverendi domini archiepiscopi, episcopi, abbates, et Generales ordinum infrascripti, ubi reverendus in Christo Pater et dominus episcopus Britenoriensis cantavit Missam solemnem de Spiritu sancto. Qua finita, tam prædicti reverendissimi et illustrissimi domini præsentibus et legati, quam cæteri prælati omnes acceperunt solita paramenta et mitras : deinde per reverendissimum et illustrissimum Carolum de Monte præsentem et legatum præfatum decantatae sunt orationes et preces in publicis Sessionibus cantari consuetæ, ac solite cæremonie de more peractæ sunt, invocato etiam auxilio sancti Spiritus per Hymnum, *Veni, creator Spiritus* : et decantatis a cantoribus Concilii Litanis, et per Diaconum Evangelio, *Evangelio docte omnes gentes* Matt. x etc. quibus omnibus completis, et ipsis reverendissimis et illustrissimis dominis præsentibus et legalis sedentibus ante Altare majus versa facie ad Patres Concilii, præfatus reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte legatus et præses, alta et intelligibili voce ex scripto recitavit, et legit de verbo ad verbum », ea quæ in duabus proximis præcedentibus Congregationibus ad prohibendam imminuentem dissolutionem Concilii, et ad ejus conservationem, prosecutionem, necnon pro communi salute et vite securitate acta fuerunt.

17. Deinde subjecit, auditis Patrum sententiis : Diximus quantumque provisionem et deliberationem nos probare posse, dummodo Concilium non dissolvatur. Et quia multi rogaverunt nos, ut vellemus super hac re aliquid lumen eis præbere, cum quo possent in hac repentina necessitate dirigere sententias suas; repetentes illud, quod antea sepe dictum fuerat a nobis, scilicet omnem nostram curam et sollicitudinem ad id tendere, ut Concilium conservetur, et summum possit habere progressum, subjunximus nos satis et indequaque probare non posse suspensionem, cum suspensio ipsa habitura esset speciem dissolutionis, saltem quoad hominum opinionem.

Primum et præcipuum, quod sese in tota hac ratione aut discursu offerret nobis, ut post-

quam tot Patres perseverabant in suo discedendi proposito, et nullis persuasionibus adduci poterant, ut per brevissimum saltem temporis spatium nobiscum remanere vellent, et erant in tanto numero, ut longe majorem partem Concilii facerent, designarem locum, in quo certi essemus Concilium ipsum constitui posse, et Patres omnes, sine aliqua contradictione seu difficultate, ibidem esse recipiendos.

Secundum, quod locus ipse esset huic civili propinquus, quantum fieri posset, saltem pro majori facultate redeundi ad hanc urbem, si quando, cessantibus per Dei gratiam impedimentis quæ nunc urgent, videretur Sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniæ Concilium esse in hac civitate reducendum et reponendum.

Tertium, quod locus ipse esset capax, haberet salubritatem aeris, copiam rerum, quæ sunt humano usui et victui necessaria, et alia requisita : et ut uno nos absolveremus verbo, solam Bononiam a pluribus nominatam videri nobis his omnibus intentionibus accommodatam : non dubitare nos quin ibi recipiamur cum magna omnium illorum civium gratulatione, et veneratione erga singulos Patres. De illius civitatis dotibus disserere supervacaneum esse, cum paucis civitatibus Italiæ posthaberi possit, viderique nobis hac via satisfieri illorum opinionum, qui volebant Patres non abesse ultra tres dietas, cum non multo longiori itinere distet Bononia, itemque Sanctissimi Domini nostri deliberationem expectari, non dissolvi Concilium, non generari scandalum in populo Christiano, non omitti celebrationem sessionis jam indictæ, et reservari deliberationem Sanctitati suæ pro subsequenti tempore, vel in eodem loco, vel in alio, vel etiam in hac ipsa civitate Tridentina. Denique si Concilium conservetur et manteneatur, omnia bona sperare nos posse; si dissolvatur, omnia mala perlimeri : quod recedant qui velint, et eant quocumque velint, et remaneant qui voluerint remanere, nullo modo nos prohibere posse.

18. His a nobis expositis, Patres omnes dixerunt sententias suas, et pro longe majori parte concordæ et conformes fuerunt. Quibus auditis diximus, et pro gravitate eorum, quæ decernenda erant, dignum et æquum esse, ut omnis nostra in hac re deliberatio ab invocatione divini numinis initium sumeret : et propterea alta voce monuimus omnes, ut hoc ipso die et hac hora ad hanc Ecclesiam in paramentis consuetis convenirent, lacturi eam deliberationem, quam Spiritus sanctus mentibus Patrum inspiraret. De his omnibus estis vos, Patres, coram Deo et hominibus locupletissimi testes : audietis etiam ea, quæ proferet dominus promotor Concilii in hac materia.

Et statim ipse promotor dixit : Reverendissimi et illustrissimi domini, et amplissimi

Patres. Cum audivissem in Congregationibus proxime factis aliquos Patres desiderare fieri aliquam investigationem super hac infectione et suspicione, examinavi tam ex officio, quam ex commissione et mandato reverendissimorum et illustrissimorum dominorum legatorum nonnullos testes super quibusdam articulis, quos peto recipi et admitti. Et reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte praesidens et legatus dixit: Placet quod legantur? Et omnes Patres responderunt: Legantur, etc.

Concepti erant ii articuli de morbo epidemico contagioso dicto punctularum, qui ab excurrente mense Tridentinam urbem ac finitima loca invasisset, atque episcopum Caputagensem, et Generalem Observantium, et Balduinum canonicum, et plures alios extinxisset, deque gravibus ejus morbi symptomatibus, ex quibus qui evaserant aut stolidi aut capti oculis manerent, deque gravissimis periculis in quibus versarentur Patres, si is morbus in pestem, uti calore aucto fieri solet, descideret; quadraginta et amplius eo morbo Tridenti laborare, nec medicos accersitos velle accedere ad invisendos aegros, ac de ea re festinum dicta relata sunt. Fracastorii et Balduini medicorum testimonia quae ex parte fuisse fallacia secutus rerum exitus comprobavit, quibus perlectis addunt Acta¹:

« Successive ipse reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte praesidens et legatus praefatus versus ad ipsos Patres dixit: Reliquum est ut nunc super decreto ex mente majoris partis Patrum concepto et formato sententias vestras libere dicatis, et nulla mora interposita legit alta et intelligibili voce decretum ipsum subsequentis tenoris:

49. « Placetne vobis decernere et declarare de hujusmodi morbo ex praemissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut praefati in hac civitate sine vite discrimine commorari, et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? Itemque attentio recessu multorum praelatorum post proximam praeteritam sessionem, et attentis protestationibus aliorum complurium praelatorum in Congregationibus generalibus factis hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non possunt, et ex quorum discessu Concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate praelatorum bonus ejus progressus impediretur, et attentio etiam imminenti periculo vite, et aliis causis per aliquot ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis? Placetne vobis similiter decernere et declarare pro conservatione et prosecutione ipsius Concilii, et securitate vite ipsorum praelatorum, Concilium ipsum ad civitatem Bononiae veluti ad locum

magis paratum, salubrem et idoneum pro tempore transferendum esse et ex nunc transferri, et ibidem sessionem jam indictam statuta die vigesima prima Aprilis celebrandam esse et celebrari, et successive ad ultiora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro et sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invicissimo Casare, Christianissimo rege et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit et debeat? Responderunt: Placet.

50. « Quo decreto lecto², unusquisque etiam interrogatus singulariter a me Angelo Massarello secretario Concilii una cum D. Claudio de la Casa ipsius Concilii notario, dixit alta et intelligibili voce sententiam suam in hunc qui sequitur modum, videlicet reverendissimis et illustrissimis dominis praesidentibus et legatis placet decretum, et omnia alia adducta et probata, tanquam vera et legitime approbata. Reverendissimus cardinalis Giennensis dixit, non sufficere allegata per promotorem, quia eorum majorem partem scit esse falsam: fit contra jus translatio, cum nulla sit causa legitima transferendi in eandem provinciam; et si esset transferendum, esset juxta formam Concilii Constantiensis transferendum, quare protestatur se non assentiri translationi; posset tamen sessio prorogari. Reverendus dominus archiepiscopus Spalatensis dixit: Placent decreta. Reverendus dominus archiepiscopus Turritanus dedit schedulam infrascripti tenoris: Quia proposita translatio Concilii ad civitatem Bononiae ab hoc loco, in quo legitime in Spiritu sancto congregatum et inchoatum existit, videtur mihi coram Deo verisimiliter allatura scandalum et perturbationem reductioni errantium Germanorum, et paci ac unitati Ecclesiae, haeresumque illarum extirpationi propter quod conventus in hoc praecipue loco celebratur a sacri imperii ordinibus acceptato, id quod maxime hoc tempore speratur, quo pacata et subacta provincia, jam rerum pofiliter Catholicus imperator, et ad religionis praesertim negotia, de quibus agimus, dictam indixit, cui vel hoc nomine parum commodos non dubito nos futuros, nedum nobis ipsis importunos, cum hoc praesertim tentari videam sine scientia et voluntate sanctissimi Romani Pontificis, quo mandante, huc convenimus, ejus speciale oraculum res hujusmodi desiderabat: ideo non probatur mihi, nec placet, sed neque credo de jure licere hoc Patribus, inconsulta Sua Sanctitate praefata, et propter rationabilem contradictionem etiam minoris partis, praesertim quia numerus non in tantum excedit, ut excludat alias juridicas considerationes, quas non impedit medicus excessus in numero, in

¹ Ed. in Act. typis excusis.

² Ms. sign. num. 3190, p. 191.

quo neque in multitudine, sed ratione vincendum est, et alias timori ac salutí Patrum per prorogationem indictæ sessionis ad certum tempus, vel ad beneplacitum Sanctitatis Suae et sanctæ Synodi circa Concilii dissolutionem vel coactionem, opportunius poterat esse consultum, etiamsi causa contagionis præterita legitima foret, et juridice ac mature discussa fuisset, nec in controversiam vel dubium verteretur.

Subdunt Archiepiscopos Antifabensem, Materanum, Naxiensem, Hispalensem, Armacanum approbasse eadem decreta, Panormitanum vero dixisse: « Non placent quousque papa et imperatoris voluntas habeatur ».

51. Rogate deinde sunt episcoporum sententiæ, quorum primus Scogadiensis ita fatus est: « Probo decretum et translationem ad beneplacitum Sanctissimi Domini nostri, et hujus sacri Concilii ob urgentem necessitatem, adhibito si opus est! singulari cujusque nostrum juramento huc revertendi, quoadcumque Suae Sanctitati et sacro Concilio pro rebus religionis videbitur expedire, si quo modo possimus reverendissimos dominos Hispanos fratres nostros inducere ad conveniendum nobiscum: quod si nolint, et ex hoc timendum sit de aliquo schismate, censerem quod potius hic moremur omnes, quam quod hodie occasione schismatis præberemus in Ecclesia Dei ».

At episcopi Aseulanus, Feltrensis, Aciensis, Melitensis, Iserniensis, Placentinus, Torcollanus, Sibiricensis, Albensis, Vasionensis, Emoniensis, Tarvisinus, Parentinus, Molonensis, Salutiensis, Milonensis, Capranus, Vigorinensis, Corsulanus, Bellicastrensis, Brilimoriensis, Pisariensis, Famaugustanus, Albiganensis, Narniensis, Alphanus, Minoricensis, decreto assensere: necnon abbas Cassinensis, ac tres Generales Ordinum. Ex episcopis vero hi repugnarunt, in primis Gadicensis dixit: « Placuisse quod antequam de translatione Concilii quidquam deliberatum esset, quod pro humilitate et reverentia, quam Summo Pontifici domino debemus, Sanctitatem Suam consultissemus: tamen si reverendissimi domini presidentes in hoc mentem Sanctitatis Suae sciunt, sum in sententia Patrum, qui volunt Concilium Bononiam transferri. R. D. episcopus Sancti-Marci dedit schedulam: Ego persisto in hesternâ sententia, et dico me nullo pacto assentiri huic translationi, propterea quod causa non videtur justa, et idonea, et quia sit inconsulto Sanctissimo Domino nostro, inconsulto Casare et Christianissimo.

« R. D. Archiepiscopus Rossanensis: Non probo causam translationis, et persona examinatae sunt suspectæ: et propterea non placet translatio, quia non constat de voluntate papæ, de qua si constaret, placeret.

R. D. episcopus Castellimaris: Non placet,

quia reverendissimi domini legati non ostenderunt habere potestatem transferendi, et permanentes sunt obedientes Suae Sanctitati, et placet sententiæ reverendissimi domini cardinalis Giennensis: si autem constaret de mandato Sanctissimi Domini nostri, obedirem. Episcopus Agathensis non probat, neque reprobat: hoc tantum, ut Synodus faciat quod Ecclesiæ et reipublicæ Christianæ est expediens.

« R. D. episcopus Lancianensis dixit: Non placet, cum non sit causa legitima: præsertim cum sine consultatione Sanctissimi Domini nostri, et reverendissimi domini legati non habeant potestatem.

« R. D. episcopus Syracusanus dedit schedulam: Nullo modo mihi placet translatio Concilii, cum nulla subsit causa legitima seu legitime probata, et quæ allegatur est levissima, cum revera panem infunderentur in civitate ista, et ex illis quasi nullus moritur: nam rem agimus magnæ importantiæ de statu totius Christianæ religionis, et si Concilium hoc est per tot annos desideratum, et tantis laboribus tandem per Sanctitatem D. N. congregatum, accedente etiam assensu et voluntate Casaræ Majestatis et Christianissimi regis, ac aliorum principum, nullo modo debuit ita præcipitanter transferri, nisi prius consulto Sanctissimo Domino nostro Pontifice Romano, et Casaræ majestate, et reliquis principibus Christianis: quod per breve tempus fieri poterat. Propterea nisi prius consulatur Sanctitas D. N., Casaræ majestas, Christianissimus rex et reliqui principes, ea via qua de jure possum et deo, protestor me non consentire recessui, nec translationi, nec mutationi Concilii.

« Pæcensis episcopus addit: Non placent informationes promotoris, neque translatio, præsertim cum non constet de mandato Pontificis.

« Subjectit Asturicensis: Non placent probationes, quia non sunt factæ auctoritate judiciali: neque placet translatio, cum non appareat de voluntate Sanctissimi Domini nostri. Neque placet locus, quo transferretur, quia non est liber. Quod si aliter constaret de voluntate Sanctissimi, essem paratus obedire.

« R. D. episcopus Calagurritanus dixit: Non placet decretum, et causa non est sufficientis in re tanti momenti, maturius esset deliberandum et non ita timide et præcipitanter procedendum.

« R. D. episcopus Canariensis dixit: Numquam placuit, neque placet, quia causa non est sufficienter probata: et quia neque papa neque Casar fuerunt consulti; quare expectetur donec ipsi consulantur ad minus per octo dies ».

52. Dictis omnium sententiis, tisque per secretarium alta voce recitatis, petiit cardinalis Giennensis, ut et ipsi legati dicerent sententiam. Cui cardinalis de Monte: « Ego inquit post-

[1. E. A. v. en un V. s. c. ex coll. de Bull. post Sess. 7.

quam translationem Concilii nedum a majori parte, sed etiam a duobus ex tribus partibus abunde probari video, ut Apostolicæ Sedis legatus, et episcopus, et ut cardinalis translationi consentio, et ita in nomine sanctæ et individua Trinitatis Sessio jam indicta habebitur Bononiæ die ipsa XXI Aprilis, et ut Patres cognoscant, quam sincere, quam simpliciter semper in usus Concilii processerimus, et quantum libertatem ejusdem Concilii semper fecerimus, ad eorum maxime consolationem, qui dixerunt se consensuros translationi, si sibi constaret de auctoritate papæ nobis ad hoc concessa, sciant Patres nos ab initio nostræ legationis habuisse a sanctissimo Domino nostro facultatem transferendi Concilium, quemadmodum in Bulla ejus nobis concessa mox apparebit, quam quidem Bullam hæcenus nolimus legi, ne honor, qui debite defertur ab omnibus ipsi Sedi, fraheret fortasse aliquis ad consentiendum in id, quod alias facturi non essent: ea, si placet, legetur? Cumque id omnes uno ore petiissent, Angelus a secretis legit Bullam ipsam, in qua cardinalibus de Monte, Sanctæ-Crucis, et Anglico, vel duobus ex ipsis dabatur potestas a sanctissimo Domino nostro transferendi Concilium auctoritate Apostolica, si quando vel peste, vel bello, vel alia justa causa Tridenti esse non possent. Qua Bulla lecta, idem cardinalis de Monte admonuit omnes prælatos præsentés sub pœnis et censuris in ipsa Bulla expressis, ut eadem die XXI Aprilis Bononiæ ad celebrandam Sessionem indictam adessent. Qua Bulla lecta, Giennensis et omnes, qui cum eo senserant, obmutuerunt, Giennensis tamen petiit tam Bullæ quam aliorum gestorum sibi fieri copiam. Mox Hercules Severolus promotor Concilii petiit de omnibus et singulis gestis in sancta Synodo per notarios et protonotarios Concilii fieri unum vel plura, publicum seu publica Instrumenta.

53. Refert auctor Diarii ¹ Concilii Tridentini ex litteris XXII Martii Roma Bononiam transmissis, consultum fuisse antea a cardinale a Monte Pontificem de transferendo Concilio: sed adeo vehementi impetu deliberationem ab eo præcipitatum, ut responsum non expectarit. Subdunt Acta:

« Die XXII Martii discesserunt reverendissimi legati a civitate Tridentina, et die XX ejusdem pervenerunt ad civitatem Bononiæ, cum non paucis prælati (1): fuere illi ferme omnes Itali; at Hispani aliorumque regnorum Cæsari obnoxiorum præsules Tridenti hæere consulto

Cæsare, e cujus voluntate pendebant, Galli vero discesserant, atque oratores Francisci regis, regulus Durle Forensium præfectus, et præses de Ligny ante medium Februarii Venetias concesserant: quam translationem versam in maximum rei Catholice damnum deplorat Angelus Massarellus ¹, qui Concilio Tridentino erat a secretis, ut sæpe dictum est:

De translatione Concilii Tridenti Bononiæ.

54. « Sacrosancto Concilio Tridentino prospere feliciterque magno omnium nationum consensu et plausu procedente, et jam majori ex parte dogmatum erroribus truncatis atque evulsis, corruptis cleri populique Christiani moribus multis capitibus emendatis, ac denique se ad optatum finem (Deo benevolente) omni conatu alacriter disponente ac preparante paucæ enim tam circa ipsa dogmata, quam reformationem expedienda supererant), ecce (ut fit in bonis operibus consummandis) humani generis hostis huic felicem cursum, hoc sanctum propositum intercepit atque perturbavit. In civitate enim Tridentina nescio quæ aeris intemperies suboritur, quæ sævissimum puncticularum, seu lenticularum, ut vocant, morbum inducit, adeoque in ipsa civitate morbus invaluit, ut quotidie multi etiam ultra loci qualitatem perirent, inter quos fuere duo Patres Concilii, episcopus Caputaquensis, et Generalis Ordinis Minorum de Observantia, multo etiam plures infirmarentur, et jam pestis uti ipsi morbo peculiari ratione insite, atque in vicinis regionibus, præsertim vero in Germania sævientis non solum suspicio, sed perspicua indicia habebantur. Quo malo periculo ac timore ita perterriti sunt Patres Concilii, ut quotidie quamplures ex Tridento, vel non petita, vel petita et non obtemperata licentia, recederent, et qui remanebant nullis hortationibus, persuasionibus vel monitionibus retineri possent, asserentes nullo jure eo in loco cum evidenti vitæ discrimine posse delineri. Ex qua continua Patrum secessione animadvertentes legati ipsi et præsidentes Concilium certo certius dissolutum iri, quod nullo modo permittendum esse existimabant, habita prius ipsius morbi, tum per medicorum judicium, tum per complurium fide dignorum testium depositionem certa notitia, proposuerunt Patribus quid super hujusmodi rerum statu esset consilii capiendum ».

¹ Ang. Mass. Secret. in Actis Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 64.

(1) Episcoporum qui sessioni huic Bononiensi interfuerunt catalogum exhibens Curtembrochius perspicue demonstrat ex Galliarum episcopis unicum tantummodo Petrum Vosatum, episcopum Agnensem, Flandrum, adfuisse. Patres vero simul omnes numerum 36 circiter non superasse ex eodem scimus; Italos omnes præter episcopum illum Agnensem, Richardum Petrum episcopum Vigornensem, et Græcorum nonnullos, cum archiepiscopo Armachano Scoto. Ex quibus omnibus falsi arguitur Segnius qui in Historia Florentina lib. XII, episcoporum neminem Bononiæ invitatum venisse asserit.

55. *Ex hac translatione gravissimæ dissensionis inter imperatorem et Pontificem exorta.* — Pervulgata translationis Concilii Tridentini fama, gravissima inter Paulum III Pontificem, et Carolum V imperatorem dissensionum semina ad evertendam Christianam rem publicam, et confirmandam hæreticorum pertinaciam excreverunt, cum in contrarias sententias nec obscura odia infeliciter exardescerent : Paulus enim Pontifex XIII Martii accepto translationis nuntio, rem gestam coacto cardinalium senatu comprobavit : quantumvis Burgensis, de Auria et Sadoletus prudentia admodum insignes suaderent, ne quid in ea re decerneret, nisi prius consulisset Cæsarem ; ex ipsius enim ac Cæsaris dissensione gravissima mala emersura, quibus Pontifex subiratus paulo acerba voce respondit, Germanos biennii flexu expectatos Tridenti, nec inquam accessisse, nec jam amplius expectandos : cui cum cardinalis Auria subjiceret, sperandum eos a Cæsare cogendos, perstrinxit illum facile Paulus nimio studio Cæsari adherere, cardinalitii nimirum ordinis viros debere ab omni humano affectu esse divulsos affirmans.

56. At Cæsar maximas iras concepit adversus Paulum Pontificem, qui arcanis litteris transferendo Concilio favisset ac jure translationum contenderet, cumque ex hoc dissidio imminentia graviora mala præsentiret Petrus Soto Ordinis Prædicatorum, vir eximie prudentiæ et insignis Christianæ demissionis, qua oblatas dignitates constantissime respicit, qui Cæsaris sacras exhomologes excipiebat, Alexandrum cardinalem Farnesium monuit ut partes suas adhiberet apud Pontificem, ut Concilium Tridentum restituendum curaret, de quo factus certior a cardinale Farnesio Pontifex significavit Petro e Soto quantis studiis Cæsarem semper esset complexus, addiditque vehementer dolere se a malevolis omnia pia studia sua in odium adduci, deque translatione Concilii addidit, se inconsulto eam factam, posse vero eos, qui Tridentum hæserant Bononiam accedere, ac dein vel Tridentum, vel alium locum designatum iri.

57. « Dilecto filio Petro e Soto Ordinis Prædicatorum professori, serenissimi Cæsaris confessori.

« Dilecte fili. Ex litteris quas dilecto filio nostro Alexandro cardinali Farnesio misisti, ipso nobis referente cognovimus, quo tu animo, et quo erga nos et hanc sanctam Sedem devotionis zelo capiaris, atque desideres ut omnia inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum pacata, quieta benevolaque succedant, atque ut hæc Concilii Generalis nuper Tridento Bononiam facta translatio, quo-

niam ei nonnihil molesta videtur accidisse, ita gubernetur atque procedat, ut si quid offensio- nis in illius animo est natum, id nostra obsequela nostrisque officiis tollatur atque omne sanetur, in quo nos, et tuam benevolam erga nos voluntatem, et probum sapiensque consilium tuum non solum valde commendamus in Domino, verum etiam grate et libenter accipimus, ac quod ad mutuum inter nos et serenissimum ipsum Cæsarem benevolentiam, pacem consensionemque attinet, tua devotio optima potest esse testis, quantopere nos semper studuerimus illum omnibus nostris obsequiis et donis, et omnium rerum concessionibus juvare atque ornare, cum nihil ille unquam a nobis postulaverit, in quo nostra ad indulgendum et concedendum voluntas non fuerit parata, nisi si qua nonnunquam petita ejusmodi sunt, quæ aut nostras longe superaverint vires, aut alia esse nobis visa sunt, ut salva nostra dignitate permittere ea non possemus : in cæteris quidem rebus nunquam nos illius commodis, honori, fame amplitudinique defuimus, sed huic sanctæ Sedis pecuniis, et Ecclesiasticis multarum provinciarum facultatibus, terrestri militum manu et maritima participes esse volumus illius laborum, sollicitudinum, sumptuum, cum ad id nos summus quidam erga illius majestatem ab initio susceptus amor sanctissimeque conservatus impelleret, ut illius commoda atque ornamenta omnia procuraremus, quæ tamen nostra merita erga eum ferme iniquorum et malevolorum obtractationibus in eam partem accepta sunt, ut videremus in ipsis beneficiis quasi damnium illi atque incommodum velle inferre, quod certe nobis magno dolori fuit.

« Itaque sæpe ipsi nobiscum facili æstimantes, et animum nostrum erga illum, et illius erga nos, non potuimus non summo- pere angere, cum videremus, quam impari conditione ad amandum accessissemus, et quam nostra optima erga eum voluntas prævis interpretationibus quorundam in suspicionem et dubium apud illum adduceretur : sed nos in nostra semper sententia et pristino amore permanentes, non desissemus tamen tantum et tam insignem principem omnibus nostris officiis et meritis honoribus prosequi, cujus præsertim virtus et animi magnitudo, ac pro defensione fidei Catholice suscepti tot jam labores, hique tam admirabili felicitate consecuta grati atque accepti Deo declarati, non solum in universæ Christiane reipublicæ, sed etiam hujus sanctæ Sedis, cui divina providentia præsidemus, peculiari beneficium redundaverint : quare, dilecte fili, quæ nostræ sunt partes, nos Cæsaris amori atque amplitudini et antea editi semper fuimus, et sumus futuri. Ille, ut ea voluntate sit, quæ profecto esse debet, neque se sinat malevolorum immutari sermoni-

bus, cujuslibet boni est et in primis tuum pro tua probitate et virtute procurare; nam, quod ad Concilium attinet, si in transferendo fuit culpa, aut error, nos certe experies earum rerum fuimus; ante enim captum ab illis consilium est quam ad nostras aures potuerit res pervenire, et tamen justa ipsimet Concilio causa fuit visa transferendi sese, neque vero adhuc cognoscere potuimus, cur minus Bononiæ quam Tridenti possint omnia ad Cæsaris commodum et utilitatem agi; sed tamen si mutatio loci est querenda, nos, qui pro imperio et auctoritate nihil agere volumus, quod videatur auctoritati Concilii ulla in parte derogare, censeremus hoc expedire esseque opportunum, ut prelati atque episcopi qui Tridenti manserunt, Bononiam accedentes, Patribus cæteris persuaderent, ut rursus Tridentum, aut aptiorem alium in locum referretur Concilium, quo communi concordia consensuque omnium, que ad integritatem Catholicæ fidei, morumque correctionem pertinent. Deo, et Spiritu sancto auctore tractarentur, de qua re si Bononiæ ageretur, convenientibus eo (ut diximus) omnibus non erit credimus difficile ita rem totam etiam nobis adiuvantibus dirigere, ut et Cæsaris voluntati et publicæ simul utilitati satisfaciat, cui in primis studemus omnibus viribus et conatibus nostris consulere, sicut etiam referet tibi latius dilectus filius, et legatus noster cardinalis Sfondratus, cui fidem indubiam adhibebis. Datum Romæ XXX Martii MDCXLVII anno XII.

Adduci non potuerunt Hispani præules qui Tridenti hæserant, ut Bononiam se conferrent ad egregia cepta absolvenda, nam Cæsar ad suscepta sententia perstitit Concilii non in Italia, sed in Germania celebrandi. Reliqui vero qui Bononiam elegerant, ad Concilii Pontificis-que auctoritatem tuendam Synodumque proseguendam, in qua urbe maximo cum honore et publica letitia excepti fuerant, animos obtinuerunt, cujus Acta ¹ typis non sunt excusa, ne dissertationi majori occasionem præberent:

58. *Acta Concilii Bononiensis; articuli hæreticorum de Sacramento Pœnitentiæ* — «Die xxv dicti mensis Martii», inquit Acta, «ipsi reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes exhibuerunt theologis minoribus exemplum xiv Articulorum excerptorum ex libris modernorum hæreticorum super Sacramento Pœnitentiæ, ut juxta morem hactenus Tridenti in sacro Concilio observatum, antequam dominis prelati et Patribus ipsius Concilii proponerentur, ab ipsis theologis minoribus discuterentur et examinarentur».

¹ Ms. card. Barber. sign. num. 123. in script. Acta Concil. Bonon. pag. 2.

ARTICULI HÆRETICORUM SUPER SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

«I. Non esse tres sacramentalis Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, sed duas tantum, mortificationem scilicet et vivificationem, seu quod aliis verbis dicunt, terrorem seu timorem, et huic succurrentem fidem certæ remissionis peccatorum.

«II. Contritionem ex recogitatione et consideratione peccatorum ortam, aut timore servili paratam, facere hominem hypocritam et magis peccatorem.

«III. Confessionem auricularem, nec mandatam esse jure divino, nec necessariam, quia sine ea peccata remittuntur contritis et fide se substantiantibus.

«IV. Confessionem auricularem, quam Ecclesia quotannis faciendam præcipit, esse impossibilem, adeoque figmentum hominum.

«V. Non esse necessarium confiteri omnia peccata mortalia, quorum quis sibi est conscius, sed ea tantum, quæ conscientiam perplexam tenent et angunt: sed neque ulla circumstantias peccatorum confitendas esse.

«VI. Nec peccata contra duo ultima Decalogi præcepta confitenda esse, nec licere venialia confiteri.

«VII. Absolutionis ministrum esse quemlibet Christianum, et absolvere posse etiam non confidentem peccata.

«VIII. Absolvi hominem a peccatis, modo credat se absolutum, etiamsi non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolutus.

«IX. Absolutionem privatam sacerdotis nihil efficere.

«X. Satisfactionem pœnitentium non esse aliam, quam solam fidem, qua apprehendunt Christum satisfecisse.

«XI. Deum per gratiam peccata condonantem non exigere opera, seu dignos fructus Pœnitentiæ.

«XII. Satisfactiones canonicas quondam, vel exempli vel disciplinæ causa fuisse a Patribus institutas, non autem ad remissionem pœnæ.

«XIII. Satisfactionibus a sacerdote injunctis obscurari doctrinam de gratia et vero Dei cultu.

«XIV. Temporalibus pœnis æterna mutari supplicia fictio est, non veritas».

Anno Domini MDCXLVII, die vero Martis XXXIX mensis Martii, etc. celebrata fuit prima Congregatio theologorum minorum, et sumpsit exordium sacrum OEcumenicum Concilium Bononiense; quibus theologis propositi sunt examinandi et discutendi articuli suprascripti de Sacramento Pœnitentiæ.

59. *Prelati Hispani jussu Cæsaris Tridenti morantur.* — Interim Romæ motæ sunt gravio-

res lites apud Pontificem a Cesare de Concilii translatione : nam Joannes Vega orator Casareus acceptis litteris imperatoris eadem die questus est apud Paulum III de repentina mutatione Concilii Tridentini Bononiam translatis, non consulto prius Casare. Pontifex vero, cum adhuc ab internuntio litteras non accepisset, respondit Vega, summa maturitate consultum iri, Conciliique Patribus exponenda istius rei capita, ut penderentur; se quoque de ea non praeonitum; translationem non modo a majori parte, sed etiam a duabus et amplius partibus factam, adeo ut qui repugnent, tertiam non efficiant; ac propterea legitimam censeri : Tridentinum Concilium se reducere non posse, nisi auctoritatem ejus infringat, omniaque acta agendaque convellat; neque praesules suis mandatis forte parituros, ut ad reditum adigerentur; cum ibi latius grassaretur lues, plurimosque non modo Tridentinos cives, verum etiam et nonnullos Patrum famulos exinxisset. Subjecit etiam Pontifex, Tridentinum Concilium revocari non posse, nisi ex decreto ejusdem Concilii, cum ipse nolle illi libertatem eripere, quam integram Patrum famulos servare voluerat, etiam cum de proprio commodo et Romanae curiae rebus ageretur: pollicitus tamen est oratori, se Patres Concilii admonitum ut sua utantur libertate, seque conferant in alium quemvis locum Bononia accomodatorem, ut Casareae majestati rem gratam facerent, pluraque alia congressit, quibus Bononiam a nemine suspectam censeri jure posse, caeterisque urbibus tutiorem esse ostendebat; praesertim cum undique ea circum esset provinciis Casareae majestatis partibus addictissimis in Italia, ad quam etiam ipse Pontifex una cum Casare, si voluisset, commode accedere possent. Ad id vero, quod ad Casarem spectabat Concilii tutelam gerere, respondit, id intelligi dumtaxat in casu quo foret necessarium, ac Patres Concilii id ab eo efflagitassent: quare cum Bononia tuta esset, neque ob nationum discrimina ulla oriri posset suspicio, Casarea ista securitas supervacanea videbatur, cum ipsemet Pontifex in neutram partem inclinaret, communisque parentis munus gereret.

Ista decerpimus ex litteris cardinalis Farnesii ad Hieronymum Verallium conscriptis, ad quarum calcem haec erant subjecta: « Haec sunt, quae a vestra dominatione Casareae majestati insinuanda sunt, eamque pro responso ad ea, quae Joannes e Vega orator repetit sanctitati suae de optima Caesaris in eam voluntate, confirmet, sanctitatem suam pari studio amoris Casareae majestati responsuram, rogetque ne aures improbis pandat, sed teneat certissime sanctitatem suam ipsum paterno amore complecti, ut filium primogenitum, tum ob contractae affinitatis vincula, ac si interdum Sua

Sanctitas Casareis postulatis non assentiat, id fieri non quod ipsi gratificari nolit, sed quia non possit, vel quia rationi consona non putet, licet alii secus sentiant; eadem conferat cum piaculario Casareo sacerdote, qui consuetis optimis officiis non sit defuturus. Dat. Romae v Aprilis MDCXLVII ».

60. Interea significarat cardinalis Farnesius legalis Pontificio nomine translationem Concilii approbatam a Pontifice ob allatas causas, monuitque, ne ob paucitatem praesulum pars enim magna Tridento ad suas sedes se subduxerat, expectandaque erat, ut Bononiam se conferret quippiam de dogmatibus decernerent, indictam famen sessionem ad XXI Aprilis celebrarent, corruptelisque emendandis et castigandis moribus darent operam; necnon translationis Acta repeterent ad eam confirmandam, quibus haec addidit, ut refert Angelus Massarellus¹: « Et quod in modo procedendi idem modus et ordo servetur, qui haecenus servatus est in Concilio Tridentino in omnibus, in decretis promulgandis de dogmatibus et reformatione, quod in omnibus aliis, et deinceps in subsequenti sessione maturius procedendum ». Addunt Acta a legatis per litteras x Aprilis exaratas sollicitatum fuisse Dandum in aula Gallica Pontificum nuntium, ut rogaret Henricum regem, ut praesulibus, qui Tridenti fuerant, daret imperia, ut Bononiam accederent, tum haec addita refert Massarellus: « Item de rebus Concilii, videlicet, quod imperator post translationem pelierit magna cum instantia a Pontifice, ut reduceret Concilium Tridentum, et quod Pontifex responderit, quod cum semper reliquerit Concilium in sua libertate, et ipsum Concilium causam translationis veram et legitimam judicaverit eamque approbaverit, nunc sanctitas sua non vult neque debet ipsum Concilium cogere, ac propterea ante omnia Concilium congregetur Bononiae, quo translatum est, et ibi postea cogitari poterit de capienda ea deliberatione, quae expedire videbitur honori Dei, religioni, et republicae Christianae; quare reverendissimi ipsi legali Concilium hic prosequuntur, et sessionem indictam XXI Aprilis omnino celebrabunt ». Henricus vero Gallorum rex (nam Franciscus I jam obierat, ut dicitur inferius) sensit ad schismatis pericula ex lacerato Concilio avertenda, Concilium auctoritate Pontificia suspendendum esse, idque Pontifici suadere nisus est, ut Diarii auctor commemorat:

« XIII Aprilis cardinalis S. Crucis recepit litteras a Bernardino Mattheo secretario cardinalis Farnesii, quibus scribit, regem Galliae proposuisse suae sanctitati suspensionem Concilii tanquam necessariam rebus praesentibus, cui suspensioni tota Ecclesia Gallicana consensura

¹ Ang. Mass. in 90. Conc. Trid.

sit, etc. Rex itaque ordinavit, quod oratores et praelati illius regni, qui haecenus fuerint Tridenti in Concilio, morentur Ferrariae, expectantes quid imperator circa Concilium facere voluerit ». Et infra :

« Cardinalis de Monte gratum habuit suspensionem fieri, ¹ cuius contrarium censuit cardinalis S. Crucis ».

61. Provocati interea fuere humanissimis litteris praesules, qui Tridenti haeserant, a legatis Apostolicis, ut Bononiam se conferrent ad optima consilia pro re Christiana expedienda, ut narrat Aetorum Concilii scriptor :

« Die XII mensis April. ejusdem anni MDXLVII, reverendissimi et illustrissimi domini praesidentes et legati scripserunt ad praetatos, qui remanserunt Tridenti post translationem sacri Concilii infrascriptas litteras videlicet ¹ :

« Reverendissimo et illustrissimo D. Petro Paceahe S. R. E. cardinali Giennensi.

« Ad XIII kal. Aprilis Bononiam pervenimus, ubi ab ovantibus magistratibus et omnium ordinum civibus nullo erga nos et alios praetatos gratulationis et honoris genere praetermisso, recepti fuimus. Gratiae sunt agenda Deo, quod in illa tam justa et tam necessaria loci mutatione proposuerit oculis Patrum urbem adeo pulchram, opulentam, et omnibus, quae ad videndum necessaria sunt, abundantem, in qua Concilium prosequi cum omni pace, libertate et securitate valeamus. Parati jam sumus, ut Sessionem statuta die X kal. Maii Deo duce omnino celebremus, quae omnia dominationi vestrae reverendissima pro nostra in eam observantia significanda duximus; nos eidem plurimum commendantes. Datum Bononiae die XI Aprilis MDXLVII ».

Conceptae sunt eodem argumento eorumdem praesidum litterae ² ad omnes conjunctim divisimque singulos praesules, qui Tridenti haeserant, provocatique humanissime ut Bononiam accederent.

« Reverende pater, a nostro legationis et praesidentiae munere minime alienum esse putamus dominationi vestrae significare, id quod facimus per praesentes, nos XIII kal. Aprilis Bononiam incolentes Dei gratia pervenisse, atque ab omnibus magistratibus et omnium ordinum civibus, cum ingenti ostensione laetitiae, ac omni genere honoris, humanitatis et officii erga nos et praetatos, qui vobiscum venerunt, receptos fuisse, et ita excipi quotidie Patres venientes. Urbs ipsa pulchra, ampla, honestissimis hospitibus, et omnibus rebus, quae humanitas necessariae sunt, abundat; publico contenta totam se commodis Concilii exhibuit, in qua omnium nationum Patres plena et omni-

moda libertate et securitate gaudeant, quod et nos dominationi vestrae tam privato nostro, quam publico legationis nostrae nomine harum litterarum vi ac virtute specialiter pollicemur. Parati jam sumus, ut sessionem statuta die, XI scilicet kalend. Maii Deo favente celebremus, ubi praesentiam dominationis vestrae et doctrinam magnopere desideramus, quam et in Domino bene valere cupimus. Datum Bononiae die XI April. MDXLVII ».

62. *Prima sessio Concilii Bononiensis: articuli haereticorum de Sacramentis Extremae-unctionis, Ordinis et Matrimonii.* — Dimoveri e sententia non potuerunt praesules Tridentini ob mandata contraria Caesaris, qui a Pontifice tandem impetravit per suum Romae oratorem, ne in sessione indicta Concilii quid gravioris momenti promulgaretur, nec in ea translatio confirmaretur, ut Diarii auctor ¹ narrat, qui etiam addit, cardinalem Sfondratum ad Casarem ad componenda haec dissidia, flectendumque animum missum fuisse, idque Patribus Bononiae significatum :

« XVIII Aprilis reverendissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo cardinali Farnesio, quibus significabat Sanctissimo Domino nostro non videri, quod in hac Sessione aliquid decretum substantiale publicetur, neque confirmetur translatio Tridento, sed tantum prorogetur Sessio usque ad Pentecostem, quod factum est, id petente maxima cum instantia illustrissimo D. Didaco a Mendoza oratore Casareo ».

XIX Aprilis in Congregatione generali proponitur a reverendissimo D. cardinale de Monte, quod gratiae agenda sunt Deo, quod huc incoolumem hanc sanctam Synodum reduxerit; dixit deinde: « Quod haec translatio Concilii grata fuit sanctissimo Domino nostro, et omnibus principibus Christianis, excepto Casare: quod nunc mittitur ad suam majestatem reverendissimus D. cardinalis Sfondratus legatus Apostolicus, qui procurabit ut ejus majestas translationi assentiat, et praetatos suorum regnorum huc accedere permittat. Interim videtur opportunum, quod Sessio in proxima die indicta celebretur, sed in ea nihil substantiale agatur, neque aliquid decretum promulgetur vel de fide vel de reformatione, sed tantum ipsa sessio prorogetur ad feriam v infra Octavam Pentecostes ², quo tempore haberi poterit mens Caesaris, et materiae, quae propter absentiam praetatorum et festa Paschalia tractari et examinari non poterunt, absolventur. Super quo rogantur sententia, et ab omnibus probatum est ».

Quod ad cardinalis Sfondrati legationem attinet, decreta ea jam ante fuerat extremo

¹ To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sg. num. 3197. p. 86. Ext. inter Act. Conc. Lomon. p. 3. Diar. auct. Ang. Massar. Ms. arch. Vat. p. 219. — ² Ext. ibid. p. 425.

¹ Diar. Conc. Trid. p. 220. — ² Jo. Franciscus Firmatus rituam Magist. in Diar. Ms. arch. Vat.

Februario, antequam fieret translatio, ut dicebat inferius.

63. Appetente XXI Aprilis die, quae ad Sessionem Bononiae condita fuerat, veteres ritus celebrati fuerunt, quos in Actis describit Angelus Massarellus¹:

« In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

« Anno a Nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi M^oXLVII, Indictione V, die vero Jovis XXI mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pauli divina providentia PP. III anno XIII, celebrata fuit prima publica Sessio sacrosancti Oecumenici et generalis Concilii Bononiensis, presidentibus in eo nomine Sanctissimi domini nostri papae reverendissimis Patribus et illustrissimis dominis, dominis Joanne Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello lit. S. Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus, et Apostolicis de latere legatis. Mane igitur hora circiter XII, ipsi reverendissimi et illustrissimi domini et praesidentes et legati, ac reverendi domini praefati infrascripti fuerunt ii archiepiscopi sex, episcopi unus et triginta, ferme omnes Itali, e Graecia tres, ex Anglia unus, e Scotia unus, ex Hispania unus, ex Belgio unus, et quatuor Ordinum generales conveniunt in Collegiata Ecclesia S. Petronii Bononiensis, in loco ad Concilium celebrandum et Sessiones habendas ad ipsa sancta Synodo deputato, ubi reverendissimus D. Sebastianus Leguavela archiepiscopus Naxiensis celebravit Missam solemnem de Spiritu sancto, qua absoluta, et publicata de more per diaconum indulgentia, reverendissimus D. Catharinus Pollitus episcopus Minoricensis indutus pluviali et mitra, ascendens ambonem habuit piam et luculentam orationem, qua completa, iam ipsi reverendissimi et illustrissimi domini praesidentes et legati, quam caeteri praefati omnes acceperunt pluviali et mitras aliaque paramenta consueta, cantantibus cantoribus Psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine*. Deinde reverendissimus et illustrissimus dominus praesidens et legatus praefatus accessit ad altare majus, ubi solitas Orationes legit, et caeremonias in aliis publicis Sessionibus servari consuetas de more peregit, benedicens per sanctam Synodum, et per cantores decantatae fuerunt Litaniae, et per diaconum Evangelium: *Ego sum vilis, et vos palmites*, Joan. XI. Postea reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis S. Crucis secundus praesidens et legatus praefatus accessit etiam ad altare majus, et reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte imploravit auxilium S. Spiritus per Hymnum:

Veni, Creator Spiritus, quem cantores absolverunt, usque in finem. Quo absoluto, ambo reverendissimi et illustrissimi domini praesidentes et legati condescerunt ante Altare majus in faldistorii versa facie ad S. Synodum, caeterisque praefatis sedentibus in locis suis juxta tempus suarum promotionum, et D. archiepiscopus Navenis indutus pluviali et mitra accedens ad Altare majus, accepit e manibus ipsorum reverendissimorum et illustrissimorum dominorum praesidentium decretum, quod in hac Sessione publicandum erat, ascendensque ambonem legit illud alta et intelligibili voce, quod est tenoris infrascripti, videlicet:

« Haec sacrosancta Oecumenica et generalis Synodus, quae dudum in civitate Tridenti congregata, nunc Bononiae in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Pauli divina providentia PP. III, ejusdem reverendissimis dominis DD. Joanne Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello lit. S. Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus et Apostolicis de latere legatis. Considerans, quod die XI mensis Martii praesentis anni in generali publica Sessione in eadem civitate Tridenti et in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus et legitimis, interveniente etiam auctoritate sanctae Sedis Apostolicae eidem reverendissimis presidentibus etiam specialiter concessa, decrevit et ordinavit Concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit, itemque Sessionem pro praesenti die XXI Aprilis illie indielam, ut de Sacramentorum et reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur et promulgarentur, in hac civitate Bononiae celebrari debere, consideransque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus majoris Hebdomadae et solemnitatibus Paschalis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi allaturos sperandum est, ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta Synodus desiderabat, praefatorum frequentia potuerint materiae ipsae Sacramentorum et reformationis examinari ac discuti: ut omnia maturo consilio, et cum dignitate et gravitate debita fiant, bonum, opportunum et expediens censuit, censuque Sessionem praedictam, quae hoc ipso die, ut praetertur, celebranda erat, ad diem Jovis infra Octavam Pentecostes proxime futuram, quoad ipsas materias expediendas, differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat. Quam diem, et rei gerende maxime opportunam, et Patribus praesertim absentibus per commodam judicavit et iudicat: hoc tamen adjecto, quod terminum

¹ Hist. Conc. Ind. Ms. arch. Vat. p. 229. Acta Concil. Bonon. p. 6. M. Frone card. Barber. per Angel. Massarell. spec. Conc.

ipsum ipsa Sancta Synodus pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata Congregatione restringere et imminuere possit et valeat ».

Addunt Acta, presides Concilii ab eodem archiepiscopo interrogatos, presules vero a secretario Concilii coram duobus notariis rogatos, id decretum gratum et ratum habuisse.

64. Celebrata prima sessione ¹, cum peracta esset inter theologos minores examinatio suprascriptorum articulorum Sacramenti Pœnitentiæ; incepti fuerunt discuti et examinari ab ipsis theologis minoribus articuli hæreticorum super tribus Sacramentis quæ restabant, scilicet; Extrema-Uncione, Ordine sacro et Matrimonio, qui articuli inceptum examinari die XXIX Aprilis MDCXLVII, sub infrascripta forma videlicet :

ARTICULI SUPER SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

« I. Extremam-Uncionem figmentum esse humanum, aut ritum acceptum a Patribus, diversum omnino a Sacramentis, quæ mandatum Dei habent et promissionem gratiæ.

« II. Extremam-Uncionem non fieri ab Ecclesia Romana, juxta Evangelii et Jacobi sententiam, ideo ritum immutandum esse ».

ARTICULI HÆRETICORUM SUPER SACRAMENTO ORDINIS.

« I. Ordinem non esse Sacramentum, sed solummodo effectum, et ex jure divino per populares institui et destitui debere.

« II. Ordinem potestatem esse prædicandi, non offerendi, ideoque eos qui verbum Dei non prædicant, non esse sacerdotes.

« III. Omnes Christianos ex æquo esse sacerdotes, sed ad usum sive executionem opus esse vocatione majoris et consensu populi.

« IV. Episcopos non habere jus ordinandi, ideo ordinationem per eos factam irritam esse ».

ARTICULI HÆRETICORUM SUPER SACRAMENTO MATRIMONII.

« I. Matrimonia clandestina non esse legitima, ac proinde a parentibus irritari posse.

« II. Licere Christianis plures simul habere uxores, et polygamiam nulla lege esse prohibitam.

« III. Mulier quæ alteri viro sui fecit copiam adeo uxor esse desit, ut utrique, ut alii saltem conjugum liceat aliam uxorem ducere, vel alteri nubere, et non mœchari, qui dimissam adulteram illam duxerit.

« IV. Divortium dirimit matrimonium, unde ab illo rite celebrato, licet et repudianti et repudiata reiterare conjugium.

« V. Gradus consanguinitatis et affinitatis descriptos Levitici x præcise servandos esse, nec plures, nec pauciores : Ecclesiam in aliis, neque interdicere posse ne matrimonium contrahatur, neque rescindere contractum ».

Qui articuli suprascripti discutuntur, et examinantur in Congregationibus ipsorum theologorum minorum a dicta die XXIX Aprilis usque ad diem VII mensis subsequentiis.

Peracta examinatione articulorum hæreticorum super omnibus Sacramentis inter ipsos minores theologos, incipiunt examinari et discuti in generalibus Congregationibus a RR. DD. prelatibus canones formati super Sacramento Eucharistiæ, qui canones proponuntur primum Patribus in generali Congregatione die Lunæ IX Maii ejusdem anni MDCXLVII habita, et examinantur usque ad diem XVI ejusdem mensis.

Censuræ autem factæ in dictis Congregationibus generalibus super ipsis canonibus Sacramenti Eucharistiæ discutuntur, et examinantur in particularibus Congregationibus dominorum prelatorum theologorum deputatorum, ut hætenus observatum fuit in Concilio Tridentino, qui RR. DD. deputati convenientes coram reverendissimo et illustrissimo D. cardinali S. Crucis, secundo ipsius Concilii presidente, per multos dies a die scilicet XVII usque ad XXVII ejusdem mensis Maii ipsos canones secundum prædictas censuras aptarunt et reformarunt, ut habentur in textu Concilii.

65. XXX Maii legati receperunt litteras ¹ a reverendissimo cardinali Farnesio, quibus significabat suam sanctitatem velle, ut hæc prima sessio prorogaretur usque ad mensem Augusti, non longe ab Assumptione B. Mariæ Virginis.

Prima Junii MDCXLVII, auditis sententiis, reverendissimus dominus cardinalis de Monte repetiit, quæ in principio dixerat : « Non expedire quod publicentur decreta de dogmatibus neque de reformatione, tum quia materiæ quoad reformationem non sunt paratæ, tum quod si essent etiam paratæ, non deberent expediri ob statum præsentium temporum : paratæ autem non sunt, quoniam quæ restant de reformatione, sunt duo capita, unum quod tangit regulares, quorum generales sunt absentes, sine quorum præsentia non potuit tractari. Alterum tangit principes sæculares, quorum cum nulli adsint oratores, neque ea materia tractari potuit. Et decretum de dogmatibus solum expediri non debet, cum simul de utraque materia juxta ordinem et morem Concilii agendum sit. Præterea habenda est ratio absentium,

¹ Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 25. et Ms. card. Pii inscriptum Conc. Bonon.

¹ To. XVII. de Conc. Ms. arch. Val. sig. num. 3204. p. 124. Diar. Act. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Val. p. 231.

qui sunt Tridenti, cum intuitu imperatoris ibi maneat, etc. Improbans autem sententiam D. Acciensis, qui nolebat ullius humanæ causæ, vel principis haberi rationem, probavit sententias majoris partis, et ita conclusit, ut cras fieret sessionis prorogatio solemniter in Ecclesia ad dictum diem xv Septembris proxime futuri.

« Quæ prorogatio hac de causa facta est, ut habeatur ratio imperatoris, qui adhuc perseverat in opinione, ut Concilium Tridentum reveratur, et nullatenus consentire vult, ut suorum regnorum prælati Bononiam convenient, et ideo prælati Hispani et regni Neapolitani, qui Tridenti remanserunt, post translationem illinc discedere noluerunt, et adhuc nolunt, ut Cæsari satisfaciant. Facta est etiam prorogatio hæc, quoniam materia, quæ publicanda erant ex decreto Synodali in utraque causa, tam dogmatum quam reformationis adhuc digestæ non erant ». Et mox : « Accedit ad hoc quod neque rex Gallorum misit adhuc aliquem e suis Bononiam, et brevi sperandum sit, quod uterque princeps, imperator scilicet et rex Gallorum, Concilio adhaereant, cum duo reverendissimi domini cardinales legati de latere ad quemlibet eorum missi fuerint ».

66. *Secunda sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Purgatorio et indulgentiis.* — Die Jovis ii mensis Junii ejusdem anni habetur secunda sessio Bononiensis ¹, ut inferius descriptum est.

« Anno a Nativitate Christi M^oXLVII, Indictione v, die vero Jovis secunda mensis Junii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Pauli divina providentia PP. III anno XII, celebrata fuit secunda publica sessio sacrosancti Oecumenici et generalis Concilii Bononiensis, præsentibus in eo nomine ejusdem sanctissimi D. N. PP. reverendissimis Patribus et illustrissimis DD. DD. Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte et Marcello tit. Sancte-Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus, et Apostolicis de latere legatis etc. ». Nonnullis de sacris ritibus observari consuetis interjectis, addunt Acta, hoc decretum in Synodo ab archiepiscopo Upsalensi (is erat Olaus Magnus Gothus) perfectum :

« Quamvis hæc sacrosancta Oecumenica et generalis Synodus sessione, quæ die XXI mensis Aprilis proxime præteriti super Sacramentorum et reformationis materiis in hac inelyta civitate Bononiæ ex decreto in urbe Tridentina in publica sessione die XI mensis Martii promulgato celebranda erat, propter aliquas causas ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam et prorogandam esse censuerit, volens tamen cum iis qui

non venerunt etiam adhuc benigne agere, eadem sacrosancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsentibus in eo eisdem S. R. E. cardinalibus et Apostolicæ Sedis legatis, statuit et decernit sessionem ipsam, quam hac die secunda Junii præsentis anni M^oXLVII celebrare decreverat ad diem Jovis post festum Nativitatis B. Mariæ Virginis, quæ erit xv mensis Septembris proxime futuri, quoad prædictas et alias materias expediendas differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat : ita tamen quod prosecutio discussionis tam eorum quæ ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, et terminum ipsum ipsa S. Synodus pro ejus libito et voluntate etiam in privata Congregatione abbreviare et prorogare libere possit et valeat. Cujus decreti lectione absoluta, idem reverendissimus D. archiepiscopus Upsalensis interrogavit Patres, an placeret : his verbis videlicet :

« Reverendissimi et illustrissimi domini amplissimique Patres : Placentne hæc omnia vobis ? Et statim reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati responderunt : Placet ».

Deinde quilibet ex Patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo Massarello ipsi sacri Concilii secretario una cum dominis Claudio della Casa, et Nicolao Ducl notariis, an placeret ? Et omnes responderunt : Placet, exceptis duobus etc.

Postremo idem reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis de Monte præsidens et legatus præfatus manu elevata benedixit iterum S. Synodum signo crucis et Patres omnes deposuerunt paramenta, et discesserunt hora circiter xv.

Interfuerunt huic sessioni præter duos cardinales legatos, sex archiepiscopi variarum nationum et episcopi triginta sex.

67. Domini theologi convenientes coram reverendissimo et illustrissimo D. cardinali S. Crucis secundo sacri Concilii presidente, per multos dies, nempe a XVII dicti mensis Junii usque ad XI mensis Julii subsequentis, ipsos canones secundum prædictas censuras aptarunt et reformarunt.

Interea dum de Penitentia canones a Patribus deputatis aptantur et reformantur, proponuntur theologis minoribus disputandi et discutiendi articuli super Purgatorio et Indulgentiis sub his verbis, videlicet :

De Purgatorio.

« I. Esse Purgatorium, an habeatur in Scriptura ? et si habeatur, quibus in locis ?

« II. An reliquia peccatorum purgantur per mortem, ita ut Purgatorio non sit opus ?

¹ Ibid. p. 12. Secunda sess. Bonon.

« III. An anima in Purgatorio sicut extra statum merendi seu peccandi, et an habeant incertitudinem suæ salutis ?

« IV. Suffragia pro defunctis habeantur in Scriptura, et si habeantur, quibus in locis ? »

De Indulgentiis.

« I. Quid sit Indulgentia, an remissio culpæ ? an pœnæ ?

« II. Si pœnæ, an temporalis ? an æternæ ?

« III. Si temporalis, vel juxta taxationem Canonum ? vel justitiæ divinæ ?

« IV. Thesaurus indulgentiarum, quibus ex meritis sit collectus ? Et si ex meritis etiam sanctorum, quomodo cum ipsi sancti bonorum omnium auctori quæcumque egerint, vel agere potuerint, Deo debitores fuisse videantur ?

« V. Si contritus, confessus et absolutus non eget nova applicatione justitiæ Christi, quomodo Indulgentia, quæ ex meritorum Christi thesauro est, erit illi adjumento ?

« VI. An requiratur causa ad Indulgentiæ validitatem ? Et si requiratur, quæ ex usu sit idonea.

« VII. Indulgentia an prosit defunctis et quomodo ? »

Qui articuli suprascripti discutiuntur et disputantur ab ipsis theologis minoribus per viginti tres dies continuos, a xxiii scilicet mensis Julii usque ad xv mensis Julii subsequentis eundem.

Memorata vero die xxiii Julii distributæ sunt Patribus schedulæ iisdem conceptæ verbis, in quibus argumenta quæ vim sacrarum Indulgentiarum confirmant, brevi compendio contracta designabantur.

XVI Julii DD. legati scripserunt ad cardinalem Farnesium significantes perfectionem examinationis articulorum de Purgatorio, et Indulgentiis, et canonum de Pœnitentia.

68. *Decreta de Indulgentiis.* — Die decima nona Julii¹ excussæ sunt controversiæ de Indulgentiis a theologis et a præsulibus in suis Congregationibus usque ad decimam quintam Julii, conceptumque fuit hoc decretum :

De Indulgentiis.

« I. Cum sancta Ecclesia divino spiritu docta, et potestatis sibi a Deo traditæ conscia, antiquissimo usu etiam generalium Conciliorum auctoritate comprobato receperit, Indulgentias ex piis, justis et rationi consentaneis causis Christi fidelibus concedere, quarum vi temporalis pœna, quæ condonata jam culpa Deo debetur, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ per summam misericordiam remittitur, deeatque

maxime celestem hunc ac plane divinum Ecclesiæ thesaurum summa cum sinceritate et integritate dispensari ; abusus, qui in aliquibus locis, non sine ejusdem Ecclesiæ divinique honoris magna jactura inoleverunt, sancta Synodus præsentis decreto tollendus esse statuit atque decernit. In primis autem in Domino hortatur episcopos, ut curent omnes, quibus prædicandum incumbit, ut populum quam diligenter admoneant per Indulgentias non remitti culpam, ut quæstores plerique cauponantes verbum Dei, falso et temerarie jactant, sed iis solum prodesse, qui ab omni peccato mortali liberi et immunes, cum Deo in gratiam redierint, quæ nonnisi per Sacramenta re vel voto suscepta sint.

« II. Quoniam vero ex eadem S. R. E. antiqua consuetudine constat Indulgentias nonnisi piis et justis de causis, atque maxima cum moderatione concedi solitas fuisse, illud quoque non probat, quod ob leves causas, veluti ob pauculas quasdam preces, amplissimæ Indulgentiæ et multorum annorum remissiones, atque animarum a pœnis Purgatorii liberationes concedantur : facile enim evenire solet, ut facilitas veniæ liberius ad peccandum invitet et alliciat, atque ita disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, pœnitentiæ satisfactio nimia largitate enervatur.

« III. Præterea, ut avaritiæ, quæ radix omnium malorum esse solet, ostium ocludatur, statuit sancta Synodus, ut cum Indulgentiæ propter elemosynas ad certum aliquem pium usum conceduntur, veluti ad redemptionem captivorum, aut hospitale, seu locum aliquem pium construendum, aut quodvis aliud opus, cujuscumque illud sit generis, a nemine, neque ab executoribus quidem statuatur certa aliqua pecuniæ summa exsolvenda, sed quilibet libere donet quod pro sua pietate et devotione malit. Cum tamen intelligere debeat, tanto apud Deum magis promereri, quanto devotius, religiosius et liberalius piis huius operibus vacaverit. Quæ autem hactenus aliter quacumque ex causa concessæ, vel a quocumque taxatæ sunt, hoc modo moderate esse censeantur.

« IV. Illæ quoque detestandæ fraudes et imposturæ prohibendæ et coercendæ sunt, prout præsentis decreto sancta Synodus prohibet et graviter coerceri jubet, ut ne ex eadem Indulgentiarum concessione plures partes a commissariis et executoribus fiant sub eisdem vel diversis nominibus, etiam cum revocatione vel suspensione aliarum partium, ne ut quod singulis personis ad vitam vel in longum tempus conceditur, post breve tempus facile revocetur vel suspendatur. Si tamen ex rationabili causa illas revocare aut suspendere contigerit in eorundem personarum, vel locorum temporale commodum, iterum nullatenus concedantur, cum ex eo nihil aliud, quam novi proventus

¹ Decr. Conc. Bonon. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. n. 3194. p. 314.

quæri videantur, quod sordidæ avaritiæ, et quærimoniæ, atque scandalorum occasio esse solet.

« V. Maximus item et execrandus abusus, atque Christianæ charitati in primis contrarius est, quod propter Indulgentias cogantur homines, etiam pauperes agricole et artifices, a suis operibus diebus profestis cessare, et eas conaciones, quas ad Indulgentiarum publicationem seu explicationem spectant, inviti audire, non tam pietatis causa, quam ut divinarum rerum prætextu cogantur Indulgentias accipere: aut etiam, quod fraudibus vel vi, etiam abutendo censuris Ecclesiasticis, compellantur nomina dare ad accipiendas Indulgentias et taxatam pecuniam solvendum; cum tamen hilarem datorem diligit Dominus, hisque tam iniquis extorsionibus, et cælestes hi thesauri invidiosi fiant, et sanctissimum Ecclesiæ ministerium vituperetur.

« VI. Locationibus quoque proventuum, qui Indulgentiarum intuitu accipiuntur, atque quibuscumque aliis contractibus quibusvis personis tam Ecclesiasticis quam laicis, districte sancta Synodus interdicit, atque decernit ut ipso facto Indulgentiæ prorsus revocata esse censeantur, et excommunicationis censuram incurrant, tam locatores quam conductores, et cæteri contrahentes, qui a nullo, quam a Romano Pontifice possint absolvi, cum a Christiana pietate et religione, atque a sanctissimorum Romanorum Pontificum, qui hæc Indulgentias concesserunt, mente sit valde alienum spirituales gratias in sordidum quæstum converti.

« VII. Et cum nuper in hac sancta Synodo quæstorum nomen atque usus abolitus fuerit, et Indulgentias aut alias spirituales gratias per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decreverit, quibus etiam elemosynas atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas data sit, statuit sancta Synodus, ut nemo illas practicare audeat, qui non ab episcopo deputatus, atque pius, eruditus, et ad id munus apte exequendum idoneus ab eodem iudicatus fuerit. Qui vero Indulgentias predicare non deputatus ab episcopo præsumperit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, et a ministerio Altaris suspensus sit, communibusque beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habeat, privetur. Episcopi autem teneantur, antequam Indulgentiæ divulgentur, illarum originalia videre; neque ulla ratione permittant eorum interpretationem, nisi a se approbatam publicari, ne imperite plebi perditæ et scelerati homines, qui quæstum pietatem esse existimant, imponant.

« VIII. Multorum etiam malorum occasio esse solet, quod facultas una cum Indulgentiis

concedatur, aut ita interpretatio a commissariis vel executoribus fiat, ut de male ablatis, vel iis, quæ incertis personis debentur, compositio aliqua, parte etiam parva soluta, fiat; unde occurrit, ut non facta diligentia ut veris dominis innotescat, ipsi debita restitutione fraudentur, et aliis delinquendi occasio præbeatur, atque miserorum animæ magis illaqueentur, cum certum sit peccata non dimitti, nisi quæ ablata sunt restituantur. Quamobrem præcipit sancta Synodus, ut hæc facultas nemini unquam concedatur, neque huiusmodi interpretationes fiant: hactenus vero concessa sit moderatur, ut certis personis ablata eisdem omnino integre restituantur; ea vero quæ incertis debentur, tota iisdem locis piis aut personis quibus illa facultas concessa erat, aut pauperibus restituantur.

« IX. Facultas eligendi confessorem et absolvendi a casibus quocumque modo reservatis, quæ etiam concedi una cum Indulgentiis solet, nemini deinceps concedatur sine magna et urgente causa, et dummodo confessor sit ab episcopo, vel si regularis sit is cui hæc facultas conceditur, a suo superiore approbatus: et ita hactenus concessa interpretentur. Ne vero disciplina Ecclesiastica paulatim collabescat, eadem ratione admonet sancta Synodus, ne deinceps, nisi magnis et urgentibus de causis, relaxationes præceptorum Ecclesiasticorum concedantur, præsertim elemosynarum intuitu, qualis est ciborum delectus, jejuniorum observantia relaxatio, qualis concessio sacramentorum in privatis domibus administrationis, votorum commutationis, sive redemptionis, quibus relaxationibus, et merita diminuuntur, et homines ad penitentiam fiunt segniores: hisce præsertim temporibus, in quibus antiqua canonum in penitentiis injungendis severitas tantopere languit.

« X. Et vero hæc recte executioni mandentur, et nulla fraus intervenire possit, sancta Synodus committit omnibus episcopis, ut Apostolica auctoritate per se, aut suos vicarios, quoties diocesim suam visitaverint, vel alias quoties opportunum videbitur, indulgentias Ecclesiis vel monasteriis, aut aliis piis locis etiam exemptis, et personis quibuscumque item exemptis concessas examinent, et animadvertant, an indulgentiæ ad certum tempus concessæ sint, illudque ne sit finitum; atque an in eos usus pius elemosynæ expendantur, quarum causa concessæ sunt, et quatenus causa cessaverit, ipsas quoque cessasse declarent, et fraudem committentes debitis pœnis atque censuris coercant, omniaque ita moderentur, ut pietatis opus in avaritiam, quæ ab Ecclesia quam longissime abesse debeat, nullo modo cedant.

« XI. Et quia ex locorum et temporum va-

rietate alii atque alii abusus evenire solent, nec possunt omnia unica regula tolli, Conciliis provincialibus sancta Synodus committit, ut quæ in suis provinciis circa præmissa emendatione indigent, ea tolli et moderari procurent, quæ episcopi mandare executioni curabunt, et tanquam Apostolicæ Sedis delegati ».

69. *Articuli hæreticorum de Missa et quibusdam aliis discutiuntur.* — Post varias theologorum disceptationes concepti sunt, xxvii Julii die ¹, discussique in Congregatione generali, atque accuratissimo examine expensi hi articuli, necnon in consequentibus Congregationibus.

Addunt Acta ², perfecta discussione canonum Extremæ-Uncionis et Ordinis, propositos fuisse theologis minoris gradus articulos hæreticorum adversus sacrosanctum Missæ sacrificium.

Articuli super quibus domini theologi dicturi sunt, an videlicet omnes, aut hæretici, aut schismatici esse videantur; et si videntur, quibus testimoniis sacræ Scripturæ, aut sacrorum Patrum, vel Conciliorum auctoritatibus id comprobari possit.

De Missa.

« I. Eucharistiam in Missa non esse sacrificium, non esse oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in Cruce peracti, neque eam offerre esse opus bonum aut meritorium.

« II. Missam nec vivis nec mortuis ut sacrificium prodesse, nec aliis applicari posse.

« III. Missam non esse ex Evangelio, neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus quæstus et lucri causa.

« IV. Missas privatas illicitas esse, atque abrogandas, neque ullo die in una Ecclesia nisi unam tantum Missam celebrandam esse.

« V. Non licet sacerdotibus sacrum facere, si non adsint communicantes.

« VI. Canonem Missæ abrogandum esse, fugiendumque non secus ac pessimam abominationem.

« VII. Aquam non esse miscendam cum vino in Missa, quod ita factum in Evangelio non legitur ».

Qui articuli suprascripti examinantur, et disputantur ab ipsis theologis minoribus a die Martis, secunda mensis Augusti, usque ad diem Lnnæ, vigesimam secundam ejusdem mensis, dicti anni M^oXLVII.

Interea vero dum a theologis minoribus examinantur articuli de Missa suprascripti, discutiuntur a dominis prælatis deputatis theo-

logis censuræ facte in Congregationibus generalibus super canonibus Sacramenti Extremæ-Uncionis et Ordinis, secundum formam exhibitam Patribus die xxvii mensis Julii, qui reverendi domini deputati convenienter per plures continuos dies, a secunda videlicet mensis Augusti usque ad vigesimam sextam ejusdem, coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinali S. Crucis, secundo ipsius Concilii presidente, canones ipsos secundum censuras prædictas aptarunt et reformarunt.

IX Augusti ¹ fuit congregatio prælatorum theologorum: in canonibus Extremæ-Uncionis fuit maxima disputatio inter Patres, an usus Extremæ-Uncionis fuerit semper in Ecclesia: id est, dandi Sacramentum hoc in extremis, cum neque Marcus, neque Jacobus meminerit hujus dictionis, sed locuti fuerint generaliter: *Si quis infirmatur in vobis. Et, Ungebant infirmos, et sanabantur.* Et conclusum quod sic, quia licet forsitan in primitiva Ecclesia daretur aliquando non laborantibus in extremis, ut et donum miraculorum ad fundandam ipsam Ecclesiam faceret, tamen eodem ipso tempore et laborantibus in extremis dabatur.

« XIII Augusti ² legati scripserunt ad cardinalem Farnesium de iis quæ aguntur in Concilio, id est, quod heri perfecta est examinatio censurarum canonum Extremæ-Uncionis, et quolibet die audiuntur theologi super examinatione articulorum de Missa ».

XXIV Augusti ³ reverendissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo cardinale Farnesio Pontificem excoGITASSE se conferre ad hanc civitatem Bononiensem, et Concilio interesse, super quo petit legatorum consilium. Laudat item nomine suæ Sanctitatis, quod reverendissimi legati diligenter intendant prosecutioni et examinationi materiæ Concilii, ut suo tempore in plena sessione omnia publicari possint.

XXV Augusti ⁴ fuit Congregatio prælatorum theologorum super examinatione quatuor capitulum:

« I. Exprimat, quod sacerdotium est potestas in anima, et quod per depositionem non aufertur.

« II. Damnetur, quod neque presbyteri, neque diaconi prædicare possunt, nisi mittantur ab episcopo, vel a Sede Apostolica.

« III. Exprimat, quod episcopus præscitus habeat eandem potestatem, quam electus et prædestinatus.

« IV. Declaretur, quid sit sacerdos, et quid ad eum pertineat ».

70. XXIX Augusti ⁵ propositi sunt canones de Sacramento Extremæ-Uncionis castigati ac redacti in bonam formam.

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3192, p. 373. — ² Act. Conc. Bonon. Auct. Angel. Mass. Secr. Ms. Franc. card. Barber. sign. num. 23. et aliud Ms. card. Pil.

¹ Diar. Conc. Trid. et Bon. 245. — ² Lt. supra p. 216. — ³ Ib. p. 149. — ⁴ Ib. p. 249. — ⁵ Acta Conc. Bonon.

Hoc etiam tempore dum articuli de Missa a theologis minoribus discutiuntur, et canones super Extremæ-Uctionis et Ordinis sacramentis, a prælatis theologis deputatis secundum censuras præfatas reformantur: reverendi domini deputati canonistæ collegerunt abusus super Sacramento Pœnitentiæ. Qui abusus exhibitus fuerunt ab ipsis dominis depulatis in generali Congregatione die Lunæ XXIX Augusti prædicti anni MDCXLVII.

Supererant plura discutienda de Sacramento Matrimonii, atque in primis cum Lutherani negarent clandestina Matrimonia esse valida, tum etiam contenderent vinculum Matrimonii solvi crimine adulterii, adeo ut saltem pars innocens ad alias nuptias transvolare posset, data sunt ad discutiendum singulis Patribus ac theologis argumenta in utramque partem, partim e sacra Scriptura, partim e Conciliis, partim e jure Pontificio et dictis SS. Patrum decreta: auditisque dein sententiis formati sunt canones de Sacramento Matrimonii, qui diligentiori examine discuti cœpti in generali Congregatione habita die X Septembris, tum in aliis Congregationibus coactis usque ad XXIV ejusdem mensis.

71. *Tertîa sessio Bononiensis prorogatur.* — Dum agitantur eæ controversiæ fidei ad discutiendos hæreticorum errores, ut coacto amplissimo episcoporum Italicorum Gallorumque consensu decretoriæ in eo sententiæ sive canones promulgarentur, inopino casu cardis Petri Aloysii Farnesii, et Placentiæ a Mediolanensi præfecto interceptæ, atque provinciæ ob id perturbatæ, quare agendum fuit de prorogatione sessionis, de qua hæc referunt Acta:

« Anno salutis MDCXLVII, Indictione V, Feria IV, XIV mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pauli divina providentiâ PP. III anno XII, Bononiæ habita fuit Congregatio generalis Patrum ipsius Concilii: » multisque interjectis de ritibus sacris observatis additur:

« Absoluta oratione reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis de Monte præsidens et legatus præfatus allocutus fuit Patres, his verbis:

« Dies crastina, sanctissimi Patres, (ut dominationes vestræ sciunt) erit ea dies, quæ statuta fuit a nobis ad sessionem celebrandam. Quot, quantisque et quam diversis circumveniamur angustiis, difficultatibus et impedimentis, nemo est qui non videat. Nondum venerunt prælati complures, quos scimus arripuisse iter, ac præsertim pie et inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudius tertius, nudius quartus: denique tam de repente, ut

non potuerint seipsos et animum suum informare in materia tam gravi, ampla et diffusa, prout est hæc Sacramentorum Ecclesiæ et abusu innumerabilium, qui in ministerio ipsorum Sacramentorum irreperunt. Sed quid loquimur de absentibus, aut de iis qui nuper venerunt? cum illi, qui semper fuerunt presentes, et tota Æstate versati sunt in disputationibus et examinationibus et in audiendo privatim et publice minores theologos, adhuc parati non sint, neque esse potuerint. His difficultatibus atrocitas irrepsit casus illustrissimi ducis Placentiæ, qui nos detinet occupatos in tuenda libertate civitatum Ecclesiæ, ut nos ipsi neque per horam quidem, vel punctum temporis liberi simus. Latamur et gratias agimus Deo, quod in decreto proxime præteritæ sessionis fuerit addita illa clausula, in fine prorogandi et restringendi terminum etiam in privata Congregatione, etc. per quam certe magna cura et sollicitudine levamur, cum non oporteat nos imparatos ad Ecclesiam accedere, ut sessionem celebremus. Itaque ne diutius dominationes vestras perplexas detineamus, consilium nostrum est: quid dicimus consilium? quinimo necessitas, ut beneficio illius decreti et clausulæ nos juvemus, prorogando nunc terminum sessionis, et omittendo crastina die celebrationem. Cupimus intelligere, utrum placeat dominationibus vestris consilium nostrum? Hoc puncto absoluto, agemus de tempore ».

Super qua re rogatis sententiis Patrum, placuit omnibus, sessionem ipsam, quæ die crastina celebranda erat, prorogari.

« Deinde idem reverendissimus et illustrissimus dominus de Monte præsidens et legatus præfatus prosequendo sermonem suum dixit infrascripta verba, videlicet:

« Multum cogitavimus de tempore hujus prorogationis: nullam tandem invenimus in mente nostra rationem, in qua possimus figere pedem pro die aliquo certo. Certi esse non possumus, quando erimus parati in materiis ipsis, ita ut super ipsis possit promulgari decretum. Scimus quod cum essemus Tridenti, et crederemus spatio quindecim dierum posse expediri decretum justificationis, coacti fuimus insudare in eo continuis septem mensibus, non intermit-tendo unum diem, et habendo sæpe duas Congregationes in uno et eodem die. Ubi igitur de fide, de dogmatibus, de concludendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, et interdum in minus verbuli discussione longo tempore immorari. Occurrunt etiam nobis alia difficultates permultæ, sed quæ nos acrius et vehementius urget, est, quia eam videmus esse conditionem temporum, ita esse tempora præparata et disposita ad producendas res novas, ut nesciamus, neque pro firmo et constanti asserere possimus, utrum necessitas nobis futura

¹ M. V. Val. sig. num. 3205. inscriptum Acta Bonon. Conc. 364. Angel. Mass. Secr. in Actis Conc. Bonon. sub Paulo III. M. arch. Val. sig. num. 3213. p. 75.

sit celebrandi sessionem perendie ex aliquo novo et insperato emergenti et incidenti, vel hinc ad octo dies, vel ad unum mensem, vel plures. Propterea sumus hujus sententiæ, ut si velimus caute et prudenter agere, debeamus facere prorogationem ipsam ad beneplacitum Concilii : hoc modo et hac ratione erit semper sacro Concilio liberum et integrum ut possit celebrare sessionem tunc et quando noverit ita honori divino, rationibus ipsius Concilii et reipublicæ expedire, sic denique putamus ex usu esse presentis temporis, etc.

« Postea Patres dixerunt sententias suas, et omnibus placuit sessionem ipsam, quæ die crastina juxta decretum publicatum in proxima præcedenti sessione die secunda Junii presentis anni celebranda erat, prorogari ad beneplacitum sacri Concilii. Et ita fuit conclusum, decretum et firmatum, dein dimittitur Congregatio ».

Interfuere vero illi cœtui duo cardinales legati, orator Henrici Galliarum regis Claudus Durle Forensis provinciæ præfectus, archiepiscopi quinque diversorum regnorum, episcopi quadraginta octo, Prædicatorum, Augustinianorum Carmelitarumque Generales.

72. *Admonitiones Concilii circa abusum qui subreperunt in administrandis Sacramentis.* — Prorogata ita Sessione tertia, vocati sunt in examen canones adversus abusum quos tam in conferendis quam recipiendis vel custodiendo necessario apparatu Sacramentorum Baptismi et Confirmationis admitti contigerat, pluresque congregationes prælatorum theologorum habitæ, in quibus in examen vocantur canones de iis abusibus conscripti, de quibus hæc delibamus :

« Ecclesiasticæ Sacramenta gratis et libere conferantur, ac pro eorum collatione nihil prorsus quovis colore petatur vel exigatur. Proinde nec vasculum, nec linteum, nec aliquid id genus apponatur, per quod saltem tacite quidpiam peti videatur, neque eorum collatio denegetur vel differatur prætextu alicujus quantumlibet longæ atque antiquæ consuetudinis, quod Sacramenta non conferantur, nisi certa prius recepta mercede, aut nisi fuerit satisfactum conferenti de aliqua re ei debita, cum nullius consuetudinis obtentu reatum suum quis tueri possit, nec diuturnitas temporis peccatum diminuat, nec augeat ; qui vero secus fecerit pœnis contra Simoniacos a jure statutis subiaceat.

« Saluberrimum Baptismi Sacramentum non in profanis locis, sed in Ecclesiis tantum conferatur, nisi necessitate urgente ». Et infra :

« Episcopi sedulo præcavere studeant, ut nullum adultum excommunicatum, sive interdictum, seu alias in peccato mortali existentem confirmet, etc. ».

Hi Canones a xxvii Septembris ad v Octo-

bris in Congregationibus discussi sunt, hæc etiam provisæ : sacerdotes in exhibitione Sacramentorum omnino confessi et contriti sint, et si fieri potest, jejuni ; legantque orationes ab Ecclesia institutas, et caeremonias solitas faciant cum concedenti devotione, ad quam etiam eorum exemplo laici præsentibus moveri possint, et parochianos suos erudiant, quomodo in casu necessitatis pueri sint domi baptizandi : debet enim in primis adhiberi sacerdos, si in tempore fieri potest, sin minus diaconus, aut subdiaconus, vel saltem clericus : si vero clericus haberi non potest, vir aliquis, mulier autem non nisi in subsidium viris deficientibus, et quicumque baptizat verba formalia Baptismi omnino explicare debet, neque sacerdotes debent puerum domi baptizatum rebaptizare etiam sub illa conditione : *Quatenus baptizatus non sis* ; sed orationes tantum et caeremonias omissas supplere, et adultos non baptizare nisi præcedente catechismo ad minus viginti dierum, diligenter eos ipsos interim admonendo, ne ad tantum Sacramentum causa alicujus commodi temporalis, vel humanæ gratiæ, sed solum zelo fidei et spe æternæ beatitudinis accedant ; in præmissis negligens a suo ordinario coercetur.

Vetitum quoque, ne occasione Baptismi convivia cum tripudiis et choreis fiant, sed Deo laudes et gratiarum actiones pro tanto beneficio reddantur.

Addunt Acta : « Domini deputati convenientes per plures dies coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinale Sanctæ-Cruceis, secundo ipsius Concilii præsidente, a die Lunæ, x mensis Octob., usque ad diem Veneris iv mensis Novembris diei anni m̄xlviij, canones ipsos secundum censuras præfatas aptarunt et reformarunt ».

73. Interea habiti sunt alii conventus prælatorum jurisperitorum coram cardinale de Monte pro emendandis corruptelis in Sacramentorum Baptismi et Confirmationis administratione committi solitis, exeunteque Octobri in generalibus Congregationibus canones de iis concepti accurate excussi. Addunt Acta :

« X mensis sæpediti Octobris proponuntur examinandi et discutiendi Patribus canones formati super abusibus Sacramenti Eucharistiæ sub forma infrascripta, videlicet :

« Canones super abusibus Sacramenti sanctissimæ Eucharistiæ.

« Quoniam detestabile nimis et piis auribus horrendum est, et nulla ratione ferendum, quod sanctissimum illud et omnium maximum Dominici Corporis et Sanguinis Sacramentum, cui omne genu flecti debet, cælestium, terrestrium et infernorum, hac ætate nostra a nonnullis frigida et negligenti devotione colatur ; idecirco et ex indevotione hujusmodi irreverentia crescat, ex irreverentia contemptus, et ex contemptu

impietas; ad ejus honorem et gloriam, qui sub Sacramento illo mirabili præsenti invisibili continetur, placuit sanctæ Synodo statuere et præcipere :

« Ut quoties sacratissimum Eucharistiæ sacramentum ostenditur in altari, vel etiam deferretur in via, nemo sedere, nemo stare, cuncti qui adsunt protinus assurgere, genua flectere, et capita aperire debeant.

« Ut in qualibet Ecclesia curam animarum habente sanctissimum hoc Eucharistiæ sacramentum, in vase mundo atque honorifico, et sub fidei custodia perpetuo conservetur, et cum necessitas exegerit, ad infirmos quocumque tempore deferri possit, nec ultra quindecim dies renovatio ipsius Sacramenti differatur, ac in Ecclesiis omnibus, in quibus conservari solet ac debet, diu nocturne lampas ante ipsum ardens continuo teneatur.

« Et cum ad infirmos ipsum Eucharistiæ Sacramentum deferretur, in habitu decenti et honorifico per sacerdotem manifeste ante pectus cum omni reverentia, nunquam sine lumine deferatur.

« Ut episcopi et sacerdotes curam animarum habentes non desinant frequenter admonere et edocere populos suæ spirituali curæ subjectos, quanta in hujus admirabilis Sacramenti Eucharistiæ perceptione gratia conferatur : ac propterea eos hortentur, ut frequentius illud accipiant, præparatione tamen debita præmissa. Et qui illud saltem in sacratissimo Dominicæ Resurrectionis Paschale recipere neglexerint, sciant se nulla excusatione fulciri, quin pœnas Constitutionis, quæ incipit : *Omnis utriusque sexus*, in sancta Lateranensi Synodo promulgatâ incurrant.

« Ut ordinarii super his omnibus, de quibus Deo (cujus res agitur) rationem reddituri sunt, diligenter invigilent, eurentque ut hæc præcepta transgressiones ultra pœnas in Constitutione Honorii III quæ incipit *Sane*, et alia Innocentii III quæ incipit *Statuimus*, in sancto magno Lateranensi Concilio edita : quas quidem Constitutiones eadem Sacrosancta Synodus innovandas censuit et innovat, eorum quoque arbitrio gravissime puniantur.

« Admonitiones circa administrationem Baptismi et Confirmationis.

74. « Placuit Synodo statuere et ordinare¹, ut sacerdotes, qui habent populum sibi commissum, et conferunt Sacramentum Baptismi, habeant penes se librum, in quo describantur nomina eorum qui baptizantur, ac parentum, et illorum pariter qui baptizatos ex fonte suscipiunt, et teneant fontem Baptismi elansum, itemque vasa in quibus servatur Chrisma, Oleum

Sanctum et Oleum Catechumenorum, munda, extera et sub clavibus bene custodita, et quolibet anno renovent Oleum Chrismaticum pro benedictione fontis, et Chrisma accipiatur a proprio episcopo, ac in diebus festis accedenti populo ad divina declarent formam verborum Baptismi, vimque et substantiam illorum, et in Ecclesiis Collegiatis in quibus est fons Baptismi, unus de collegio, qui sit idoneus scientia et moribus ad exhibendum ipsum Sacramentum eligatur. Et in baptizando sacerdos admoneat, ac jubeat compartes diligenter attendere, et animadvertere ad ea quæ dicuntur, quæque ipsi compartes pro pueris spondent, cum pueros ipsos in illis instruere suo tempore teneantur. Sintque sacerdotes in exhibitione Sacramentorum omnino confessi et contriti, et si fieri potest, jejuni, legantque Orationes ab Ecclesia institutas, et ceremonias solitas faciant cum decenti devotione, ad quam etiam eorum exemplo laici præsentem moveri possint, et parochianos suos erudiant, quomodo in casu necessitatis pueri sint domi baptizandi. Debet enim in primis adhiberi sacerdos, si in tempore fieri potest, si minus diaconus, aut subdiaconus, vel saltem clericus, si vero clericus haberi non potest, vir aliquis, mulier autem non nisi in subsidium viris deficientibus, et quicumque sit, qui baptizat, verba formalia Baptismi omnino explicare debet, neque sacerdotes debent puerum domi baptizatum rebaptizare etiam sub illa conditione : *Quatenus baptizatus non sit*; sed orationes tantum et ceremonias omissas supplere, et adultos non baptizare, nisi præcedente catechismo ad minus viginti dierum, diligenter eosdem ipsos interim admonendo, ne ad tantum Sacramentum causa alicujus commodi temporalis vel humanæ gloriæ, sed solum zelo fidei et spe æternæ beatitudinis accedant. In præmissis negligens a suo Ordinario coercetur.

« Admonet etiam sancta Synodus omnes episcopos, ut singulis annis in Cœna Domini nova Sacramentaificent, et Sacrum Chrisma non nisi honestis sibi quæ notis personis cedant ac tradant, et saltem in solemnitate Pentecostes confirmare non prætermittant, ac magnam diocesium habentes, dum eam visitant, diocesanos suos ad evitandam confusionem, quæ interdum ex nimia multitudine venientium oriri solet, in locis commodis et opportunitis confirmet, et per seipsum vel alios idoneos declarent confirmandis et aliis presentibus vim et virtutem Sacramenti Confirmationis, et dum confirmando pacem dant, confirmatis leviter eos manu tangant, neque in sua diocesi episcopi levent ex sacro Fonte, vel presentent confirmandos, cum ipsi per exhibitionem Sacramentorum hujusmodi, quæ ad eos vere pertinent, patres sint, et jure proprii officii monere ac docere populos sibi commissos teneantur, nec permittant ab uno

¹ To. XVI. de Conc. Ms. arch. Vat. in scriptum Acta Conc. Bonon. orig. num. 3294. p. 298

presentari in uno die ultra tres confirmandos nisi in casu necessitatis, admonerique eurent plebes sibi creditas, ne occasione Baptismi fiant solemnia convivia cum tripudiis et chorais, sed cum benedictionibus et gratiarum actione, laudum et gloria Dei et Domini Redemptoris nostri, qui ex sua ineffabili bonitate Sacramenta largitus est hominibus in remedium humane fragilitatis.

75. « XXI Octobris ¹ in quatuor Congregationibus maximis disputationibus actum est, au, ubi dicitur in canone illo primo, pro Sacramentorum collatione nihil petatur, vel exigatur, addi debeat, neque etiam accipiatur, adeo ut Patres fere aequaliter divisi fuerint, alii affirmativam, alii negativam partem defendentes.

« XXIX Octobris consentiendum, nihil accipiatur. Et in fine canonis fiat mentio, quod non propterea sancta Synodus intendit prohibere pias et voluntarias Christi fidelium oblationes.

« XXIV et XXV Octobris ² habite sunt congregationes, in quibus excessus canones superiores de Sacramento Matrimonii, et de corruptelis, que inoleverant circa Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ: consecutis etiam diebus censure circa eos allate in jurisprætorum cætu coram primo præside Concilii discussæ.

« Mense Novembri plures cætus habiti pro emendandis corruptelis admissis circa Sacramenta Pœnitentiæ, tum Ordinis, tum Extremæ-Uncionis.

« XVIII Novembris ³ cœpti sunt revocari ad examen canones de abusibus circa Sacramentum Ordinis in generali Congregatione: quod ad xxxv ejusdem mensis Bononiæ perductum est; quorum exempla singulis Patribus tradita sunt, deinde in cætu publico ita peroratum est:

76. « Dolebat ethnicus apud Gentes, in humanis honoribus dandis ultimam de moribus fieri questionem. Quid nobis faciendum est, quoniam in sacris ordinibus et dignitatibus decernendis, nullam de moribus haberi rationem videmus? Ex hoc haud dubie effectum est, ut omnis Ecclesiastica disciplina, vel enervata, vel corrupta, vel pæne extincta jaceat. Hinc tota illa officina vitiorum, que a dissolutis moribus clericorum confecta est, proficiscitur: que quanta sit, non ignorare potest, qui videt tot clericos cujuscumque Ordinis, et utinam non etiam majores prelatos, concubinarios publicos, incestuosos, et aliis abominabilibus fornicationibus publice tamquam in cæno involutos, simoniacos, ebrios, etc. Et quia ab indiscretis promotionibus episcoporum et aliorum prelatorum longe majora et graviora oriuntur scandala, ideo ab iis exordium sumendum est, et in primis circa promovendos.

« Primum igitur remedium istud esset, sine quo semper omnis labor circa reformationem vanus et irritus erit, si a Sancta Sede Apostolica, ad quam ordinationes et promotiones episcoporum pertinent, omnis cura et diligentia adliberetur, ut tales tantum ordinarentur et promoverentur episcopi et prelati, quorum vita, mos, scientia et ætas congruerent censure sacrorum Canonum.

« Item, modus aliquis adhiberetur circa numerum, quando, ut experientia docet, superfluus numerus nullam utilitatem afferat, quamlibet etiam amplissimam dignitatem vilem et contemptibilem reddat. Ideo titulares episcopi, a quibus Ecclesia multa damna et incommoda sustinet, et nullam vel modicam utilitatem recipit, non nisi ex magna et urgenti causa promovendi essent.

« Præterea cum secundum regulam Apostolicam non conveniat episcopum ordinari, nisi in magnis et populosis civitatibus, ne tanta divina auctoritas ignobilitate loci vilescat, et in multis locis (præsertim in Italia) videmus in quolibet oppidulo ordinatum episcopum, ex quo fit, ut cum propter iugentem numerum, tum propter ignobilitatem loci, tum quia ex redditibus illius Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium tantum percipi non potest, ut secundum decentiam episcopalis dignitatis episcopus vivere valeat, necessarium est quod valde vilescat episcopalis dignitas. Honestum igitur, quinimo necessarium videretur, ut Sancta Sedes Apostolica, ad quam hoc spectat, plures hujusmodi Ecclesias convicinas simul uniret, ita ut talis constitueretur episcopatus, ex quo bonus episcopus commode vivere et episcopalia onera supportare valeret.

« Item, desideratur ab illa Sancta Sede, ut rarissime, et non nisi ex magna devotione et exemplari vita, cum ordinandis, sed vel alia urgentissima causa cum promovendis ad episcopalem ordinem, necnon ad sacerdotalem, in ætate dispensaret, cum indecens videatur eos, qui cura aliorum indigerent, ad regendum alios prepositos esse; et non conveniat tantum mysterium, prout est mysterium Altaris, et adolescentibus tractari, quod plerumque ipsos videntes et audientes indevotiores reddit, et nonnullorum animos valde conturbat: qua ratione idem quoque in religiosis statuendum esset.

« Quod vero ad ordinationes, quæ ad episcopos pertinet, illud in primis ordinandum esset ad evitandam confusam multitudinem clericorum et sacerdotum, ut unusquisque episcopus tantum tot clericos in sua Ecclesia et diocesi ordinaret, quot videret eisdem necessarios vel utiles fore, et non admitteret aliquem non idoneum scientia, moribus et ætate secundum cuiuslibet gradus congruentiam: et nihilominus non ordinaret aliquem in sacris Ordinibus, nisi

¹ Diar. Conc. Bonon. p. 266. — ² Acta Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sig. num. 4204. — ³ Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 356.

ad titulum beneficii vel patrimonii habilem, et sufficientem ad sustentationem ipsius ordinandi; alioquin episcopus de propriis redditibus clericos aliter a se ordinaros honeste alere teneretur, nec ulla conventionem aut pacto defendi posset. Eadem quoque observantia faciendi esset in litteris dimissoriis dandis, quas episcopi nullo modo dare deberent, nisi habita diligenti informatione, ut dictum est, de vita, moribus et scientia ejus, cui dictæ litteræ conceduntur: et nihilominus statuendum esset, ut nullus episcopus clericum alterius jurisdictionis ordinare posset, nisi per litteras plena fides sibi fieret de vita et moribus ipsius promovendi, si in sacris Ordinibus de sufficienti titulo, et ipsemet talem clericum habilem in scientia invenerit. Et quamvis tria sint, quæ principaliter in dandis Ordinibus consideranda sunt, aetas videlicet, litterarum scientia et mores, attamen episcopo quoad aetatem non est elaborandum: satis est sibi servare decretum Concilii Viennensis, contra quod ipse dispensare non potest.

« Circa vero litterarum scientiam, constat per rei evidentiam, sive negligentiam, sive dolo examinatorum, valde erratum fuisse, unde tot apparent imperiti et indocti sacerdotes, ut infinitus prope sit eorum numerus. Ut autem aliquando hujusmodi perniciosus abusus ab Ecclesia removeatur, ordinandum est, quod episcopus non majoribus aut gravioribus negotiis impeditus, examini ordinandorum in sacris Ordinibus, et præsertim ad sacerdotalem Ordinem, duobus viris litteratis et timorate conscientie secum adhibitis, personaliter adesse teneretur, sive examen fieret per archidiaconum suum, ad quem regulariter hoc munus pertinet, sive in defectum archidiaconi per deputatos a seipso. Eo vero legitime impedito, archidiaconus, si adest, et ad eum hoc munus de jure seu consuetudine pertineat, duobus pari modo adjunctis sibi viris litteratis et probis ab episcopo deputandis personaliter munus suum adimplere studeat; quo deficiente, episcopus per idoneos deputatos hoc fieri procuret, teneaturque archidiaconus, seu deputati ab episcopo fidelem relationem de idoneitate ordinandorum medio juramento fidem facere.

77. « Circa vero mores, in quibus est difficilius cognitio et majus versatur periculum, videtur quod aliqua utilis provisio fieri non possit, nisi in partem saltem renovaretur censura antiquorum canonum circa tempus probationis vite ordinandorum. Vix enim fieri potest, ut in tribus vel in quatuor mensibus fieri possit probatio vite ordinandi, saltem quoad continentiam, cum multi per duos vel tres menses poterunt se continere, qui per duos vel tres annos non poterunt. Statuendum igitur esset, quod dispositio Concilii Viennensis omnino servanda esset: et insuper quod nemo secularis

excedens xxv annum posset a minoribus Ordinibus ad sacerdotalem Ordinem, nisi post triennium ascendere, nisi quis alioquin idoneus fuerit, vel ex aliqua urgente necessitate, vel utilitate Ecclesie episcopo aliter expedire videretur. Quibus casibus nihilominus triennium illud per episcopum ad minus quam ad annum limitari non posset. Religiosi vero, ubi testimonium probate vite et magnæ devotionis ab eorum superioribus secum habebunt, post annum statim, et non antea, ad sacerdotalem Ordinem ascendere poterunt.

« Curare autem deberet episcopus infra hoc tempus probationis, diligentem et fidelem habere informationem de vita et moribus ordinandorum, et ille videretur bonus modus si in Synodo sua diocesana, quam singulis annis tenetur habere, committeret omnibus suis parochiis, ut unusquisque diligenter procuraret vitam et mores clericorum, qui sub sua essent parochia, ut in proxima Synodo sibi referre possent: quam relationem tenerentur parochi facere cum juramento.

« Et quia plerumque indiscretæ promotiones procedunt etiam a radice avaritiæ, vel ab humana gratia, providendum esset, ne episcopus sub pœna suspensionis ab officio et beneficio, ipso facto incurrenda, aliquod lucrum seu emolumentum occasione ordinationum directe vel indirecte, per se vel per mediam personam, nec etiam occasione sigilli sui recipere posset, exceptis facultis, quæ juxta formam Pontificalis offerri debent. Similiter eadem pœna statuenda esset, ne aliquem in gratiam alicujus ordinaret. Et bonum esset ad removendam omnem fraudem, quæ adhiberi posset, ipsis notariis, qui adhibentur pro rogatu et ordinationibus, statuerent certum salarium pro mercede sua, quod videtur congruum si pro quolibet promotore petente a se testimonium, seu instrumentum, seu promotionis, et non aliter, sextam partem unius aurei tantum exigere possent.

« Providendum quoque esset quod examinatores, ut ipsi aliquid non reciperent pro examine ab ipsis ordinandis; sed episcopus illis de suo, vel de redditibus archidiaconatus, ubi archidiaconus examinare teneretur, et negligenter, vel idoneus non esset, provideret.

« Adjuncti sunt alii canones de habitu clericorum, et pœnis, qui cum non deferret, constituitis: necnon de familia episcoporum et aliorum prelatorum componenda: de suppellectilibus laudibus inhibenda, luxurque castigando, de instaurandis vero provincialibus Conciliis hæc addita:

« Utile esset, ut provincialia Concilia cum effectu restituerentur, ut vera Concilia appareant, et non Conciliorum umbra, in quibus metropolitanus diligenter curam adhiberet, ut plenam notitiam de vita, moribus, scientia et

regimine suorum suffraganeorum caperet : et si aliquem reperiret, vel propter malos mores, vel propter intolerabilem ignorantiam, vel malam administrationem seu negligentiam suos subditos scandalizantem, illum omnino denuntiaret Sedi Apostolicæ juxta sanctorum Patrum regulas corrigendum, et prout saluti subditorum magis utile Sedi Apostolicæ videretur : suffraganei autem pari modo suum metropolitano scandalosum denuntiari tenerentur.

« Valde etiam utile esset si sanctissimus Dominus noster papa singulo saltem triennio per omnes provincias visitatores destinaret, qui plenam caperent informationem de vita, moribus, scientia et regimine praelatorum, et juxta officium visitoris, quæ digna correptione inveniret, et emendaret, et corrigeret ; graviora autem, et quæ fide dignorum testimoniorum in praelatis scandalosa reperiret, suæ Sanctitali fideliter deferret, ut pro exigentia et subditorum salute opportune providere posset, curaretque Sanctitas sua scandalosos praelatos secundum regulas Patrum omnino punire, et nulli parcere, ut saltem formidine pœnæ omnes abstinerent a malo : curaret etiam, ut eisdem visitoribus merum officium visitationis committeret, nullamque aliam facultatem concederet : inhiberet quoque eis omnem pecuniarum exactiorem.

« Quo vero ad inferiores sacerdotes et clericos, ut lolantur infinita scandala, quæ in dies oriuntur, illud videretur omnino necessarium esse, quod statuatur sub gravissimis pœnis, ut unusquisque praelatus, qui de jure vel de consuetudine visitationem habet, suam diœcesim, vel territorium sibi commissum, semel saltem in anno personaliter, nisi legitime impeditus fuerit, et tunc per vicarium idoneum visitare teneatur, et in ipsa visitatione nihil aliud accipere possit, quam procurationem victus, et eum nullo modo in pecunia, etc ».

Jussi quoque religiosorum præsules ad subditorum castiganda vitia incumbere, et qui neglexerint a Summo Pontifice munere suo deturbari, aliosque in ipsorum loca subrogari.

Mense Decembri ¹ actum in Congregationibus de tollendis corruptelis circa Sacramentum Matrimonii. Non tamen superiores canones, in Concilio Bononiensi excussi, in publica sessione promulgati fuere cum præsolerentur Patres, ut Hispani præsules, qui Tridenti hæserant, Bononiam accederent, ut unanimi consensu, sine schismatis metu promulgari possent, sed adversante perpetuo Cæsare Bononiensi Concilio, contententeque illud jure non translatum Tridento, demum prosecutio Concilii intercessa est.

78. *De validitate translationis Concilii disceptatum.* — Ob motas lites a Cæsare de translatione Concilii, « Pontificem ipsum de validitate ipsius translationis ad se et sanctam Apostolicam Sedem advocare oportuit, ipsaque causa pendente Concilii processum suspendere ac prohibere ». Hujus vero rei implicatissima series modo describenda est ¹, cum translationis decreto præsules diversorum reguorum Cæsari obnoxiorum intercessissent, certioreque de ea fecissent Cæsarem, jussi ab eo sunt Tridenti perstare, cum auctoritate sua a Pontifice obtenturum se pularet, ut Concilium Tridento restitueretur, sed cum Joannes Vega illius orator de ea re egisset cum Pontifice, nihil impetrare potuit, ut dictum est, maxime cum contenderet Cæsari esse juris, ut Concilium haberet in sua potestate, atque Alexander cardinalis Farnesius Pontificio nomine scripsit ad Hieronymum Verallium archiepiscopum Rossanensem, Apostolicum apud Cæsarem internuntium ², ut doceret Cæsarem Concilium Bononiense Tridentum reduci non posse, nisi ex consensu ipsius Concilii, cujus in ea re auctoritas infringi non deberet, quæ litteræ quinta Aprilis exarate sunt. Medio vero Aprilis ³ a Pontifice cardinalis Sfondratus missus est ad Cæsarem, ut eas de Concilii translatione controversias componeret, promoveretque ut residuos Tridentinos Bononiam accedere juberet, at Cæsar e contra misso Didaco Mendoza urgebat Pontificem, ut Concilium Bononiense Tridentum revocaret, adeo ut ex contrariis voluntatibus Pontificis Cæsarisque animi exasperari cœperint, ut narrat Augustus Massarellus ⁴, qui Concilio a secretis erat :

« Secunda Maii retuli D. cardinali de Monte in Congregatione reverendissimorum deputatorum cardinalium Romæ super rebus fidei conclusum esse, ut Concilium hic Bononiæ suum haberet progressum, et quod Pontifex ea die, qua recessit ex Urbe, præteriti mensis versus Viterbium, cum denno molestaretur ab illustrissimo domino Didaco a Mendoza oratore Cæsareo, ut comilium Tridentum reverteretur, idque instantissime nomine Cæsareo peteret, neque rationibus suæ sanctitalis acquiescere vellet, Pontificem respondisse, quod Cæsar volebat Concilium reverti Tridentum, et ipse volebat quod permaneret Bononiæ, ubi nunc est. Cumque iterum impeteretur Pontifex ab illustrissimo domino Didaco, suam sanctitatem replicasse, quod Cæsar debebat meminisse, quod non suæ majestati Cæsareæ, neque imperatori dictum fuerit a Christo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, sed Petro et Pontificibus successoribus, quo dicto

¹ Acta Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sig. num. 3204. pag. et aliud Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 123.

¹ Angel. Mass. in Actis Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 79. — ² Ext. in Ms. card. Pii sic. num. 260. — ³ Diar. Conc. Trid. et Bonon. Auct. Angel. Mass. p. 221. — ⁴ Ms. Arch. Vat. Diar. Conc. Trid. et Bonon. Auct. Angel. Mass. p. 2216.

terga dedit, et recessit a conspectu ipsius D. oratoris Casarei.

« III Maii ex Germania dominus Verallus nuntius Apostolicus litteris XIII datis significat imperatorem adhuc esse firmi animi, ut Concilium Tridentum revertatur, adducienon posse, ut credat eo tempore, quo translatio Concilii facta est, Tridenti fuisse punctulas, proptereaque cum Pontifice et reverendissimis legatis maxima sit concitatus ira maximeque in specie contra cardinalem Sancte-Crucis, cui totum negotium translationis tribuit. Reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium mittentes copiam litterarum domini Veralli, et respondentes ad tria capita ipsarum litterarum, quibus imperator dicit non fuisse petechias: loci nominationem et assecurationem pertinere ad suam majestatem; tertio quod præcepti declaratione legatis usi sint in ipsa translatione, quæ omnia falsa esse ostendunt reverendissimi legatis, etc.».

79. Interea componendæ lili navata est opera, ac propositum est, ut præsules qui Tridenti haserant Bononiam accederent, ut Concilium Bononia Tridentum unanimi voluntatum conspiratione reduceretur: tum etiam postulatum a Casare, ut Lutheranos ad excipiendâ Concilii decreta cogeret, de quibus ultima Maii a cardinale Farnesio ad cardinalem Sfondratum in Germania legatum subjectæ litteræ¹ exarata.

« De his, quæ inter Pontificem et Didacum Casaris oratorem acta sunt, certiores facimus, quia est animadversum, ex dissensione circa Concilium plura mala emergere posse, de concordie ratione inveniendâ agendum visum est, et licet Didacus nullis ad eam sit instructus mandatis, tamen cupiditate servandæ conjunctionis inter Casarem ac Pontificem colloquium non refugit, proposuitque ut Concilium revocetur Tridentum, vel in alium Germaniæ locum transferatur: pro ea provincia Ecclesiæ concilianda, ut Concilii Sedisque Apostolicæ dignitati consulari, posse præsules Tridentinos Bononiam accersiri, ut communi consilio ea translatio decerneretur. Cui responsum est, ut consentiat Pontifex illi translationi in Germaniam, necessarium, ut de effectu et successu felici (cujus gratia petitur Concilium) ipsi exploratum sit, ut Germania submittal se ad excipiendâ decreta ejusdem Concilii, nec id difficile fore Casari, ut id suadeat Pontifici, si Germanos adduxerit ad decreta Tridenti edita, vel in comitis Ordinum permoverit, ut decernendis in Concilio parent, vel alia quacumque ratione constare possit effectum, quem pro motivo offert, successuram, secus enim præsules persuaderi non posse ut in Germaniam redeant, pluresque

restimatos, Pontificem in re ad universum orbem Christianum spectante prudentia non uti, si verbis nudis ad deliberationem gravissimam moveretur, eoque magis, quod Concilium jam bis Tridenti convocatum sit, nec duorum amorum fluxu aliquid conversionis Germanorum signum affulserit: remque eo magis honestam, ne Pontifex sine causa id aggrediatur, ac tum sibi æqui consulere, tum aliis principibus rationem reddere possit, ad quæ Didacus respondere non potuit, licet opinetur Germaniam Concilio parituram; negare etiam non potuit consentaneum esse rationi, ut Tridentini Bononiam veniant, ac una cum aliis de rebus ad Germaniam spectantibus decernant, maxime pro restituendâ disciplina, tum ne Concilii fama obsolescat, dum marcet otio, tum ut communibus sententiis Bononia pro Germaniæ reconciliatione translatio fiat. De his Didacus ad Casarem rescripturus est, petitque, ne hæc actio Bononiensium decretis perturbaretur, ut eorum sessio protraheretur, cui Pontifex protrahendam consensit, ut antea protracta est, tum ut ille rem ceptam promovere, tum vestra dominatio ad Casarem majestatem rebus integris pervenire possit: certiores etiam facimus, Galliæ regem præsules quamplurimos missurum Bononiam, ac dignitatis Sedis Apostolicæ asserendæ studium ingens explicare: convenit præterea Pontifex cum Didaco, ut Casari pro compensatione fiduciariorum bonorum Ecclesiasticorum quater centum millia numero tradantur, licet nondum cepta sit Germaniæ reductio, ex quo Casar optimam Pontificis voluntatem dignoscere possit. XXXI Maii MDCXLVII.

80. *Carolus V oppugnat Concilium Bononiense, cujus rex Galliarum defensionem suscipit.* — Extremo eodem mense¹ actum est, ut si Tridentum reduci Concilium non posset, alia Italiæ civitas, ut Ferraria, vel Luca, vel Senæ pro celebrando Concilio a Pontifice designarentur: at neque Casar oratoris sui propositionem admisit, sed in suscepta voluntate persistit, quod mense Julio legatis Bononiensibus significatum a cardinale Sfondrato refert Angelus Massarellus²:

« XII Julii litteris cardinalis Sfondrati legati apud Casarem ad reverendissimos legatos in hujus Norimbergæ datis significatum, quod Casar adhuc est ejus opinionis, ut Concilium Tridentum revertatur, neque ullis rationibus hinc usque flecti potuit.»

Obfirmato in sua sententia Casare Pontifex in eas leges descendit, Concilium Tridento restitutum iri, modo Germani pollicerentur se decreta Concilii excepturos, et vacuo sacrosancto solio nihil novatum iri. Quod in sanctiore se-

¹ Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 260.

² Diar. Conc. Trid. et Bonon.

nato Pontificio constitutum narrat memoratus auctor¹ :

« Ex Urbe scribitur, quod die XIX hujus in Congregatione deputatorum cardinalium conclusum sit, quod Pontifex reducat Concilium Tridentum quibusdam adjectis conditionibus, videlicet, quod Germani primo promittant se recepturos quicquid actum est et agetur in Concilio, item quod in eventu Sedis vacantis, Concilium nihil innovet, et quibusdam aliis ».

81. Noluit Cæsar ad id obstringi, subinde actum est de intercedendo progressu Bononiensis Concilii, quod Cæsar toleraturum se negabat, ut propterea belli terror impenderet, ad quod propulsandum inter Pontificem, et Gallorum regem, ac Venetos pro tuenda Italia tractabatur: cum vero Sfondratus in Germania legatus Concilium Bononiense suspendendum consuleret, Bononienses institerunt, ut cœtus Tridentinus dissolveretur, ut tradit Diarium² :

« XII Julii cardinalis Sfondratus legatus apud Cæsarem ex Germania significabat Cæsarem majestatem adhuc enixe petere, velleque quod Concilium revertatur Tridentum, suadetque ipse reverendissimus Sfondratus fieri suspensionem Concilii, ipseque cardinalis Farnesius petebat consilium, et sententiam ipsorum reverendissimorum legatorum; qui igitur reverendissimi legati responderunt, suspensionem eis non displicere, quando fieri posset, ut prælati, qui sunt Tridenti, illinc descenderent, neque corpus illud qualecumque sit, remaneret, et hoc legitimum, (quod nunc est Bononiæ) dissolveretur. Sed quoniam hoc fieri non posse credunt, consulunt ut sanctitas sua per Breve convocet ad se unum ex ipsis legatis, vel ambos una cum aliquibus prælatis, qui hic sunt, Romanam, et similiter cardinalem Giennensem, et aliquot ex prælatis, qui sunt Tridenti, hac occasione, ut velit intelligere eorum rationes et causam eorum concordare, et interim Concilium suspendatur, id est, non procedat sine novo mandato Suae Sanctitatis. Quod utile futurum multis rationibus demonstrarunt ». His addidere legati Bononienses datis X Augusti litteris ad cardinalem Farnesium, Concilium non esse revocandum in Tridentinam civitatem, non modo Cæsare, sed etiam cæteris regibus inconsultis, cum ita in translatione Concilii decretum esset: rursusque aliis datis XII Augusti ad eundem Farnesium Pontificis optimam voluntatem commendarunt, quod translationis negotium ad Concilium Bononiense referret, rursusque XX Augusti cardinali Sfondrato vehementer suadenti, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur acerrime contrariis argumentis repugnarunt, ex qua re discordiæ magis

exasperata non sine maximo Ecclesiæ damno, fideliumque perturbatione, hæreticorum vero funestissimo tripudio; Cæsar enim in sua obfirmata sententia publicas provocationis litteras adversus Concilium Bononiense edidit³, atque ad ejus impedienda acta litem intentavit, illud jure transtatum non fuisse, ita demonstrans :

82. « Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, etc. Rex archidux Austriae, dux Burgundiæ, Brabantiae, etc. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, etc.

« Notum facimus tenore præsentium, cum pro ratione muneris nostri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, proque eo zelo, quem erga sacrosancam fidem et religionem nostram orthodoxam gerimus, et ipsius religionis summa necessitate ita exigente, cogamur contra nonnullos, qui sese asserunt legationis munere fungi una cum aliis prælatis et personis in conventu Bononiensi, cui titulum Concilii generalis prætexunt, jam congregatis et eo nomine congregandis, justam atque legitimam protestationem facere, id vero ob locorum distantiam coram facere non possumus. Expropter de fide, prudentia et rerum usu honorabilium doctorum, fidelium nobis dilectorum Francisci Licentiati Vargas procuratoris generalis fisci nostri regii Castellæ, Martini de Soria Velasco Burgensis jurium doctoris, consiliariorum nostrorum plane contisi, eosdem tecimus, constituimus et deputavimus, ac tenore præsentium ex certa nostra scientia, deputamus procuratores et mandatarios nostros simul et in solidum, dantes eis plenam facultatem et potestatem, ut simul, vel saltem eorum, qui interesse poterit protestationem nostro ac totius sacri imperii, regnorumque et dominiourum nostrorum omnium nomine contra præfatos assertos legatos, aliosque prelatos et personas nomine Concilii Bononiæ, tam congregatos quam congregandos solemniter, tum verbo, tum scripto proponere, et adregistrari petere, et obtinere instrumenta superinde necessaria a notario seu notariis publicis adhibitis seu adhibendis requirere, et omnia alia dicere, facere et exercere possint et valeant, quæ in hujusmodi actibus requiruntur et necessaria fuerint, seu quovis modo opportuna, et quæ nos ipsi facere possemus et deberemus, si præmissis personaliter interessemus, et secundum quod a nobis habent in mandatis, promittentes in verbo nostro Cæsareo et regio, nos ratum gratumque habituros quicquid per præfatos procuratores et mandatarios, vel alterum eorum, factum, dictum gestumque fuerit in præmissis, nec quovis modo illis con-

¹ Diar. Conc. Trid. p. 242. — ² Ext. in lit. card. Farnes. Diar. Conc. Trid. et Bonon. Arch. Vat. p. 242. Auct. Ang. Mass. Sur.

³ Ext. inter Acta Conc. Bon. p. 43. Ext. etiam apud Melch. Goldast. to. 1. p. 563. Ext. inter Acta Conc. Bon. p. 48. simil. p. 786. ad Didacum Mendoza. Ext. in Ms. card. Pii.

traventuros esse, dolo et fraude penitus remotis, harum testimonio litterarum manibus nostris subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Dat. in civitate nostra imperiali Augusta Vindelicorum die xxv mensis Augusti anno Domini MDXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII.

« CAROLUS ».

Ex his corrigas errores, qui apud Goldastum in nota temporis irrepserunt, adscripsit enim male annum Domini MDXLVIII, imperii annum XXVII.

83. Cum deprimere atque evertere Concilii Bononiensis auctoritatem niteretur Caesar, Pontifex ad eam confirmandam de adeunda Bononia deliberavit, sed legati Bononienses xxvii¹ Augusti rescribere id rebus praesentibus non conducere, ne videretur cogere velle Concilium ad suas voluntates.

Porro ad infringenda Caesaris molimina Pontifex Gallorum regis amicitiam prensavit, qui promptissimo animo ad Pontificis et Concilii Bononiensis defensionem suscipiendam se obtulit, Gallicarum rerum in Itali agendarum spe, de quo haec Angelus Massarellus narrat² :

« Reverendissimi legati receperunt litteras a reverendissimo Domino cardinale Sancti-Georgii legato apud regem Christianissimum, et episcopo Imolensi nuntio xii hujus, regem illum accepisse coronam et inunctionem xxvi praeteriti mensis Julii in Rhemensis civitate a novo cardinali et archiepiscopo illius loci.

« Item, quod rex ipse jusserat, ut illustrissimus dominus Durfe orator suus designatus ad Concilium una cum praefatis nonnullis electis ex Galliis discederet, et Bononiam peterent, miseratque duas litteras regias domino archiepiscopo Aquensi, et alteras episcopo Mirapicensi, qui fuerant in Concilio Tridentino regio nomine, post translationem tamen huc accedere noluerunt sine mandato sui regis, quibus mandatur, ut statim se Bononiam conferant ».

Cum misisset etiam³ regulum Bohannum Henricus rex, ut regio nomine obsequium Pontifici addiceret, ille vigesima secunda Augusti Bononiam pervenient legatos Concilii convenit, quibus optimam regis erga Pontificem et Concilium Bononiense voluntatem exposuit, significavit regulum Durfeum oratorem ad Concilium, cum multis praesentibus ac theologis decretum fuisse, quod exeunte Augusto in Gallia a la Pontificis legatus litteris suis confirmavit, quem quidem oratorem venisse Bononiam mense Septembri, ac secundum oratorem fuisse Hospitalis Parisiensis praesidem refert Diarii Bononiensis auctor, atque ipsa Concilii Acta testantur.

Ineunte Septembri iterum Sfondratus et Augustensis cardinales monuere Pontificem fixum stare Caesarem menti provocare adversus Concilium Bononiense, atque ad Pontificem jus ferenda sententiae in ea lite spectaturum, retardandamque esse sessionem Concilii Bononiensis, ut docent Acta.

« III Septembris reverendissimus legatus cardinalis Sfondratus et cardinalis Augustensis scribunt ex Germania, quod imperator adhuc enixe petit, ut Concilium reducat Tridentum, et quod alias sit protestaturus contra nullitatem Bononiae attentam, etc. Consulunt reverendissimi legati de his consulti a cardinali Farnesio) ad tollendas omnes altercationes, ut sua Sanctitas judicium de hac controversia faciat, ad eum enim pertinet decidere, scilicet an translatio sit valida necne, quod judicium Sua Beatitudo facere potest in consistorio publico coram cardinalibus, praelatis aliquibus et oratoribus principum, ut re cognita et informatione habita, a se uno, vel etiam duobus legatis pronuntiet veritatem, ut tandem una pars quiescat, et quod expediat prorogare futuram sessionem, cum praelati Galli prope diem venturi sint ». Ea monita de retardanda Sessione secutus Pontifex legatis Bononiensibus significavit vii Septembris opera cardinalis Farnesii, ut aiunt Acta :

« Quod Sanctitas Sua cupiebat relinquere diem incertum pro futura Sessione, et quod prorogaretur ad tempus beneplacito Synodi declarandum. Item, quod orator ipse Didacus ponat et offerat quasdam condiciones non adeo sperandas pro concordia Pontificis et imperatoris circa locum Concilii ».

84. *Conventus Augustani postulant, sed iniquo animo, ut Concilium Tridento restitatur.* — Decima Septembris, trucidato Petro Moxio Farnesio, Parmae et Placentiae duce, Placentiaque ab Insubria praefecto Caesare occupata, dissidia magis inter Pontificem Caesaremque exacerbata sunt, Bononiaque bellico terrore concussa est. Decimo quarto vero Septembris Ordines imperii Status Ecclesiastici ex Augustanis Comitibus Pontificem supplicibus litteris rogant, ut pro Lutheranis, qui se Concilii decretis submiserant, ad Ecclesiae gremium revocandis, asserenda libertate Ecclesiastica, excindendis haereson erroribus, instauranda disciplina Christiana, Concilium Tridento restitueret, nisi justis postulatis obsecraret, alia consilia rei concilianda idonea, ac forte ingrata Pontifici majestati ineunda monuerunt, quae littera his verbis concepta fuere⁴ :

« Sanctissimum in Christo patri ac domino Paulo ejus nominis III, divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae

¹ Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 250. — ² Diar. Conc. Trid. et Bonon. — ³ Diar. Conc. Bonon. ibid.

⁴ Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3224, p. 92. in Ms. card. Pa sig. 260 p. 60.

Summo Pontifici, domino nostro colendissimo.

« Post debita beatorum pedum oscula. Beatissime in Christo pater et domine elementissime. Quantis malis atque incommodis multos jam annos ex novorum dogmatum importunitate vexetur Germanica natio quantisque agitata dissidiis concussa fluctuet, afflictæque pæne ad extrema deducta sit, multis modis cognovit sanctitas vestra, et ni cognovisset, vocem tamen gemitus laborantium Ecclesiarum in eadem natione, et convulsi Ordinum imperii nexus, ad extremum etiam fremitum, fragoremque armorum in ultimam inter se cladem imminenti Transalpium juga exaudire potuisset, nec dubium est, quin his tantis malis paratum semper provisumque fuerit auxilium, si modo adhiberi maturo glisciente morbo in tempore occurrere potuisset. Qua quidem in re, beatissime pater, cum nos pro officio, et fide nostra erga rempublicam Ecclesiasticam, proque observantia ea quam debemus ac libenter deferimus Sedi Apostolicæ, in generalibus conventibus actum illud semper judicaverimus, non posse tantorum malorum causam terminari, nec restingui incendium, nisi universalis Concilii iudicio et auctoritate, summo consensu ac studio, non semel egimus apud Cæsaream majestatem, quam per se propensam tamen, nostræque studia antevertentem semper invenimus, ut pro imperiali auctoritate ac nomine instaret apud Sanctitatem Vestram de indicendo celebrandoque in aliquo opportuno loco Germaniæ Concilio, non equidem ad rationem civitatis, privatamque commoditatem nostram, sed ut obiri is conventus ac frequentari possit ab aliis, quos maxime interesset, qui cum propter episcopatus suos tenerent etiam sæcularium ditiorum gubernacula, in hac temporum perturbatione, incertoque rerum statu longe abesse a domo, atque evagari, sine publicæ pacis periculo non possent, et hac quidem sedula, omnibusque conventibus repelita flagitatione, eo usque profectum est, ut post irritam Mantuanæ ac Vicentiæ Synodi indictionem longo satis, sed heu! nimis longo intervallo, ac pæne fessis Germaniæ rebus, indictum sit Tridentinum Concilium, non indictum modo, sed etiam inchoatum magno quidem voto omnium et expectatum, sed non, ut flagitatum erat, intra fines Germaniæ, resque ita poscebat, sed in Tridenti oppido longe interjectis Alpium montibus, ut verius in Italiæ finibus, quam intra Germaniæ oram constitutum fuisse videatur: quæ sane etiam causa fuit, beatissime pater, quod pauci admodum ex nostris, ac nulli pæne eam adire Synodum, ac ne nuntios quidem suos mittere potuerint, præsertim ardente bello maximo periculosissimoque in Germania, quod jam multo ante ex eisdem malorum causis, de quibus hic querimus, impenderat, cui tantus

terror ac trepidatio extitit, ut metu periculorum armorumque discursu completa fuerint omnia, nullum iter satis tutum, nullus aditus ad Tridentum patuerit; sed nunc victis fractisque inconsultæ temeritatis viribus, cum virtute ac felicitate Cæsareæ majestatis, adeoque evidenti clarissimoque Dei beneficio res cum in locum adducta sit, ut respirare tandem ac meliora sperare liceat; cumque omnes jamdudum in spe certa erecti simus pacem restitui posse Germaniæ, omniaque ad pristinum ordinem et tranquillitatem facile redigi, si modo radix incurventium malorum causaque ipsa amputata fuerit, ecce in ipso portu, medioque successu rerum bene gerendarum, vel transfertur, vel ut alii volunt, dividitur Concilium, ex cuius progressu et determinatione pendebant omnia, ejusque iudicii severitate tanquam gladio quodam amputari, excindique oportebat stirpem hanc, ex qua provenerant hæc mala omnia, neque futura tempora, nisi propitia, sine dubio proventura sunt.

« Non possumus, beatissime pater, non possumus non dolere ac satis conqueri vicem periclitantis Germaniæ, totos septem et viginti annos conflictamur, cum variis perniciosisque dogmatibus invalueret sectæ variæ, episcoporum auctoritas, universa pæne disciplina Ecclesiastica jacet. Heu! quantum mali, quantum jacturam animarum trahit hæc una vastitas. Tunc vero ex eodem fonte veneni promanantibus late rivis, nulla societas animorum inter diversæ religionis sectatores, nulla firma conjunctio, nulla jam pridem exiit. Laxata est pulchra illa imperii compago, turbatique ordines, in quibus dignitas cum potentia, vires cum auctoritate non ad privatorum modo salutem, sed etiam ad totius Ecclesiæ presidium semper conjunctæ fuerunt: nec patet tamen adhuc exitus, frustrata expectatio, quia quo solum sustentabatur Sedis Apostolicæ auxilium, negatum fuerit, spes omnes rationesque nostræ pariter conciderunt.

« Hæc cum ita sint, vereque majora etiam, nisi mature provideatur, impendeant, supplicamus sanctitatem vestram, quantoque possumus studio et obsecratione obtestamur, ut integrato Tridentino Concilio, quo in pristinum locum ac statum suum restituto, consulat salutem et tranquillitatem nationis Germanicæ: eadem opera efficiat, ut expulsis errorum tenebris omnique dissidio procul ab Ecclesiastica doctrina atque animis hominum profligato, reddatur lux pristina Ecclesiæ in Germania cum splendore: cum veritas cultusque religionis Catholice pristinum locum et dignitatem suam recuperaverint, tum fructus cælo digni ampliores profecto quam multis jam annis factum est, consequentur. Hoc si fecerit sanctitas vestra, nostrisque precibus, quas non justas modo, sed etiam

necessarias arbitrati sumus, locum dederit, habebit nos paratos et obsequentes ad omnia, quae pro extirpandis haeresibus, proque pacificatione non tantum Germanicae nationis, quae ut labore praeteris, ita maiore etiam cura, presentioreque medico opus habet, sed totius etiam imperii, atque adeo Catholicae Ecclesiae tranquillitate suscepta fuerint: seu minus, quod divina clementia in hoc ancipiti periculosoque rerum statu avertat, quod agemus aut quo confugiemus, beatissime pater? Unde petemus auxilium certis nimis ruinis nostris? Cui denique Sedis Apostolicae, quam contra procellas omnes Servator noster supra firmam petram constituit, praesidium implorabimus? Undique urgent veni et ad extrema jam ventum est. Videat sanctissima paternitas vestra, ac pro fide summaque sollicitudine sua erga rempublicam Christianam reputet, si nihil profecerint preces nostrae, nihil pericula Germaniae, quae neque progredi longius, neque ampliore dilationem ferre possunt, quis tandem exitus malorum futurus sit, adeoque illum possideat, ne cessante diutius in hoc opere Sede Apostolica, alia sumantur consilia, aliisque viis et rationibus haec causa tandem expediatur. Haec sunt, beatissime pater, quae nos hoc tempore pro officii nostri ratione coegit summa rerum necessitas ad sanctitatem vestram perscribere, orantes, ut studium hoc sedulitatemque nostram boni consulat, Deumque Optimum maximum precantes, ut eandem sanctitatem vestram longissimo tempore valentem et incolumem conservet. Ex conventu Augustano xiv Septembris mdxlvii. Ordinum imperii status Ecclesiastici in conventu Augustano ».

85. Quid ad has litteras responderit Pontifex proximo anno referemus. At Protestantes, qui nunquam sincero animo, sed fraudulento de concordia egere cum Catholicis, cum audirent Pontificem a Concilio Tridentum reducendo abhorrere, institere, ut in Tridentinam urbem revocaretur, eo tamen Tridentum revocato, mox petitori, ut in interiorum Germaniam transferatur, quo ipsum in sua potestate habeant; addidere alia etiam postulata impia, ut episcopi a sacramento Pontifici praestito et religione solverentur, et ut legati Pontifici non praesent Concilio, sed tanquam privati tantum episcopi interuentii interessent, hoc est, ut Catholici a Christo et ejus Vicario ad Sathanam et Lutherum deficerent, nec Tridenti fieret Concilium ad divulsa Ecclesiae membra redintegrandi, sed conciliabulum contra veterum Conciliorum instituta ad membra Ecclesiae a suo capite divellenda. De his vero cardinalis Sfondratus apud Casarem legatus, Bononiensis Concilii legatos certiores fecit, ex quibus patebat, quam juste Pontifex urgeret Casarem, ut pro restituendo Tridento Concilio se obstrin-

geret ad Lutheranos adigendos, ut decretis Concilii Tridentini promulgatis promulgandisque obsequerentur. Ea vero in litteris cardinalis Sfondrati, quae Bononiae xi Octobris exceptae fuere contineri docet Angelus Massarellus, qui Concilio a secretis erat, his verbis: « Cardinalis retulit, quae sint illa enormia, quae petunt Lutherani circa religionem et Concilium ab imperatore, videlicet quod volunt Concilium sedere Tridenti. Secundo, quod absolvantur a juramento praestito Sedi Apostolicae. Tertio, quod papa non praesit Concilio, sed tantum mittat suos legatos, ut simplex episcopus Romanus ». Nunquam tot saeculorum flexu hujusmodi naevias Catholica Ecclesia sibi cani ab haereticis audierat, quae in tot Conciliis Oecumenicis legatos Pontificis ut praesides Conciliorum admisit, ut ex ipsorum Actis, et a cardinale Baronio in historia Ecclesiastica demonstratur.

86. *Archiepiscopus Gnesuensis Synodum colligit de episcopis Polonis ad Concilium mittendis, sed anceps remanet, audita translatione Concilii.* — Quae vero inter Alexandrum cardinalem Farnesium, et Didacum Mendozam Casareum oratorem pertractata pro componenda controversia, vidimus ea a Casare repudiata, ut scripsit mense Octobri ¹ cardinalis Sfondratus, quo tempore Nicolaus archiepiscopus Gnesuensis Poloniae primas significavit Paulo III coactam fuisse a se Synodum pro decernendis episcopis ad Concilium Tridentinum, sed translationis Tridento Bononiam factae fama accepta haesisse ancipites Polonos praesules ac doctores, an Bononiam proficisci deberent, in quam nondum Transalpini aliorum regnorum episcopi se contulissent, exposuitque nullam utilitatem ex Concilio Bononiensi, ad quod Germani non essent accessuri, decerni posse, ac si Bononia Romam translatus sit, eo majores animorum motus clamoresque adversariorum concitatum iri, atque adeo rogavit Polonorum nomine Pontificiam sanctitatem, ut pro universae Ecclesiae bono in Tridentinam urbem Germanis Polonisque commodiore Concilium revocare dignaretur ²:

« Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo III, divina providentia sacrosancta ac universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, domino clementissimo.

« Sanctissime ac beatissime in Christo pater ac domine clementissime, observantiam meam et servitum meam perpetuam sanctitati vestrae submitte et reverenter in primis dextero, quod in hunc usque diem nemo ex provincia mea ad sacrosanctum Concilium Oecumenicum venerit, ne putet Sanctitas Vestra negligentia id factum esse, sed quod mandatum ea de re Vestrae Sanctitatis, atque ut more majorum meorum ad

¹ *Diar. Cone. Trid.* p. 265. — ² *Ms. ead. Di sig.* 260, p. 81.

sacrum Concilium hoc a Sanctitate vestra vocarer expectabam, postquam vero certior sum factus, qui ante me ad Ecclesie metropolitanae hujus gubernacula sedit rev. D. Petrum archiepiscopum Guesnensem et episcopum Cracoviensem ad Concilium hoc, quod Tridenti fuerat in Christo congregatum, Sanctitatis Vestrae litteris vocatum fuisse, et si æquum erat, ut illo ex hac vita sublato mihi quoque, qui sum illi in hac Ecclesia metropolitana successor, aliqua ejus rei significatio daretur, feci nihilominus, ut in provincia mea Synodum convocarem, in qua de mittendis ad Concilium hoc Œcumenicum legatis deliberatio susciperetur, ad quam cum frequentes nuntii et Ecclesiarum cathedralium nuntii venissent, designati quidem sunt de consilio sententiaque omnium, qui ad Concilium istud proficiscerentur, sed quoniam allatum sub id tempus fuerat, sacrum Concilium hoc Tridento Bononiam esse translatum, quo nemo se Transalpinorum episcopus conferre voluerit, ingens fuit dubitatio, num ad id Concilium, sive potius ad eum locum nobis proficiscendum esset, quo nullus adhuc Transalpinorum venisse diceretur. Tandem decretum est in Synodo provinciali per me congregata, ut ad Sanctitatem vestram litteras darem, quibus illi significarem, simul etiam communi sacerdotum ordinis nomine, qui sunt in provincia mea, supplex illum orarem et obsecrarem, quandoquidem capitis nostri Domini Jesu Christi in terris locum gerit, ut afflictis ejus rationibus succurrere, et quæ gravissima nostris cervicibus impendere pericula videntur, ea prudentia vigilantiaque sua, prout amantem sui gregis pastorem facere decet, propellere et propulsare dignetur. Summa secundum Deum spes nobis fuit extirpandarum hæresum et tollendorum fidei dissidiorum, et rerum Ecclesiasticarum constituendarum in sacro Concilio hoc Œcumenico edicto, sed cum ad id e Germania nemo prope venisse diceretur, quæ præcipue Concilio huic congregando causam dedisse videbatur, et in provincia mea dubitare multos videbam, num apud omnes rata erant futura, quæ in eo definita essent, quoniam sermones quorundam ad me perferebantur, quorum in his terris auctoritas erat non postrema, qui dicerent nequaquam se recepturos, quæ per vestros et Concilium forent allata, nisi a finitimis quoque nobis populis eadem illa recepta prius essent, justam etiam habere causam ad Concilium non veniendi Germanos vulgo fertur, quibus cum liberum Concilium promissum esset, nunc in his locis haberetur, ubi tuto eis versari, ac libere quid sentirent dicere licitum non foret, quorum causa etiam si a nostra sejuncta est, nos tamen nusquam esse possumus tutiores, quam sub umbra alarum

sanctitatis vestrae, quam indubitatum Christi vicarium profitemur, ejus auctoritatem non modo non fugimus, verum etiam, nisi illa salva, salvos nos esse non posse persuasum habemus, non visa tamen sunt nobis ea negligenda, quæ passim a multis dicuntur, de quibus ut certiorum facerem Sanctitatem Vestram, universæ Synodo, a qua tamen propter adversam valetudinem meam longius aberam, visum fuit, cujus etiam nomine ad beatos sanctitatis vestrae pedes provolutus supplico vestrae sanctitati, qua summa possum animi mei submissione, ut rationem aliquam ineam, qua possit præfato quoque ordini, quem sæcularem vocant, satisfieri; alia autem ratione vix posse videtur, quam si Concilium in hujusmodi loco habeatur, de quo nemo queri possit, quod ei tutus ad illum accessus non pateat, nam si, quod instituisse dicitur Sanctitas vestra, longius etiam in ipsam Urbem usque ad sanctum Joannem Lateranum Concilium transtulerit, majores etiam clamores et graviore suspiciones excitabuntur, nos vero alacri animo, prout fides ac officium nostrum postulat, imperata Sanctitatis vestrae facere sumus parati, ad cujus nos etiam nutum libenter conversuri sumus omnes, sed eam tamen etiam atque etiam majorem in modum petimus veliti habere temporum istorum rationem, quæ difficiliora nunc sunt, quam fuerant a multis sæculis, neque de loco Concilii quidquam statuatur, nisi quod esse cum reipublica Christianæ commodo conjunctum intellexerit; quandoque etiam eorum sententia poterit approbari, ad quos quamvis id minus pertinere videatur, multum tamen interest, ad perficienda ea quæ cogitat Sanctitas vestra, hoc est, ad pacem et tranquillitatem in Ecclesia Dei constituendam, ut eorum etiam voluntates a consilio Sanctitatis vestrae non sint abjectæ, quorum fidem atque auxilium in executionem eorum, quæ decreta fuerint in Concilio facienda, necesse erit implorare, quid enim ex eo Concilio utilitatis ad nos esset perventurum, si quæ sancta in eo sint (quod omen Deus avertat) in sola Italia, aut ei finitima una sive altera provincia, et non in universo orbe Christiano recepta fuerint? Velit itaque providere Sanctitas vestra, ne locus detur cuiquam tergiversandi, et auctoritatem sacri Concilii defugiendi, quin omnes potius cause præcendantur, quibus adducti, jure fecisse se contendere possint, qui se nuper ab Ecclesie corpore segregarunt, quod ad sacrum hoc Concilium non accesserunt. Non est fortasse tenuitatis nostræ Sanctitatem vestram harum rerum commonefacere, quæ non eget consilio, quo valet plurimum, cum in his etiam locis sit, ubi lux est orbis terrarum, et summum populorum et gentium omnium consilium, cum præsens periculum videtur, sed neque novum est et insolitum, summos gubernatores in

magnis tempestatibus a vectoribus admoneri. Quamobrem dabit veniam Sanctitas vestra curam nostram et sollicitudini, quæ cum vehementer angat animos nostros, has a nobis litteras extorsit, atque in eam nos mentem, licet humiles Sanctitatis vestræ creaturas, impulit ut Christi in terris vicarium tum aliis multis virtutibus, tum usu rerum et providentia singulari predictum, de his, quæ vehementer nos urgent, hortari libere et obsecrare audeamus. Quod si scire posset Sanctitas vestra, qui sit nunc rerum nostrarum status, quanta propter vicinum malum nos pericula circumstant, facile ignosceret curam huic nostram et anxiam sollicitudini, quod eam pro sua paterna clementia facturam, ac divina sua providentia Christo opitulante, eo metu et discrimine, in quo nunc videmur nos esse, liberaturam confidimus. Pertinet autem hæc res ad Sanctitatem vestram, cum ad promerendam Dei optimi Maximi gratiam et misericordiam, tum ad laudem nominis ejus ad sempiternam memoriam propagandam, nos porro Deum supplices precari nunquam intermitteremus, ut illam pro sui nominis gloria, et Ecclesie utilitate, quam longissimo tempore servet incolumem, ac omni felicitatis genere cumulet. Lovicii die XX Octobr. MDXLVII.

· Ejusdem sanctitatis vestræ humillimus capellanus et creatura.

· NICOLAUS, *archiepiscopus Gnesnensis*.

87. *Per cardinalem Madrutium Romam deferuntur postulata Cæsaris.* — V Novembris¹ cum Velasco regnorum Hispaniæ fisci procurator Tridento Bononiæ accessisset, ut si publica fieret Sessio, Cæsareo nomine adversus illius Acta, nuncupata protestatione intercederet, legati Bononienses cardinalem Farnesium Pontificiarum voluntatum interpretem consuluerunt, quid Cæsareæ protestationi respondendum esset: cardinalis vero Farnesius vi Novembris in hoc accipiti casu, ad schismatis avertenda pericula, iisdem legatis proposuit, num conduceret Catholicæ rei Concilium suspendere, et qua ratione, et quo tempore, at ad quantum temporis intervallum. VIII Novembris, cum graviora de rebus Concilii impenderent pericula, ut certius de his decerneret, Marcellum cardinalem Sanctæ-Crucis legatum Bononia Romanam exivit, jussitque ut alter legatus Joannes Maria de Monte vocandis ad examen controversiis dare operam pergeret, quod Patribus eodem die a cardinali de Monte significatum est. Proxima vero die nona Novembris cardinalis Sanctæ-Crucis Patres monuit, se ob publicam Christianæ reipublicæ commodum ad aulam Pontificiam proficisci. Paulo post Christophorus Madrutius cardinalis Tridentinus a Cæsare ad Pontificem

legatus est, de quo hæc referunt Concilii Bononiensis Diaria¹:

« XVII Novembris applicuit Bononiam Christophorus Madrutius tit. Sancti-Stephani in Cælio Monte presbyter cardinalis, qui venit ex Germania ab Augusta missus a Carolo V imperatore ad Summum Pontificem Paulum III, ut cum eo agat de reductione Concilii ad civitatem Tridentinam, et de aliqua concordia incunda super civitate Placentiæ ». His subjungunt Acta:

« XXX Novembris² allatæ litteræ cardinalis Farnesii xxviii datæ una cum instructione, quam imperator dedit cardinali Tridentino de agendis et tractandis coram Pontifice, in qua instructione hæc continentur. Primum, quod nomine suæ majestatis Cæsareæ et serenissimi regis Romanorum et totius Germaniæ, petat magna cum instantia a Sua Sanctitate, ut reducat Concilium Tridentum, ostendens necessitatem esse, ex eo quod provincia ipsa Germaniæ vult stare determinationi ipsius Concilii, et ei se submittere pure et simpliciter; et quod ad illud venient omnes.

« Et quod interim donec Concilium celebrabitur, Sua Sanctitas inveniat modum, secundum quem vivere, deberent Germani et ea de causa mittat Sua Sanctitas in Germaniam aliquos viros cum potestate hoc faciendi. Quod si Sua Sanctitas nollet consentire reductioni Concilii ad civitatem Tridentinam, tunc ipse cardinalis Tridentinus una cum domino Dilaço a Mendoza oratore suo apud Pontificem certiores reddant omnes cardinales, qui sunt Romæ, et omnes oratores principum de hac diligentia et instantia, quam facit sua majestas apud Suam Sanctitatem.

« Quod denique, si nulla via moveri potest Sua Beatitudo ad reducendum ipsum Concilium Tridentum, tunc orator ipse interponat protestationes, quas habet in mandatis, præsertim si aliquid ageretur Bononiæ a Concilio quod esset in præjudicium Concilii Tridentini, ipseque reverendissimus dominus cardinalis Farnesius scribit ipsi reverendissimo domino cardinali de Monte, ut dicat iudicium suum, quid respondendum sit a Pontifice ».

88. Prima Decembris³ cardinalis de Monte legatus Bononiensis responsum dedit ad ea quæ a cardinale Tridentino nomine Cæsareo proponenda allerantur, quod responsum his fere verbis conceptum erat, quibus transmissum est ad Pontificem:

« Reverendissimis dominis deputatis visum est, quod Sanctitas Vestra paterna charitate salutem provincie Germaniæ quibuscumque modis potuit semper procuraverit, quod ex multis argumentis, præsertim ex Concilio Tridenti indicto, et ex legatis semel atque iterum ad eam

¹ Diar. Concil. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 268.

² Diar. Conc. p. 272.

³ Ms. card. Pii p. 18.

civitatem missis apertissime constat, minimeque dubitandum sit, quin Sanctitas Vestra eodem animo erga illam provinciam in posterum futura sit, ut antea semper fuit, optimo scilicet et ad bene de ea merendum propensissimo : quantum ad ea, quæ reverendissimus dominus meus cardinalis Tridentinus nomine invictissimi imperatoris, serenissimi Romanorum regis, necnon illustrissimorum statuum Germaniæ retulit, scilicet ut omnes sacro OEcumenico Concilio se submittant, laudandam esse admodum pietatem majestatis suæ, ac bonam spem de eorum salute, qui hætenus a recta via aberraverunt, concipiendam. Verum quoniam illa ipsorum submissione additum est, quod se submittant Concilio Tridenti celebrando, et ea de causa petitur nunc ut Sanctitas Vestra ipsum ad Tridentinam civitatem reduci faciat, reverendissimis DD. deputatis persuasum est id a piensissimo imperatore, et nobilissima illa provincia eflagitari et peti, quatenus sine scandalo, imo cum pace et concordia cæterarum provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et Ecclesiastica libertate, fieri possit, ad quæ omnia, sicut Sanctitas Vestra pro sua pastorali cura et omnium Ecclesiarum sollicitudine prospicere jure debet, et ea nullo modo negligere, sic existimandum esse majestatem suam et illustrissimos sacri imperii status in bonam partem laturos, si sanctitas vestra more majorum suorum in tam ardua et communi deliberatione episcopos fratres suos et prælatos, qui omnium fere nationum in Concilio nunc Bononiæ existunt, pro communi pace servanda, et turbis ac scandalis vitandis ante omnia consulere velit, eisdemque dominis meis videtur par esse, Sanctitatem Vestram operam dare, ut quam minima mora in ipsa consultatione faciendi interponatur, atque etiam ne res in Germania detrimentum patiantur, benigne satisfieri debet a Sanctitate Vestra secundæ petitioni majestatis suæ de mittendo ad illam provinciam, uno vel pluribus prælati cum opportuna facultate, ut communis aliquis et rectus vivendi modus usque ad finem Concilii reformetur et statuatur. Quod vero attinet ad universalem reformationem, cum de ea Concilium ipsum jam plurima et salutaria decreta ediderit, et eorum, quæ restant, examinata et discussa apud se prosequatur, eam brevi perfici posse sperandum est, cui etiam et perficiendæ et observandæ Sanctitatem Vestram omnem suam diligentiam et auctoritatem adhibituram ».

« Ad postremum caput de electione Romani Pontificis, si durante Concilio (quod Deus avertat) Sedem vacare contigerit, tametsi jura hujus Collegii firma et adeo clara et diuturna sint, ut veri in dubium minime possit, quin Romani Pontificis electio ad solos cardinales pertineat, etiam durante Concilio, tamen pro tam benevolenti animo suæ majestatis ei gratias habendas esse ».

89. Nona Decembris die Christophorus Madrutius cardinalis, Romæ in frequentissimo cardinalium senatu coram Pontifice habita oratione, Cæsaris studia et labores pro Germaniæ Ecclesiæ conciliandis laudibus extulit, rogavitque, ut cum Protestantis decretis Tridentini Concilii se submitterent, Patres, qui Bononiam Cæsare inconsulto migraverant, Tridentum redire juberet, tum legatos in Germaniam decerneret, ex quorum sententia usque ad exitum Concilii disciplina Christiana restitueretur, et corruptelæ, quæ in ordinem Ecclesiasticum irreperant, deleterent, demum jussus addidit non sine Pontificis offensione, perpenderet ac statueret, si Concilii tempore contingeret ipsum e vivis eripi, utrum eligendi potestas ad Patres in Synodo congregatos, an ad cardinales, qui Romæ degant, pertineat, plerosque enim jure metuere, ne si res ad eum casum redactæ sint ex ea occasione dissensionum semina oriantur. Re in questionem adducta et rogatis cardinalium sententiis, alii Cæsari salva et incolumi Pontificiæ auctoritatis majestate indulgendum dixerunt; alii non satis idoneæ a Cæsare et Ferdinando caveri Germanos Concilii decretis parituros, nec Bononia Concilium dimovendum, nisi idoneæ cautum esset: alii ad Patres qui Bononiæ essent rem integram deferendam, qui enim Pontificia auctoritate fultu transtulissent Concilium, Ecclesiamque universam referrent, omnino consulendos: hanc sententiam ut juri consonam amplexus Pontifex cardinali Tridentino respondit, se Patribus Bononiæ congregatis revocandi Tridentum Concilii jus conferre, deque ea re ad Christiani orbis principes, quorum mutua consensione celebrandum erat Concilium, velle perscribere.

90. Didacum quoque Mendozam fere eadem in Consistorio pro Cæsare retulisse narrat Acta²: videlicet Cæsarem graviora discrimina subiisse, ut aberrantes Germanos ad Ecclesiæ obsequium revocaret, votorum vero compotem fieri non posse, nisi promissum Germanis Concilium in Germania celebraretur, quod cum ex communi principum consensu Tridenti indictum sit, rogare ut Tridentum revocet, cum ex eo tot animarum perditurum millia in lucrum cessura sint, quod beneficium ea ratione possit indulgeri, ac si Turcæ, vel Judæus in Basilica Lateranensi Baptismo initiari vellet, qui certe cum periculo ejus animæ ad Basilicam Sancti-Petri initiandus amandaretur, nec ullum damnum ex ea Pontificia indulgentia ad alias provincias redundare posset. Rogati vero in eo Consistorio cardinales ut sententiam dicerent, inter alios Guisius cardinalis graviter dixit: « Summopere laudandum esse Cæsarem, qui cum subjecerit corpora Germanorum armis

¹ Goldast. to. I. consist. Imp. Thuanus l. iv. — ² Pag. 14.

temporalibus, velit etiam armis spiritualibus, hoc est, sacro Concilio subijcere animos et spiritus eorum ». Ac demum conclusit consulendos Patres Bononienses, an Bononiæ promovendum Concilium, an Tridentum foret transferendum? quam sententiam maxima senatus pars amplexa est. At cardinalis Theatinus acerbe addidit eum non esse Christianum, qui diceret Concilium Bononiense non esse verum Concilium, nec ex legibus canonicis translatum. At sapientissime cardinalis Polus consuluit, mittendos esse qui Protestantes principes pertentarent, rogarentque an accessuri ad Tridentinum Concilium, seque ejus decretis submissuri essent, eademque cum ipsis asserente atque offerente Cæsare, submotis omnibus difficultatum impedimentis, Concilium esse Tridentum revocandum.

91. *Pontifex, consultis Patribus, judicat non obtemperandum votis Cæsaris.* — XVI Decembris ¹ Pontifex subjectis litteris Concilium Bononiense consuluit, quid pro Germanicæ nationis, quæ se Concilii Tridentini celebrandi decretis Cæsarea opera submisserat, salute agendum ipsis videretur, proposita ob oculos unius numinis gloria, jussusque est legatus rem Patribus proponere :

« Venerabili fratri nostro Joanni Mariæ episcopo Prænestino nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis legato de latere.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Missus ad nos his proximis diebus a serenissimo Cæsare dilectus filius noster Christophorus tituli sancti Cæsarii presbyter cardinalis Tridentinus ipsius Cæsaris nomine nobis retulit, majestatem suam magno studio et diligentia procurasse, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto et incæpto Tridenti celebrando se submitteret, prout se submisserat, addiditque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis ac serenissimi ejus fratris Romanorum regis, et statuum sacri imperii nomine a nobis peteret, ut pro reuunione diætæ nationis ad gremium Ecclesiæ ipsum Concilium Tridentum reduci faceremus. Et deinde dilectus filius Didacus Mendoza ipsius Cæsaris orator in nostro Consistorio (interessentibus de nostra voluntate, cum ipsi id cuperent, cæteris oratoribus principum et reipublicarum, qui apud nos sunt) idem dixit et petiit, et ne mora interponeretur instanter postulavit. Nos vero re eum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus communicata, de ipsorum consilio et voto pro communis pacis conservatione, et pro evitandis scandalis, et ut tam illud, per quod Concilium Bononiæ translatum est, quam cætera istius sacrosanctæ Synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam

ardua, more majorum nostrorum ipsius sanctæ Synodi fratres nostros episcopos et prælatos, qui ex omnibus fere nationibus isthic sunt, consulendos esse decrevimus. Quamobrem de salute diætæ nationis solliciti, et ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponatur, volumus ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ Synodi Patribus explices, ac sancti Spiritus numine quo illa regitur invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ et sanctæ fidei Catholicæ, ac diætæ nationis reuunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinatis et pendatis, et quid ipsi Cæsari a nobis super hoc responderi posse putetis, ad nos scribere non differas. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Decembris M^oXLVII, Pontificatus nostri anno XIV ».

92. *Acceptis Pontificiis litteris, generalis ac solemniss. Congregatio Bononiæ coacta est a legato cardinali Prænestino, cui episcopi quinquaginta septem, ac duo Gallorum regis oratores interfuerunt, in qua respondendum decrevere, ut prius Hispani qui Tridenti hæserant, Bononiæ se conferrent, ut explicaretur nitide, an Germani decreta jam edita essent admissuri, quæ forma decernendi observanda esset in Concilio, ut Patrum securitati libertatique cave retur, quod Acta ¹ a Massarello descripta testantur :*

93. « Die Lunæ, XIX Decembris, hora XXI, fuit Congregatio generalis Bononiæ, in qua reverendiss. dominus cardinalis de Monte prædixit retulit Patribus, qualiter heri sero recepisset Breve unum a sanctissimo domino nostro sub data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVI Decembris præsentis, in quo sua sanctitas narrat, quod cardinalis Tridentinus, et Don Didacus a Mendoza orator Cæsareus petierit a sanctitate sua magna cum instantia, ut Concilium reduceret Tridentum, cum Cæsar ipse induxerit Germanos omnes, etiam hæreticos, ad submitendum se Concilio Tridenti celebrando, et quod sua sanctitas super ea deliberare noluit, nisi prius intelligat consilium et iudicium sacre Synodi, quid scilicet ei videatur, quid sit a sua sanctitate ipsi Cæsari respondendum. Quod Breve ipse reverendissimus dominus cardinalis alta voce legit, deinde ad majorem informationem Patrum, et quoniam ita fieri solet in rebus arduis consulendis, ut prius per ipsum præsentem Patres informentur, et eis lumen aliquod ostendatur, dixit, sibi non videri sanctam Synodum super præsentis reductione Concilii Tridentini posse deliberare, nisi prius prælati qui sunt Tridenti Bononiæ veniant, cum illi in contemptum Concilii post translationem ibi remanserint, quod sit contra honorem et auctoritatem Concilii.

¹ Act. in Actis Conc. Bonon. p. 78. Ms. Fr. cod. Barb. sig. 124.

¹ Act. Conc. Trid. Anct. Ang. Mast. Secr. Ms. arch. Vat. p. 274

« Secundo, nisi prius declaretur quomodo intelligatur hæc submitto Germanorum, an decreta jam publicata Tridenti firma et rata manere debeant, cum illa nullo modo retractari debeant, neque possint, præsertim cum illa decreta sint jam a toto Christiano orbe recepta.

« Tertio, qua forma sit procedendum in Concilio.

« Quarto, quam securitatem Patres habebunt standi, emendi, recedendi, etc.

« Quinto, quod liberum sit Concilii majori parti, quodcumque ei videbitur subsistere legitima causa, se transferre ex Tridento ad alium locum, et etiam si videbitur, Concilium ipsum claudere, terminare et finire; quibus dubiis explicatis, Concilium poterit deliberare, quid faciendum sit de reditu ad civitatem Tridentinam: super quibus rogavit Patrum sententias, eos monendo, hortando bis aut ter, ut libere quilibet diceret sententiam suam.

« Patres omnes præbent multis rationibus, quod dixerat reverendissimus dominus præsidens, ostendentes esse omnino necessarium prius explicari dubia illa, quam de reditu ad Tridentum deliberare, exceptis quinque, qui volebant responderi a sancta Synodo, quod esset absque ulla declaratione Tridentum redendum, cum id (ut ipsi dicebant) expediat reductioni Germanorum.

« Conclusum fuit, quod reverendissimus dominus præsidens formaret litteras scribendas ad suam sanctitatem, et die crastina Patribus legerentur, et ab eis comprobarentur, etc. et ita dimittitur Congregatio hora prima noctis, cui interfuerunt ambo oratores Galli, et quinquaginta septem prælati ».

94. XX Decembris ¹ hora xvi, Congregatio generalis habita est, in qua perfecta est litterarum a legato ad Pontificem mittendarum formula, quæ omnium Patrum consensu comprobata est, in quibus repetitum est, quid Cæsaris oratoribus respondendum esset, quidve exigendum pro Concilio ad Tridentinam urbem revocando.

« Beatissime pater et clementissime domine, post humillimam recommendationem, et pedum oscula beatorum.

« Recepti nudius tertius, adveniente nocte, Sanctitatis Vestræ Breve Roma apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xvi Decembris M^{DC}LXVII, Pontificatus sui anno xiv datum, in quo narratur dilectum filium Sanctitatis Vestræ Christophorum tit. Sancti-Cæsarei presbyterum cardinalem Tridentinum, dominum a me observandum, his proximis diebus a serenissimo Cæsare missum, Sanctitati Vestræ retulisse ipsius

Cæsaris nomine, majestatem suam magno studio et diligentia procurasse, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto et incepto Tridenti celebrando se submitteret, prout se submiterat, addiditque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis ac sereniss. fratris Romanorum regis, et statuum sacri imperii nomine a Sanctitate Vestra peteret, ut pro reunionem dictæ nationis ad gremium Ecclesiæ, ipsum Concilium Tridentum reduci faceret, et dilectum Sanctitatis Vestræ filium Didacum de Mendoza, ipsius Cæsaris apud eundem oratorem, in sacro Consistorio interessentibus de Sanctitatis Vestræ voluntate (cum ipsi id cuperent) cæteris oratoribus principum, et reipublicarum, qui apud eam sunt, idem dixisse et petiisse, et ne mora aliqua interponeretur instanter postulasse; Sanctitatem vero Vestram re cum venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus dominis meis observandissimis communicata, de ipsorum consilio et voto, pro communis pacis conservatione, et pro evitandis scandalis, et ut tam illud pro quod Concilium Bononium translatum est, quam cætera hujus sacrosanctæ Synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua more majorum ipsius Synodi fratres suos episcopos et prælatos, qui ex omnibus fere nationibus hic sunt, consulendos esse decrevisse, quamobrem de salute dictæ nationis Sanctitatem Vestram sollicitam, et ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponeretur, velle ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ Synodi Patribus explicarem, et sancti Spiritus numine, quo illa regitur, invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ et sanctæ fidei Catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinarem, et perpendere, et quid ipsi Cæsari a Sanctitate Vestra super hoc responderi posse putarem, ad eam scribere non differrem, quo Breve per me qua debeo reverentia recepto, Sanctitatis Vestræ mandatis parere volens statim operam dedi, ut hujus sacrosanctæ Synodi Patres subsequenti die, hesternæ videlicet, in loco et tempore consueto congregarentur, quibus quidem in Spiritu sancto congregatis ejusdem Spiritus sancti auxilio implorato, solitisque orationibus et precibus per me factis, Breve ipsum alta et intelligibili voce, ita ut nemo non ipsius Brevis tenorem commode intelligere posset, legi ac recitavi, subinde vero posteaquam Breve ipsum a me lectum et recitatum fuit (putans ad me præsentiam et legationis officio id maxime pertinere) Patres, quibus potui, pro ingenii mei tenuitate, verbis hortatus sum, ut omnia bene ac diligenter considerarent, denique reipublicæ Christianæ salutem, honorem Concilii, ac pium desiderium Sanctitatis Vestræ reuniendi illam inclytam Germanicam nationem, atque ipsi Cæ-

¹ Acta Conc. Bonon. p. 39. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1802. p. 21.

sari, quantum fieri possit, gratificandi præ oculis habentes, libere, et prout Spiritus idem sanctus suggereret eis, dicerent sententias suas, sicuti prudenter, graviter et copiose dixerunt, quarum quidem sententiarum summa hæc est: In primis sancta ipsa Synodus Beatitudinis Vestre pietatem cum pastoralis sollicitudine conjunctam, Jesu Christi Redemptoris nostri vicario summoque in Ecclesia Dei pastore dignam agnoscent, et Sanctitati Vestre maximas, quas polest, gratias agens, eamque venerans, ejusque sanctissimos pedes deosculans, itemque invictissimi et augustissimi imperatoris erga sanctam Catholicam fidem et religionem nostram studium zelumque commendans, ac pro ipsius et sacri imperii prosperitate Deum Optimum Maximum rogans, cum a Sanctitate Vestra, tum a sua majestate humiliter petiti, ut quæcumque ipsa sancta Synodus in hac re, de qua consulerit, responderit, boni consulere, et pro Dei gloria, et Christianæ Republicæ salute et pace dicta esse censere velit: nam etsi multis Patribus, qui jam tribus fere annis assiduos labores, graves expensas, plurima et varia incommoda sustinuerunt, durum admodum atque inolebile videtur de re ad Tridentinam urbem hoc tempore agere, quo de exitu Concilii cogitandum et sperandum erat, præsertim cum ex magna parte ea, propter quæ indictum, congregatum et apertum fuit, ita discussa et digesta esse videantur, ut nihil aliud jure desiderari possit, quam ut publica sessione per sanctam Synodum statuatur et promulgentur, tamen nemo est, qui ut Sanctitati Vestre, et suæ majestatis zelo, et piæ erga nobilissimam illam nationem Germanicam voluntati respondeat, Tridentum redire, novaque et graviora incommoda ac dispendia sustinere recuset, si modo dum uni Germaniæ prospicitur, non ipsa universalis Ecclesia, et nunc, et in posterum hæc nostra forsitan intemptiva et Bononia ad Tridentum transmigratione manifestis perturbationibus exponatur, cum enim constet aliquos prælatos Concilio et civitate Tridenti ad hanc civitatem Bononiæ legitime translato ibidem post generalem monitionem in publica sessione ipsa translationis die omnibus prælatis factam, post amicabiles nostras Epistolas eorum unicuique hinc ad Tridentinam civitatem per nuntium specialem a me et a reverendissimo collega meo missas et præsentatas, jam per tot menses ad hunc usque diem remansisse, et adhuc remanere non sine magno vilipendio Concilii, ac fortasse aliquorum scandalo, qui remansionem illam divisionem arbitrantur, ac propterea minoris auctoritatis Concilium esse putant, non videt sacrosancta Synodus, qua via quæque ratione, salva dignitate, majestate, honore et estimatione ipsius Synodi, ac sine pernicioso pestiferoque in omne ævum exemplo de re ad

ad civitatem Tridenti deliberari possit, nisi prius prælati ipsi Bononiam veniant, et cum reliquis Patribus se conjungant, atque ipsius sanctæ Synodi auctoritatem et potestatem agnoscant et amplectantur, quod Synodus ipsa ad tollenda scandala in populis suscitata, ac pro Ecclesiæ pace atque unitate maxime cupit, et parvo negotio, ac solo ipsius Cæsaris nutu fieri posse confidit, et de hoc majestatem suam enixe precatur. Non etiam videt ipsa sancta Synodus quomodo de hac deliberatione tractari possit, nisi prius certa reddatur quod ita se natio Germanica Concilio Tridenti celebrando submittat, ut fidem concernentia decreta, quæ ibidem promulgata etiam ab omnibus Christianis regnis, gymnasiis, atque insignibus theologorum universitatibus, et ab omni Catholica Ecclesia summo assensu, et gaudio, et plausu recepta sunt, rata, firma, stabilia et perpetua futura sint, nec ulterius in controversiam aliquam quovis prætextu, colore, occasione vel causa deducantur, cum juxta sacros canones, sanctorum Patrum exempla et statuta, et imperiales constitutiones exploratissimi juris sit, quæ contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei communionem et unitatem Catholicam atque Apostolicam promulgasset, non esse novis postea retractationibus mutilanda, et injuriam fieri reverendissimæ Synodo si quis semel iudicata revolvere et publice disputare contenderit.

« Præterea cum rumor increbuerit prætextu ejusdem vulgaris seu popularis Concilii, ex omni hominum genere colligendi (quod Christianum Concilium appellant) mutandam esse formam generalium Conciliorum, quæ per Apostolos et ab Apostolorum tempore per sanctam Romanam et universalem Ecclesiam celebrata fuere, posthabito laudabili more sive modo procedendi, atque in nostris conciliaribus definitionibus a nobis hucusque retento, cupit sancta Synodus de ipsa re certa reddi, ac sibi opportune caveri, antequam de re ad ipsam Tridenti urbem deliberetur.

« Scire etiam cupit quam cautio dabitur Patribus Tridentum ituris, pro suis personis, rebus et bonis, ita ut tam singuli, quam universi plena securitate ac libertate fruantur et gaudeant, et unicuique pro suo libito eundi, standi, ac recedendi libera potestas futura sit, atque a nemine via facti compelli possit.

« Scire etiam cupit, et certa reddi, quæ cautio ipsi Concilio dabitur, ut quæcumque videbuntur majori parti legitima et rationabiles causæ adesse, se ex Tridento ad locum ab ipsa majori parte eligendum transferendi, itemque causis (ob quas Concilium indictum fuit) satisfactum esse, liberum sit ipsi majori parti (cujusvis contradictione, oppositione seu reclamatione non obstante) Concilium transferre, vel etiam claudere et finire.

«Alia vero, quæ ad Sanctitatis vestræ et suæ Apostolicæ Sedis auctoritatem tuendam, et ad removendam quocumque tempore schismaticis occasionem, conservandamque Christianissimi regis et aliorum principum erga sanctum Concilium gratiam, assensum, et favorem perlinet, vestræ beatitudinis prudentissimo iudicio relinquenda censuit, hoc tamen adiciens, quod ubi ipsa sancta Synodus (tempore ei bene viso) harum difficultatum dilucidationem, seu declarationem ac resolutionem expectaverit, liberum sibi esse vult ad expeditionem materiarum discussarum et examinarum, canonumque ac decretorum promulgationem Spiritu sancto inspirante, et Concilium ipsum dirigente, ac protegente procedere.

«Hæc sunt, beatissime pater, quæ in hesterna Congregatione pro Dei gloria, sacri Concilii honore, libertate, securitate, bonoque exemplo, reunionem potentissimæ nationis Germanicæ juxta pium Sanctitatis Vestræ et serenissimi imperatoris desiderium, pro communi salute Christianæ reipublicæ salute Patribus consideranda occurrerunt, quæque majestati suæ per Sanctitatem Vestram congruenter, et rationabiliter, et opportune responderi posse Patres ipsi putaverunt.

95. « Quibus auditis, eos hortatus sum et monui, quo res gravius et maturius deliberaretur, hodie mane litteras ex eorum communi sententia Sanctitati Vestræ mittendas audhuri, et tam super ipsis litteris, quam super re ipsa hesterna die examinata iterum sententias dicturi ad Congregationem generalem convenirent. Itaque hæc ipsa die congregatis omnibus Patribus, ac celebrata prius per unum ex sacerdotibus nostris Missa de Spiritu sancto, recitatisque a me de more precibus et orationibus consuectis, hæc presentes litteras alta et intelligibili voce ego ipse, et an ipsæ litteræ placerent, et si quid addendum, vel minuendum, seu immutandum esse existimarent, ut sententias suas libere dicerent rogavi, semel etiam atque iterum commonens, ut conscientias suas omnes et singuli prout Spiritus sanctus illis ministraret, plene et libere satisfacerent. His peractis, unoquoque suo ordine sententiam suam dicente omnes (quatuor dumtaxat exceptis, duobus scilicet expresse contradicentibus, aliis vero duobus sub certis conditionibus approbantibus) hæc ipsas litteras, et omnia quæ in eis continentur, comprobarunt et laudarunt, et Sanctitati Vestræ mittendas unanimi consensu decreverunt. Dominus Deus benedictus Sanctitatem Vestram diu Ecclesiæ suæ servet incolumem. Dat. in generali Congregatione Bononiæ die xx Decembris MDXLVII ».

« Ejusdem Vestræ Sanctitatis humillima creatura Joannes Maria cardinalis de Monte sacri Concilii præsidens et legatus.

« Ego Angelus Massarellus secretarius Concilii omnibus et singulis interfui et præsens fui.

« Ego Claudius della Casa sacri Concilii notarius, dum præmissæ litteræ legerentur interfui, et in notam sumpsi una cum meo collega rogatus.

« Ego Nicolaus Driel sacri Concilii notarius, dum præmissæ litteræ, ut præfertur, legerentur, et sententiæ exquirentur et dicerentur interfui, et in notam sumpsi una cum meo collega predicto rogatus ».

96. Allato ad Pontificem Concilii Bononiensis responso, vocatus est xxiv Decembris sanctior cardinalium senatus, in quo re maturius « pensata ac discussa », inquit Angelus Massarellus, « Synodi responsum et omnia in ea petita, et justa et legitima Pontifex et sacer senatus probavit ac judicavit ».

Habito dein xxvii Decembris ¹ publico senatu, ad quem Didacus Mendoza orator Cæsareus, et alii regum et principum oratores accesserunt, Pontifex responsum conceptum contextumque responso Concilii Bononiensis Cæsari dedit, ut subjecta documenta testantur, ore præsulis, qui a secretis Pontificiis erat :

« Responso Summi Pontificis data oratori Cæsareo super petitione imperatoris de reductione Concilii Tridentum etc.

« Cum in ultimo consistorio secreto, illustrissime domine orator, Sanctissimo Domino nostro nomine Cæsareæ majestatis supplicasses, ut Sua Sanctitas universale Concilium pro salute Germanicæ nationis Tridentum remittere dignaretur, Sanctitas Sua (sicut excellentia tua recordari potes) etsi fuisset parata statim ad proposita per te (quantum in ea erat) respondere, tamen quoniam ea ipsa non coram sanctitate Sua solum, verum etiam universis his dominis reverendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus exponere voluerat, merito eosdem reverendissimos dominos pro rei etiam gravitate consulendos duxit, et excellentiam tuam monuit ad redeundum in primo consistorio pro responso Suæ Sanctitatis accipiendo, qua in re ne longior mora interponeretur, negotium cum eisdem reverendissimis dominis cardinalibus eo ipso in consistorio discussit, ac de eorum consilio et assensu reverendos episcopos et prælatos, qui Bononiæ in Concilio sunt, ante omnia consuli debere decrevit, quod sane statim Sua Sanctitas fecit celeri etiam Tabellario decisa opera ad eos cum litteris missis hujus tenoris :

« Paulus papa III, etc. » Subjectæ sunt litteræ ad cardinalem e Monte exarata, quæ ab his verbis ducunt exordium : *Misus ad nos a serenissimo Cæsare*, etc. In fine autem ipsius Brevis sequuntur hæc verba videlicet :

¹ Ms. card. Barb. sig. num. 123. p. 53. Ext. etiam in Ms. card. Pri sig. 260. p. 21.

« Ipsa autem sacrosancta Synodus auxilio Spiritus sancti implorato, solitisque orationibus ac precibus per reverendissimum dominum cardinalem de Monte praesidentem et legatum Concilii antea lectis, ac litteris Sanctitatis suae praedictis alta et intelligibili voce, ita ut nemo ipsarum litterarum tenorem commode intelligere non posset, recitatis, ac re in duabus desuper Congregationibus factis discussa, in primis quidem humiliter a Sanctitate sua et dicta maiestate petit, ut quaecumque ipsa Synodus de hac re, de qua consulitur, responderit, boni consulere, ac pro Dei gloria, et pace dicta esse conferre velle, deindeque responderit, quod cum constet aliquos praelatos Concilio e civitate Tridentina ad civitatem Bononiae legitime translato ibidem post generalem monitionem », et cetera quae sequuntur supra in litteris reverendissimi et illustrissimi cardinalis de Monte ad ipsum Summum Pontificem, usque ad caput quod incipit: « Alia vero, quae ad Sanctitatis Vestrae, etc. » exclusive.

Deinde sequuntur in eadem responsione Pontificis haec verba ¹, videlicet:

97. « Ex quibus quidem excellentia tua cognoscere clare potest, non posse ipsam Synodum de reditu ad ipsam civitatem Tridentinam deliberare, antequam praemissa omnia dilucidentur et declarentur, ac plana fiant, quae tanquam rationalia et sanctorum Patrum ceterorum decretis conformia et ad bonum publicum et quietem Reipublicae Christianae tendentia, et suae Sanctitati et eisdem reverendissimis dominis cardinalibus ab iis, qui se Concilio submiserunt, sicut tua excellentia asseruit, iuxta desiderium dictae sanctae Synodi ante omnia re ipsa adimpleri, ipsamque deliberationem praecedere debere videntur.

« Quantum autem ad Sanctitatem suam pertinet, respondet se omnibus studiis ac votis cupere salutem, pacem et quietem ipsius nationis Germanicae, sicut jam multis et claris argumentis ostendit, et ipsi in primis Caesareae maiestati cognitum est: ac paratam esse et semper fore omnia curare et facere, quae pro ejusdem nationis salute ad boni pastoris et amantissimi parentis officium quomodolibet pertinebunt, certo sibi persuadens rem ipsam a sapientissimis et optimis Caesare et rege Romanorum, nobilissimaeque illa provincia eatenus peti, quatenus sine scandalo et perturbatione, imo cum pace et concordia ceterarum nationum et provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et libertate Ecclesiastica, fieri possit, ad quae omnia sua Sanctitas pro universalis ejus cura et officio invigilare universaliter debet.

« Datum Romae in sacro Consistorio praes-

sentibus omnibus oratoribus regum, principum et rerum publicarum, qui eo tempore manent in Urbe. Die xxii Decembris MDCXLVII ».

Ingratum adeo accidit Mendozae Caesareo oratori Patrum Bononiensium Pontificisque responsum, ut in eodem senatu de translatione Concilii non legibus, sed vitio, sine justa causa facta Caesareo nomine protestationem interpositurus fuerit, nisi cardinalium ordo intercessisset, ut rem differret, donec id responsum Caesari renuntiatum esset. Anno sequenti videbimus quid actum fuerit a Caesareo oratore circa protestationem, modo tempus est agendi de bello contra Lutheranos feliciter auxiliante Deo confecto.

98. *Caesaris Ferdinandi fratris victoria contra Lutheranos: gratiarum actiones et gratulationes erinde prolatae.* — « Igitur prima Januarii », inquit Angelus Massarellus ¹ in Diario Concilii Tridentini, « nuntiatum, quod Ulmensis civitas Germaniae fecerit dedicationem Caesari, quae civitas praecipua est ex Lutheranis civitatibus, ideo magni momenti res existimatur, quare intimatur Missa sollemnis pro crastina die, ut Deo gratiae reddantur ».

Tertio nonas Januarii ² Uldericus Wittembergensis dux extremo superiore anno reconciliationem pactus ad Caesarem accessit, veniam defectionis petiturus, qua donatus, fedus cum Saxone et Landgravio damnavit, decretisque Caesareis de republica latissimis ferendisque pariterum se pollicitus est; nonnullis arcibus suis oppigneratis. Post Wittembergensem plures urbes, Memminga, Ravensburgum, Campodonum, Isnenses, Argentoratenses legatis missis ad Caesaris obsequium procubere, quibus felicibus successibus auditis, Pontifex ³ grates Deo sollemni ritu persolvit, supplicationesque Romae decrevit, subjectisque litteris victori Caesari est gratulatus:

« Imperatori.

« Charissime, etc. Venerabilis fratris Hieronymi archiepiscopi Rossanensis apud maiestatem tuam nuntii nostri litteris et mullorum sermone cognovimus, eos jam esse exitus rerum Germanicarum, effectumque hujus justissimae sanctissimaeque expeditionis, ut omnia tuo imperio et voluntati prona jam admodum et parata sint, et ut impii homines, qui neque contenti violasse cultum et veritatem Catholicae fidei et religionis, etiam contra tuam auctoritatem imperatoriamque jurisdictionem arma sumperant, ducesque sese mullorum sive erroris sive furoris in hoc crimine praebuerunt, nunc tua virtute consiliisque domiti atque victi, aut confugiant ad deditiones atque preces, aut salutis suae praesidium in fuga et exilio ponere cogantur.

¹ Ext. inter Act. Conc. Bonon. p. 13.

² Ms. arch. Vat. p. 193. — ³ Flanc. Belg. l. LXIV. n. 31. Surus in Comm. hoc anno Natal. comes l. d. — ⁴ Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 16.

tur : quo nos nuntio, omnibus prosperis eventibus majestatis tuæ, incredibile pæne est quanta lætitia affecti fuerimus, ac jure istud quidem, etenim videtur hæc quoque victoria et felicitatis gratulatio ad nos aliqua ex parte pertinere qui nostra tecum sociæ arma conjunximus ad retundendos utriusque nostrum hostes, quantumque potuimus copiis atque auxiliis, et causam sanctæ religionis tutandam suscepimus, et in tua auctoritate non vindicanda solum, verum etiam augenda et amplificanda non destitimus jam sæpius omnem curam et omne studium adhibere, sed nos nihil proprium nobis nec separatam querentes, hoc uno potissimum lætamur, quod cernimus charissimum filium nostrum, suæ eximie virtutis, suæ patientiæ, sui fortissimi animi eos fructus capientem, qui maximi in hac vita et uberrimi semper existimati sunt : laus enim, et celebritas, et prædicalio rerum fortiter sapienterque gestarum summum semper virtutum præmium esse consueverunt, quod quidem præmium tum maxime est optabile, cum est cum honore Dei Omnipotentis, et cum laude pietatis erga ipsum Deum conjunctum, quæ tibi quidem omnia feliciter affuerunt, nam et justitia et religio armis tuis et virtute defensa est : et in difficillimis rebus asperrimisque periculis tantam constantiam fortitudinemque præstisti, ut nihil majus ne cogitari quidem possit, et tam admirabili erga te Dei benignitate et gratia es usus, ut cum maximis periculis te involutum timebamus, tum maxime ab omnibus periculis te liberum intuemur, in quo nemo est, qui non intelligat præsentem Dei opem, cœlestique præsidium tuis justissimis armis sanctissimisque non defuisse, itaque nos initio rerum bene succedentium tuarum, cum speraremus Dei clementiam piis consiliis sua ope subvenire, divina re superioribus diebus celebrata, supplicationibusque per totam Urbem indictis, et gratias ei egimus tuo nomine, quod a nobis optatam atque expectatam benignitatem erga te suam ostendere jam cœpisset, et de reliquo precati sumus, ut in favendo et secundando actiones tuas plenum suum beneficium ad nos vellet pervenire, ejus jam voti et desiderii compotes facti, post gratias Deo actas, tibi, charissime fili, pro nostra summa erga te benevolentia, et in eunctum Christianum nomen pietate plurimum in eodem Deo Dominoque gratulamur, et pariter optamus, ut sancta et Catholica religio nullis locis rebusque labefacta, tua diligentia, ope auctoritateque in integrum reponatur, verusque Dei cultus in ipsa Germania, unitasque Christianæ fidei, quemad-

modum te facturum recepisti, restituar, quod erit tuorum factorum clarorum atque magnorum tanquam apex quidam absolutaque perfectio : nos autem jam confecto pæne bello, rebusque tuis optime, ut cernimus, constitutis, eam manum militum, quam auxilio tibi miseramus ad paucos jam redactam revocare ex Germania iustissimum eo animo, ut cum alia sese occasio obtulerit, et simile aliquod bellum adversus Christianæ religionis hostes susceperis, tibi, ut hæcenus fecimus, nunquam pro nostris et Apostolicæ Sedis viribus simus defuturi. Dat. Romæ xxii Januarii M^oXLVII, anno xiii ».

99. XXVIII Januarii ¹ Augusta Vindelicorum ad Cæsaris obsequium reversa est, ut refert Diarii Tridentini auctor his verbis :

« I Februarii nuntiatum est Tridenti qualiter die xxvii mensis præteriti Januarii civitas Augustana dedisset se in gratiam et discretionem Cæsaris, et quod eam Cæsar in suum arbitrium recepit. Civitas hæc est una de illis, quæ plurimum infensa fuit imperatori, dum hæcenus bellum inter ipsum Cæsarem et lantgravium gestum est, et una magis hæretica et Lutherana ex omnibus civitatibus Germaniæ. Deo igitur gratias agamus (1) ».

100. Licet vero latius victoriam proferret Cæsar, ac perduelles plures parere sibi cogeret, nondum tamen confectum erat bellum : nam Fridericus Saxonie dux copias ad suam ditionem adversum Ferdinandum regem principemque Mauritiū recuperandam converterat, usque felicitate, non hostes modo dispulit, atque amissa in Thuringia et Misnia recuperavit, verum etiam subegit ditionem Mauritiū principis, exceptis Dresda, et Lipsia, tunc ad deturban- dum Bohemia Ferdinandum artes viresque instruxit, plures enim Bohemos ad suas partes pellexit, Joachimicam vallem, aris, argenti aurique feracem Ferdinando eripuit, adeoque in Ferdinandum serpsit rebellio, ut Casurgii partium Saxoniarum studiosi comitia iniverint. Scribit etiam Angelus Massarellus XIII Aprilis ² Bononienses legatos excepisse litteras : « Quod Bohemi rebellasset regi Ferdinando, peterentque in regem Maximilianum ipsius filium ». Addiderat iis animos Alberti marehionis clades, qui cum Rocanizzi, quod deditio ceperat, cum copiis ageret, blanditiis Biudæ femine principis Philippi landgravii sororis delinitus illusque rem bellicam ignave tractavit, dum illa

¹ Diar. Conc. Trid. p. 202. — ² Diar. Conc. Trid. et Hon. Ms. arch. Vat.

(1) Augustana urbs in Cæsaris gratiam ita rediit hoc anno ut simul et Catholica sacra jamdum intermissa receperit. Qui enim Augustanos Annales per hæc tempora scribebat, Achilles Gassarus ait hoc ipso anno Ottonem episcopum qui S. R. E. cardinalis titulo S. Balbinæ renuntiatus fuerat in urbem illam suam venisse, et exeunte Julio polluta templa expiisse, solenne s. Afræ festum die viii Augusti celebrasse, ac denique canonicos antehac expulsos postliniū revocasse, cosque festa S. Hilariæ die vespertinas preces in expiato majori templo cecinisse.

Fredericum Saxonem de omnibus fecit certiorum; quo irruente cum exercitu generoso, et militari magis quam prudenti consilio usus, copias in planitiem vicinam urbi eduxit, commissuro prælio fusus captusque est cum Christophoro Lichtemburgensi: prona inde omnia ad victorem fuere, ac Praga a Ferdinando descivit, adeo ut seditiosi filias Ferdinandi in arce obsederint, quibus adversis fractus Ferdinandus citam fratris Caesaris opem imploravit, qui mox Norimbergam venit, secundaque civium gratulatione exceptus, aliquot diebus ad infirmam valetudinem confirmandam hæsit, demumque ad Egram Bohemie oppidum, Ferdinandi regis et Maurilii principis copias suis conjungit, florentissimo atque succincto exercitum Fridericum ducem Saxonie viribus impari persequi constituit. Posuerat ad Milburgum in ulteriore Albis ripa castra Fridericus Saxo, cumque latior fluminis alveus jungi constrato naviculis ponte non possit ad intercipiendas hostium naves, decem Hispani admirandum facinus sunt aggressi, nam exti vestibibus gladios ore tenentes mordicus in scaphas evasere, ac ut erant nudi tringinta tres Saxonos armatos confodere, navesque adduxere, et vado a pastore præeunte ostenso, Cæsar cum equitatu in adversam ripam non sine singulari divina providentia trajecit, nam non multo post tempore vado trajici non potuit, dum vero tardius traduceretur peditatus, ne hostis fuga avolaret, Cæsar cum solo equitatu in eum irruere decrevit victoriam in celeritate positam ratus, antequam aut Wittembergam, aut Gotham se subducere posset. « In ipso autem itinere », inquit Surius, « dum hostes insequitur, in statuam Christi e Cruce pendentis, cujus pectus tormenti globulo trajectum erat, id ille pius princeps conspicatus, magno animi dolore correptus suspicit in Cælum, etc.: O Deus! (inquit) modo velis, facile potes tantum scelus ulcisci: sicque ceptum prosequitur iter ». Facta in hostes impressione, cum Lutherani non sustinere, eorumque equites in fugam effusi peditatus eardi ac prædæ objecerunt, maxima eorum pars in sylvam Lochanam se proripiens arma projecit, ut pondus inutile fugienti, adeo ut eorum multitudo cursum victoris in nemore retardaret; major in insectando, cadendo capiendoque hoste, quam in pugnando fuit labor, ac Fridericus ille Saxo, quem hæresis ita inflarat furore, ut affectaret imperium, et Cæsarem per Iudibrium Carolum a Gandavo, qui se falso Cæsarem dicebat, appelleret in litteris publicis, captus est cum in vultu sauciatus esset, adductusque ad Cæsarem superbos spiritus fregit, nudatoque capite veniam precari coactus, Cæsaris clementia se commendavit. Cui Cæsar, illum pro meritis habitum iri, respondit; captus una cum eo est Ernestus dux Brunsvicensis, capta est universa suppellex bel-

lica, multa signa legionaria et equestria capta victoriam nobilitarunt, quinquaginta tantum equites in prælio Cæsar amisit, atque ob facilitatem celeritatemque partæ victoriae, cujus gloriam Numini acceptam referebat, Julii Cæsaris in Pontico triumpho decantata verba, sed ob veram pietatem paulo immutata usurpavit: *Veni, vidi, Deus vicit*. Fuit autem is dies vigesimus quartus Aprilis, a cujus hora undecima ad septimum noctis pugnatum est quindecim milliarium intervallo, quod Saxones ab Albi fluvio in suo recessu pugnando confecere: postero die intercepta sunt sex hostium tormenta bellica, atque ex itinere Torga in deditionem accepta: ad Wittembergam denique Lutheranae hæreseos sentinam ac rebellionis fornacem belli moles incubuit, adductis ad eam universis copiis: hanc Saxo viginii quinque annorum flexu firmissimis propugnaculis ita communiar, ut diuturnam obsidionem toleratura videretur. Jussu Fridericus Saxo, intentato capitali supplicio, ut eam ad deditionem adigeret, respondit libertatem animi non adimplam sibi, licet corporis libertatem amisisset, relictum id Cæsaris potestati, ut eam vi expugnaret.

101. Acepto superiori victoriae nuntio maximam lætitiā hausit Pontifex, cum religionis causa ad conficiendum id bellum ipse copias subministrasset, ac solemnibus supplicationibus decretis solemnes grates Deo egit, Cæsari vero de Lutheranae sectæ signifero Saxone capto gratulatus cum hortatus est, ut ad religionem Catholicam pristino in Germania splendore restituendam incumberet, ut scripte in eam sententiam subjectæ litteræ ostendunt: « Imperatori.

« Charissime etc. Cum audivimus nuntium de tuæ majestatis rebus contra Catholicæ fidei impium hostem ducem Saxonum gestis, ea quæ nobis erant optatissima referentem, summam quidem et singularem lætitiā cepimus, quod talis victoria non solum tuo nomine ampla, et Christianæ Reipublice utilis, sanctæque Apostolicæ Sedi, in qua divina providentia præsidemus, in primis opportuna et commoda accidisset, sed auxilium etiam gaudium et jucunditatem animi nostri, quod per eum esset parta, in quo nos uno principe et fortissimo omnium et maximo spes tranquillitatis publicæ jamdiu reposuimus. Gratulamur itaque tibi, fili charissime, de tam insigni partæ victoria, nobisque gaudemus, ea enim est, quæ non solum refringit impietatis germina, sed et radices totas penitus extirpat, caput enim sceleris, origo omnis improbitatis iste Saxonie dux fuit, cujus tu per pertinaciam constantia tua, impietatem iniquitatemque admirabili quadam virtute patientiæque repressisti: itaque, quod in Pharaonem egit Deus, ut illum

compturibus damnis poenisque admonitum cum videret non posse corrigi, extremo tandem exilio manifestoque maerere, id retulit in hunc Saxonem, qui ipso illo Pharaone deterior non alienam religionem supplicii insectatus est, sed suam sanctam atque veram in seipso corrupt, adjuvitque ad rebellionem, quam adversus Deum susceperat, etiam illam, qua tibi suo iustissimo dignissimoque imperatori arma impia inferre est conatus. Deus igitur illum justo severoque iudicio suo in manus tuas traditum tuae potestati subjectum esse voluit, ut qui superbia tumens omnia divina et humana iura spernebat, nunc se intelligat eis legibus subjectum, non quae bonis praemia, sed quae impiis et nefariis supplicia scelorum proponunt et minitantur. Quod nos opus vere Dei esse et fuisse agnoscimus, neque vero tu aliter (ut opinamur) intelligis. Quamobrem, charissime fili, cum signis jam certissimis videas atque intelligas, quam sil piis et sanctis expeditionibus favens et propitijs Deus, perge, quaesumus, frui hac tanta ipsius erga te et benevolentia, et gratia, et ea, quae tibi felicissime processerunt, ad illius honorem gloriamque converte: primo, ut qui a Catholica fide recesserunt ad veritatis lucem revertantur, deinde, ut qui semper impii et Christi hostes perstitissent, ut antea nos suis minis armisque terrebant, nunc timere ipsi vicissim tuam virtutem potentiamque cogantur, quarum certe rerum et multarum aliarum praeterea summa tibi facultas ab eodem Deo data est, quam tu optime rectissimeque tuebere ac dirigere, si pacem inter Christianos tutam inviolatamque conservans, studium ac vires tuas, et istam singularem animi magnitudinem qua es praeditus, prudentiamque qua polles, ad propagandum Christianum nomen inter Barbaros, veteremque Christianae reipublicae dignitatem recuperandam conferes atque adhibebis, quod tibi ex nostra voluntate, et ex Christianae reipublicae utilitate quieteque feliciter eveniat, Deum eundem Omnipotentem supplicationibus publice habitis et omni cum pietate deprecari sumus, et semper deprecabimur. Datum Romae etc. xxx Maii mdcxlvii, anno xiii ».

102. Nec modo Romae, sed etiam Bononiae a Patribus Concilii Bononiensis pro Caesarea victoria redditis Nummi gratias narrat Actorum Concilii Bononiensis scriptor Angelus Massarellus:

« Recurrente xxii Maii a cardinale S. Crucis solemnii ritu sacrum peractum est, gratiaeque reddita Deo, qui acerrimum hostem Catholicae Ecclesiae ducem Lutheranorum in Caesaris potestatem redegerit ». Tum subdit auctor:

« XXVIII Maii receperunt litteras nimirum legati ex Germania a D. Verallo xv in exercitu Caesareo datas, quibus significat, quod imperator dederit libertatem duci Joanni Friderico Saxoniae, his adjectis conditionibus, quod maneat

in curia Caesarea vel principis Hispaniarum filii imperatoris; quod det omnia loca munita sui datus in polesiam Caesaris; quod reddat quod abstulit de bonis Ecclesiarum et de aliis principibus; quod promittat se recepturam quoad religionem, quod in Concilio generali determinatum fuerit; quod cedat Electoratum imperii fratri suo Maurilio; quod de suis redditibus tantum quinquaginta millia florenorum habeat, caetera regi Romanorum et fratri suo; quod solvat ad praesens imperatori quingenta millia florenorum ».

103. His consentientia tradunt alii scriptores, pro Saxone accessisse demum concordiae interpretes ac veniae deprecatores Joachimum electorem Brandenburgicum et Clivensem principem, cujus soror Saxoni nupserat, et capitalem sententiam ob affectatam tyrannidem commutatam esse iis legibus, ut Wiltembergam deditionem faceret, atque omnem bellicarum rerum apparatus et tormenta aenea minora et majora, quorum maxima erat multitudo, traderet, Gottha arx inexpugnabilis aequaretur solo, cederet electoris dignitatem cum omnibus oppidis ad electoris ditionem pertinentibus, illi vero ad tuendam vilam familiarum splendorem alique arces, et agri, et oppida in Thuringia reservata, porro electoralis dignitas Saxonica in Maurilium principem transfusa est.

Dum haec ad Wiltembergam gererentur, Ferdinandus rex tribus equitum pedumque sex millibus receptis, Bohemos tumultuantes, qui illius jugum excutere defecerat ex Saxonem meditati erant, Friderici adversis casibus fractos et consternatos compescuit, redegitque ad officium, maxime cum Caesar eorum oratores, apud Halam venientes pacem cum Ferdinando fratre, cui nunquam esset defuturus, transigere jussisset, nisi extrama experiri vellent; de qua victoria Pontifex Ferdinando subjectis litteris gratulatus, hortatusque est, ut constabillita religione Catholica, oppressaque haeresi sempiterna trophaea in caelo sibi excitaret¹:

104. « Regi Romanorum.

« Charissime etc. Cum accepimus serenitatem tuam Dei Omnipotentis auxilio, et virtute sua Bohemos subditos suos, qui perfidiosius se gerere, et tuo imperio obteclare velle videbantur, rursus in ditionem et potestatem tuam redeisse: atque ea illis jam fraena imposuisse, quae ab sese excutere, et a quibus se exsolvere nullo modo possent, sane affecti sumus non mediocri laetitia, quod duorum praestantissimorum fratrum ductu atque imperio duae fortissimae nationes maximo cum Christianae reipublicae commodo pacatae et ad fidem atque officium revocatae sunt, quarum alteram longe maximam et potentissimam summus imperator frater tuus, alteram tu graviter tumultuantem

¹ Paul. III. lib. boev. an. xiii, p. 17.

et perturbatam vestro consilio, virtute, vigilantia ferre jam fidelitatis et obedientiæ jugum, et jus superioris potestatis recognoscere docuistis, quo nos nihil arbitramur reipublicæ Christianæ hoc tempore potuisse evenire optabilius; nam cum illarum malionum atque gentium vi atque ferocitate inter sese dissidente, et domesticis seditionibus agitata, magnum ex ea re periculum reipublicæ ab hoste Turca imminabat, tum vero utraque pravorum hominum fraude et perniciosis consiliis a vero Dei cultu et fidei Catholice unitate magna ex parte distracta, alio etiam propiore periculo nos terrebatur, quod videbamus et dolebamus fere quotidie ob ejus mali contagionem magnum numerum fidelium animarum Deo eripi et illius nostroque perpetuo adversario Sathanae ab hominibus impiis acquiri, cui nunc tanto malo vestra et victoria et sapientia provisum fore speramus atque confidimus: itaque ut serenissimo Cæsari proximus his diebus per litteras et nuntios gratulati sumus, sic nunc tue serenitati, fili charissime, ex animo gratulamur, tibi que islam rem et actionem tua virtute dignissimam bene ac prospere in perpetuum evenire cupimus, Deumque Omnipotentem, cujus causam una cum tua suscepisti atque egisti, ita effecturum non dubitamus, ut exitus hujus victoriæ tibi semper commodus atque jucundus, populis autem per te compressis atque pacatis etiam salutaris sit. Sed cum videas atque intelligas, et tua prudentia et ipso rerum successu eruditus, eos, qui se a Catholice Ecclesie obedientia sejungunt, ne regibus quidem ac principibus fidem servare posse, quod Deo summo regum omnium posthabito et neglecto, facilis deinde est mobilibus populis ab inferioribus regibus defectio, est jam tui Catholici animi Christianique consilii proprium ita dirigere et gubernare populos illos, ut primum et ante omnia ad rectum Dei cultum, et pristinam et Catholicam religionis Christianæ observantiam reducantur, quod quidem certe in potestate tua tolum est, et ob hanc præcipue causam, ut non frustra credimus, eos Deus Optimus tue potestati penitus subjectos tradidit, ut cum tu in eorum corpora et fortunas potestatem haberes, illorum animas preliosissimam generis Christiani partem ipsi eidem Deo illarum creatori et Redemptori restitueres, in quo actu præclaro atque extimo, et tue illustris victoriæ fructus sempiternus, et regni tui præcipuum, ut quoque intelligis, stabilimentum consistit. Nos quidem, charissime fili, omni

nostra benevolentia paternaque charitate, et laudibus tuis favemus, et omnia tibi prospera ac felicia tum apud Deum, tum apud homines, et optamus et precamur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXIX Julii MDCXLVI, AN. XII ».

105. Indicti fuere ad VI Julii ¹ conventus a Ferdinando in arce Pragensi, in quibus magistratus ac nobiles supplices affluere, et in gratiam admissi, federatorum vero princeps Pflugius proscripius est, illiusque caput quinque millibus aureorum licitatum. Edomandus supererat Cæsari Philippus landgravius Hassiæ, in quem cum victricia signa attollerentur, is extremo perfusus terrore, cum antea varias concordia leges irritò exitu proposuisset, unicum conclamatis rebus suis in Cæsaris elementa relictum præsidium arbitratus, ad Cæsarem apud Halam Saxonicam centum equitibus stipatus venit, provolutusque in genua, quem antea Cæsarem negaverat, verbis honorificentissimis Cæsarem appellavit, fidemque sacramento solemnè addixit, is vero a Cæsare capitali pœna, et proscriptione, et carcèribus perpetuis absolutus est: eduxerat vero antea et carcere Henricum ducem Brunsvicensem, in quo diu illum tenuerat, qui illi spectaculo interfuit, cum ex omni dilione quatuor arces delectas dare jussus erat, diruere aliqua munitoria loca, centum quinquaginta aureorum millia refundere, ac formenta omnia bellica rhedis subvehi solita (que plura quam ducenta erant) tradere, cum vero se libertate potiturum, atque omnis periculi immunitatem adeptum opinaretur, temporario carcèri mancipatus est, quod ægre Joachimus Brandeburgicus et princeps Clivensis tulere, quasi fides data violata esset, sed scriptis suis revicti sunt, in quibus unius litterule Germanicam vocem immutantis vim non satis perpendisse animadvertent, in hanc vero calamitatem Lutherani concionatores utrumque principem Saxonem et Hassium conjecerunt (1). Cæsar dirutis landgraviæ munitioribus locis, tormenta bellica, que in hoc bello ceperat, ita distribuit, ut trecenta in Belgium, quinquaginta Mediolanum, totidemque Neapolim transmiserit. Audita florentissima hujus victoriæ mentione, Paulus Jovius ita historiam suam elausit: « Cæsar bellum quod inferebatur, conversis rebus, ita hostibus intulit, ut protracto bello per aliquot menses, fractoque Germanorum impetu, quum nusquam justo bello esset dimi-

¹ Sicut in Comm.

(1) Historiola quam hic nunc annalista, satis promulgata est, ac nemo illis est qui capti Landgraviæ causam altam præferat, quam præbentur epistolam vel casu vel dolo corruptionem. Cum enim scribendum fuerit in Instrumento confecta pacis OYN FYNDE GEVANSKIES *sive aliquo cæteris*, legebatur OYN FYNDE etc. *sive perpetuo* etc. At quoniam auctore illi litterarum transcriptio obtinuit sit, non satis liquido constat, sunt enim qui ab ipsa Landgraviæ scriptam singrapham rati, oscitantem unum pro altero scripsisse affirmant. Opinione hanc facile insinuare annalista visus est, et respondens merito hæc reprehenda censet, totiusque doli auctorem, non Landgraviæ oscitantem, sed Cæsaris dolum constituit. Nec sane unquam Landgraviæ obiectum fuit immerito illum de Cæsare conqueri, cum ipse sibi condemnationem suam se ipsius

micatum, Germania omnis intra Danubium et Albim et Rhenum incredibili felicitate gloriaque subacta sit, utroque etiam duce, eo rerum exitu, ut ipsis victis atque productis, nobilissimum de subacta Germania triumphum, quem Romanis olim ducibus denegatum constat, instruere potuerit». Ornatum fuisse Carolum V a Pontifice MAXIMI et FORTISSIMI cognomine refert Surius, nec immerito, cum Saxoniam omnem tribus mensibus sibi parere coegerit, quam Carolus Magnus ægre triginta annis domuerat. Cum vero Cæsaris beneficio Henricum Brunsvicensem e lautgravii carcere liberatum accepisset Pontifex, illi gratulatorias hæc litteras de superata adversa calamitate dedit ¹:

« Dilecto filio nobili viro Henrico juniori duci Brunsvicensi et Luncburgensi.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Ad nostram de communi nostra victoria contra Lutheranos Ecclesie et fidei hostes lætitiæ non parvus cumulus accessit tua, fili dilecte, liberatio, per quam te nobilissimum et religiosissimum principem nobis et eidem Catholice fidei restitutum gaudemus, sicut antea indigno casu et nefaria tuorum prodicione interceptum ab hostibus fuisse dolebamus. Itaque de tua hac libertate non solum tibi, quem semper amavimus, verum etiam nobis et huic sanctæ Sedî ac religioni ipsi Catholice ex magno animo gratulamur, quando ad nobilitatem, virtutem et auctoritatem tuam pietissimum hunc animum adjunxisti, ut te semper Catholice fidei et sacrosanctæ Ecclesie athletam et propugnato-rem fore pollicearis, de quo nos, sicut nunquam dubitamus, ita nunc tuæ in Deum pietati, et in hanc sanctam Sedem observantiam paterno semper affectu et singulari benevolentia respondisse. Datum Romæ apud S. Marcum XIII Augusti MDXLVII ».

106. *Lutherani victi Concilio se submitunt.* — Asseruit Henricus princeps in sua ditione religionem Catholicam, quam Lutherani deprecserant, erexit pariter sese re Catholica in archiepiscopatu Coloniensi, deturbato impio Hermanno, in ejusque locum Adolpho suffecto, de cujus præclarissimis laboribus hæc refert Surius ²: « Tibi ad eam pervenit dignitatem, mox religionem veterem in tota diocesi restituit, commenta prorsus abolevit, et verum pastorem re ipsa se declaravit; id quidem mature accidit præclarissimæ diocesi, que jam multis locis ita erat novis dogmatibus infecta, ut difficilis omnino curatio videretur, nisi Deus manum apposuisset suam ». Recuperavit tum Julius Pflugius Nurembergensem episcopatum, cui Nicolaus Amsdorffus deterrimus Lutheranis incubabat, Auguste etiam et in aliis nonnullis locis, in quibus impiorum tyrannide religio

oppressa erat, refluivit, ac certe ad pristinum splendorem illius revocandæ spes affulgebat, nisi gravissimæ inter Pontificem Cæsaremque suspiciones dissensionisque de loco Concilii, cui in Augustanis convenlibus a Cæsare ad kal. Septembris indictis Lutherani se submisere, novæque de Pontificia Cæsareaque auctoritate ventilatæ lites emerisissent, tantaque victoria fructum corrupisissent.

Oborta sunt hujus anni principio gravissimæ bellorum suspiciones inter Franciscum Gallorum regem ¹ et Cæsarem in Italia, cum Gallis Cæsare Germanico bello implicito novandarum recuperandarumque rerum amissarum in Italia occasio eximia non deesset, maxime cum graviore tumultus Neapoli adversus Petrum Toletanum proregem, sacra censura tribunalia more Hispano instituire meditantem, excitati essent, tum etiam Genuæ maximi civiles motus exorti erant, ad quæ avertenda mala, tum ad rem Catholicam erigendam duos cardinales legatos Sfondrati ad Cæsarem, et Sancti-Georgii ad Franciscum I XXV Februarii decretos refert Joannes Franciscus Firmianus.

107. *Genuæ Flisci conjuratio et Parmæ Aloysii Farnesii cædes; unde nova odia exorta inter Pontificem et Cæsarem.* — Erupit Genuæ mense Januario ² atrocissima conjuratio, quæ si e meditato consilio successisset, Cæsareæ res in Italia in extremum discrimen erant adductæ, iniquissimo quidem tempore, quo Cæsar Lutheranis bello implicitus erat, sed divina providentia periculum omne in conjurationis principem detorsit, adeo ut in ipso victoria articulo non hostili virtute, sed improvise casu infelicissime perierit. Is fuit Ludovicus Fiscus Lavaniæ comes, qui Auriensis familiæ felicitate perstrictus, ejusdemque fastu laceratus, in illius internectionem, Verrina suatore, conspiravit, Genuæque principatum affectavit: non defuere illi artes, quibus Genuensem juventutem singulari comitate sibi devinciret, populique conciliaret voluntates, tum a Francisco Gallorum rege clandestino dolo subministratisque opibus incitari creditus est, ejusque clientela se commisisse, ad Andrea de Auria, qui olim et classem Gallicam, et Genuam, et spem obtinenda Neapolis abstulisset, trucidato Galli regis injuriam vindicaret, classeque occupata una cum Massiliensi classe tumultuantem Neapolim adversus Petrum Toletanum proregem ad Gallorum vetus imperium revocaret. Hujus conjurationis societati accessisse existimatus Petrus Aloysius Farnesius, qui ad Parmæ et Placentiæ principatum electus fuerat, ut infelicis perierit: is

¹ Franc. Belg. l. XXIV. num. 45. Ib. num. 32. Jo. Franc. Firmian. de Macer. Ms. diar. Arch. Vat. — ² Uertus Folleta in Vita Andreae Auria. Ludovic. Guicæ. in Comm. Bazar. l. XXII. hist. Genuen. Natalis Comes l. III. Panvin. in Paulo III. Lud. Cavell. in hist. Crem. Belcar. l. XXIV. num. 32. Panvin. in Paulo III.

¹ Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 86. — ² Sur. in Comm.

vero acceptis a Joannilio de Auria injuriis irritatus fuerat, nam Joannilius quatuor triremes Pontificias prodicione jam ante interceperat, et quamvis a Caesareis administris increpitus eas restituisset, injuria tamen dolor alte fixus in animo haeserat, tum Caesari infensus erat, quod Parmae et Placentiae munus a Pontifice collatum augusta auctoritate confirmare nunquam voluisset, adeoque ad Gallicas partes se converterat.

108. Itaque in Parmensi et Placentino agro contractae fuere copiae, quae Ludovico Flisco submitterentur ad meditata contra Auriensem familiam consilia perducenda, proptereaque Caesari in Pontificem velut Gallicarum partium studiosum, participemque hujus conjurationis gravissimas suspiciones concepere. Comparatis igitur copiis Ludovicus Fliscus, et factionis suae viris in varias stationes noctu distributis ipse, ut erat avidus gloriae, ad Caesarem classem occupandam animum adiecit, ac succinctus armatis triremes quatuor occupavit, in praetorium vero triremem cum assiliret, ac tabula idoneis retinaculis non esset devincta, ex triremis fluctuatione gliscente tabula non in sperali imperii solium conscendit, sed in profundum gurgitemmersus, atque ut erat armis onustus in ima revolutus periit, nec suorum ope inani ex insperate calamitatis abyso emergere potuit. Audito classicorum tumultu Joannes, sive Joannilius de Auria male instructis armis, e suburbano agro ad portam Thomasiam procurrit, quae cum a conjuratis occupata esset, ab iis contrucidatur, quo tristi casu percussus Andreas de Auria, antequam conjurati irruerent, a suis in equum subvectus fuga salutem sibi peperit, interea in civitate gravissima seditio nocte coorta est civibus in contraria studia distractis, sed cum conjurationis princeps non compareret, Caesari administris, qui fugam jam adornabant trepidi, collectis ex terrore animis viribusque aucti conjuratos in fugam compulere, partim militari pactione abjectis armis discedere coegerunt; verum cum ea pactio (licet sacramento confirmata) inique extorta disceptaretur, postea rescissa est, ac legum severitas in Hieronymum Fliscum et Verrinam securi percussos districta est, sociique proscripsi fuere. Contrario rerum exitu audito Gallorum classis, quae Neapolim petitura erat, Massiliae se continuit, ac Neapolitani seditiosi siluerunt, et quia vehementis suspicio de Pontifice concepta erat, Ludovici Flisci scribae acerbissime in equuleo torti sunt, ut rem arcanam panderent, sed nunquam quippiam ab iis de Pontificis societate aliqua exprimi potuit, odiorum itaque omnium fax Petro Aloysio Farnesio Parmensi principi adhaesit, qui cum Gallis foedus iunxisset, atque ad eum male perdendum Caesareorum administrorum studia conversa sunt.

109. Accensa eo magis erant odia, quod Pontifex inclinasse in Gallorum partes videtur, nam cum Henrico rege affinitatem contraxerat, exeunte Junio, conciliato opera legati Capilisferrei inter Horatium Farnesium nepotem ex duce Castri et Dianam filiam regis novam matrimonio, Gallorumque, quas ad Bononiense Concilium pellexerat¹, viribus fretus non assentiebatur Caesareis postulatis ut Concilium transferretur Tridentum, Octaviumque nepotem ducem Pontificii in Germania exercitus adversus Lutheranos e castris Caesareis revocaret, quem vi Septembris tribus diebus antequam pater trucidaretur recessisse narrat Angelus Massarellus.

Non defuit vero Caesareae factionis studiosis explendi in Petrum Aloysium Farnesium Parmae et Placentiae ducem² odii occasio, cum Petrus Aloysius Farnesius se in adulteria vagasque libidines effunderet, proindeque clientum suorum rabida in se odia accenderet, itaque coacta in eum cruenta conjuratio est, cujus princeps fuit Augustinus Landus, qui illum incautum in ipsa arce Placentina, quam tutissimam opinabatur, decimo Septembris multis vulneribus confodit.

Sic trucidatum, abscissis per ignominiam genitalibus, conjurati altero pede suspenderunt e fenestra, unde magis e foro urbis posset prospici, satialisque eo spectaculo civibus deiecerunt praecipitem in fossam oppidi, in qua conculcatum est cadaver ab insana plebecula, et ultra mortem in eum saevitum. Conjurati vero libertatem nomenque Caesareum conclamarunt, moxque Ferdinandus Gonzaga Insubriae praefectus multo succinctus milite Placentiam provolvit arcemque Caesarianorum militum praesidio munivit, antequam Bononiae prolegatus collectis copiis procurreret.

110. Paulus autem, audita morte Petri Aloysii, ad laetandum precibus Caesarem se convertit, et his litteris rogavit, ut communibus nepotibus Placentiam redderet, et de Petri Aloysii caede ultionem sumeret³:

« Imperatori.

« Charissime etc. Credimus majestatem tuam audivisse jam immanem et violentam eadem bona memoriae Petri Aloysii Farnesii nostri Parmae et Placentiae ducis a nonnullis sceleratis ac impiis civibus Placentinis ejus subditis contra omnia etiam gentium jura, et contra jurandum per illos ei praestitum perpetratum, idque tibi pluribus de causis displacuisse non dubitamus. Nos sane maximo cum dolore rem intelleximus, at illud, tibi charissime, dolorem nobis auxit, dilectum filium Ferrantem Gonzagam Mediolani pro tua maje-

¹ Ugar. Gonz. Tol. et Bonon. p. 137. — ² Uletois Foheta. Nalib. comes. — ³ Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 103.

state gubernatorem, Placentiam cum magno militum praesidio ingressum fuisse, tuarque majestatis nomine (sicut ipse jactitat) detinere audivimus, id enim nobis, qui tuam majestatem semper dileximus, et huic sanctae Sedi, cujus peculiaris es advocatus, molestissimum accidit, ac duci Octavio genero tuo, cujus erga te observantiam et fidem, si nunquam antea, in proximo Germaniae bello cognoscere potuisti, tuisque ex eo nepotibus, ad quos Placentia pertinet, damnum intulit, secutumque est, ut in tota fere Italia rumor percrebuerit, majestatem tuam contra nos et Sedem Apostolicam arma movisse. At agat ille quidquid velit, nos nunquam credere poterimus, majestatem tuam huic impio facinori consensisse, aut ab eo gesta approbare debere, scimus enim quanto semper studio procuraveris, ne famam tuam, tanto sudore, tot vigiliis, tot praeclaris gestis a te partam aliquo indigno facinore maculares, neve Deum omnipotentem, cui victorias tuas omnes semper acceptas referre solitus es, offenderes. Licet autem nos tuam majestatem sine ulla nostra instantia his rebus intellectis pietissimi et justissimi animi sui signum super illis jam dedisse putemus, tamen ut nobis ipsis in hoc satisfaciamus, mittimus ad majestatem tuam venerabilem fratrem Fabium episcopum Lucerinum praelatum domesticum, et ad id specialem nuntium nostrum, ut omnia plenius majestati tuae referat, hortamur proinde ipsam tuam majestatem, et omni quo possumus studio ab ea petimus, ut ipsum Fabium episcopum nuntium virum ob suas virtutes et fidem nobis gratum cum fide audire, et pro ea summa spe, quam nos et omnes nostri in te collocatam habemus, si id nondum ab ea factum est, providere velit, ut ipse Ferrantes Placentiam duci Octavio restituat, et quantum in eo fuerit, dicti Petri Aloysii ducis necem tuae majestatis auctoritate pro justitia et dictae Sedis honore ulciscatur. Sic enim nos et omnes nostros, qui hujus beneficii memores semper erimus, tibi arctius devincies, et ortum de motis a te armis in Italia rumorem extingues, efficiesque, ut animi tui religionem et pietatem omnes agnoscant. Datum Perusiae xx Septemb. MDCXLVI, anno XIII.

III. Pontificis precibus imperator aures non praebuit, cum jam cives pacis conditionibus Caesaris jugo cervicem accommodassent: ad removendam tamen a se omnem culpae suspicionem, oratore misit, qui Pontifici ejusque nepoti duci Octavio de Petri Aloysii caede condoleret, significaretque maximum se ex illa caede dolorem traxisse: Ferdinandus etiam Gonzaga datis litteris finxit se ejus caedis conscium non fuisse, sed audita caede Placentiam ad sedandum tumultum advolasse, quam excusationem ab Atrabatensi episcopo Caesari allatam confutavit cardinalis Sfondratus legatus

Pontificis; docuitque constare jam ante patratam eadem ingentes armorum apparatus Laudae, Ticini et Cremonae instructos fuisse; ac deinde infirmis vehementissimisque precibus ursit, ut gratum animum erga Paulum Pontificem exhiberet, qui subsidiarias copias in Germaniam illi submisisset, suumque aerarium pro solvendis militi stipendiis exhausisset, qui nocendi occasiones oblatae repulisset, cuique beneficiario regni Neapolitani jure obstrictus esset; cui Caesar respondit, se ducem Octavium ut filium quidem diligere, sed Pontificem non ita se erga Caesarem gessisse, ut nepoti Octavio Placentiam restitui mereretur.

III. Perstrictus hoc acerbo responso cardinalis legatus non destitit exponere Caesari publicae rei Christianae graviora pericula impendere, si Pontificem adeo offensum placare nallet, cui subjecit Caesar publicam rem ex privata non pendere: Caesari subintulit legatus, ex privata re publicam aliquando pendere, quando ita sunt connexae, ut publicae rei subveniri non possit nisi private ratio habeatur. Ad quae respondit Caesar, a se religionis causam omnibus rebus praeferrere, omneque studium pro ea amplificanda collocari, ut in comitiis Augustanis, quae tunc celebrabantur, religionis dignitas relloresceret; nec in ea causa quidquam decretum, nisi ex Pontificis ejusque legati consilio et consensu. De Placentina vero re nihil adhuc constituisse, sed postea debita consilii maturitate deliberaturum: cui subdidit legatus, nisi quantocius consuleret de ea re Caesar, remedium opportune non allatum iri. Auditi postea sunt Mignanellus Pontificius internuntius et Sfortia Palavicinus orator Octavii ducis a Caesare, qui de nece Petri Aloysii et occupata Placentia conquesti sunt, quibus interprete Granvellano responsum est, Caesarem e Petri Aloysii caede magnum dolorem hausisse: de re vero Placentina nondum quidquam posse decerni, licet enim erga Octavium ducem consanguinitatis jure admodum amore afficeretur, Caesarei tamen esse muneris, et imperialem auctoritatem et quietem Italiae asserere. Ita Caesar simulatam cum Paulo Pontifice contraxit, ac Paulus Pontifex domestica calamitate impeditus, abalienatusque a Caesare, causam religionis, quae in restituenda Tridento Synodo cogendis ad illius decreta excipienda Lutherani vertebatur, remissione animo promovit.

III. Interea cum Ferrantes Gonzaga duci Octavio bellum indixisset, et multa ejus oppida occupasset, tandem cum ipso convenit de armorum induciis, de quibus ita Diarium Concilii: « Nona Octobris induciae inter Parmensem et Ferdinaudum Gonzagam gubernatorem:

¹ Jo. Bapt. Adriae, l. VI, an. 1547.

Mediolani ad beneplacitum Pontificis et Cæsaris, redditis aliquibus locis munitis ab ipso duce domino Ferrando. Dux Octavius proficiscitur ad Pontificem, deinde ad imperatorem, pro conclusione rerum suarum ».

114. Cæterum imperator occupata Placentia non contentus, etiam ad Parmam vel jure spectantem ad ducatum Mediolanensem subjiciendam animum applicuerat : Pontifex vero, ut illum ab eo consilio dimoveret, Julium Ursinum amplissimis instructum mandatis ad Cæsarem misit. Plura hinc inde disceptata sunt, sed irritò successu, dum vixit Paulus, qui Parmam Ecclesie restituere, et Camerinum Octavio Farnesio tradere ad litem conciliandam meditatus est. Ea verò lis in longius tempus extracta est, de qua mentio suis locis recurrit.

115. *Scotia ab hæreticis infestæ libertas restituta.* — In Scotia, ob mortem cardinalis Davidis legati ac Scotorum primatis, quam anno superiore ab hæreticis illi temere intentatam luximus, conjurati, Sancti-Andree arce occupata, Anglorum hæreticorum auxiliariis armis freti, moderatoris Scotiæ impetus pertinacissime propulsabant : quod cum maximo religionis et Gallicæ rei incommodo vertendum esset, Pontifex Franciscum regem rogavit, ut classem Scotiæ opem laturam mitteret ¹ :

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Recepimus litteras majestatis tuæ, per quas nobis significat, quod interfectores bonæ memoriæ Davidis tit. Sancti-Stephani in Cælio-Monte presbyteri cardinalis, de Sancto-Andree nuncupati, nostri et Apostolicæ Sedis in regno Scotiæ de latere legati, qui post dicti cardinalis eadem castrum civilis Sancti-Andree hostiliter occuparunt, prout adhuc defendant castrum ipsum, quod dilectus filius nobilis vir ipsius regni gubernator, quamvis jamdiu magno labore obsessum, hactenus recuperare non potuit; eumque non ab re formidetur, quod nisi idem castrum ad manus ipsius gubernatoris quamprimum redigatur, Catholica fidei hostes, qui dicti regni Scotiæ occupationi semper inhiant, occupantium deditioe dicto castro potiantur, et per illud velut ipsius regni januam regnum hujusmodi invadant, et hinc imminenti periculo providere posse majestatem tuam asserunt, si dicti occupatores ab ipso crimine absolvantur; nos etsi flagitium illud longe atrocissimum et omni indulgentia indignum videatur, tamen minus malum eligentes, ne quod majus detrimentum regnum ipsum patiatur, quod te etiam novisse credimus, ipsam absolutionem certis judicibus commissimus, sicut in aliis nostris in forma Brevis litteris expressum est, et orator apud nos tuus ad majestatem tuam prescribet, in quo non solum illius regni

salute, verum etiam tua auctoritate persuasi fuimus, sperantes nihilominus fore, ut justo Dei judicio, et tuæ etiam serenitatis, quæ Ecclesie semper affuit, futurum, ut tanti cardinalis, et tam probi et Catholici viri interfectores una cum dicto castro in potestatem nostrorum deveniant, et non solum absolutionem hujusmodi vi extorsisse non glorientur, verum tam nefandi sceleris penas subire cogantur. Dat. Romæ III Februarii MDCXLVII, anno XIII ».

Non defuit Pontificiis precibus ¹, et Gallicæ rei commodis Franciscus rex, classem enim egregie instructam cum validis copiis submisit, quæ junctæ Scotis arcem Sancti-Andree expugnarunt, repressoque Anglorum fastu, libertatem regno restituerunt, ac patrati facinoris in occiso cardinale reos in Gallias victos adduxere, ubi meritis supplicii affecti sunt.

116. *Francisci Gallicæ regis obitus et filii Henrici coronatio.* — At de Scotiis rebus inferius, nunc cepta de Franciscus rege, qui hoc anno appetente Paschate finem vitæ imposuit, narratio absolvenda est. Is diu lenta febre cruciatus, cum hædia venatu levare niteretur, malum auxit, accessit conceptus dolor ex ulcere inter anum et vesicam exorto, quo diu antea laborarat, itaque ad salutem animæ Sacramentis rite procurandam se convertit, ut refert Martinus Bellaius his verbis ² :

« Tum vitæ finem imminere arbitratus, cepit animam ad piam cogitationem advertere, atque ad mortem homine Christiano dignam se comparare : multis Delphinum, hodie regem, graviter sapienterque cohortari cepit, populum Gallicum ejus fidei committens et mandans, his perfectis, animam Deo tradidit in arce Rambollietana pridie kal. Aprilis anno MDCXLVI, ante Paschalia : additum est in margine MDCXLVII more Romano : subjicit auctor ejusdem elogium : « Ille princeps magnum sui tum civibus, tum exteris desiderium reliquit, quod omnibus virtutibus se præstantem præbuit, magni erat et generosi animi, bonas litteras maxime amavit et fovit ». Et infra : « Mortuus est anno ætatis quinquagesimo tertio, variam subinde fortuna vicissitudinem, sapius tamen adversam quam secundam expertus, neque tamen vel gravissima unquam calamitas animi ejus firmitudinem et constantiam fregit, sed immota spe ab uno Deo suspensus omnes suas rationes habuit, mentis et memoria integrum usum ad extremum usque spiritum servavit ». Celebratur a Joanne Eckio ³ summa pii ardoris in tuenda fide Catholica laude, quamquam Zuinglius, dedicatis illi totius perfidiæ suæ Commentariis, illum inficere pertentasset, et Martinus Bucerus librum in Psalmos Del-

¹ A la Cone. Ms. card. Spada sig. num. 137. Paul. Jov. l. XLV. Belleforest. — ² Martinus Bellaius l. X. Franc. Belg. l. XXV. n. 1. — ³ Pag. 191. lo. Eck. in Replicâ adversus Bucerum

¹ Paul. III. lib. brev. an. XVI. p. 36.

phino inscripsisset, perfidos enim homines ad injiciendam suspicionem, quasi faverent impietati, id dolo egisse ostendit, tum subdit : « At quantum faverit, (nempe Franciscus rex) testatur Berekun, nobilis alioquin vir et locuples cum innumeris aliis ob hæreseos crimen a rege Francorum combustis : testatur Calvinus, Lamberli, Farelli sociorum tuorum et aliorum Gallorum fuga, qui flammis ignis debitas evaserunt ».

Audita Francisci regis morte, Pontifex mox rem divinam pro ejus anima solemniter ritu peregit decima octava Aprilis die ¹, tum illius successorem Henricum ad ferendum constanter conceptum ex paterna morte dolorem, sectandas regias virtutes, fidemque Catholicam defendendam hortatus est, illique Pontificia studia pollicitus est ² :

117. « Henrico regi Franciæ Christianissimo.

« Charissime, etc. Summum dolorem, quem ex obitu Christianissimi et præstantissimi regis tui genitoris non solum publica totius Christianitatis causa, verum etiam nostro privato affectu et benevolentia accipimus, consolatur et lenit, fili charissime, quod tu illi in ejus non solum regnum, sed etiam virtutes successisti, inter quas cum emineat tua singularis erga Ecclesiam et hanc sanctam Sedem devotio, ac fidei Catholice protectio, merito fit ut jacturam ac molestiam ex illius morte alioqui maximam, ob tuam successionem, minorem sentiamus, cum præsertim speremus et confidamus in Dei misericordia, animam ipsius, quæ in colenda justitia, fide Catholica defendenda, atque hac Sancta Sede omni studio et favore prosequenda semper versata est, nunc ex regno terreno in cœleste et perpetuum assumptam ubertate quietis et lætitiæ perfrui. Tibi igitur, fili charissime, paterna charitate et affectu nostro de communi hac jactura condolentes, te hortamur, ut divinæ voluntati acquiescere velis, atque ad tuum regnum justitia, pietate et sapientia, quas in te vigere novimus, gubernandum animum, sicut facis, convertas, et spei de tuis virtutibus a nobis et omnibus conceptæ respondeas, quod futurum confidimus. Nos quidem veteri prædecessorum nostrorum exemplo, et erga prædecessores tuos amore, te præstantissimum atque optimum regem peculiari quadam charitate et benevolentia nostra semper prosequemur, Deum Dominum suppliciter deprecantes, ut te una cum charissima tua consorte et sobole diutissime conservare dignetur ad commune bonum et quietem totius nominis Christiani, de quibus et aliis omnibus dilectus filius cardinalis Sancti-Georgii legatus noster ex

parte nostra serenitati tuæ referet, cui indubiam fidem habebis. Datum Romæ etc. XVII Aprilis MDXLVII, anno XIII ».

118. Jussus est cardinalis S. Georgii celerime etiam equis concilialissimis, si valetudo id permitteret, in Galliam proficisci, dataque illi mandata, ut regi exponeret, quantum Pontifex dolorem hausisset ex morte Francisci regis, quamquam lætitiæ ex illius in regnum successionem cepisset ; hortaretur ad sancendam pacem cum Cæsare pro tuenda Christiana republica religionisque hostibus comprimendis ; regia etiam studia pro Angliæ ad Ecclesiam obsequium revocandis collocaret, preces etiam adderet, ut ad Concilium Tridento Bononiæ translatum præsules Gallos transmitteret, eos vero qui Tridenti hæserant, inde revocaret : præterea legato data sunt imperia, ut regi significaret, duo decreta confecta fuisse primum, ut cardinales in aula Romana morari tenerentur, ut Pontifici consilio et opera assistant : alterum, ut unius tantum Ecclesiæ administrationem gerant, dimittant vero alias quas obtinerent.

119. Redimitus est regio diademate Henricus solemniter ritu octavo kal. sextiles a Carolo Lotharingo Rhemensi archiepiscopo, atque in regni exordio fortiter novatores supplicis coeruit, et Sedis Apostolicæ dignitatem tuendam suscepit, ac misso amplissimo oratore, Franciscus Bohano, Pontifici demissa obsequia detulit vi Octobris.

Transfugit postea Franciscus Bohanus ad Sathanae et Calvinii castra, Henricus vero rex defecit a pristina pietate ¹, atque exitiale cum Lutheranis fœdus inivit grassandique licentiam in regno hæreticis laxavit, quo flagitio sibi et stirpi suæ florentissima extremum exitum peperit, ut dicetur inferius. Jam ad Henricum Angliæ regem bimestri ante Franciscum regem extinctum, a cujus funesto exitu abhorret oratio, digrediamur.

120. *Angliæ rex moritur, non sine voto, sed equidem inani, præstanti obsequio Pontifici.* — Ardente conscientia admissorum flagitiorum ille excitatus, de abrumpendo impio schismate, repetendoque Pontificis Romani obsequio varia consilia agitavit, quæ ob tumorem animi et aulicorum fraudes, et infirmam voluntatem demum in opus non perduxit, ut deplorat Sanderus his verbis ² : « Is cum jam graviori ægritudine premeretur, nec facile speraret ex ea liberari se posse, videns, qua cupiditate, vel quo potius furore vinculum unitatis Ecclesiasticæ dissolvisset, eum episcopis nonnullis privatim agere cepit, de ratione qua iterum Sedi Apostolicæ, ac per eam reliquis gentibus Christianis conciliari posset. Verum hic videre licet

¹ Joan. Francisc. Firmanus Magister Cereemoniarum in Diario. — ² Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 318.

¹ Belcar. J. XXV. — ² Paul. Jov. J. XLV. Sander. de Angl. Schismat. l. I.

severitatem Dei in eos, qui aut prudentes ceci-derunt, aut in peccatis suis alte obdormierunt. Præterita enim Henrici crudelitas fecit, ut nemo jam illi fidele consilium dare, nemo sui pectoris sensa patefacere, nemo veritatem aperire aude- ret; sciebatur enim multos neci datos esse, cum prius aut illi aut Cromuelo, etiam jussi, libere quod sentiebant loquerentur. Itaque nunc quo- que unus ex episcopis, utrum ipsi insidias struerentur, incertus, respondit regem omnibus viris sapientiorem esse, illum divino consilio Pontificis Romani primatum abdicasse, nec jam habere quod timere debeat, cum publica regni lege iudicium illud confirmatum sit. O proditi- onem immanem, qua ille pseudo-episcopus similis Jude assentationis nefarie osculo Hen- ricum male perdidit! non enim de timore hu- mani iudicii, sed divini terrore agebatur. Subdit Sanderus: « Stephanus autem Gardinerus Win- toniensis episcopus seorsim regi suasisse dicitur, ut si fieri posset, ordinibus regni convocatis, rem tanti ponderis cum illis communicaret. Sin ad eam rem spatium temporis non daretur, saltem animi sui sententiam scripto proderet, ibique conscientia sua testimonium exponeret. Deum solo cordis voto contentum esse, quando res propter aliquod necessarium impedimen- tum expediri non posset. Sed cum is discessisset, aderat mox ingens parasitorum turba, qui veriti ne, si obedientia Romano Pontifici redde- retur, ipsi bonis Ecclesiasticis exciderent, regi omnino persuadebant, ne scrupulum talem in animum irrepere pateretur. Et facile quidem a bono proposito revocatur, qui non est in chari- tate fundatus et radicatus. Ad nihil igitur aliud valuit Henrici cum episcopis de restituenda unitate Ecclesie oratio, quam ut se hæcenus renitente conscientia divisum ab Ecclesia Ro- mana fuisse, et ideo dum agnitam veritatem oppugnaret, in Spiritum sanctum peccasse pa- tafaceret ».

Nonnullis interjectis addit auctor, illum de Eucharistia Sacramento cum Romana Ecclesia sensisse, atque a libidine sola in flagitium ac detectionem impulsum: « Sacramentum inquit Eucharistia summo semper in honore habuit, itaque cum paulo ante mortem sub unica specie (quod semper observavit) communicaturus de cathedra, in quo sedebat, assurgeret, ut genibus in terram delixis Salvatoris nostri Corpus adora- ret, Zuingliani autem, qui astabant dicerent, posse majestatem suam in hac imbecilli valetu- dine sedentem in cathedra Eucharistiam perci- pere, illis respondit: Si me non modo usque ad terram dejicerem, sed et sub ipsam terram demitterem, nec sic quidem satis honoris lucis sanctissimo Sacramento mihi viderer delaturus. Denique nulla tere in re a fide Catholica discessit, præterquam libidinis et luxuria causa, penitus enim a carne sua victus et supe-

ratus ob repudium Catharinae non permissum, Pontificiam potestatem abiecit, monasteria etiam evertit, partim quod monachi et religiosi fratres maxime omnes repudio ejus adversa- rentur, partim quod bonis Ecclesiasticis inhi-aret, quo suppleret, unde sumptus effluos in epulas, in meretrices et insanas substructiones faceret ».

121. At in calibandarum voluptatum carnis felicitate fuisse infelicissimum describit idem auctor: « Mirabile est dictu in quantas animi vitæque perturbationes inciderit, postquam enim e recto Christianæ vitæ tramite egressus volup- tatibus carnis ac peccatis se implicabat, nun- quam sibi aut aliis gratus, nunquam aut mente serenus, aut conscientia securus videbatur, præcepis ferebatur in omnes vitiorum gurgites, tribus tamen maxime præ cæteris obruebatur, libidinis, avaritiæ et crudelitatis, quorum priora duo ex iis, quæ proxime duo constare possunt, ita tertium ex hoc uno constat, quod cum Hen- ricus toto reliquo sui regni tempore paucissi- mos e plebe, ex universa nobilitate duos tantum sustulisset, Edmundum de la Pola Suffolciæ comitem, et Eduardum Buchingamiæ ducem, et priorem quidem ex patris morientis præ- scripto, a quo de seditionibus condemnatus fuerat, posteriorem vero ex cardinalis Volsæi, qui Buchingamium oderat, instigatione, post interpositum divortium cum uxore legitima, et dissidium cum Ecclesia, vix explicari potest quantum stragem nobilitatis suorumque civium ediderit, paucis illis annis, quibus supervixit, ex tabulis tamen publicis numerantur. Reginae tres aut quatuor ad exitum ductæ, heronæ duæ, cardinales duo, tertiusque absens morti condemnatus, duces, marchiones, comites, comitumque filii duodecim, barones equitesque aurali decem et octo, abbates ac priores cenobio- rum tredecim, monachi, presbyteri ac reli- giosi septuaginta septem, ex reliqua nobilitate ac plebe fere innumeri. Id etiam annotabat car- dinalis Polus, quod qui intimi erant Henrico, et in amicitia ejus præcipui, ii proximi semper erant periculis, ut ex Volsæo, Complono, Nore- sio, Bolenis, Cromuelo, Hoyardis, aliisque plu- rimis manifestum evadet ». Nonnullis interjec- tis, extrema morientis verba relet auctor: « Cum de instanti mortis articulo ab amicis admoneretur, pateram vini almi poposcit, atque ad unum e suis conversus: Omnia inquit per- didimus adjecisse hæc verba, fidem, regnum, animam tert communiis traditio; inter mortis deinde vocibus monachorum nomen aliquoties ingeminasse dicitur, atque ita exiprasse » nimi- rum sanctorum monachorum animas, quas martyrio iudice humanis sustulerat, ad eum coram divino iudice accusandum visendas se objecisse a pijs existimatum est.

122. Perit infelix V kalend. Februarii hujus

anni, quod confirmat Angelus Massarellus his verbis ¹ :

« XV Februarii cardinalis Tridentinus ostendit litteras ex Germania, quod rex Angliæ obierat die qua obiit regina Romanorum, xxvii scilicet Januarii præteriti, et rex in suo testamento reliquit tutorem filii imperatorem, qui brevi illic missurus esset unum ex suis ». Pontifex audita illius morte, quam xvii Februarii significavit sacro senatui, primum xxv Februarii tres legatos cardinales pro revocanda a schismate et hæresi Angliæ decrevit, ex quibus alium ad Caesarem, alium ad Francorum regem proficisci jussit, tertium vero, qui in Angliam mittendus erat, non expressit.

123. Humanissimis interea litteris Paulus hortatus est Anglos ad fidem Catholicam sectandam ² :

« Dilectis filiis in Concilio Parlamenti regni Angliæ congregatis.

« Dilecti filii, salutem, etc. Cum non ignoraremus hunc morem et consuetudinem vestræ nationis esse, ut rege defuncto Concilium totius nationis, quod ex tribus statibus congregatum est, convocare soleatis, atque in eo de rebus communibus, regniq[ue] successore firmando agere et deliberare, duximus nostri officii esse has ad vos scribere in forma Brevis litteras, per quas, et nostrum paternum erga vos animum vobis ostenderemus, et ea moneremus atque hortaremur, quæ Deo Omnipotenti grata, nobis desiderata, vobis autem in primis commoda esse intelligeremus et salutaria : quanquam enim magnis, et variis, atque continuatis multorum annorum a defuncto rege læcessiti fuerimus injuriis, quæ non tam in personæ nostræ contumeliam, quam in ipsius Dei et Sedis Apostolicæ a Christo constitutæ contemptum redundarunt, non tamen hæc nos magis contra vos incitare debent aut possunt, quam vetustas amor majorum nostrorum et antiqua cura Romanorum Pontificum, cum erga universum Christi gregem, tum vero præcipue erga istam inclitam nationem Anglicam, in primis autem ipsius Christi Domini nostri exemplum, qui etiam contra inimicos omnia amoris officia exercuit, nos provocare, ut in ejus visceribus vos amplectamur, atque omni in re juvemus, quam ad vestra commoda et salutem quoquo modo pertinere posse judicemus ; quare cum in hoc rerum statu et mutatione regis multa vobis imminere pericula videremus, quæ etiam vos pro vestra prudentia perspicere non dubitamus, hæc autem ejus generis esse, ut nisi illis mature provideatur, in maximum salutis discrimen res regni vestri facile sint adductura, non expectantes, dum ipsa rerum vestrarum difficultas vos admoneat, quo ad quærendam opem

magis opportunam confugere debeatis, sed cogitantes dubitationem in animis vestris de nostra erga vos benevolentia vos facile deterrere posse, ne ad nos, apud quos maxime promptum auxilium rebus vestris est repositum, confugere auderitis, hæc in parte omnes ejusmodi cogitationes vestras et dubitationes prævenire volumus, et nos vobis ultro offerre in omnibus, quæ vel ad pericula propulsanda, vel ad ipsius regni pacem et tranquillitatem confirmandam pertinent, habita semper ratione honoris eorum, quibus regni gubernacula sunt tradita, et salutem omnium et singulorum, quantum vero in his rebus nostra auctoritas et benevolentia vobis prodesse possit, vel ex hoc facile intelligere poteritis, si vobiscum cogitetis, ut nullam aliam vos oppugnandi causam in regno isto alii daretis, hanc semper, vel paratissimam et justissimam futuram, quod a nostræ auctoritatis obedientia defecistis, quæ quantum valet, utinam in recenti potius aliorum exemplo, quam in vestro experiri velit. Quare, dilecti filii, monemus vos atque hortamur, ut ad nostram et hujus sanctæ Sedis obedientiam redeatis, et simul legitimam ac præcipuam vos laudendi occasionem omnibus præcidatis ; quod si feceritis, nostram auctoritatem atque opem in omnibus ad vestram salutem et commoda paratam semper invenietis, quæ omnia ut notoria vobis essent, familiarem nostrum, et in Basilica S. Petri pro natione Anglica Penitentiarium ad vos misimus, qui hæc coram vobis latius explicabit, cui ut plenam fidem in omnibus, quæ vobis de paterno nostro erga vos amore referet, adhibeatis, per vestram salutem in Domino hortamur atque obsecramus. Dat. etc. Romæ, etc. in Martii MDCXVII, anno XII ».

124. Successit Henrico Eduardus ex Jana Semeria adolescentulus novem annorum, cui Henricus sedecim gubernatores cum equali potestate præfecerat, ut si quispiam optimatum regnum affectaret, non deessent, qui teneram ejus ætatem propugnarent ; verum illi salutis suæ immemores et in pristino schismate obfirmati, puero, qui seipsum regere non poterat primatum Anglicanæ Ecclesiæ impie detulerunt. Extinctam vero spem restituendæ in Angliæ religionis referunt Acta Consistorialia, cum in ipsa coronati regis celebritate ab impiis scurris comœdia in ludibrium Pontificis et cardinalium peracta fuisset, quare legatio in Angliam suppressa est. Magnates vero regis Angliæ procuratores privatis commodis inescatos fuisse in flagitium impulsos describit Sanderus ¹ : « Ex his tutoribus cum non pauci essent Catholici, eamque ob causam ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem lotius regni statum revocare cuperent, præsertim quod ea etiam mente Henricum, et

¹ Diar. Conc. Trid. — ² Paul. III. lib. brev. an. xlti. p. 73.

¹ Sander. l. xlti.

alias, et maxime jam moriturum fuisse cognoverant, alii ex eodem numero scientes, multo plus presentis commodi et lucri per Ecclesiarum direptionem, quam per rerum ablatarum restitutionem acquiri posse, non solum ab ea sententia dissenserunt, verum etiam ulterius in schismate progrediendum iudicarunt.

125. *Providet Paulus rei Catholice tum in Hibernia tum in Scotia.* — Non hic hæsit politicorum impietas¹, sed in nefandas alias hæreses prorupit, ac in primis tutores regii, cum Ecclesie partes strenue tueri detrectassent, ab Eduardo Seimero regis Eduardi avunculo, Herefordiæ comite, paulo post Somerseti ducis titulos arripiente, dignitate dejecti atque in ordinem redacti sunt: is enim in omnem projectus audaciae seipsum unicum regis tutorem ac regni protectorem, cæteris vel dissimulantibus vel perterritis, renuntiavit, eumque Zuingliana hæresis infectus esset, Eduardum regem infecit hæresi, atque Anglos in Zuinglianam sive Puritanam hæresim impulit, eamque in Scotia propagavit, ut dicitur paulo inferius. Cæterum Hiberni in retinenda fide Catholica majorem constantiam, quam Angli explicuere, ac tyrannorum regie libidini obsequentium minas fortiter contemperunt, quibus ob eximium virtutis exemplum Pontifex gratulatus est, atque ad felicis immortalitatis præmia consecranda accendit subjectis litteris²:

« Dilectis filiis universis principibus, nobilibus, et dominis temporalibus insule Hibernie salutem, etc.

« Cum assidue de vestra pietate et in fide Catholica perseverantia, atque erga hanc sanctam Sedem devotione admodum quidem læti ob Dei honorem animarumque vestrarum salutem audiremus, dilectumque filium Osnaldum Massingbord fratrem hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani, priorem prioratus Kilmain istius insule haberemus isthuc redeuntem, moti paterna ac debita benevolentia qua vos prosequimur, libenter ipsi Osnaldo has litteras dedimus ad vos eum salutatione et benedictione nostra perferendas, magno enim nostro amore et hujus sancte Sedis dilectione digni estis, qui venenatis suasionibus repulsis minisque contemptis, vos vestrasque animas Deo et vobis conservatis in fidei puritate et sinceritate non contaminata novis impietatibus, quibus vicina vobis insula infecta est; proinde, filii dilectissimi, vos hortamur in illo, qui hunc spiritum vobis immisit, ut in sancto vestro proposito pia ac salubri constantia persistatis, certi quod benignus Deus vos fidem ei servantes non deseret, sed sua vos ope muniens præmio etiam cælesti, quo nihil beatus homini expectari potest, remunerabit, cujus et nos majestati

humiliter supplicamus, ut sicut fidei sanctæ donum largiri vobis dignatus est, ita etiam in eo perseverantiam largiri dignetur, quod et futurum in ejus bonitate confidimus, cæterum ipsum Osnaldum pium et fortem Dei athletam vestris nobilitatibus ex animo commendamus, etc. Datum Romæ XII Novembris MDCXLVII, anno XII.

Passi sunt graviora Hiberni ob servatam incorruptæ fidei puritatem, ac licet proceres et divites magna ex parte commoda carnis animæ salutis præterierint, tamen alii constantiores, necnon plebs, et agrestes, ac rustici, contemptis omnibus incommodis, fidem Catholicam ardentissime coluerunt, nec promissi a Christo cælestis regni spem ullis impiorum illecebris avelli sustinuerunt.

126. Quod ad Scotiæ res attinet, Pontifex extremo Martio exaratis litteris proceres regni Scotiæ ad asserendam fidem Catholicam, et tuendam libertatem, comprimendos impiorum conatus, multam alendam concordiam, atque hostium insidias delugiendas opprimendasve sollicitavit¹:

« Dilectis filiis nobilibus viris, cancellario, comitibus, dominis, baronibus, et cæteris regni Scotiæ proceribus.

« Dilecti filii, etc. In animi dolore, quem ex magna reipublicæ Christianæ perturbatione capimus, maximo nobis solatio semper fuit nobilitatum vestrarum virtus, quippe qui et in tuenda vestra regni istius libertate egregiam jamdiu fortitudinem et magnitudinem animi summa vestra cum gloria præstitistis, et in nos atque hanc sanctam Sedem ea devotione extitistis, quam cum prohibita vestra postulabat, tum majorum vestrorum clarorum et in primis orthodoxorum hominum imitatio, alique hæc quidem virtus et pietas vestra, Catholiceque religionis observatio, quam Deo grata extiterit, ex eo intelligere potuistis, quod is non paucas vobis ex hoste finitimo concessit victorias, in quo cum divinam erga vos benignitatem ignorare minime possitis, non dubitamus quidem, quin in rectissimo vestro instituto et laudabilium actionum proposito sitis permansuri, ut et antiquam et veram religionem erga Deum constanter retineatis, et salutarem inter vos concordiam perpetuo conservetis, sed tamen ad animorum vestrorum propositionem ac studium accedere etiam cohortationem nostram pro nostra in vos paterna charitate volumus, maxime enim nobis cura est pro pastoralis officio, quod divina voluntate non nostris ullis meritis sustinemus, cum reliqui Domini gregis, tum vestra ac populorum istorum salus, atque incolumitas, atque animarum quidem salus, cujus nobis et reliquis omnibus cura potissima esse debet, in

¹ Sicut et in de schismo. — ² Paul. III. lib. brev. an. XIII, p. 350.

¹ Paul. III. lib. brev. an. XIII, p. 184.

antiqua et vobis a majoribus tradita religione rite observanda, huiusque sancte Sedis et Catholicae Ecclesiae unione consistit, ut vos pro vestra prudentia intelligitis, libertatis vero et temporalium bonorum vestrorum conservatio in eo praecipue sita est, si unanimes inter vos concordeseque maneatis: nihil enim concordia, ut vos minime praeterit, regnis salutaris, nec rursus dissensione ac discordia perniciosius; itaque iis, qui aliorum libertatem opprimere student, nihil optabilius est, quam ut inter eos, quibus insidiantur, existant dissensiones atque discordiae. Quamobrem vos pro paterno nostro in vos animo et benevolentia etiam atque etiam hortamur, ut si vestram tam pietatem, tum consensionem maximis vobis adhuc fructus tulisse intelligitis et laudis ab hominibus, et beneficiorum a Deo, utramque earum vobis firmiter constanterque tenendam statuatis, quemadmodum quidem et sentire vos, et facturos etiam esse confidimus. A nobis quidem atque hac sancte Sede quaecumque proficisci officia poterunt, vel ad cohesos vos, vel ad nostram, atque istius regni libertatem defendendam nullo unquam sunt tempore defutura, cuius nostra in vos optimae voluntatis testem, et eorum consiliorum, quae ad libertatem et pacem istius regni conservandam spectabunt, adiutorem proprium istuc nuntium nostrum gravem et probum hominem missuri sumus, a vobis vicissim, dilecti filii, cum hoc nos in vos animo simus, ea expectamus, quae vestra et majorum vestrorum virtute ac pietate, et perpetua in hanc sanctam Sedem devotione digna sunt. Datum Romae xxvii Martii mdcxlvii, anno xiii ».

127. Commendavit etiam Jacobi Hamiltoni Araniae comitis ac regni administratoris virtutem, qui intestinas factiones compressisset, atque externum hostem in Scotiam irruentem contudisset, tum illi sacros addidit stimulos, ut religionem in Scotia asserere pergeret, ac si sciendi cum Anglis foederis se daret occasio, patere monuit, ut incorrupte fidei splendorem et Scotiae libertatem generose tueretur¹:

« Dilecto filio nobili viro Jacobo Araniae comiti, regni Scotiae gubernatori.

« Dilecte fili, etc. Cum jamdiu nobis cognita et perspecta virtus tua in eam spem nos adduxerit, ut confidamus, Deo primum adjuvante, deinde tua prudentia gubernante, res istius regni multis periculis fluctibus agitatae, tandem in tuto portu esse collocandas, voluimus etiam accedere cohortationem nostram, quae et tua praeterita facta comprobaret, et ad ea, quae supersunt, perticienda te animaret, ac aliquot quidem menses jam sunt, cum a tua nobilitate litteras accepimus testes tui animi optimi atque fortissimi; in illis enim ostendebas quante tibi

cura esset, et istius regni tutela et securitas, sanctae Christianae fidei honor et conservatio, quorum utrumque dignum tua virtute et pietate est, sed nos dum tuis petitionibus obsequi cupimus, dum hominem quærimus idoneum, quem ad vos mittamus, maximis praesertim curis et sollicitudinibus aliarum tot et tam variarum rerum distracti, nobilitati adhuc tua respondere non potuimus, cui quidem nunc rescribentes dicimus, nos in istud regnum regesque paterna semper charitate in primis affectos fuisse, maximamque cepisse curam et quotidie capere, ut vestrorum populorum, vestrique regni salus et libertas a finitimo hoste inviolata sit et communita, in quo tu quidem, dilecte filii, egregiam operam diligentiamque praestitisti, qui et hostium impetum conantium irrumpere in Scotiam tua virtute saepe repressisti, et multis de illis partis victoriis illustrasti et tuam laudem, et nomen Scotiae nationis non solum adversus externum hostem, sed etiam in comprimendis domesticis regni factionibus et discordiis plurimum enituit virtus tua, quodque maximum omnium est, nunc in regali genere nomineque conservando, quod morte immatura proximi regis afflictum in unius tantum parvulae filiae anima retinetur, non solum animi tui fortitudo, sed etiam integritas, fides innocentiaeque tua apud omnes homines clara et commendata est, quae nos Dei Omnipotentis in viro praestante dona multo majora omnibus bonis temporalibus semper esse duximus: quare gratulamur quidem nobilitati tuae, quod tot occasiones tibi Domino Deo tuae virtutis declarandae datas non solum magno animo exceperis, sed etiam prudentibus consiliis direxeris. Verum illud praee omnibus et gratum nobis et tuae nobilitati amplum honorificumque est, quod Christi sanctae et Catholicae fides, in qua nostrae salutis perpetuae tota spes continetur, per te ita defenditur et sustinetur, ut pateat omnibus, si quis haec pravas et perniciosas haereticorum opiniones in medium protulerit, te hostem illi futurum, quam nos tuam egregiam voluntatem pietatemque erga Deum, non solum summe commendamus, sed paterna etiam nostra benevolentia singulariter amplectimur, teque adhortamur in eodem Domino Deo, ut quemadmodum copisti, ita pergere, regnumque istud et nomen regium conservare omni tuo studio, cura vigilantiaque insistas, pro quo praemia digna tibi erunt, et in caelo et in terris tam in hac vita, quam in altera parata. Nos quod ad nostras attinet partes, nunquam desistemus omni nostro patrocinio et auctoritate pacem istius regni, salutem libertatemque defendere, quo etiam nuntium nostrum hominem gravem et probum post paucos dies missuri sumus, qui isthic procerum concordiam, religionis integritatem, regalis generis regni-que totius incolmitatem tecum una procuret

¹ Paul. III. lib. brev. an. xiii. p. 74.

et teneatur: quod si quid acciderit interim ut fœdus aliquod et pactio cum vestris finitimis Anglis sit facienda, tuam nobilitatem omni animi studio requirimus et obtestamur, ut salva regni Scotiae libertate, divinaque religionis integritate, omnia ita agantur atque tractentur, ut ex tua et majorum tuorum, qui semper Catholice fidei firmi propugnatores extiterunt, virtute et diligentia acta et tractata esse appareant. Extremum est, ut tua nobilitati notum faciamus, nos eo animo et benevolentia erga te esse, ut quicquid honeste et cum Deo hac nostra Pontificali auctoritate possumus, totum velimus tuis honoribus et commodis esse expositum. Datum Romæ xxvii Martii m̄xvii, anno xii.

128. Dissidiorum inter Anglos et Scotos cardo in eo vertebatur hoc tempore quod tutor Eduardi Angliæ regis Mariam reginam Scotiae in spem pacti antea conjugii cum rege, tradendam deposceret, ut ea regna arctissimo fœdere in unum coalescerent, sed obstabat petitis schismatis, quo laborabant Angli, infamia, tum etiam Scoti contra suæ dignitatis jura arbitrabantur subijci Anglorum imperio, atque si armis peterentur, ad liberalem tuendam ferro erant comparati, Pontifex autem maxime veritus ne orthodoxa religio in Scotia ex fœdere Anglico deleteretur, Mariam reginam seniore[m] hortatus est, ut filiam Mariam reginam Christiana pietate imbueret excoleretque, tum orthodoxam religionem in regno assereret, necnon proceres mutuo concordie fœdere conjungeret inter se ac conglutinet, evellendisque omnibus dissidiis sedulam operam navaret¹:

« Ad Mariam reginam seniore[m].

« Charissima in Christo filia, etc. Cum pastoralis officii nostri ratio, tum paterna, qua semper te et fortem istam nationem dileximus, benevolentia facit, ut crebro nos animum et cogitationem nostram ad res vestras reteramus, est enim magna nobis cura, ut et filia tua, quæ adhuc parvula est, quam optime instituat, et regnum istud salvi incoluque conservetur, quorum nos utrumque in tua maxime diligentia et auctoritate positum esse intelligimus. Itaque, etsi de virtute et prudentia tua optime existimemus, teque hortatione nulla egere arbitremur, tamen his te litteris in Domino cohortandam putavimus, primum ut quemadmodum te et facere et facturam esse minime dubitamus, operam des, ut regina filia tua cum aliis bonis instituat moribus, tum præcipue tener ejus animus Catholica et vera, quæ a majoribus tradita est, fide in Deum ac pietate imbuatur. Hæc enim pietatis laus, ut ipsa minime ignoras, initium ac fundamentum est reliquarum virtutum omnium, et in ea salutis ac beatitudinis æternæ ratio posita est. Deinde cum nullum regnum,

existentibus in eo dissensionibus, diutius salvi et incolu[m] esse possit, sæculi Dei ac Domini nostri voce testatum est, emere atque elabora, ut nobilium virorum atque istius regni procerum unionem inter se et concordiam tenere atque conservare; nihil enim, neque eorum consensione regno isti salutaris, nec rursus discordia perniciosius esse potest, quos quidem cum prudentia et probitate sua, tum vero auctoritate tua adductos, concordēs et consentientes inter se futuros esse confidimus. Hæc nobis, quæ ad te in præsentia scriberemus in mentem veniebant, quæ si, ut speramus, effeceris, cum tibi honesta, atque ampla, tum regno isti futura sunt salutaria, sed his de rebus tecum propediem agemus per nuntium, probum et gravem hominem, quem isthuc missuri sumus, cum nostræ in te ac populis istos benevolentie testem, tum eorum consiliorum adiutorem, quæ ad pacem et tranquillitatem regni istius pertinebunt, interim omnia tibi de nobis polliceri ac spondere potes, quæ ad serenitatem tuam, regnique istius pacem et libertatem tuendam proficisci a nobis atque ab hac sancta Sede poterunt, ea te de nobis spes atque expectatio, quantum cum Domino fieri poterit, nunquam fallat. Dat. Romæ xxvii Martii m̄xlvii, anno xii.

Demisit alte in animum Pontificis¹ monita regina Maria, ac filiam Catholica religione more majorum eximie institutam non Anglo, a quo hæres inficeretur, sed Galliarum regis filio conjugem dare meditata est, Anglorumque eam decessentium insultu fortiter sustinere. Pium reginæ ac Scotorum consilium non latuit Anglos, qui instructo validissimo exercitu, duce Somerseti principe, regis tutore, in Scotiam mense Augusto irruerunt, reginam vi rapturi, ad quos retundendos Jacobus Hamiltonus Scotiae administrator occurrit: pugnatum est ad Messelburgum eruento et aciepii prælio, Scotis pro religione et libertate fortissime dimicantibus, demum cum Scotorum copiarum numero impares essent, fusæ sunt, Anglisque victoriam reliquerunt: intulit victor fœdam agris vastitatem, atque Angliæ fines latius propagavit, non fracti lamen sunt his adversis Scoti, sed collecto novo exercitu viotorem coercuerunt, ac ne regina junior in eorum potestatem caderet, eam in Gallias proximo anno devexerunt.

129. *Dux Somerseti quod reliquum erat Catholicorum dogmatum et rituum in publicis comitiis abrogat.* — At Eduardus Somerseti dux parva de Scotis victoria adeo intumuit, ut mutare Anglorum leges, et omnem Pontificium ritum, qui hactenus in schismate retinebatur, abrogare decreverit; publicis itaque comitiis Londini habitis pridie nonas Novembris, fidem ac religionem pervertere aggressus, hæc impia de-

¹ Paul. III. lib. brev. an. xiii. p. 167.

¹ Ludovicus Guicc. in Comm. Natalis I. III.

creta tulit, quæ refert Sanderus : « Lege decretum ut omnes Ecclesie, Basilicæ ac oratoria ad id instituta aut dotata, ut in eis pro defunctorum animabus orationes, elemosynæ aut sacrificia fierent, regis Eduardi esse deinceps censerentur. Omnes item capellæ, sacella et altaria, quæ vel annuos census vel oblationes, vel ullum aliud emolumentum haberent, omnes præterea congregationes, sodalitates, aut confraternitates ad quodvis genus piorum operum institutæ fisco regis concedebantur. Quibus sic constitutis ad commoda temporalia, quorum prima ipsis cogitatio ac cura fuit, transierunt deinde ad religionis capita, ac primo loco sanxerunt, ut cum episcopi ac presbyteri Anglicani ritu fere Catholico (excepta Romani Pontificis obedientia, quam omnes abnegabant ad illud usque tempus ordinati fuissent, alia omnino forma ab ipsis præscripta ordinationes fierent auctoritate a pueri rege ad id accepta. Hinc novum etiam ritum sacramenta administrandi adjunxerunt, et de ea re librum publicum comitorum auctoritate confirmatum ediderunt.

Deinde cum non pauca adhuc sanctorum imagines ac statuæ alicujus etiam pretii ac momenti per Angliam viserentur, eas primo quoque tempore tollendas judicavit, emissis itaque hominibus quibusdam impiissimis, audacissimis, qui hoc sacrilegium aggredierentur, et una cum eis nonnullis ministris certisque concionatoribus, qui imaginum usum populo disuaderent (non ignorabant enim plebem hoc ægre laturam a qua etiam in provincia Cornubensi unus e commissariis, Bodeus nomine, occisus fuit Christi Salvatoris, Deiparæ Virginis, Apostolorum et prophetarum omnes omnino imagines, tam pictas quam fabrefactas, partim deleverunt, partim combusserunt, eo ipso declarantes, cui bellum indicerent et contra quem venirent : in locum vero dejectæ Crucis Christi subrogarunt regis Angliæ insignia nempe tres Leopardos, et tria Lilia, hinc serpentes, inde canis pedibus expansis sustentata, quod perinde erat ac si dixissent, se non Christum, cujus imaginem contumeliose dejecerant, sed regem terrenum, cujus insignia eodem loco erexerant, colere et adorare.

130. « Nec his malis contenti Zuingliani tremendum etiam Corporis et Sanguinis Domini Sacrificium, quod a Cathecumenorum prima et fidelium sequente dimissione, Missarum nomen jam olim acceperat, in publicis comitiis abrogarunt, nec enim per aliam speciem, argenteæ pixides et cruces, urceoli et alia sacra vasa, candelabra argentea et ænea, sacre vestes auro intertextæ, vexilla serica, cereorum, olei, et aliorum omnium, quæ cultui divino dedicabantur, pretium, denique ipsi fundi, et agri ad has res

sustentandas donati, non poterant alio prætextu tere auterri, quæ omnia horum comitorum auctoritate regio fisco concedebantur.

« Quarto autem loco sancitum est, ut Eucharistiæ utraque species cuilibet de mysteriis participanti necessaria traderetur.

« Quinto loco decreverunt, ut sacra officia recitarentur in vulgari lingua. In quo decreto illud perridicula venit, ut cum omnia in Ecclesiis Anglice legerentur, eo videlicet prætextu ne populus, quid in rebus divinis ageretur, ignoraret, sed Amen respondere posset, interim neque Wallorum, neque Cornubiensium, neque Hibernorum populus quidquam eorum, quæ recitabantur, intelligeret ». Et paulo post :

« Administrandæ autem Eucharistiæ ritus in illis primis regni comitiis præscripti parum a Catholicorum missa distabant, ut videlicet populus non putaret quidquam sibi ablatum, sed ea, quæ latine prius legebantur, tantum in vulgarem linguam crederet esse translata. Itaque canon Missarum pene totus ab initio ad verbum transcriptus fuit. Signa etiam benedictæ Crucis retenta sunt, illa, inquam, quæ manu sacerdotis tantum expressa erant. Cæterum non omnes Protestantes eodem spiritu agebantur; qui enim nihil nisi opes Ecclesiasticas quærebant, parum curabant, si Crucis imagines in ære solo designarentur. Qui vero non poterant ferre, ut vel ita saltem mortis Christi figura et imago in honore aut usu aliquo haberetur, brevi postea obtinuerunt, ut sublati hujusmodi ceremoniis, totoque canone remoto, nova Liturgiæ forma proponeretur, quæ Protestantium inconstantia multum retardavit rudem populum, ut eorum doctrinæ assentiretur, dicebat enim, videamus prius, quo evadent, ubi consistent, ubi quiescent ». Propagatam late fuisse proximo anno Zuinglianam sive Puritanam impietatem dicitur suo loco.

131. *Tumultus exorti ob inquisitionem in regnis Neapolitano et Lusitano.* — Sedati sunt hoc anno Neapolitani tumultus, qui fuerant concitati, cum Petrus Toletanus prorèx censura sacre fidei tribunalia Hispano more erigere vellet : non repugnabant quidem Neapolitani inquiri in hæreticos veterem Romanæ Ecclesiæ more, cujus clientelæ essent addicti, sed verebantur, ne si Hispano more censura exerceretur, plures insontes a calumniatoribus talso delati opprimerentur : tum ne qui in odium et invidiam apud Hispanos essent adducti politica fraude, ut rei hæresis circumvenirentur : cum vero a prorege atque a civibus ad imperatorem legationes decreta essent, ita res ab eo composita est, ut veterem instituto contra hæreticos censura exerceretur, cives vero arma prorege traderent, tum etiam civitas certa vi auri multata ob rebellionis signa in prorege motæ ostensa, cujus imperiis cives demisse paruerunt.

¹ Sand. l. II. de Schism. Anglic.

In Lusitania quidem tanta acerbitate ab administris sacra censura tantecebat in neophytos Hebraei generis violatae religionis reos, ut Pontifex eorum causae cognitionem ad subsellia Apostolica revocavit, demum cum Lusitania rex profiteretur daturum operam, ut in impiis ita severitas legum distringeretur, ut insontes nulla injuria afficeretur, censurae exercendae libertatem regis administris restituit, de quo cardinali supremo in eo regno fidei censori has litteras dedit¹ :

« Cardinali Portugalliae.

« Dilecte fili noster. Cum serenissimum tuum fratrem Portugalliae regem jugiter intellexerimus impense cupere, ut inquisitio in ejus regno per nos concessa nullo retardetur praetextu, nos, etsi non pauca tunc querela et ratione ex adverso interdum opponerentur, tamen sperantes summam ipsius regis religionem ac justitiam nihil aliud quam suorum regnorum emundationem ab haeresibus et illarum suspicionibus optare, cunctis contrariis rationibus spem nostram in ejus probitate sitam preferentes, inquisitionem istius regni et liberam procedendi facultatem non solum concessimus, sed etiam exemptiones ab eis enectas, aliquibus tamen, quae ex nonnullis justis causis concessae sunt, exceptis, revocavimus, sicut ex diversis nostris litteris plenius apparebit, speravimus tamen ac speramus primum quidem in probitate et aequitate dicti regis, quas esse in ore et honore omnium principum scimus, tum deinde in ipsa circumspectione tua, quae tanquam caput ipsius inquisitionis est, facultatem hanc, licet liberam, moderate tamen ac pie exercendam fore, ut laxitate jurisdictionis moderato charitatis, et tuae bonitatis restringat, jugumque hoc, cum Christi Domini sit, leve et supportabile sentiat, etc. Dat. 1 Julii MDCXLVII. anno XII ».

132. Praemonuit porro Pontifex Lusitania regem, ut in neophytos elementiam explicaret, eos enim in Christiana pietate instituendos erudiendosque blanditiis potius ac humanitatis officii, quam terrore, eosque ipsi commendavit, ut velut charissimos filios paternali benevolentia complecteretur.

« Regi Portugalliae.

« Charissime, etc. Licet nos pro Dei omnipotentis honore et animarum salute, ac etiam ut tuae serenitati omni pietate conspicue id a nobis instanter petenti rem gratam faceremus, inquisitionem liberam, et secundum jus commune, in istis tuis regnis concesserimus, tamen quoniam movet nos quasi infantia istorum novorum Christianorum, in qua blanditiis potius quam minis, sicut ab ipsa natura et a sacris etiam litteris edocemur, educandi et alendi

sunt, majestatem tuam in Domino hortamur, et ab ea omni, quo possumus, studio pelimus, ut pro sua probitate ac pro nostra etiam consolatione apud majorem et caeteros inquisitores agere velit, ut ipsos novos Christianos cum charitate amplecti, et severitate judicis paulisper deposita, pii patris personam erga eos induere velint, quod erit nobis gratissimum, sicut dicent plenius tuae serenitati ex parte nostra nuntius isthic noster, et dilectus filius Joannes Vgolinus praesentium lator, quem dedita opera mitimus, quibus fidem habeatis. Dat. Romae XV Novembris MDCXLVII, anno XIV ».

Non praetermittendum hic visum est in Hispania fuisse hoc tempore doctam feminam, quae linguas Latinam, Graecam, Hebraicam, Syriacam atque Arabicam calleret, cui Pontifex his litteris gratulatus est, quod eam scientiam cum eximio pietatis cultu conjunxisset¹ :

« Dilecta in Christo filiae Aloysiae Sygae mulieri Toletanae.

« Dilecta in Christo filia, salutem. Recepi-mus litteras tuas Latine, Graece, Hebraice, Syriace atque Arabice scriptas, quae gratissima nobis existerunt, ex illis enim non solum singularem erga nos devotionem, sed miram quoque et omni laude dignam peritiam tuam cognovimus. Mirum certe est, quod istius aetatis femina tot linguarum cognitione, talique scribendi studio animum excolueris exornaverisque, quo magis Deo gratias agere, in Christo filia, debes talium gratiarum largitori, illisquae ad ornamentum honestatis et pietatis cultum uti etc. Datum... Januar. MDCXLVII, anno XII ».

133. *Poloniae rer. Sigismundus acerimus religionis defensor.* — In Polonia Sigismundus senior rex in Romana Ecclesia fide et obsequio constantissimus id regnum ab haereticorum insidiis infideliumque conatibus fortissime vindicabat, ad cujus virtutes imitandas, sectandaque majorum, qui tot triumphos de Moschis, Turcis Tartarisque relulerant, exempla, Pontifex Sigismundum regem juniorem provocavit² :

« Sigismundo juveni regi Poloniae.

« Charissime fili, salutem. Ex nobilis viri Nicolai Bapiferi relatu cognovimus, quae serenissima majestas vestra a nobis et sancta Apostolica Sede desideraret, et certe nos in universa commoda atque honores serenitatis vestrae, et regni ac dominiorum ipsius, quae cum Apostolica ipsius Sedis dignitate expediti queunt, propensissimi sumus, prout semper fuimus et praedecessores nostri fuimus; multum siquidem stabilitum et firmitatis pro recta fide adversus infideles aut schismaticos malosque Christianos in iis semper fuit multa trophaea et spolia, te de iis Deo adjuvante, relata, ornamento fidei incrementisque accesserunt, quae

¹ P. III, lib. brev. an. XII, p. 116.

¹ P. III, lib. brev. an. XII, p. 12. — ² Ibid. p. 63.

eminentissime in familia vestra, patre patruisque serenissimis regibus, atque adeo majoribus vestris enituerunt, ut omnipotentis providentia contra Mahometanæ perfidiæ ac schismaticæ pravitalis jacula, quasi quoddam repagulum in regni et dominiorum vestrorum viribus videatur constituisse, neque enim ignoramus quot victorias atque inelyta decora de Turcis, Tartaris, Moschovitis, atque aliis circumtusis gentibus male in Catholicam affectis fidem familia vestra retulerit, cujus imitationem tibi, charissime fili, proponendam in primis censemus; neque enim si per vestigia patris ac majorum, juris unquam a via aberrabis, que te ad culmen gloriæ, et regni æterni præmia ad extremum deducet etc. Datum Romæ die 1 Martii MDCXLVII, anno XIII ».

134. *Carolus de Guisa et Julius de Ruvere ad cardinalatum erecti.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus, ut refert Joannes Franciscus Firmanus sacrorum rituum magister¹: « XXVII Julii, inquit, in Consistorio secreto fuerunt creati duo cardinales, quorum unus fuit publicatus Carolus de Guisa archiepiscopus Rhemensis, alter vero non fuit publicatus Julius de Ruvere Urbinatensis ».

Priorem fuisse insignitum titulo presbyterali S. Cæciliæ refert Panvinus, quem etiam Henrici regis Gallorum nomine Pontificio obsequio Gallicam potentiam detulisse narrat Belcarius, et luculenta oratione Francorum regum cum Romanis Pontificibus conjunctionem ac fœdus celebrasse, confirmatque Jacobus Augustus Thuanus, ac decimo nono kal. Januar. rem gestam consignat in eodem senatu, in quo, ut diximus, cardinalis Tridentinus et Jacobus Hurtadoz Mendoza oratores Cæsarei, dum urgent acerrime, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur, imprudenter Pontificem², quem obsequiis delinire debuerant, intempestivis iniuriisque a Cæsaris ministris Pontifici illatis occasione sumpta Galli Paulum sibi arctissime devincire pertentaverunt, cardinalis enim Guisius in illa sua luculenta oratione, cum eximia regum Galliæ in Pontifices merita recollisset, ac opes omnes Henrici regis pro asserenda Pontificis dignitate amplissimo ornatissimoque officiorum apparatu detulisset, addidit in suffragationem Cæsaris, se Paulum monere, ut nascentibus factionibus, quæ magnas plerumque ex parvis initis vires acquirant, se opponeret, neque enim eum latere, in quas se olim nimia securitate Joannes XIII., Gregorius VII et Paschalis III calamitates induxerint, ac postremo Alexander III, donec eorum successoris ope Gallorum ereptam ab imperatoribus auctoritatem recuperaverint. At Pontifex, licet

ad incunda cum Gallis consilia inclinaret, quia tamen imbecilliores erant illi Anglico bello impliciti, et ætati affectæ Pontificis parum fidebant, res lente ac pacate acta est.

135. *Religio propagata in Indis Orientalibus et Occidentalibus.* — In India Peruana gravissima hoc tempore dissensiones inter Hispanos proceres provinciarum prefectos exarsere¹, in quibus prorex Blasens ob fastum publico contracto odio ab inimicis cæsus est, et Christiana religio, quæ in his oris longissimo diffusis tractu terrarum, quæ vix semestri toto pertransiri possint, efflorescebat, Barbaris ad divinum cultum, a quo Germani et Angli deficiebant, traductis, in grave discrimen adducta est, sed eæ turbæ singulari prudentia et felicitate Petri Gascæ jurisconsulti sedate sunt. Is regii senatus præsidis titulis ornatus, et amplissimis fultus mandatis, cum ad oppidum Marthæ applicuisset, factus est certior Melchiorum Verecum Cæsarearum copiarum ducem ab Hinogien-sibus partes Consalvi Pizzari secutis profugatum, is tamen ostensa eximia clementiæ spe, cum res Cæsareæ conclamate viderentur, Laurentium Aldanam sibi conjunxit, et Consalvi Pizzari milites spe veniæ definitis ab eo divulsit, ut singulari divinæ providentiæ munere, perduellibus edomitis, pacem Americæ restituerit. Eluxit maxime illius virtus in despiciendis auro et gemmis, et unica justitia tantum colenda, contrario enim aliorum Hispanorum magistratum more ex Americana provincia, auri gemmarumque feracissima, inops cum eadem veste, sed paulo magis debrita, reddidit, dignusque fuit, qui episcopatum capesseret. Porro ad propagandam in Occidentali India religionem constitutæ sunt a Pontifice plures Ecclesiæ cathedrales, eademque Hispanensis archiepiscopi imperio solutæ ac liberæ reunitæ.

Inter alias episcopatum fluminis argentei vulgo *Rio de la Plata* ob fodinas argenti feraces, quas illud perluit, institutum, atque a Carolo V vectigalibus ditatum referunt Acta Consistorialia².

« Hoc anno XV MDCXLVII, erexit et instituit instante serenissimo D. Carolo Romanorum imperatore semper Augusto oppidum, seu pagum *del Rio de la Plata* nuncupatum, situm in Provincia *del Rio de la Plata* nuncupanda in insulis Indiarum pro uno episcopo *del Rio de la Plata* nuncupando, qui eidem Ecclesiæ præsit, ac in ea, necnon dicta civitate et illi assignanda dicecæsi verbum Dei prædicet, et eorum incolas infideles ad orthodoxæ fidei cultum convertat, et in ea instruat et confirmet, et Baptismi gratiam impendat, necnon ad eas declinantibus Eccle-

¹ Hist. l. IV. p. 131. — ² Belcar. l. XXIV. XLIX.

¹ Natal. Comes l. 1. — ² Acta Consist. Ms. card. Spade sig. num. 133. p. 499. sig. num. 133. p. 105.

siastica sacramenta, et alia spiritualia ministret, ac faciat, et procuret, necnon in eisdem Ecclesia et diocesi jurisdictionem episcopalem exerceat, ac dignitates, canonicatus, et præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica erigat et instituat pro divini cultus augmento, quæ ipsorum incolarum saluti expedire cognoverit, quique archiepiscopo civitatis regis pro tempore existentis jure metropolitico subsit, ac ex omnibus inibi pro tempore provenientibus, præterquam ex auro, aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis decimas et primitias de jure debitas, cæteraque episcopalia jura, prout alii in Hispania episcopi de jure vel consuetudine exigat » etc. Attributum est a Carolo imperatore ducentorum aureorum annuum vectigal ex regio aëario, præfectus vero illi est episcopus Joannes de los Barrios Ordinis Fratrum Minorum, imperatori vero ac successoribus jus patronatus, ac jus designandi episcopi, quod vocant præsentandi, reservatum.

In India Orientali¹, auctore et suasore sacri belli B. Xaverii Apostolico in India legato, de hostibus fidei parva est divino beneficio insignis victoria, navibus tribus Christianis tantum desideratis, ac tanta cum Barbarorum strage, ut quatuor millia eo prælio absupta sint, decem hostium naves in prælio demersæ, ac reliqua classis universa in potestatem redacta; eam victoriam S. Xaverius divino Spiritu afflatus prædixit pro concione Malacensibus, diemque fixum definitivum, quo de Lusitanorum incolumitate ac victoria nuntius esset venturus, licet locus in quo pugnatum est, ducentis amplius millibus passuum Malaca abesset.

136. *Obitus S. Cajetani Thienæi.* — Migravit ad cælum vi Augusti B. Cajetanus Thienæus Clericorum Regularium conditor, vir summarum virtutum exemplis clarissimus. Assiduus nimisque austerus sui corporis censor ac licitor fuit, adeo ut dicere soleret se corpus suum tanquam rebellem quemdam infirmumque genium odisse: quas durissimas corporis afflictiones vel maxime intendebat, cum aut impetrare sibi aliisque a Deo beneficium aliquid institueret, aut arceri publica mala, propitiarique nomen oporteret. Hibato mentis candore corporisque integritati servanda iuice studuit, mulieres vitabat, ac præcipue eas, quæ non sine honestatis fraude, nobilitati ac formæ splendore vestium nimie indulgebant: quare cum insignem huic illius pudicitie amorem probe jam scirent prænobiles matrone, illud cum Cajetano observarant, ut cum eum adire ad sui eruditionem exoptarent, non antea audent, quam abjecto omni corporis ac vestium cultu orisque elegantia neglecta quodam castigatis, ad illam sancti viri modestie formam

sese componerent. Hinc factum est, ut etiam post mortem tuenda pudicitie patronus plurimis extiterit, irrefragabili Romanæ Rotæ iudicio ita attestante: « Plurimi a diuturnis ac inveteratis carnalium vitiorum vexationibus exemptos, et hujusmodi illecebrarum stimulis prorsus immunes sese cognoverunt, ubi servo Dei fiducialiter ac devote se ipsos commendarerunt ». Eximius rerum humanarum contemptor semper exstitit, infulas primarias constanter respuit, nobilium parentum domos adeo aversatus, ut cum redire Vicentiam ei interdum contingeret, etsi diu multumque obestarentur fratres, ut ad cognatas ades diverteret, exorari nunquam potuerit, sed ad publicum orbis xenodochium appulserit: et quod potissimum dignum memoratu est, cum Neapolim plerique ejus consanguinei pervenissent, ut absentem diutius inspicerent, eos neque alloqui neque intueri voluerit; ita ut eo insalutato ad quem venerant, redire clarissimos viros oportuerit. Qui vero sectandæ Apostolicæ paupertatis amor, nudique in Cruce Salvatoris imitandi ardor in eo fuerit, haud quidem clarius ostendere potuit quam in sui Ordinis institutione, cui non modo non census, non opes, nec certum aliquem proventum, verum etiam neque victum emendicare permisit; piaculum omnino ducens, si quis in summa egestate pietatem stipemque fidelium imploraret: ideoque, dum animam ageret, extremæ hujus paupertatis cultum suorum animis novissimis his verbis imprimere voluit: « Filii, usquedum vixi, vixi pauper, ac defungi vita in summa inopia peroptavi. Hinc vero commendatam vobis magno opere virtutem pervelim ». In juvenis proximorum animis totus adfuit, propterea animarum venator dictus: « Dulcissimum reputans refocillamentum (ita Romanæ Rotæ censores) inventa nova moliri, quibus animarum saluti opem præstaret, et studio consuleret, quare assiduo charitatis opere detinebatur, sermonibus, epistolis, consiliis, confessionibus se totum in animarum levamen dabat ». In ipso pane ætatis ac virtutis flore nondum regulari disciplina auctoratus, sacra Eucharistia frequentiam Vicentiæ instaurare studuit. Instituto vero Ordine, hoc potissimum in commune bonum consultiit, quod reflorescere eo adhortante ac redire obsoletus jam sacra synaxis usus visus fuerit. Et quia externa magis specie sensuque movemur, augustissimum Sacramentum inter collucentes faces, et quo elegantior posset cultu exponere publica venerationis occæpit; qui sacer ritus ingenti cum pietatis incremento ubique populorum propagatus cernitur. Perlatum ei fuit, dum Neapoli ageret, antisilem quemdam purpuratum magni nominis in Romana aula per plures interdum dies ab ara abstinere negotiorum mole detentum: mox Neapoli per æstivos calores ma-

¹ Dusellm. I. III. c. 10.

joris charitatis flamma succensus, Romam contendit, ut cardinalem tantummodo de hac re admoneret, statimque abscessit in similitudinem fulguris coruscantis : siquidem adfuisse et abfuisse idem pane fuit. Cæterum tam adorandum Sacramentum ipse ad intimam animi venerationem colebat, ut ejus amore inflammatus octonas persæpe horas ante Sacrificium interpias preces transigeret. Divinam Eucharistiam non esse sumendam aiebat, ut Christus sese in nos commutet, sed ut nos in se ipsum : hoc est, non eo scopo communicandum, ut Christus nostram laciat voluntatem, sed ut nos ejus voluntatem sequamur. Mundi delicias et voluptates demonum præstigia appellare consueverat, quibus homines a se excantatos minime replet, sed tantummodo inflat ; Deum vero solum habere in sua potestate veras solidasque voluptates, quæ humana corda abunde expleant. Cum excitare rerum humanarum suique contemptum vellet, hæc pronuntiare potissimum solitus erat : gemere sub hac gravi sarcina mortalitatis omnibus contingit : at quamvis una eademque viventes omnes calamitas ac lues tangat, iis nihilominus miseriarum seges felicior provenit, quibus charior est vita : et qui pluris aestimant, plus dolent. At Dei amorem hac etiam sententia excitabat : Deum ama, illi ut placeas, vires nervosque omnes intende : tum ipse, etiamsi omnes te cæli cives deserant, tuis semper necessitatibus præsto ac totus aderit. Denique cum acerbissima in Petrum Toletanum præregem excandesceret civium invidia, excitarenturque passim turbæ, quod ille ingratum exosumque Neapolitanis inquisitionis nomen officiumque inveni adniteretur, ut terribimos Lutheri emissarios, qui Neapoli pestilenti ingenio insignique facundia impietatem disseminaverant, uti superius innuimus, eorundemque sectatores quantumcuique exterminaret ; Cajetanus, qui novatorum istorum technas optime noverat, et cardinali Theatino jam pridem renuntiaverat, primum opportuna remedia a prorege proposita, populi reluctantis pertinaciam, deinde hostiles in ea urbe excursions, frequenterque conflictus ac cædes acerrime condolens, ferventissimis ad

Deum precibus noctes integras transigebat : ac viros principes per diem enixe cohortabatur, omnesque prensabat, ut ab eo tumultu ac seditione desisterent. At cum flagrare nihilominus incendia ac cades, et recrudescere in dies incitate multitudinis odia animadverteret, amantissimæ illius urbis commiseratione usque adeo extabuit, ut in gravissimam febrem incidere, angoremque ei adauxit ac morbum perlatus per id tempus rumor, translatus interpellatumque Tridenti fuisse grassante epidemiae luc Concilium, quod summis votis exoptaverat. Polissimam sancti viri mortis mox secute causam præfatam urbis fuisse calamitatem abunde testatur sequens epitaphium ejus sepulchro affixum : « Beatus Cajetanus, e nobili stirpe Comitum Thienæorum Vicentinus, unus ex quatuor Clericorum Regularium conditoribus Romæ MDCXXIX. Divino plenus Spiritu, verbo, exemplo ubique præclarus, et miraculorum gloria insignis, obiit Neapoli MDCXLVII, VIII idus Augusti, ex angore animi ob imminente civitali cladem et seditiosos tumultus, qui tamen precibus ipsius in cælum evecti sedati sunt ». Claruit miraculis : in vita serpentem gangrænam in sodalis pede, qui abscindendus erat a chirurgis, suis precibus sanavit : maniacum bonæ menti restituit : Venetam matronam propinato liquore, qui ex corpore sancti Andrea Apostoli extillat, a morbo, cujus sanandi spes conclamata erat, incolumem repente reddidit. Tempestatem injecta icuncula *Agni Dei* sedavit : utque a se inanem gloriam amoveret, exemplo S. Gregorii Turo-nensis, in edendis miraculis sanctorum lipsana adhibere consueverat. Verum post mortem innumera usque ad nostra tempora patrata ejus intercessione ubique terrarum miracula eximiam sanctissimi hujus viri pietatem patefecere, quibus permotus Clemens X Pontifex Maximus, anno a partu Virginis MDCCLXXI, illum inter sanctos adscripsit sacro solemnî ritu simul cum SS. Francisco de Borgia Societatis Jesu, Philippo Benitio ex Ordine Servorum Beatæ Mariæ, et Ludovico Bertrando ex Dominicanorum familia, et Rosa virgine Peruana ex aggregatione sororum Pœnitentiæ S. Domini.

PAULI III ANNUS 15. — CHRISTI 1548.

1. *Paulus, consultis præsulibus Concilii Bononiensis respondet tum statibus imperii, tum oratoribus Cæsareis circa reditum Concilii ad Tridentum.* — Anno Servatoris millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Indictione sexta, gravissima controversia, an jure Concilium Tridento Bononiam translatum esset, exarsere, quæ demum tristi exitu, Cæsare latis in Conciliis leges adversus hæreticos pro Cæsareo munere non exercente, sed politica sua consilia nimium defendente, in maximum religionis damnum eruperunt. Miserat ille devexo superiore anno, ut vidimus, Christophornu Madruncium cardinalem Tridentinum cum Didaco Mendoza oratore, qui Pontifici hæc quatuor capita proposuerat. Primo loco, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur ob spes ingentes traducendorum ad castra Ecclesie aberrantium hæreticorum. Secundo, ut prælati idoneis instructi mandatis mitterentur in Germaniam, qui redeuntes censuris solverent, et quamdam molliorem vite rationem constituerent, donec Concilium absolutum esset. Tertio, ut in Concilio Christiana disciplina in clero populoque restituta veteri morum puritate instauraretur. Quarto loco pollicebatur Cæsar ad difficultatem transferendi Tridentum Concilii lævigandam, si is casus contingeret ut Pontifex et vivis migraret, stante adhuc et congregato Concilio, non delectum iri a Concilio Pontificem, sed a cardinalibus de quibus Paulus Concilii Bononiensis præsules consuluit, ut supra vidimus. Consultis itaque Patribus, præsides Concilii ita Pontifici respondit :

2. « Reverendissimis dominis deputatis visum est, quod cum Sanctitas vestra paterna charitate salutem provincie Germanie, quibuscumque modis potuit, semper procuraverit, quod ex multis argumentis, et præcipue ex Concilio Tridenti indicto, et ex legatis semel et

iterum ad eam civitatem missis apertissime constat, minime dubitandum sit, quin Sanctitas vestra eodem animo erga illam provinciam in posterum sit, ut antea semper fuit, optimo scilicet, et ad bene de ea promerendum propensissimo : quantum ad ea, quæ reverendissimus dominus cardinalis Tridentinus nomine invictissimi imperatoris, serenissimi Romanorum regis, necnon illustrissimorum statuum Germanie retulit, scilicet, ut omnes sacro et OEcumenico Concilio se submittant, laudandam esse admodum pietatem majestatis suæ, ac bonam spem de eorum salute qui hactenus a recta via aberraverunt concipiendam : verum quoniam in illa ipsorum submissione additum est, quod se submittant Concilio Tridenti celebrando, et ea de causa petitur nunc, ut vestra Sanctitas ipsum ad Tridentinam civitatem reduci faciat, reverendissimis dominis meis deputatis persuasum est id a pietissimo imperatore et nobilissima illa provincia efflagitari et peti, quatenus sine scandalo, imo cum pace et concordia cæterarum provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et Ecclesiastica libertate fieri posset, ad quæ nomine Sanctitatis vestra pro sua pastoralis cura et omnium Ecclesiarum sollicitudine prospicere jure debet, et ea nullo modo negligere ; sic quoque existimandum esse majestates suas et illustrissimos sacri imperii status in bonam partem laturos, si Sanctitas vestra more majorum suorum in tam ardua et communi deliberatione episcopos fratres suos et prælatos, qui omnium fere nationum in Concilio Bononia existunt, pro communi pace servanda, et turbis et scandalis vitandis, ante omnia consulere velit : eisdemque dominis meis videtur, par esse, Sanctitatem vestram operam dare, ut quam minima mora in ipsa consultatione facienda interponatur, atque etiam ne res in Germania detrimentum patiat, benigne satisfieri debere a Sanctitate vestra secundæ petitioni majestatis suæ de mittendo ad illam provinciam uno vel pluribus

prælati cum opportuna facultate, ut communis aliquis et idem rectus vivendi modus usque ad finem Concilii reformetur et statuatur ».

3. Quia vero etiam Ecclesiastici status imperii de reductione Concilii Tridentum Pontificem rogabant, Paulus eos monuit ut ipsi etiam in personis propriis accederent, saltem mitterent nuntios suos Bononiam consulturi una cum aliis Patribus quod circa ipsum Concilium agendum esset, scriptis ad eos litteris in forma Brevis, quas hic subijcimus.

4. Subjiciendæ visæ sunt eæ litteræ suis verbis conceptæ, in quibus primum objectæ Germanis præsulibus modo eos anxie petere, ut Concilium transferatur Tridentum, cum tamen Tridenti antea quindecim mensibus expectati, nec venissent, nec procuratores pro sui excusatione misissent, licet Hispani, Galli atque Itali ex remotioribus locis Tridentum se contulissent, translationem porro in scia Sede Apostolica faciam, et Concilium valere auctoritate se transferendi, ubi de ipsius salute agebatur; potuisse facile eos, qui Tridenti hæserant, Bononiam accedere, cum non longo intervallo Bononia disjuncta foret; quod si fecissent, nulla modo controversia verteretur, ideo vero serius dari ipsis responsum, quod Cæsari idem cum ipsis petenti prius consulo Bononiensi Concilio respondendum esset; dati vero Tridentino cardinali ¹, ac Cæsareo oratori responsi seriem ad eos transmitti, demumque hortatus est, ut Bononiensi Concilio pro communi pace se conjungerent, vel ad absolvendum illud, vel si Tridentum aptius visum sit, ad translationem in eam urbem conjunctis suffragiis celebrandam.

« Venerabilibus fratribus et dilectis filiis ordinum imperii statibus Ecclesiasticis in conventu Augustano.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem, etc. Accepimus superioribus diebus litteras vestras xiv ² Septembris Augustæ datas, quibus post explicatas diuturnas et graves provinciæ Germania calamitates a nobis petitis, ut redintegrato Tridentino Concilio inque pristinum locum et statum suum restituto, saluti et tranquillitati vestræ nationis consulamus. Qua in re sollicitudo vestra, quoniam nobiscum communis est, gratissima nobis fuit. Hanc enim curam ab initio nostri Pontificatus in animo fixam semper habuimus, ut ipsi provinciæ graviter affectæ et laboranti, quantum in nobis esset, mederemur. Cujus sane nostri paterni in vos animi, ut multa alia argumenta omitamus, illud satis sufficere possit, quod post Mantuanam et Vicentinam indictionem, Concilio habendo urbem Tridentinam delegimus vobis propinquam et commodam; quodque legatis illuc nostris se-

mel atque iterum missis, omni studio et diligentia ad illud celebrandum incubuimus, neque ullis sumptibus peperimus.

« Verum cum incepto jam Concilio tolos quindecim menses a posteriore indictione expectati estis, neque adhuc ullum in Germania bellum existeret, si non admodum multi vestrarum nationis illuc accesserunt aut miserunt, cum tamen aliqui accessissent aut misissent, non nobis, sed illis est tribuendum; qui cum propiores cæteris essent, ire ipsi, ut debebant, aut saltem excusationem mittere non curarunt. At vero eo ex Hispaniis, Galliis, Italia et ex remotioribus provinciis, quibus civitas Tridenti non ita commoda erat, satis magnus episcoporum et prælatorum numerus confluxerat, multæque interea sessiones habite fuerant, quibus plurima salutaria decreta quæ partim ad fidem et religionem, partim ad morum reformationem pertinerent, divini Spiritus instinctu atque auxilio, summaque episcoporum ac prælatorum consensione facta sunt, quibus quidem maxime impiorum dogmatum pars, quæ ab hæreticis hujus temporis defendebantur, declarata et convicta est. Quare intelligi ex his licet curam semper excubuisse apud nos illius sedandæ provinciæ, et a calamitatibus quantum cum Dei gratia per nos fieri potuit liberandæ.

5. « Nam quod post biennium fere a posteriore indictione translatum ex illa urbe Concilium est, ea translatio non modo nobis auctoribus, sed ne scientibus quidem facta est. Et tamen quoniam dubitari non potest quin Concilium generale justum et legitimum ex hujus sanctæ Sedis auctoritate indictum et congregatum, jus habuerit sui ipsius, eo quo Spiritus sanctus dictaverit, transferendi, præsertim sui conservandi causa, justam nos et legitimam ipsam translationem existimare debemus, nisi rem aliter se habere plene cognoverimus. Qua quidem a translatione licet pauci dissenserunt, stari eo tamen debet, quod multo maxima pars constituerit atque decreverit. Neque propterea divisum esse Concilium putandum est: etsi enim quidam adhuc Bononiam profecti non sunt, sed Tridenti remanserunt, manet tamen illud singulare atque unicum, nec tamen illud in eam urbem translatum est, quæ aut nimis longe a Tridentina urbe absit, aut ad commorandum incommoda, aut ad celebrandum ipsum Concilium parum tuta videri debeat: nam neque ab urbe Tridento magno admodum intervallo urbs Bononiensis distat, et cum ob aeris salubritatem, tum ob rerum victui necessariorum copiam, tum ob civium hospitalitatem et ipsius magnitudinem commodissima est. Quod vero sub tutela Ecclesiæ est, ob id vestræ præcipue nationi minus tuta videri non debet, quæ ab Ecclesia ipsa non solum fidem et religionem Christianam, sed etiam multa alia malernæ cha-

¹ Ext. in Comm. 13. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3200. p. 216. — ² In aliis XXIV.

ritatis et magnificentiæ egregia in se monumenta habet et fruitur; præsertim cum eidem urbi Bononiensi illi principes et populi finitimi sint, qui in fide sunt charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti.

« Verum ut ad litterarum vestrarum postulata redeamus, serius quidem a nobis quam voluissemus ad illa responsum est, atque hujus tarditatis causam explicandam esse vobis ducimus, ne quid in nobis voluntariæ moræ fuisse existimetis. Cum enim haud multo post receptionem vestrarum litterarum venisset ad nos dilectus filius noster Christophorus cardinalis Tridentinus a serenissimo Cæsare ad nos missus, et una cum dilecto filio nobili viro Didaco de Mendoza ejusdem Cæsaris apud nos oratore nobis exposuisset, universam istam Germanicam nationem opera ac diligentia ipsius Cæsaris Concilio Tridenti celebrando se submisisse, et propterea tam dictæ majestatis, quam de ejus mandato etiam serenissimi Romanorum regis, et omnium statuum sacri imperii nomine a nobis petiisset, ut ipsum Concilium ex Bononia Tridentum remittere vellemus; nos cum vestra postulata cum postulatis dictæ majestatis congruerent, eademque prorsus essent, non putavimus ad vestras prius, quam ad dictæ majestatis litteras esse respondendum. Itaque cum idem Christophorus cardinalis et Didacus orator Cæsareus sæpius rem hanc non solum privatim coram nobis, sed etiam publice coram universis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in consistorio nostro proposuissent, necessario factum est, ut nos etiam cum eisdem cardinalibus rem discussserimus, quod et rei gravitas postulabat. Itaque, matura consultatione cum ipsis cardinalibus præhabita, de ipsorum consilio decrevimus, cum de reductione Concilii et de negotio communiter ad omnes spectante ageretur, prælatos ex omnibus fere nationibus Bononiæ in Concilio existentes ante omnia consulendos esse. Quod cum ad abruptendam omnem moram statim fecissemus, celeri tabellario ad eos dedita opera cum nostris litteris misso, responsum ab eis tale habuimus, quale et ipsi oratori Cæsaris jam cardinali Tridentino a nobis digressio in congregatione nostra multis presentibus dedimus, et fraternitatibus vestris, ne longiores in his simus, mittimus presentibus alligatum.

« Ex quo sane fraternitates vestræ percipient quanam dilucidari et declarari ac plene fieri, et ab his, qui se Concilio submisisse dicuntur, re ipsa adimpleri debeant, antequam de reditu ipsius Concilii ad civitatem Tridentinam deliberaretur, in quo solitam vestrorum æquitatem animorum, veritatibusque ac justitiæ amorem semper vobis inusitum nunc optamus et expectamus, vos in Deo Domino hortantes, ut tranquillitati Ecclesiæ Catholice, cui semper

pro vestra probitate adhæsistis, omni vestra auctoritate, ope, consilio consulatis, quo nobilissimæ nationi vestræ, quantum in vobis erit, pacis fructus, sedatis seditionibus, et veræ religionis lux, pulsis impietatis tenebris, restituantur. Quod ut nostris diebus videamus ab eodem Deo supplices ac votis omnibus precamur ac petimus: et hortamur, ut cum cæteris Bononiam proficisci, aut nuntios vestros sine mora mittere velitis, vel Concilium ipsum prosecuturi, vel si locus minus aptus visus fuerit, cum aliis quid agendum sit, dictante Spiritu sancto, deliberaturi. Nam quod extremis vestris litteris verendum nobis esse significatis, ne cessante in hoc opere diutius Sede Apostolica, alia sumantur consilia, aliisque viis et rationibus hæc causa tandem expediatur; nunc quidem, si agnosceremus in procuranda salute illius inclytæ provinciæ a nobis cessatum fuisse, omnia sane timerentur, præcipue vero Dei ira, qui nos in hac sancta Sede tanquam in speculo collocavit, ut omnium Christi ovium, præcipue autem illarum, quæ a reliquo grege se subtraxerunt, curam haberemus. Quod vero non defuerimus in hoc opere consulendi provinciæ Germaniæ, ea, quæ supra scripsimus, satis testimonio esse possunt; præsertim cum nota scribamus, non tam vobis quam universo idem Christiano. Quare, quod ad nos attinet, eo minus nobis timendum duximus, quo magis nostri studii et laboris in hac causa sumus concei, et quod eam de gravitate ac moderatione vestra opinionem, eam de Cæsaris sapientia et animo in Christianam rempublicam spem habemus, ut nec illum, nec vos ullam hujus expediendæ causæ rationem, nisi quæ recta, et ipso ac vobis digna sit, probaturos credamus; hoc enim experta vestra et constans semper in aliorum defectione pietas et fides nos sperare jubet. Quod si non fiat, nova vero consilia contra auctoritatem hujus sanctæ Sedis suscipiantur, nos quidem non ii sumus, qui prohibere possumus quominus in eam tanquam in domum aliquam descendat pluvia, veniant flumina, flent atque irruant venti, hæc enim omnia futura esse ab ipso summo architecto, cum ejus fundamenta jaceret, sunt prædicta, ne vero propterea cadat, ne dissolvatur, timere quidem non possumus, quia scimus fundatam esse supra firmam petram. Illis potius timemus, et eorum vicem valde dolemus, qui nec irritis conatibus illorum, qui hæc sibi olim oppugnandum animo proposuerunt, nec gravibus Dei judicii, nec veteribus, tum novis, in omnes qui hoc aliquando tentarunt, deterreantur quo minus ejusmodi consilia capiant, malintque se certo periculo, cum totius Ecclesiæ perturbatione exponere, dum opus Dei dissolvere conantur: quod nullo non sæculo ab improbis oppugnatum, nunquam expugnari po-

fuit, quam in pulchritudine pacis nobiscum unanimes in una domo vivere: ad quam eos semper invitavimus et perpetuo invitamus. Idem autem ut vos faciatis et non permittalis, ut aliena, et nullis profutura consilia locum aut auctoritatem in vestris conventibus habeant, valde in Domino hortamur, vosque ita facturos de pristina vestra et constanti, quam semper ostendistis, pietate et fide maxime confidimus. Datum, etc. I Januarii MDCXVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

6. Postera die cardinalis de Monte Concilii præses in Congregatione generali retulit Patribus responsa a Pontifice data cardinali Tridentino, ac Cæsareo oratori seriem, utque a Pontifice Concilii defenderetur auctoritas, atque quinque dubia ante proposita pro translatione decernenda prius a Cæsare illustrari vellet, de quibus hæc Angelus Massarellus ¹ refert:

« II Januarii MDCXVIII, etc. Reverendissimus dominus cardinalis retulit Patribus qualiter sanctissimus dominus noster dedit responsum oratori Cæsareo circa petitionem, quam fecerat nomine imperatoris, quod Concilium reduceretur Tridentum, quam responsum ipse reverendissimus dominus cardinalis alta voce legit, cuius summa est, quod Pontifex narrat factum dictæ petitionis, et qualiter sua Sanctitas scripserit pro consilio sacræ Synodi, et inseritur Breve missum ad ipsum reverendissimum dominum cardinalem de Monte una cum responso Concilii cum insertione tamen eorum quinque dubiorum, de quibus supra die XIX præteriti mensis, quorum dubiorum dilucidationem probat sua Sanctitas atqueam de reditu ad civitatem Tridentinam agatur, et in fine offert se promptam pro unione nationis Germanicæ.

« Quo responso lecto, ipse reverendissimus dominus cardinalis dixit agendas esse gratias Deo et summo Pontifici pro eo quod tantum deferat sua Sanctitas Concilio, et ejus voto assenserit in totum, et orandum Deum pro concordia principum ».

Prosequendo Concilio intentus præses decreta de Sacramento Ordinis excutienda proposuit, ut corruptelæ circa illud invecæ tollerentur, ut addit idem auctor ²:

« IV Januarii datur exemplum canonum super abusibus de Sacramento Ordinis ». Eadem die, Feria quarta, IV Januarii, in Congregatione generali forma data concionatoribus prædicandi verbi divini ex decreto Tridentino. IX Januarii adducti in examen canones super abusibus Sacramenti Pœnitentiæ, quorum exemplum exhibitum fuerat Patribus die tertia ejusdem mensis, habitæque plures Congregationes.

Lunæ XVI Januarii hora XXI fuit Congregatio generalis, in qua Patres persecuti sunt exa-

minationem supradictorum canonum super abusibus Sacramenti Pœnitentiæ. Loqui cepit hodie Rev. D. episcopus Aquensis Vorstius.

Actum deinde est, an procuratores Cæsaris admittendi essent, cum Cæsaris mandata prius exhibere nobissent, extatque de ea re Fesulani episcopi sententia tribus propositionibus distincta ¹:

« Propositio Prima. An admittendi essent hi qui dicebantur Cæsaris nomine adesse, neque litteras Cæsaris aut mandata nisi per se ipsos proferre volebant ». Censeo omnino esse admittendos.

« Propositio II. An prolatis jam Cæsaris litteris et recitatis audiendi essent hi cum suis notariis et testibus, ut ipsi petebant ». Audiantur, ut petunt, ne aliquid inconveniens consequatur.

« Propositio III. An ea res in proximum conventum rejiceretur, et de protestationibus inquireretur ».

Vellem mori potius quam videre schisma in Ecclesia Christi.

A Patribus decretum est communi consensu audiendos Cæsareos procuratores licet hostilia dicturi essent, tum subdunt Acta: « Procuratores Caroli V imperatoris petierunt audiri a Patribus, qui intromissi fuerunt, ostendentes mandatum Cæsareum, quod est sub data Augustæ die XXII Augusti MDCXVII, in quo mandato constituiebantur procuratores ad protestandum assertis legatis et Patribus, qui erant Bononiæ sub nomine Concilii generalis (ita enim imperator loquebatur nomine suo, totius imperii et regnorum suorum, prout habebant in mandatis.

« Data fuit licentia fandi, sed quoniam noluerunt loqui, nisi intromissis in Congregatione quibusdam suis notariis et testibus, posita est (eis exire jussis) res in consultationem, placuit Patribus, quod admitterentur sui notarii, sed non rogarentur soli, sed in solidum cum notariis Concilii, et ita factum est ».

7. *Protestatio facta a procuratoribus imperatoris in ipso Concilio Bononiensi, et responsio sacræ Synodi.* — Quæ vero mox gesta sint ea fuse continentur in publicis documentis, tum confectis, quæ subjicimus ²:

« Processus protestationis factæ a procuratoribus imperatoris in Concilio Bononiensi, et responsio sacræ Synodi.

« In nomine Domini, etc. Die Lunæ XVI mensis Januarii MDCXVIII de sero, hora circiter prima noctis, Bononiæ in loco solito ubi Congregationes generales sacri Concilii Bononiensis fieri consueverunt, in nostrum et testium intrascrip-

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 180. — ² Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 270. Ms. arch. Vat. sig. Ext. inter Acta Conc. Bonon. auctore Ang. Massar. Sec. p. 45. Ms. Fr. eod. Barb. et in Ms. card. Pal.

¹ Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 277. — ² Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 279.

torum presentia introducti fuerunt in ipsum locum Congregationis magnifici domini Franciscus Vargas procurator generalis fisci regni Castellae, et Martinus de Soria Velasco Burgensis iurum doctor, et invictissimi Caesaris consilarii. Quibus coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinale de Monte ipsius sacri Concilii presidente, et Patribus ibidem congregatis numero quadraginta quatuor, vel circa, ut invictissimi imperatoris procuratoribus comparantibus, praedictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Caesaris petiit sibi restitui mandatum Caesarum, quod antea ipsi sacrae Congregationi per ipsum et collegam suum traditum fuerat. Quo ei restituto reverendissimus dominus cardinalis de Monte praedictus mandavit legi per dominum Claudium della Casa ipsius sacri Concilii notarium infrascriptam protestationem, antequam autem ipse D. Claudius protestationem praefatam legeret, ipse magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Caesaris petiit audiri. Sed ipse reverendissimus dominus cardinalis de Monte mandavit ante omnia dictam suam et sacrae Synodi protestationem legi. Quam quidem protestationem ipse dominus Claudius notarius alta et intelligibili voce legit, cuius tenor sequitur et est talis :

8. « Licet haec sancta Congregatio cum praesidentia reverendissimi et illustrissimi domini cardinalis de Monte legati Apostolici non debeat et non teneatur audire aliquam propositionem vestram faciendam occasione mandati Caesarum majestatis per vos exhibitum, quod mandatum vere et cum effectu non dirigitur ad hanc sanctam, universalem et Oecumenicam Synodum in hac civitate Bononiae legitime translata et congregata, tamen ut nemo unquam possit pretendere in hac sancta Synodo non esse omnimodam libertatem omnibus loquendi, contenta est vos audire; solemni tamen protestatione praemissa, quod per hanc audientiam et qualemque propositionem vestram factam aut faciendam, non intelligit aliquo modo approbare nec admittere personas vestras, nec dicta, nec dicenda, nec facta, nec facienda per vos juxta tenorem praetensi mandati, et ipsius mandati occasione : et etiam solemni protestatione praemissa, quod per ipsum mandatum, et quaecumque exinde subsequenda et subsequenda non intelligit ipsa sancta Synodus aliquod praedictum sibi, neque etiam sanctissimo Domino nostro, qui est ipsius Concilii caput, inferri, nec aliquod jus ipsi invictissimo imperatori mandanti acquiri, neque cuiquam alteri personae, per quod ipsa sancta Synodus minus possit ad ulteriorem prosecutionem, celebrationem et expeditionem sacri Concilii, Deo dante, procedere, et omnia alia facere, quae sibi videbuntur necessaria et opportuna : reservans sibi nihilominus ipsa sancta Synodus jus, ac

potestatem, et auctoritatem omnia et singula praemissa, et quaecumque ab eis quomodocumque dependentia, et dependenda, et emergentia, sive emergenda plenius et uberius in una, vel pluribus sessionibus per eam celebrandis, prout ipsi sanctae Synodo utilius videbitur, elucidandi et decernendi; necnon contra contumaces et rebelles quoscumque ad poenas juris, et litterarum Apostolicarum, et arbitrarii ipsius sacri Concilii procedendi. Quam protestationem voluit sancta Congregatio in principio, medio, et in fine, et semper esse repetitam, et pro repetita intelligi et haberi ».

Qua quidem protestatione lecta, rev. D. Hercules Severolus ipsius sacri Concilii promotor, ibidem adstans et praesens haec verba protulit, videlicet : « Et ego tanquam promotor ipsius sacri Concilii peto a vobis notariis de praemissis fieri unum vel plura, publicum vel publica instrumentum vel instrumenta ».

9. Deinde praedictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Caesaris petiit sibi dari testimonium et fidem publicam a nobis notariis, quod non fuit permissum cum ante loqui, neque exponere ea, quae ipse et collega suus habebant in mandatis, quam legeretur superscripta protestatio.

Postea alta et intelligibili voce idem magnificus dominus Franciscus Vargas Caesaris fiscalis sic orsus est, et protulit quaedam verba, quae postea in scriptis tradidit domino Claudio notario superscripto, quorum tenor sequitur, et est talis : « Adsumus, reverendissimi domini, reverendique admodum Patres, Caesaris domini nostri Romanorum imperatoris optimi maximi procuratores legitimi, cuius mandatum authenticum audieritis. Adsumus quidem apud vos acturi de re omnium maxima, quam et vos futuram jam diu augurati estis, et respublica Christiana summis votis efflagitat, ut vos hac in re aequos praebatis. Est enim apud omnes in confesso, et ob oculos jam versari videtur, quanta rerum humanarum calamitas eventura sit necessario, si mordicus persistere velitis in sententia, quam semel haud satis provide arripuistis; e contra quanta orbis tranquillitas ac felicitas si, ut vos decet, velitis in commune consilium, et Caesarum majestatis voluntatem pro vestra virili fovete. Verum ut omnia consentiant non tantum vobis, apud quos nihil novi dicturi videmur, sed universae etiam reipublicae Christianae, paulo altius repletem rem omnem: sic enim planum faciemus, quam perniciose sitis curaturi, si persuaderi volueritis, et invictissimi imperatoris domini nostri animis quam late patet orbis Christianus omnibus manifeste erit: illud tantum praefabor, nos nec verbum quidem addituros ex nostri animi sententia, sed bona fide expectaturos, quae a Caesarea majestate in mandatis habuimus ».

Quo facto reverendissimus dominus cardinalis de Monte prædictus respondit ad ea, quæ dictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus dixerat, primum verbo, deinde scripto, ut sequitur, videlicet : « Adsum et ego hujus sacrosancti Concilii pro sanctissimo D. N. Paulo divina providentia papa III vero et indubitato ac certo beati Petri successore, ac Jesu Christi Domini et Redemptoris nostri in terris vicario præsidens et legatus. Adsunt et ii sanctissimi Patres Concilio ex civitate Tridentina legitime et ex causis ipsi Concilio probatis translato, ad ipsum Concilium cum Dei adiutorio, et Spiritu sancto suggerente, pro ipsius Dei gloria et reipublicæ Christianæ salute prosequendum et celebrandum. Rogamus majestatem suam sententiam mutare velit, et nobis auxilium et favorem suum impertiri, ac ipsius Concilii celebrationem perturbantes comprimere et compescere. Scitur quod Concilium impediens et perturbans, quacumque illi dignitate præfulgeant, gravissimas penas incurunt, utcumque tamen evenerit, quicumque afferantur terrores, nos libenter, et honori Ecclesiæ, Concilii et nostro defuturi non sumus ».

Et successive prædictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus, tenens in suis manibus mandatum Cæsaris originale, quod sibi restitui fecerat, illud solemniter præsentavit suo et collegæ nomine, quod quidem erat scriptum in charta pergamena, imperiali sigillo appenso, non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua parte subrasum, sed in forma publica et solenni scriptum et redactum, et legi alta voce petiit, quod ita lectum statim fuit coram omnibus per D. Angelum Massarellum, ejusdem Concilii secretarium, eratque tenoris sequentis :

« Carolus V etc. Notum facimus, etc. XXII Augusti anno Domini M^oXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII ».

10. Mandatum imperatoris ¹ ad protestandum in persona D. Didaci de Mendoza, de quo fit mentio in superiori responsione :

« Carolus Quintus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus, etc.

« Notum facimus tenore præsentium, quod pro ratione muneris nostri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, proque eo zelo, quem erga sacrosancam fidem et religionem nostram orthodoxam merito gerimus, et ipsius religionis summa necessitate ita exigente cogimur contra nonnullos, qui sese asserunt legationis munere fungi una cum aliis prælatis et personis in conventu Bononiensi, cui titulum Generalis Concilii prætexunt, jam congregatis, et deinceps eo nomine congregandis, justam atque legitimam protestationem, tam coram

beatissimo in Christo Patre et Domino Domino Paulo III divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifice maximo, domino nostro reverendissimo, quam etiam coram cœtu reverendissimorum cardinalium Urbis, necnon præfatis assertis legatis prælatis, et personis Bononiæ sub prætextu Concilii congregatis et in posterum congregandis facere. Id vero cum ob locorum distantiam coram facere non possimus, capropter de fide, prudentia et rerum usu venerabilis devoti nobis dilecti Don Jacobi de Mendoza consiliarii et oratoris nostri apud beatitudinem præfati Pontificis maximi plene confisi, eundem Don Jacobum fecimus, et constituimus ac deputavimus, ac tenore præsentium ex certa nostra scientia et sano accedente consilio facimus, constituimus et deputamus procuratorem et mandatarium nostrum, dantes ei plenam facultatem et potestatem, ut hujusmodi protestationem nostro et totius sacri Romani imperii, regnorumque et dominiorem nostrorum omnium nomine contra præfatos assertos legatos, aliosque prælatos et personas nomine Concilii Bononiæ iam congregatas, quam congregandas, coram præfato Pontifice maximo, et cœtu cardinalium conjunctim aut separatim solemniter, tum verbo, tum scripto proponere, et instrumenta superinde necessaria a notario seu notariis publicis adhibitis seu adhibendis requirere, et omnia alia dicere, facere, gerere et exercere possit et valeat, quæ in hujusmodi actibus requirerentur et necessaria fuerint, seu quovis modo opportuna, et quæ nos ipsi facere possemus ac deberemus si præmissis personaliter interessemus, et secundum quod a nobis habet in mandatis. Promittentes in verbo nostro Cæsareo et regio, nos ratum gratumque habituros quidquid per præfatum procuratorem et mandatarium nostrum actum, dictum gestumque fuerit in præmissis, nec quovis modo illis contraventuros esse, dolo et fraude penitus semotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra imperiali Augustæ Vindelicorum die XXII Augusti anno Domini M^oXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII ».

Quo mandato lecto, Dominus Hercules Severolus promotor præfatus repetiit iterum protestationem sacre Synodi præfata: idemque fecit reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte præfatus, et dictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus dixit ea, quæ a se et collega suo dicenda erant, contineri in protestatione statim legenda a præfato collega suo, quam quidem protestationem repetere intendebat, et pro repetita haberi volebat toties quoties opus esset : eandemque repetitionem protestationis lectæ per antedictum dominum Claudium reverendissimus et illustris, domi-

¹ Ext. in *Har. Conc. Bonon.* p. 786.

nus cardinalis de Monte toties quoties opus esset, fecit et declaravit. Petitique insuper, et requisivit dictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus a nobis notariis in actis redigi, qualiter reverendissimus dominus cardinalis de Monte et Patres præsentés non consenserunt, quod notarii et testes per eum nominati fuerint admissi, ut singulariter et de per se rogarentur de omnibus per eum et collegam suum dictis et dicendis, sed a nobis conjunctim. Deinde prædictus magnificus dominus Velasco nomine dicti magnifici fiscalis Cæsarei et suo legit alta et intelligibili voce scripturam protestationis tenoris infrascripti¹, videlicet :

11. « Cum republica Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefactaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere Germania descivisset ab Ecclesia, invictissimus Carolus Cæsar Romanorum imperator semper Augustus, cujus nos procuratores sumus, primum a Leone, deinde ab Hadriano, deinde a Clemente sanctæ memoriæ Pontificibus Maximis, ac postremo a Summo Pontifice Maximo Paulo III, sæpissime et continuis precibus universale Concilium flagitaverat, et ratione suæ dignitatis, et ut satisfaceret assiduâ supplicationibus Ordinum imperii, et solum eversarum rerum perfugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset; tandem a Sanctitate sua primo Mantuam, postremo Vicentiam convocatum est generale Concilium. Sed harum civitatum neutra satis apta fuit, in quam mullarum et diversarum provinciarum homines libenter et commode convenirent, Germani præsertim, quibus justis et gravibus de causis proficisci non licebat. Demum ad imperatoris ipsius voluntatem, cæteris etiam Christianis principibus assentientibus ipsisque adeo poscentibus Germanis, Summus Pontifex Tridentum elegit ipsorum Germanorum causa, propter quos id præcipue Concilium fiebat, quod illam approbaverat civitatem, quemadmodum ipsi Cæsari, illisque in publicis Ratishonæ habitis comitiis in provincia Germaniæ celebrandum concesserat idem Summus Pontifex, quod locus esset aptissimus ob libertatem et securitatem, ita enim positus est, ut tam Italiæ quam Germaniæ particeps esse, nec a Galliciis aut Hispaniis longe distare videatur : cujus civitatis et episcopus esset Christophorus Madrutius, vir sane pius et pius, ac sacri imperii princeps, et quod omnium rerum, quæ ad victum necessariæ essent, commoditas non desit, ut ipse Summus Pontifex in sua Indictionis Bulla latius declarat. Indictum est, inquam, Tridenti Concilium generale omnium consensu : legati cardinales missi,

primum Parisius, Moronus et Polus affluere : qui locum imperatoris representarent oratores episcopus Atrebatensis, dominus de Granvela, et Jacobus Mendoza. Sed nondum visum est tempus satis idoneum ad inchoandum Concilium. Post aliquod tempus iterum missi estis vos Tridentum, reverendissimi Sedis Apostolicæ cardinales legati, reverendissimus de Monte, reverendissimus de Sancta-Cruce, et item reverendissimus Polus, qui nunc abest. Rursum oratores imperatoris idem Jacobus Mendoza et Franciscus Toledo. Accesserunt nonnulli aliorum principum ibidem oratores. Nonnulli erant in itinere mullarum nationum episcopi, et ab ultimis terris magna impensa, magno labore convenerunt.

« Inchoatum est tam expetitum ab omnibus Christianis Concilium, causa religionis et reformationis morum in eo tractari cœpta : aliquot habitæ Sessiones, aliquot super his lata decreta. Eodem quoque tempore bellum adversus hostes et sacri imperii violatores imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ et amplificandæ religionis, interveniente quoque Sanctitate sua ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poterat, armis cogeret.

12. « Cum res essent in hoc statu, cœpto religionis negotio, causa morum, quæ tot viribus et consilio indigebat, ad quam peragendam sua majestas et Germaniæ ordines a retro Pontificibus et Sanctitate Sua jam antea remedium tam crebro flagitaverant, sed frigide nimis et vix tentata, virtute imperatoris pacata Germania, in qua recuperandæ religionis eidem Sanctitati et sacro Concilio munus incumbebat, maxima spe adversus tam eorum, qui lucusque Concilium recusaverant, tam etiam eorum, qui in tam necessario negotio imperatori adjuutores fuerant, ecce vos reverendissimi domini, translationem, præter omnium expectationem, Pontifice Maximo quod quidem vos nunquam negastis inscio et inconsulto, levissima sane causa procurata et conficta, de translatione Concilii retulistis ad Patres consultandi nullo, sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposueritis, postriede decreveritis, perendie discesseritis, cum hand multis Patribus atque iis quidem unius fere Italiæ nationis.

« Huic consilio sancti Patres aliquot, episcopi magna fidei et auctoritatis viri, quibus religionis et morum causa cordi erat, tanquam callido nimis et immaturo, Christianæque reipublicæ periculoso contravenere, planeque et publice, inspirante Spiritu sancto, tum translationem Concilii, tum legatorum assertoriam et Patrum, qui eos secuti erant, secessum improbaverunt. Publice etiam protestati sunt injustam esse translationem Concilii, velleque se manere Tridenti, libero et legitimo Concilii loco.

¹ Lat. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229, p. 119, et in alius Ms. ubi supra.

« Inter hæc imperator, dum Bononiæ congregati estis, hoste ad Albam devicto, Saxonia provincia superata, duobus belli ducibus altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum et periculosissimum bellum solus confecit. Nec destitit sæpius summum Pontificem per nuntios, per legatum Sedis Apostolicæ, per eundem Cæsaris oratorem, et ante confectum et post confectum bellum, magnis et continuis precibus sollicitare, juberet vos omnes, qui adhuc Bononiæ moramini, ad Concilium redire, tandemque admonere, prævideat quot scandala, dissidia, pericula impendeant Christianæ religioni, si inceptum Concilium Tridenti non absolvatur.

« Comitia interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur. In his libero et spontaneo generali totius Germaniæ ordinum et statuum, præterea omnium civitatum consensu, petente Cæsare, decretum est Germanos omnes ad Concilium Tridenti convocatum venire, ut ea, super quibus indictum fuit, tractarentur, et sacrosanctæ Concilii auctoritate decidantur: ipsos sacrosanctam Synodum suscepturos, idque prorsus et absque ulla conditione præstifuros se Cæsari sunt polliciti.

« Legavit imperator oratorem ad eundem Pontificem Maximum reverendissimum et illustrissimum Christophorum Madrutium cardinalem et principem Tridentinum, qui suæ majestatis et serenissimi Cæsaris, Romanorum regis, ordinumque sacri imperii nomine suæ beatitudini pium hoc et sanctum Germaniæ consilium indicaret, supplicaret, juberet vos, qui Bononiæ agitis, ad Concilium Tridenti inchoatum reverti: hortaretur et admoneret, ut honestissimam et necessariam occasionem tot laboribus et periculis tamdiu quæsitam, nunc demum partam susciperet et amplexaretur. In qua et Patres cum dignitate Tridentum redire, et religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum, quorum potissimum gratia ipsa sacrosanctæ Synodus Tridenti convocata fuerat, tractari et confici, sacrosanctæ Sedis Apostolicæ auctoritas cum Pontificii nominis dignitate et ipsius Summi Pontificis immortalis gloria augeri posset, idque non privatim solum, sed publice cum reverendissimorum cardinalium consensu. Præterea jussit eundem Jacobum Mendozam (qui Senas ad componendas illius reipublicæ res venerat) idem negotium præstare, præcepitque, quod si Summus Pontifex dilationem aut excusationem aliquam interponeret, neque præsentem occasionem susciperet, hujuscæ rei et tam justæ petitionis, præsentissimæ in Christianam religionem, tum ipsius Cæsaris, tum serenissimi Romanorum regis animi tam publice quam privatim testes ipsos reverendissimos cardinales, omniumque principum oratores, quotquot ades-

sent Romæ, sisterent: factum est id. Verum Summus Pontifex tempus interposuit, ut consuleret vos, qui hic congregati estis, qui quidem non dissimile secessioni, sive ut vos dicitis, translationi, quam jam pridem fecistis, consilium dedistis: inane, subdolum, captiosum et dignum sane quod a Pontifice Maximo damnaretur. Summus autem Pontifex non solum id consilium approbavit, vestramque sententiam secutus est, sed etiam illegitimam illam secessionem Tridentinam, perniciosissimam sane et perniciosam reipublicæ Christianæ, translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimum conventum Bononiensem Generalis Concilii nomine appellat, huicque illegitimo conventui tantum auctoritatis in suis ad reverendissimum cardinalem de Monte episcopum Prænestinum, et ad vos, qui hic adestis, illis et suo ad imperatorem responso tribuit, quantum vos auctoritate propria vobis ipsis arrogare ausi estis, in gravissimum religionis et universalis Ecclesiæ dissidium et scandalum. Quid præterea desiderabamus a Germanis? quid ab his petebamus? toties a Cæsare repetitis itineribus, tot impensis, tot laboribus, maximo et ancipiti suscepto bello atque confecto? Perdetis omnes hos labores pro religione susceptos? perdetis optimam et præsentem instaurandæ restituendæque religionis occasionem? perdetis religionis causam admoniti et requisiti? Id vero certissimum est, Concilium Universale ob causas gravissimas et maxime necessarias Tridenti congregatum suæ sanctitatis indictione, flagitante imperatore, principibus Christianis assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus episcopis jam cœptum, nisi summa urgente necessitate, præcedentibus tractatibus, ac diligentissima discussione, servato juris ordine, consensu omnium Patrum, alio mutari neque legitime posse neque licere. Sæpe enim translationes, sine causa, callido et præcipiti consilio facte in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in republica Christiana turbis et dissensionibus, interdum populi Christiani perniciosæ divisione consilia dissolvantur.

« Causa autem tam subite translationis nulla fuit, sed abrupta, quæ se primum obtulit occasio, ac vos, reverendissimi asserti legati, et reliqui Patres, id quod jam pridem meditati fueratis: febres enim nescio quas et acris vitium causati, affectatum et procuratum quorundam medicorum testimonium recitantes, vos præcipientes Tridento effudistis. Nempe et tunc et deinceps apertissime patuit nullam extitisse vanæ formidinis causam. Præterea ut ulla fuerit ratio discedendi, suam sanctitatem in hac præterea causa consulissetis, cum tam parvi temporis mora nihil periculi esset allatura: neque enim tam repentina res erat, quod exitus morbi quem causati fueratis, comproba-

vit : inconsulta autem sanctitate sua discessisse vos ipsi fassi estis, et Summus Pontifex postmodum affirmavit. Imperatore quoque consulto et consentiente id facere debuissetis, cui curæ sunt et tutelæ Universalia Concilia, atque id examinare officii augustalis, eujus quanta sit in Conciliis auctoritas, manifestum est. Verum tanta fuit vestra festinatio, ut nec vos ipsi voveritis consulere, nec eos, qui dicebant Beatitudinem suam et imperatore prius per sanctam Synodum certiores fieri oportere, audiendos putastis, quanquam imperator ipse pro tenenda atque amplificanda religione, pro Ecclesia, pro Concilio laboraret. Vos, reverendissimi domini, et cæteri qui hic adestis, vano et inani timore simulato, imperatore inconsulto abscessistis : ut qui sæpe alias imperator per oratores suos tam vos ipsos, qui legatos Sedis Apostolicæ esse asseritis, tum Pontificem Maximum admonuerat, se neque translationi Concilii, sed neque suspensioni, aut vacationi tacite vel expresse assentiri potuisse.

« Præterea juris ordinem contempsistis, et eam causæ cognitionem, quæ in Synodalibus translationibus sanctorum Patrum sanctionibus instituta est : rem enim omnium fere gravissimam, prope sane et leviter confecistis. Debueratis certe justas multorum gravissimorum Patrum, qui vobis haudquaquam assentiri debere ex certa scientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumque sententias et rationes animadvertere, atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libito definire. Quorum quidem sententiæ, tametsi numero pauciores essent, quia tamen firmiores erant, sanioresque reipublicæ Christianæ, debuissent jure præferri, potuissentque multarum nationum Patres, etsi multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam, eandemque reipublicæ Christianæ perniciosam impedire ; quæ si fieri oportebat, fuerant sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis ejus regionis ; eligendus erat in Germania locus, atque ob id maxime id fieri oportebat, ut de quorum causa præcipue agebatur, Germani tuto possent ad Concilium venire ; quod proculdubio fecissent, omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis et difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit. Idcirco nulla ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiæ collocatam, subditam imperio Ecclesiastico delegistis, quo nemini dubium est non adituros Germanos. Locum itaque delegistis, quem possent omnes merito multis de causis, quæ nunc a nobis præmittuntur, recusare, non ut Concilium prosequeremini, sed ut summo exitio Christianorum Concilium præpropere et ex abrupto dissolveretis, aut ex animorum sententiâ conficiatis. At cum sit Conciliorum officium dissidia tollere, reli-

gionem sustentare, mores emendare, hic recessus, quem vos translationem vocatis, turbabit Concilium, perdet omnia.

« Verum cum piissimus imperator, ut verus et legitimus imperator Romanorum, Ecclesiam omnium matrem defendere ac augere teneatur, quod semper ab initio regnorum suorum et imperii fecit ; quanquam ab antiquissimis usque temporibus imperatorii muneris fuerit, Universalia Concilia protegere, et eo usque integra et salva præstare, quo negotia quorum gratia congregantur, debito loco et ordine absoluta sint ; cumque Germaniæ dissidia componere, eamque provinciam, partem imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum pacare, et ad veram Christianamque religionem reducere instituerit ; cumque ad eundem etiam Hispaniarum aliorumque regnorum ac statuum suorum, quorum rex verus et dominus est, auxilio Summi Pontificis et sacrosancti Concilii corrigendorum, et ad veram Christianam vitam reducendorum cura pertineat, quæ ita demum vana non erit, si Concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuabitur et absolvetur, animadvertentes hunc recessum, seu ut vos dicitis, translationem, sine ordine legitimo factam, neque lege, neque ordine, neque causa, neque consilio inñiti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare, magnam ex hoc cladem et exitium populo Christiano imminere. Præterea totam Germaniam, ad quam hæc potissimum causa spectat, Concilium postulare Tridenti, polliceri se Concilio Tridenti affuturam, sanctam Tridentinam Synodum suscepturam, ut bonus obediensque Ecclesiæ filius, vos, qui legatos Sedis Apostolicæ esse asseritis, cum reliquis episcopis qui recessistis, et quolquot hic adestis maxime contestatur, ne magno cum labore tandem quasitam componendæ instaurandæque religionis occasionem prætermittatis, ovis Christi sanguine redemptis auxilium feratis, et ut primo quoque tempore Tridentum revertamini, qui locus visus est Summi Pontificis approbatione tutus et liber, ipsiusque invictissimi et pietissimi imperatoris fide tutior atque liberior, cujus muneris est Concilium protegere atque tueri, ibique, ut decet et necessarium est, sacrosanctum Concilium auctoritate Summi Pontificis, imperatoris et flagitatione, assensu principum, Tridenti inchoatum diuque habitum prosequamini : quod nullo pacto recusare potestis. Et sane id jam antea estis polliciti, si utique Germani ad Concilium accesserint Conciliumque susceperint, vos, cum primum falsi morbi suspicio refrixisset, esse redituros, idemque sanctissimus Pontifex idipsum sæpe per nuntios et legatos promisit : anno jam fere elapso cessante morbo (si quis fuit, re tranquilla et pacata, ablata ratione timoris, postulabantibus principibus et statibus Germaniæ, iisdemque polli-

centibus se libere et absque ulla contradictione aut prætextu sacrosanciam Tridentinam Synodum suscepturos. Cur non revertimini, ut intermissum continuatis opus, ubi cœpistis et continuari oportebat?

« Hoc si fueritis executi, et vos, reverendissimi domini, cum reliquis episcopis Tridentum redieritis, neque dilationem aut difficultatem ullam interposueritis, rem populo Christiano valde necessariam et divinæ majestati gratissimam facietis: sin autem (quod absit et credibile non est) tam justæ petitioni in tempore et occasione necessaria, quæ quidem nunc se ultro præstans offert, assentiri nolueritis, nos licentiatum Franciscus Vargas et doctor Velasco Cæsaris procuratores et consiliarii, nomine piissimi et invictissimi domini nostri Caroli Cæsaris Romanorum imperatoris, ex illius speciali mandato protestamur, dictam translationem fuisse et esse illegitimam et nullam, et omnia inde acta et secuta, et quæ post hæc quomodocumque de re qualibet agentur et sequentur, affectata fuisse, et futuras rixas et contentiones in Ecclesia Dei inducere atque nutrire, ac proinde nullius momenti, nullius effectus, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam, neque eam posse esse auctoritatem vestram, qui vos legatos asseritis, et episcoporum qui hic adestis et convenistis, et Summo Pontifici majori ex parte adscriptorum, atque ab illius nutu omnino pendendum, ut in religionis et morum reformationis causa, tanti momenti negotio, universe reipublicæ Christianæ, eique præsertim provincie, cujus mores et instituta parum ei nota sunt, legem præscribere possitis. Præterea ejusdem invictissimi imperatoris semper Augusti nomine et speciali mandato protestamur, atque denuntiamus, suæ Sanctitatis, et vestram responsionem, nec aptam, nec præsentî negotio et necessitati convenientem, sed illegitimam, et figmentis plenam, et prorsus delusionem fuisse et esse, nulloque jure nulla ratione subsistere.

« Protestamur insuper omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, quæ inde evenere, ac evenient, ac possunt contingere vobis omnibus, et huic congregationi, quam Concilium appellatis, non sibi imputanda; ad quæ quidem potestis facillime et debelis remedium canonicum adhibere. Protestamurque similiter, invictissimum dominum nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, defectu, culpa et negligentia vestra, et sanctissimi Pauli III Summi Pontificis, Ecclesiæ procellis et tempestatibus, quas meliuit ex hoc facto, videtque impendere, totis suis viribus obviam iturum, ejusque protectionem et tutelam omni studio suscepturum, solumque id, quod sui juris, muneris, officii et dignitatis est, quo imperator est, quo rex est, qualenus jus

patitur, et legibus, Sanctorumque Patrum institutis, et orbis consensu decretum et observatum est, non omisurum, omniaque alia, quæ ejusdem domini nostri imperatoris nomine possumus et debemus, quo melius expediât atque conveniat modo et ordine, fierique hujus nostræ protestationis Instrumentum in forma publica a præsentibus notariis, et eorum quolibet petimus et nobis reddi postulamus una cum mandato originali, unde et constat Cæsarem suo muneri et nos officio nobis injuncto minime defuisse. Petimus insuper protestationem hanc nostram, una cum Cæsaris domini nostri mandato in Actis hujus prætensæ congregationis a notario vestro inseri, ut perpetuo constare possit.

« Licentiatum VARGAS et doctor VELASCO ».

Qua protestatione lecta, idem magnificus et fiscalis Cæsareus suo et collegæ nomine dictam protestationis scripturam sic lectam et recitatam virtute mandati Cæsarei præsentavit, illamque in Acta redigi petiit et requisivit modo et forma, prout in ipsa continetur.

13. Ad quæ omnia reverendiss. et illustriss. D. cardinalis de Monte præsidens ¹ præfatus repetita protestatione lecta per dominum Claudium notarium suprascriptum ex mente et sententia Patrum existentium in Congregatione respondit, narrata et recitata per D. Doctorem Velasco, prout recitantur et narratur in protestatione seu scriptura per eum lecta, præsertim contra honorem ipsius reverendiss. et illustriss. collegæ suorum, et Patrum in civitate Bononiensi congregatorum, et ea quæ proposita fuerunt de invaliditate translationis ex civitate Tridentina ad civitatem Bononiensem dolose factæ, et quæ proposita fuerunt de securitate et libertate civitatis Tridentinæ, non esse vera et veritatis clypeo carere. Contestatur de hoc Deum, qui est ipsa veritas, prout suo loco et tempore, si opus fuerit, deducetur et ostendetur, asserens etiam et affirmans se esse paralum una cum Patribus Concilii mortem oppetere, et martyrium pati potius, quam consentiant, quod hoc exemplum in Ecclesiam introducatur, ut sæcularis potestas velit Concilium cogere pro libito suo, et ei libertatem adimere: et imperatorem (quod cum pace ejus dicitur) esse Ecclesiæ filium, non autem dominum vel magistrum: se et collegam suum esse Sedis Apostolicæ legatos, et de iis quæ eis imponuntur, et de tota villicatione sua paratos se esse reddere rationem Deo primum, deinde sanctissimo D. N. in ipsa Sede sedenti. Et nihilominus cum proposita per ipsos dominos procuratores Cæsareæ majestatis longam contineant seriem verborum, et non possint omnia memoria retineri, dixit et obtulit, quoddabitur eis congruum et plenius responsum

¹ Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. ubi sup. p. 280. Ms. car. Pa.

die Veneris proxime futura hora Congregationis consueta: monendo eosdem, ut eadem die et hora compareant responsum ipsum accepturi, et nisi comparuerint, dixit et protestatus est, quod nihilominus responsum dabitur, et publicabitur mundo universo, repetens protestationem præfatam et pro repetita habere volens.

14. *Translatio Concilii juridice facta.* — Quibus verbis prolatis, prædictus dominus fiscalis Cæsareus dixit suo et collega nomine, ea tantum respondenda, quæ tantum in sua protestatione dicta erant, de quibus publicum Instrumentum vel publica Instrumenta confici et sibi reddi in publica forma petiit et requisivit.

His peractis, dimissa fuit Congregatio hora tertia noctis, ac Patres omnes discesserunt.

His enarratis Angelus Massarellus ¹ addit: « Deus omnipotens sua ineffabili bonitate, suique unigeniti Filii Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi Passionis meritis avertere dignetur, ne hodierna sit principium maximi schismatis in Ecclesia Dei ».

Non repudiatum autem jure Concilium Bononiense, quod Bononia dilationis Ecclesiasticæ foret, uti imperator objiciebat, subjectis argumentis ²:

« De securitate civitatis nempe Bononiæ dubitandum non erat, nam civitas Ecclesiæ est, a qua Ecclesia Germania ipsa et religionem Christianam a principio habuit et libertatem nempe imperium. Et cum Ecclesia mater sit omnium, Germani ut filii non debent dissidere a matre, et eo maxime, quod principes vicini Bononiæ fere omnes pendent a Cæsare, et quod libera sit illa civitas apparet, cum fiscales ejusdem Cæsaris protestati fuerint contra legatos et Concilium sine ullo respectu et per modum invectivæ, absque eo quod visitaverint unquam legatos et Concilium sine ullo respectu, vel aliud signum humanitatis præ se tulerint, non tamen aliter quam comiter et benigne tractati fuerint, et episcopus ille, qui magis joco quam serio verba minus redolentia jactavit, graviter et acerbe reprehensus fuit. Veritas tamen est, licet Bononia rejicienda non esset, neque suspecta habenda, tamen tempore translationis non fuit electa pro civitate permanente, sed pro diversorio, donec alius securus et idoneus locus pro proseguendo Concilio eligeretur. Dispensatione vero et providentia divina factum est, ut decretum hoc translationis revocaretur in dubium, ut apud omnes magis clara fieret justificatio ejus, nam post avocationem cause a Sanctiss. D. N. nemo ausus est ei opponere, cum non habeant quod opponant, nec tempore etiam discessus, vel post conquestum unquam sunt cum Pontifice; imo quando discedebatur, nonnulli ex

Hispanis adeuntes legatos rogaverunt, ut se excusatos haberent, si cæteris comites se non præbebant, indignationem enim Cæsaris se timere dicebant, et sic obedire magis volebant hominibus quam Deo. Non est ergo dubitandum de decreto hoc translationis. Nam cum Concilium esset OEcumenicum et liberum, potuit et voluit sua auctoritate et libertate se transferre, nec Pontifex voluit unquam plenitudine suæ potestatis Concilium impedire libertatem, sed quidquid Concilio, et in reditu ad Tridentum, vel mansionem in Bononia, vel electione alterius loci placuisset, id etiam sibi placebat ».

15. *Injuste sibi arrogat Cæsar potestatem statuendi de rebus religionis.* — De hac Cæsaris protestatione, ut qui supremum in Ecclesiam imperium sibi arrogaret, ac pro arbitratu suo Concilium in eo, quem vellet, loco congregandum contenderet, non modo Pontifice et Concilio coacto, sed etiam cæteris regibus contemptis, agit Jacobus Augustus Thuanus, laudatque Joannis Mariæ de Monte Concilii præsidis constantiam, qui potius mortem oppetendam professus sit, quam ut a Cæsare impie eam auctoritatem invadi pateretur.

« Montanus, inquit, de voluntate Patrum multa graviter eloquutus, injuriam sacrosancto huic cœtui fieri queritur, Deumque testatur, se paratos extrema quæque ac mortem denique potius oppetere, quam adeo pernicioso Ecclesiæ exemplo pati, ut civilis magistratus pro arbitratu Synodum cogat: Cæsarem quippe non dominum aut magistrum, sed Ecclesiæ filium esse, se vero et collegas qui adsunt Romanæ Sedis legatos esse, penes quos ordinandi et transferendi Concilii jus sit, neque tamen recusare, quin Deo in primis, deinde Summo Pontifici suæ legationis rationem reddant; quod ad protestationem attinet, ei intra paucos dies responsum iri ».

Quo vero Cæsar in Ecclesiam usurpare affectabat auctoritatem, eo Henricus II Gallorum rex ad defendendam Ecclesiam juraque Pontificis, et Concilii se comparabat, ac xv Januarii Cenotensis episcopus Bononiensis Concilii Patres (significata optima regia in Pontificem voluntate) confirmavit exposuitque Parmam regio sumptu adversus Cæsarem vim propugnatum iri; Pontifex vero xi Januarii ad devincendum sibi eundem regem, Carolum Borbonium principem, a quo religionem Catholicam in Gallia constantissime difficillimis temporibus defensam visuri sumus, cardinali dignitate decoravit.

16. His addunt Acta Bononiensis Concilii ¹:

« XIX mensis Januarii MDCXLVIII, in Concilio Bononiensi agitur de responsione ad ea, quæ Cæsaris nomine ab eisdem procuratoribus fue-

¹ M. c. 63. A. 0. ubi sup. p. 280. — ² Ms. ead. P. s. 2. num. 260, p. 125.

¹ Ms. arch. Vat. s. g. num. 3197, p. 180.

rant die Lunæ exposita ». Cum vero rogarentur sententiæ, hæc a Braccio Martello episcopo Fesulano prolata est :

« SENTENTIA I.

« Quoniam gravissimis de rebus agitur, patres amplissimi, et maxime, ut puto, periculosi, de responsione videlicet ad ea, quæ in proximo conventu, imperatoris maximi nomine, hoc plane in loco fuerint exposita, et quia etiam res certe videntur in extremum adductæ discrimen, cavendum sane hoc tempore arbitror, non ut quam maxima cum dignitate, sed ut quam minimo cum periculo ac perturbatione rerum, hæc negotia transigantur, ne forte tanti Christianorum imperatoris animo rebus adhuc peractis (ut videtur) incenso, verborum etiam faces admoveantur, quo ingens aliquid Patribus creetur incommodum ; qua etiam ex re, cum ea regula sit, ut nemo ad respondendum de improvise, ut iniquit, teneatur, ac summa ratione ab illustrissimo præside, aliisque Patribus proximo in conventu dictum fuit, ut responsum ad ea, quæ tum Cæsaris nomine afferbantur, in aliud tempus differretur ». Et mox : « Dicam in summa mihi illud tantum placere, quod ad Christi Ecclesiæ, Christianorumque principum ac nationum pacem, tranquillitatem et concordiam spectat ; ea autem omnia, quæ ad horum lites, rixas, discordias et contentiones nulla ratione pertinent, probare non posse.

« Maxime igitur censeo faciendum, quo ingentes malorum moles depellantur, ut omni contentione omissa, et patientiæ prorsus ac tolerantie quibusdam quasi radicibus nixi, nobis, atque inhærentibus, quod certe episcopos et successores Apostolorum maxime decet, de reversione Tridentum omnino agatur ; ne sane pro extirpandis hæresibus, componendisque moribus, et pace inter Christianos concilianda, ad quæ Concilium ipsum convocatum Apostolicis litteris fuisse constat, Christianis fere omnibus quiescentibus et Concilii exitum expectantibus, contentione hæc Tridentina reversionis nostræ rebus incompõsitis ad incredibiles horum temporum hæreses, schisma horribile atque atrocissimum bellum adjungatur.

« Et quoniam non solum clades, perniciës et vastitas infinita, sed totius Christianæ reipublicæ status, qui nunc est, funus atque interitus sit proxime pertimescendus.

« Quare cum hæc omnia non impendere tantum, sed jam adesse, ac prope nos urgere videamus, nisi forte ea, quæ videmus, volumus dissimulare, non, credo, jam dubitabunt aliqui, quo tot mala ac tanta a populo Christiano arceantur, quin illud unum, quod in vestra situm est manu, Tridentinæ reversionis remedium sit quam primum arripiendum, præsertim cum

hi præclare possint intelligere statum hunc rerum, qui nunc est, nulla ratione nisi concordia posse retineri, ne dicam minore eorum incommodo ordinari, etc. ».

17. Sensere alii obstendum Cæsari, cum æquissimas leges pro transferendo ex omnium consensu Concilio refelleret, metuendumque esset, ne translato Concilio, alia in gratiam Lutherianorum, quos non tam conciliatos vere Ecclesiæ ac Deo, quam sibi devinctos volebat, pertentaret, deque responso ejus procuratoribus reddendo maturitate summa consilii actum est. Sed ut subjicit Angelus Massarellus :

« Sed cum res indigeret discussione, deleti sunt Patres infrascripti, qui ipsam responsionem aptarent, qui Patres fuerunt reverendissimi domini archiepiscopus Aquensis, Materanus, Naxiensis, Upsalensis, Armachanus, et episcopi Feltrensis, Aneicensis, Ambricensis, Noviomensis, Camerincensis, Veronensis, Salutarum, Abinganensis, Aliphanus, necnon reverendus pater Hieronymus Seripandus Generalis Eremitarum S. Augustini.

« Die Veneris xx Januarii hora xv, fuit congregatio supranominatorum dominorum deputatorum coram ipso reverendissimo et illustrissimo domino primo presidente, diuque egerunt magna discussione super aptanda responsione danda procuratoribus Cæsareis ad eorum protestationem, sed tandem conclusum fuit, ut brevissime pro nunc responderetur, afirmando quod Bononiæ est verum legitimum, universale Concilium, et quod a nemine de hoc dubitari jure potest, et quod adducta et recitata per ipsos procuratores, cum sint omni rationi et veritati contraria, et videantur piæ et Catholicæ menti invictissimi imperatoris repugnare et adversari, sancta Synodus cerlo credit, vel sine sua Cæsareæ majestatis commissione et scientia, sed ex mala et sinistra informatione processisse. Non recedendo tamen a protestationibus per eandem sanctam Synodum infrascripta die Lunæ factis. Deinde dimittitur congregatio hora xx. Eadem die hora xxi, coacta est alia congregatio generalis, discessereque Bononia procuratores Cæsarei, nec ad responsum excipiendum hæere voluerunt, quare cum die conducta et hora non comparerent, promulgatum est, non stare per Synodum quin responsum daretur, quod erat his verbis conceptum :

« Sacrosancta hæc Oecumenica et generalis Bononiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea sanctæ Sedis Apostolicæ legatis, quæ nullatenus dubitat, neque ab aliquo jure dubitari posse scit, quin legitimum et universale Concilium faciat et constituat, cum die Lunæ proxime præterita in generali congregatione, post lectam a nobis propositionem vestram, monuerit vos, ut hac die compareretis, congruum et plenius responsum

ad vestras prætensas protestationes accepturi, sic vobis respondet: Quod quæcumque per vos adducta fuerunt, cum sint omni rationi contraria, et videantur piæ et Catholicæ menti invictissimi Cæsaris repugnare et adversari, sancta Synodus certo credit, vel sine suæ Cæsareæ majestatis commissione et scientia, vel ex mala ac sinistra informatione recessisse. Et ita vobis dicit, et denuntiat, non recedendo tamen a suis protestationibus, supradicta die Lunæ factis ».

18. Interea infirmatus in sua voluntate Carolus V nimiam de rebus religionis constituendi auctoritatem sibi arrogavit, cujus rei fama postero die Bononiam perlata est, ut refert Angelus Massarellus in Diario ¹ ?

« XX Januarii mane recepimus litteras e Germania XVI hujus Augustæ datas, quibus significatur, imperatorem post relationem cardinalis Tridentini de sua legatione proposuisse statibus imperii, quod hoc INTERIM, quod Concilium non reducitur Tridentum, elegant status imperii aliquos viros, et ipse Cæsar addet aliquos, qui agant et discutiant de re tota controversa super religione, deinde referant suæ majestati, qui constituet, quid agendum usque ad futurum Concilium præsupponit enim, quod Bononiæ non sit Concilium; deinde de Concilio agetur ».

Quam vero injuste Cæsar protestationes suas adduceret, patuit ex ipso exemplo ab eo dato, nam cum postea Concilium Tridentum translatum esset, Galliæ rex eodem tunc jure, quo modo Cæsar, protestatus est, non placere sibi instauratum Tridenti Concilium, atque ab eo provocavit, ex qua provocazione et protestatione gravissima mala emersisse suo loco lugendum erit: nam regum non est imperare Ecclesie, sed illi subesse. Porro ceptis insistens Cæsar, protestationem adversus Bononiense Concilium nuncupatum Bononiæ, etiam Romæ coram Pontifice in senatu cardinalium procuratorum opera, XIII Januarii (ut Acta Consistorialia ² testantur) repetivit, causamque suam non promovit, sed corruptit, cum obsequiis et precibus restitutaque Placentia provehere eam debuisset. Poterant enim præsules Hispani Christiana demissione Concilii Bononiensis auctoritatem agnoscere, quo rursus Bononia Tridentum Synodus revocaretur, justissimeque exigebatur, ut Lutherani decreta fidei jam Tridenti edita suscipere cogenter, atque Cæsar se obstringeret, quod Concilium veteri ritu inductis popularibus facis vel hæreticis celebraretur.

19. *Coram ipso Pontifice protestantur Cæsari oratores.* Edita vero coram Pontifice protestatio Cæsaris ab oratore subjectis verbis concepta erat:

« Caroli V imp. Augusti protestatio contra conciliabulum Bononiense a Paulo III congregatum facta Romæ per illustrem Jacobum Mendozam, legatum Cæsareum, anno Domini MDXLVIII.

« Sanctissime Pater, cum respublica Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefectaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere Germania ab Ecclesia descivisset, invictissimus dominus Carolus Cæsar Romanorum imperator semper Augustus, cujus ego oratoris et procuratoris vices gero, primum a Leone, deinde ab Hadriano, deinde a Clemente sanctissimæ memoriæ Pontificibus Maximis, postremo a Sanctitate vestra, beatissime pater, Paulo III sæpe summis et continuis precibus universale Concilium eflagitavit, et ratione suæ dignitatis, et ut satisfaceret assiduis supplicationibus ordinum imperii, ut solum everstrarum rerum effugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset, quas quidam ob causas a sanctitate vestra primum Mantuam, postremo Vicentiam convocatum est generale Concilium, sed harum civitatum neutra satis apta fuit, in qua diversarum et multarum provinciarum homines libenter simul et commode conveniret, Germani præsertim, quibus justis et gravibus de causis eo proficisci non licebat.

« Demum imperatoris ipsius voluntate, cæteris etiam Christianis principibus assistentibus, ipsisque adeo poscentibus Germanis, Sanctitas vestra Tridentum delegit Germanorum gratia, propter quos id præcipue Concilium fiebat: quod illam approbaverant civitatem, quemadmodum imperatori, iisque in publicis eorum Ratisbonæ habitis comitiis in Provincia Germania, celebrandisque concesserat, eadem Sanctitas vestra, quod locus esset aptissimus ob libertatem, securitatem et opportunitatem, ita enim positus est, ut tam Italiæ propinquus, quam Germaniæ situs esset, nec a Gallia aut Hispaniis longissime distare videretur, cujus civitatis episcopus esset Christophorus Madrucius vir sane probus piusque ac sacri imperii princeps, et sanctitatis vestræ multis nominibus amicus, et quod omnium rerum, quæ ad victum necessariae sunt, commoditas non desit, ut Sanctitas vestra in sua Bulla latius declarat.

« Tridenti est, inquam, indictum Concilium generale omnium consensu, legati cardinales missi primum reverendissimus Parisius, Moronus et Polus adiuere, qui vices Pontificis representarent, oratores imperatoris admodum illustrissimus religiosissimus episcopus Arebatensis, illustrissimus vir dominus de Granvella, et ego Jacobus de Mendoza, sed nondum visum fuit sanctitati vestræ, ut apparet ex secunda

¹ D. G. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 281. — ² Acta Consistorialia, Ms. arch. Spal. sign. num. 133, p. 541. — ³ Act. apud

Goddast. to. II, inter Const. cap. p. 502. Lat. etiam in Actis Conc. Bonon. p. 496. Et in Ms. arch. Florent. num. 268, p. 25.

Bulla Sanctitatis vestrae, tempus satis idoneum ad inchoandum Concilium, post aliquot dies iterum a Sanctitate vestra missi Sedis Apostolicæ legali cardinales reverendus de Monte, reverendus S. Crucis, et iterum reverendus Polus; rursus oratores, ego Jacobus Mendoza et illustris vir Franciscus Toledo absens: accesserunt nonnulli aliorum principum itidem oratores, nonnulli erant in itinere, multarum nationum episcopi etiam ab ultimis terris convenere, magnis impensis, magno labore inchoatum est, et petitum ab omnibus Christianis Concilium, et causa religionis et reformationis morum in eo tractari cepta.

« Eodem quoque tempore bellum adversus hostes et sacri imperii violatores imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ et amplificandæ religionis, idque interveniente Sanctitate vestra ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poteramus, armis cogere-mus. Cum res essent in hoc statu, cœpto (ut dixi) religionis negotio causa morum quæ totis viribus Concilio indigebat, ad quam legitime et absolute prorsus peragendam sacra majestas et Germaniæ ordines a retro Pontificibus et Sanctitas vestra jam antea remedium tam crebro flagitaverant, sed frigide nimis et vix tentata.

« Deinde virtute imperatoris pacata Germania, in qua recuperanda Sanctitas vestra et sacrosancti Concilii munus incumbabat maxima spe et certitudine eorum adventus, tum etiam, qui hucusque Concilium recusaverant, et eorum qui in tam necessario religionis negotio adhuc occupati imperatori adjuutores erant.

« Ecce reverendissimi asserti legati tumultuose præter omnium expectationem, Sanctitate vestra, quod ipsi dicunt, inscisa et inconsulta, levissima sane causa procurata et confecta, de translatione Concilii retulerunt ad Patres, nullo consultandi, sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposuerint, postridie decreverint, perendie discesserint cum multis Patribus, atque iis quidem tum temporis, vel unius fere Italicæ nationis, vel ante adeptum episcopatus nomen in Italia degentibus.

« Huic consilio, sanctissime Pater, plures episcopi magnæ fidei et auctoritatis mire, quibus religionis et morum causa cordi erat, tanquam callido nimis et immaturo, Christianæque reipublicæ periculoso, contravenere, planeque et publice, inspirante eis Spiritu sancto, cujus sane causa in primis agi debebat, tum translationem propositam, tum legatorum assertorum et Patrum qui eos secuti sunt, injustam esse translationem Concilii, velleque se manere Tridenti libero et legitimo Concilii loco publice protestati sunt.

« Inter hæc imperator, dum episcoporum congregatio Bononiæ manet, hoste ad Albium devicto, Saxoniam provinciam superata, duobus

belli ducibus, altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum et periculosissimum bellum solus confecit, nec destitit sæpius Sanctitatem vestram per nuntios, per legatos Sedis Apostolicæ, per illustrissimum Joannem Vegam, per me, et majestatis suæ apud Sanctitatem vestram oratores, et ante et post confectum bellum magnis et continuis precibus sollicitare, juberet Patres, qui Bononiæ perstant, ad Concilium Tridentum redire, eandemque ipsam admonere, prævideat, quot scandala, dissidia, pericula impendant Christianæ religioni, si jam cœptum Concilium Tridenti non continuetur et absolvatur.

« Comitibus interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur; in his libero spontaneo generali totius Germaniæ ordinum et statuum, præterea omnium civitatum consensu, petente imperatore decretum est, Germanos omnes ad Concilium Tridenti convocatum venturos, ut ea, super quibus indictam fuit, tractentur, et sacrosancti Concilii auctoritate decidantur; ipsam sacrosanctam Tridentinam Synodum se suscepturos, idque prorsus et absque ulla conditione se præstituros imperatori sunt polliciti.

« Legavit imperator oratorem ad Sanctitatem vestram illustrissimum et reverendissimum Christophorum Madrucium cardinalem et principem Tridentinum, quo suæ majestatis et serenissimi Romanorum regis, Ordinumque sacri imperii nomine Sanctitas vestra pium hoc et sanctum Germaniæ Concilium indiceret, supplicaret, juberet Patres, qui Bononiæ agunt, ad Concilium Tridenti inchoatum reverti, hortaretur et admoneret, ut honestissimam et necessariam occasionem tunc laboribus et periculis tandem quæsitam, nunc demum partam susciperet et amplecteretur, in qua et Patres cum dignitate Tridentum redire et religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum quorum potissimum gratia ipsa sacrosancta Synodus Tridenti convocata fuerat, tractari et confici, et sacrosanctæ Sedis Apostolicæ auctoritas magna cum Pontificii nominis majestate, et ipsius Sanctitatis vestrae immortalis gloria augeri posset, idque non privatim solum, sed publice faceret in reverendissimorum cardinalium consensu.

« Præterea jussit me, qui Senas ad componendas illius reipublicæ res veneram, idem negotium præstare, quod si Sanctitas vestra dilationem aut excusationem aliquam interponeret, neque præsentem occasionem susciperet hujusce rei, ut tam justæ petitionis, promptissimique erga Christianam religionem majestatis suæ animi tam publice quam privatim, vos ipsos reverendissimos cardinales, et omnes omnium principum oratores, qui Romæ agunt, testes vocarem, præcepit.

« Præterea jussit procuratores et consiliarios suos, qui Bononiæ expectabant de ea re responsum, et a Patribus ibi congregatis, et a Sanctitate vestra, si unquam vel ipsi Patres vel Sanctitas vestra id recusassent, vel dilationem aliquam interposuissent, in generali Patrum cœlu nomine majestatis suæ protestari, iniquam fuisse translationem, et omnia inde facta et secuta ab ipsis Patribus affectata, et nulla esse, atque futura fore. Factum est, bealissime Pater, post requisitiones privatas, etiam publice, primum a reverendissimo Tridentino die nona Decembris, deinde a me die decima quarta ejusdem mensis hora antemeridiana, in hoc reverendissimorum Patrum consensu, cum debita humilitate, instantissime rogando, idemque per viscera et per sanguinem Domini nostri Jesu Christi: tempus tamen Sanctitas vestra interposuit ad consulendos super responso Patres qui Bononiæ sunt, qui quidem non dissimile secessioni, sive (ut ipsi dicunt) translationi consilium dedere, vanum, subdolum et captiosum in gravissimum religionis et universalis Ecclesiæ dissidium, scandalum et detrimentum.

20. « Sanctitas autem vestra id Concilium approbasse, illorumque sententiam suscepisse quodammodo visa est, illegitimam secessionem Tridentinam, periculosissimam sane et perniciosam reipublicæ Christianæ, translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimum conventum Bononiensem Generalis Concilii nomine appellans, tantumque ei congregationi auctoritatis in suis ad reverendissimum cardinalem de Monte episcopum Prænestinum, et ad vos, qui adestis, litteris, et suo ad imperatorem responso tribuere videtur, quantum episcopi prænominati auctoritate propria sibi ipsis arrogare ausi sunt.

« Præterea responsum ad Cæsarem dat dilationem et illegitimum, præsentī occasionī et negotio impertinens, ineptum et inconueniens.

« Quid enim magis alienum, quam in gravissima causa, in negotio religionis, et Spiritus sancti, et causæ cognitione antevertere, et sententiam ferre, et se iudicem constituere, atque quam sibi iudicium deferatur: et his qui aegrotabant et sanandi erant, qui hucusque remedium detrectare videbantur, qui nunc religionem, qui morum reformationem, qui unionem publicarum dissensionum petunt, et Concilium Tridentini, ubi cœptum fuerat, continuari et absolvi (quod omnium bonorum causam futurum certissime credunt), præstantissimam medicinam tergiversationibus et ambagibus procedere et denegare. Nos posebat illi Concilium veteri ritu et instituto celebrandum, in quo Pontifex eorum iudicio præsideret, sed illius accusatores se constituere, ac Cæsari eum subicere moliebantur, quarum Sirenarum mortiferis cantuibus Cæsar in præcipitia se pellicii videbatur.

« Et cum probationem causarum translationis a perspicuis, et religiosissimis, et probatissimis testibus sumi conveniens, sit in ipsa testibus inter se parum convenientibus nullius auctoritatis de plebe hominibus fidem adhibere, imperatoris autem, et regis Romanorum, et principum, statumque Germaniæ, qui in publicis comitiis congregati sint, qui et per sanctæ Sedis Apostolicæ cardinalem, atque eundem sacri imperii principem Sanctitatem vestram certiorer faciant, de hoc tam sancto, tam pio Germanorum proposito atque decreto, fidem in dubium vertere, quod ex ipsorum Sanctitati vestræ responso tum publice, tum privatim dato intelligi potest. Nulla inferitur injuria, si Pontifex hujus controversiæ iudex Concilii Bononiæ translati Patres audiendos censuerit, nec parti Cæsareæ totum se addicere debuit.

21. « Nulla alia a me prætermittuntur, sanctissime pater, quæ tempore et loco (si opus fuerit) in hac causa dicentur, quid præterea desiderabamus a Germanis? quid ab eis petebamus? toties a Cæsare repetitis itineribus, tot impensis, tot laboribus maximo et ancipiti suscepto bello atque confecto? Perdet omnes labores hos Sanctitas vestra pro religione susceptos, perdet optimam et præstantem sanandæ restituendæque religionis occasionem, et perdet religionis causam admonitis et requisitis. Id vero certissimum Concilium Universale ob causas gravissimas et maxime necessarias Tridenti congregatum vestræ Sanctitatis indictione, flagitante imperatore, Christianis principibus assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus episcopis jam cœptum, nisi summa urgentique necessitate præcedentibus tractatibus, et diligentissima discussione servato juris ordine consensu omnium Patrum alio mutari, neque legitime posse nec licere.

« Sæpe enim translationes callido et præcipiti consilio sine causa factæ in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in republica Christiana turbis et dissensionibus, interdum populi Christiani perniciose divisione Concilia dissolvantur, causa autem tam subite translationis nulla fuit, sed arrepta que se primum obtulit occasione, reverendissimi asserti legati, ut a me dictum est, et reliqui Patres fecerunt: quod jam pridem meditati fuerant. Febres enim nescio quas et aeris vitium causati affectatum et procuratum quorundam medicorum, sed præcipue ancillarum, et eorum vilissimum hominum testimonium recitantes, Tridento præcipientes discesserunt: nempe, et tunc et deinceps apertissime patuit nullam extitisse vanam formidinis causam.

« Præterea, si ulla fuerit ratio discedendi vestram Sanctitatem in hac prætensa causa consulisent, cum tam parvi temporis mora nihil periculi esset allatura: neque enim tam repen-

tina res erat, quod exitus morbi, quem causati fuerant, comprobavit.

« Inconsulta autem Sanctitate vestra discessisse illos episcopos fassi sunt, et Sanctitas vestra postmodum affirmavit. Cui quidem sanctitatis vestre testimonio multum certe fidei et auctoritatis detrahunt vestre ad reverendissimum de Monte litterarum et responsiones ad Casarem datæ.

« Imperatore quoque consulto et assentiente id facere debuissent, cui curæ sunt et tutelæ Universalia Concilia, atque id ex munere officii Augustalis, cuius quanta sit in Conciliis auctoritas, manifestum est.

« Verum tanta fuit legatorum assertorum festinatio et simulatio, ut nec ipsi voluerint consulere, nec eos qui dicebant Sanctitatem vestram et imperatorem prius per Sanctam Synodum certiores fieri oportere audiendos putarint. Cumque imperator ipse pro tuenda et amplificanda religione, pro Ecclesia, pro Concilio laboraret, ipsi vano et inani timore simulato, imperatore inconsulto abcesserunt. At qui sæpe alias imperator per oratores suos eum ipsos assertos legatos, tum Sanctitatem vestram admonuit, se neque suspensioni, aut vacationi tacite vel expresse assentiri posse.

22. « Præterea juris ordinem contempserunt, et eam causæ cognitionem, quæ in Synodalibus translationibus sanctorum Patrum sanctionibus instituta est. Rem enim fere omnium gravissimam, propere sane et leviter confecerunt. Debuerant certe justas multorum gravissimorum Patrum, qui illis haudquaquam assentiri, docti re, ex recta conscientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumque sententias ac rationes animadvertere, atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libitu definire: quorum quidem sententiæ, quod graviores et firmiores erant sanioresque reipublica, debuissent in re præferri, potuissent multarum nationum Patres, etsi multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam, eandemque reipublicæ Christianæ perniciosam impedire. Quam si fieri oportebat, fuerant sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis ejus regionis: eligendus erat in Germania locus propinquior et opportunior, atque ob id maxime fieri oportebat, ut de quorum causa præcipue agebatur, Germani tuto possent ad Concilium venire, quod proculdubio fecissent, omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis et difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit.

« Illud vero nulla ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiæ collocatam, subditam imperio Ecclesiæ delegerint, quo nemini dubium est, non adituros Germanos. Locum itaque delegerunt, quem possent omnes merito multis de causis, quæ nunc a me præter-

mittuntur, recusare, non ut Concilium prosequantur, sed ut summo exitio Christianorum, decoloratione Concilium præpropere et ex abrupto dissolvant, aut ex animi eorum sententia conficiant. At eum sit Conciliorum officium dissidia tollere, religionem sustentare, mores emendare, hic recessus, quem ipsi translationem vocant, turbabit Concilium, perdet omnia.

« Verum eum piissimus imperator, sanctissime et summe Pontifex, ut verus et legitimus Romanus imperator, Ecclesiam omnium matrem augere ac defendere teneatur (quod semper ab initio regnorum suorum et imperii fecit) cumque ab antiquissimis retro temporibus imperatorii muneris fuerit, Universalia Concilia protegere, et eo usque integra et salva præstare, quoad negotia, quorum gratia congregantur, debito loco et ordine absoluta sint; cumque Germaniæ dissidia componere, eamque provinciam, partem imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum pacare, et ad veram Christianamque religionem reducere constituerit, cumque ad eundem etiam Hispaniarum aliorumque regnorum et statuum suorum, quorum rex verus ac dominus est, auxilio Sanctitatis vestre et sacrosancti Concilii corrigendorum, et ad veram Christianam vitam reducendorum cura pertineat, quæ ita demum vana non erit, si Sanctitas vestra Concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuaverit et abolverit.

23. « Animadvertens, inquam, imperator hunc recessum, seu (ut ipsi dicunt) translationem sine ordine legitimo factam, neque lege, nec ratione, neque causa, neque consilio inniti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare; præterea totam Germaniam, ad quam hæc potissimum causa spectat, Concilium postulare Tridenti, polliceri se Concilio Tridenti affuturam, sanctam Tridentinam Synodum suscepturam, Sanctitatem vestram, quam semel atque iterum obstatus est, nunc quoque ut bonus obediensque Sanctitatis vestre et Ecclesiæ filius maxime contestatur debita humilitate et Christiana monitione per viscera Domini nostri Jesu Christi, ne magno labore tamdiu quæsitam componendæ restaurandæque religionis occasionem prætermittat, ovibus a Deo Optimo maximo sibi commissis auxilium ferat, jubeat suos assertos legatos cum reliquis episcopis qui recesserunt, sine mora Tridentum reverti, qui locus visus est Sanctitatis vestre approbatione tutus et liber, ipsisque invictissimi et pientissimi imperatoris fide tutior atque liberior, cujus muneris est Concilia protegere atque tueri, ibique ut decet ac necessarium est, sacrosanctum Concilium auctoritate imperatoris, eflagitatione et assensu principum Tridenti inchoatum, diuque habitum prosequantur,

quod nullo pacto recusare possunt, et sane id jam antea polliciti sunt, si utique Germani ad Concilium accessissent, se quamprimum illa falsi morbi suspicio refixisset, esse redituros, atque adeo Sanctitas vestra id ipsum Cæsari per nuntios sæpe et legatos promisit.

24. « Anno jam fere elapso, cessante morbo (si quis fuit) re tranquilla et pacata allata ratione timoris, postulantiibus principibus et statibus Germaniæ, iisque denique se libere et absque ulla conditione aut prætextu Synodum sanctam Tridentinam suscepturos, cur non revertuntur et intermissum continuant opus, ut cøperant, ut continuare oportebat? Hoc si Sanctitas vestra fuerit executæ, et nunc assertos legatos Tridentum redire sua auctoritate et imperio coegerit, neque dilationem aut difficultatem ullam interposuerit, rem populo Christiano valde necessariam et divinæ majestati gratissimam faciet.

« Sin autem justæ petitioni tempore et occasione necessaria, quæ quidem nunc se ultro præsens offert, assentiri noluerit (quod abhorrendum sane est ab eo, qui prorsus totius reipublicæ Christianæ curam gerit, atque adeo ipsius Domini nostri Jesu Christi vices repræsentat) Ego Jacobus Hurtadus Mendoza nomine pietissimi et invictissimi domini mei Caroli Cæsaris Romanorum imperatoris ex illius specialis mandato, et nomine totius Sacri imperii, regnorum et dominiarum suorum, multiplicatas privatim et publice Evangelicas requisitiones, monitiones, denuntiationes, idque non solum, ut superius dictum est, a me semel atque iterum, sed etiam pluries in hoc amplissimo et religiosissimo cardinalium consessu, die Mercurii hora antemeridiana decima quarta Decembris, et in hoc eodem loco rursus die Martis hora pomeridiana vigesima septima ejusdem Decembris, presentibus reverendissimis Patribus et principum oratoribus, aliam protestationem die Luna decima sexta mensis Januarii hora pomeridiana a procuratoribus et consiliariis imperatoris majestatis prolatis in generali cœta conventibus Bononiæ habitam, tandem novissime protestor, dictam translationem, seu recessionem fuisse et esse illegitimam et nullam, atque omnia inde acta atque secuta, et quæ posthac quomodocumque de re qualibet agentur atque sequentur, affectata fuisse, et futuras rixas et contentiones in Ecclesiis Dei inducere atque nutrire, ac deinde nullius momenti, nullius effectus causa, magnam cladem et exitium populo Christiano minari, fidem Catholicam et sacrosancam religionem in periculum adducere, universalem Ecclesiam Dei scandalizare, decolorare, deformare, ejusque statum et majestatem, ac proinde nullius momenti, nullius effectus causam, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam, neque eam posse

esse auctoritatem assertorum legatorum sanctitatis vestræ et eorum episcoporum, qui Bononiæ sunt sanctitati vestræ majori ex parte obnoxiorum, atque ab illius nutu omnino pendendum, ut in religionis et morum reformationis causa tanti momenti negotio universæ reipublicæ Christianæ, eique provinciæ præsertim, ejus mores et instituta parum eis nota, legem præscribant.

« Præterea ejusdem invictissimi Romanorum imperatoris semper Augusti nomine, et speciali mandato, prout supra, protestor atque denuntio Sanctitati vestræ responcionem illegitimam, præsentis negotii et necessitati ineptam, inconvenientem, fucō et figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse et esse, nulloque jure nullaque ratione subsistere.

« Protestor præterea omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, ad hæc divisiones et scandala in Ecclesia Dei, et religionis pericula, atque reipublicæ Christianæ detrimenta, quæ inde evenire, atque eveniunt, et possunt contingere, vestræ beatitudini, non sibi imputanda. At quæ quidem facillime et potuit et debuit ex forma et essentia Pontificatus, usque ad sanguinem, usque ad animam remedium commodum adhibere.

25. « Protestorque similiter Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum defectu, culpa et negligentia sanctitatis vestræ Ecclesiæ procellis et tempestatibus, quas metu ex hoc facto videtque impendere, totis suis viribus obviam iturum ejusque protectionem et tutelam omni studio susceplurum, totumque id quod sui juris, muneris, officii et dignitatis est, quo imperator est, quatenus jus patitur, et legibus sanctorumque Patrum institutis, et orbis consensu decretum atque observatum est, ex nunc non omisurum, omniaque alia, quæ ejusdem domini mei imperatoris nomine possum et debeo, quo melius expediat atque conveniat modo et ordine.

« Protestor vobis etiam, Romani Patres, amplissimi cardinales, salvo omni jure, et facultatibus quomodocumque domino meo imperatori competentibus, ubi Sanctitas sua in præmissis negligens fuerit, aut quacumque alia causa instaurationem religionis, unionem provinciarum Germaniæ, veram, absolutam et generalem in sancto Universali Concilio fieri oportet, morum reformationem omiserit aut distulerit, vosque iidem in his negligentibus fueritis, eadem omnia, quæ Sanctitati Suae protestatus sum, eodem modo et ordine nomine invictissimi et piissimi domini mei Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti protestor, atque denuntio, atque hanc protestationem bis et ter, et toties quoties, et ubi mihi visum fuerit esse necessarium, et quancumque aliam super præmissis, et ab eis dependentibus connexis et

emergentibus facturum affirmo, et facultatem mihi reservo, testes vos omnes, qui adestis, huic meae protestationi sistens, petoque a vobis notariis et a quocumque vestrum, ut publica de his omnibus conficiatis instrumenta ».

26. *Paulus III protestationi Caroli V respondet, consultis prius præsulibus Bononiensibus.* — Respondit mox Caesarei oratoris protestationi nomine Pontificio Blossius designatus episcopus Fulginatensis ¹, qui Pontifici a secretis erat, eam protestationem, ut iniquam et inanem non admitti: cæterum re maturius cum cardinalibus perpensa in proximo senatu amplissimum responsum redditum iri:

« Responsio summi Pontificis ad protestationem eadem die data ipsi oratori Caesareo, qui tamen vocatur ad aliam diem, plenius responsum accepturus.

« Audivit sanctissimus Dominus noster, illustrissime domine orator, tuæ procurationis mandati tenore, et quæ procuratorio nomine Caesareæ majestatis exposuisti, ac coram sua Sanctitate et his reverendissimis dominis fuisti dicto nomine protestatus. Quibus omnibus quantum ad suæ sanctitatis officium pertinet, licet potuisset Sanctitas sua, et Deo, cui nihil est occultum, et hominibus, qui conciliaris hujus rei negotium noverant, etiam tacendo satisfacere, nec recensere quæ in ea re Sanctitas sua ad Dei ipsius laudem et Christianæ reipublicæ beneficium hactenus præstitit, ne tamen apud rerum harum ignaros opinio præjudicet veritati, cum etiam taciturnitas nocere quandoque solet protestato, sua Sanctitas non admittendo per aliquem actum, tam præsentem quam futurum, protestationem hujusmodi, nec illi ut frivole tacite vel expresse consentiendo, intendit, re prius cum venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus mature discussa, omnibus et singulis per te propositis, et in ista protestatione contentis, particulariter et specialiter respondere, quorum copia omnium per te gestorum et scripturarum nunc exhibita. Monet te tamen, ut oratorem, et ad actum hunc specialem suæ majestatis procuratorem, ac cæteros vos omnes notarios et testes ut in primo celebrando consistorio redeatis, responsum hujusmodi accepturi et audituri. Interimque ab Urbe non recedatis nec fidem aut testimonium hujus intimationis detis, ut de omnibus simul rogati sitis, et requisiti ».

27. *Consultuit interea Pontifex Bononiensis Concilii Patres, quid ab ipso Caesareæ protestationi Romæ respondendum esset, reversusque Bononiam Marcellus Cervinus Concilii legatus significavit Patribus sanxisse Pontificem, ut*

omnia decreta præteriti Concilii Tridentini de instauranda disciplina servarentur, et quæ circa dogmata fidei concepta erant, in dubium revocari vetuisse, quibus Angelus Massarellus hæc subjicit ¹:

« XXIV Januarii reverendissimus dominus cardinalis Marcellus Cervinus de Monte-Politiano tituli Sanctæ-Crucis secundus sacri Concilii præsidens et legatus Apostolicus ex Urbe reversus salutavit Patres nomine sanctissimi domini nostri papæ, retulitque suæ moræ causam fuisse urgentia negotia, quæ in sua absentia emergerunt, hortatusque fuit Patres, ut bono essent animo, beneque sperarent in bonitate Dei de successu præsentium rerum ita turbulentarum, et quod sua Sanctitas mandaverit observari omnia decreta a sancta Synodo Tridenti promulgata, præsertim ea, quæ tangunt reformationem, cum ea, quæ dogmata respiciunt, jam diu observata fuerint et observentur, de quo Patres lætari debent. Deinde reverendissimus dominus cardinalis de Monte egit gratias nomine sanctæ Synodi suæ Sanctitati, et ipsi reverendissimo domino cardinali Sanctæ-Crucis de labore suscepto. Deinde rogantur sententiæ super canonibus abusu Sacramenti Pœnitentiæ ».

Inter has protestationum Caesarearum procellas, quibus Ecclesiæ navicula jactabatur, offusus erat omnium oculis funestis alicujus schismatis terror, ad quod discrimen avertendum, visum est præsidibus Bononiensis Concilii consultius fore, ut abrumperetur Pontificia auctoritate Concilium, atque in commodius tempus differretur, quod Farnesio cardinali significatum memorat Massarellus ²:

« XXIV Januarii reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium qualiter considerato diligenter præsentis status rerum, videtur eis necessarium fieri suspensionem Concilii, cum prælati amplius in hoc statu retineri non possint, quæ suspensio necessario faciendâ videtur in responsione oratori Caesareo post ejus protestationem danda, ut scandalis obvietur, etc. » Subdit auctor formulam responsi dandi oratori Caesareo, cujus protestatio xxv Januarii Bononiæ excepta est, concinnatam a legatis fuisse, consultamque Pontifici, ut controversiam translationis ad subsellia Apostolica judicandam traduceret.

« XXVI Januarii reverendissimi legati miserunt ad reverendissimum cardinalem Farnesium judicium eorum circa suspensionem dandam a sua Sanctitate ad protestationem oratoris Caesarei, cum quo conjungat suspensionem, offerendo se facturum judicium de validitate translationis, quæ impugnatur a Caesare ».

28. *Kalendis Februarii Paulus Pontifex in*

¹ Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 311. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. um. 3229. et in Ms. Fl. card. Bar. sig. num. 125. Summarium. Ms. Conc. Trid. et Bonon. p. 57. Ext. in actis Conc. Bonon. p. 61.

² Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 282. — 1. H. H.

senatu accuratius ac prolixius responsum dedit oratori Cæsareo, jactatasque ab eo improbe accusationes ac defectionis minas Apostolica constantia refregit, molamque de injusta Concilii translatione litem definiendam a Sede Apostolica pronuntiavit Bloisii, qui a secretis erat, ore ac opera, ut referunt Acta Consistorialia ¹ :

« Romæ apud Sanctum-Petrum 1 Februarii MDXLVIII, fuit consistorium, R. P. D. electus Blosius Fulginatensis Sanctitatis suæ secretarius, jussu ejusdem suæ Sanctitatis legit responsonem protestationis per illustrissimum dominum Didacum Hurtadum de Mendoza Cæsareæ majestatis oratorem nomine suæ majestatis (ut asseruit in præcedenti consistorio factæ, ipsi domino Didaco oratori, prout penes Dominum Blosium electum secretarium constat) ». Perstringuntur a Jacobo Augusto Thuano ² illius responsi capita his verbis :

« Accurato et artificioso scripto respondet ex ea contestatione initio magnopere commotum et incredibili dolore affectum fuisse : quippe cum res sit pessimi exempli, neque hactenus usurpata, nisi ab iis, qui ab Ecclesiæ obsequio atque adeo religione ipsa defecerint, quod tantum abest, ut de Cæsare credere vel nullo modo suspicari velit, ut potius cum legitimam Ecclesiæ potestatem detractantes ad officium reduceretur, et in eos severissime animadversurum speret, quod cum bello nuper, in quo Pontificis præcipue copiis adjutus est, confecto ostenderit, mirari se eo magis Cæsarem pro tanto beneficio disparem gratiam rependere; verum se summo illo dolore postea levatum postquam mandati formula inspecta deprehensum est, Mendozæ minime datam facultatem, ut contra Pontificem et cardinalium senatum protestaretur, sed legatis tantum Bononiam missis, ut coram Patribus qui illic sunt agerent, injunctum fuisse, itaque mandati fines egressum esse Mendozam, et modestissimo principi suo injuriam fecisse, qui non aliter quam contra translationem Synodi auctores contestari suos intellexerit, totiusque negotii et controversiæ, si qua sit, judicium ad Pontificem pertinere existimaverit, qui si a Cæsare interpellatus recusasset, tunc protestationi contra ipsum merito locum futurum fuisse : id cum nusquam factum sit, iniquum esse quod petat Mendoza, ut Pontifex præjudicio usus decretum de Concilii translatione factum rescindat, ita corrue per omni ex parte Mendozæ actionis fundamentum, qui nec æquum petat, nec agendi facultatem habeat. Quod ad eriminationes attinet, quasi ipse negligenter in Ecclesiæ causa versetur, non se quidem invidere Cæsari gloriæ, quod egregiam operam in hoc negotio navaverit, cæterum sibi

suam eripi minime pati posse; si Cæsari constans desiderium fuit, ut perageretur Concilium, eandem et sibi mentem fuisse etiam atequam Cæsar de eo cogitaret, quippe cum illum ætate antecedit; id cum bellis Germanicis inturbatum sit, relinquere in medio disceptandum, uter in eo negotio ardentior fuerit, Cæsar-ne, qui bellicis motibus Synodi celebrationem impedit, an ipse, qui nulli principi operam suam addixit præterquam uni Cæsari, quem in eo bello, cujus successus ad tam optatum finem munire viam videbatur, opibus suis adjuvit; quippe nullam non inivit Christiani orbis pacificandi rationem, ex quo ad summum sacerdotium vocatus est, nec Patrum migrationem adeo exaggerandam esse, cum ea majoris sive sanioris partis decreto facta sit, et in eorum potestate sit ex justis et legitimis causis Concilium transferre. In præsentiarum quidem an legitime translatum sit nolle pronuntiare : verum si in controversiam veniat, ejus rei sibi judicium reservare, atque interim cœtum illum, qui Bononiæ sit, Concilium jure appellare : nunquam se prorsus recusasse quin Tridentum redeatur, modo id legitime fiat, hoc est, citra Ecclesiasticæ auctoritatis detrimentum, et sine aliarum nationum offensione; satis constare quam de Germaniæ salute sollicitus fuerit, jam bis indicto Tridentum Concilio; verum id frustra fuisse, discedentibus Cæsaris legatis, ac nullis fere episcopis Germanicis eo venientibus, quamvis ex Gallia, Hispania et aliis remotioribus provinciis episcopi confluerent : lætari se quidem magnopere temporum ac rerum statum in Germania mutatum esse, libenter audire, successibus tam prosperis, auctoritate et potentia auctum Cæsarem in se recipere, Germanos, si Tridentum redeatur, Concilio subscripturos : cæterum mirari qui fiat, ut si Germani tam bene affecta voluntate sint, adeo salutare remedium intra unius civitatis mœnia concludant. Etsi enim eorum præcipue gratia cogatur, cogitare tamen debere illos, cum eodem morbo teneantur hodie Dani, Gothi atque Britanni, hoc exemplo necessitatem induci, ut in eorum finibus etiam Synodus habeatur; contra vero multis testimoniis ostendi posse extra provincias, in quibus hæreses exorte sint, sapius celebrata fuisse Concilia, unde appareat nihil tam acri et festina denuntiatione opus fuisse, et conditione a Patribus propositas neque novas esse neque iniquas, quippe solere ista non tantum Pontificum, sed et Cæsarum legibus definiri, itaque non fuisse cur Patrum responsum frivolum esse ac figmentis plenum dixerit Mendoza : nec vero Pontificem, quamvis negligentiam vere accusari non possit, moleste ferre, si quando contingat eum officio deesse, eo diligentiam Cæsaris excitari, modo intra cancellos, qui illi circumdantur consistat et juris formulam, ac

¹ Acta Const. sig. num. 133, p. 316. ² Jacob. Aug. Thuanus l. 4. c. 3.

sanctorum Patrum leges, Christianique orbis consensum in eo sequatur, quod si fiat, minime dubitare, quin utriusque functio, licet diversa et distincta sit, Ecclesiae futura salutaris; postremo quod migrationem Patrum illegitimam esse contendat Mendoza, quoniam in hoc controversiae cardo vertatur, ejus rei cognitionem pro ea, quam in Ecclesia obtinet, potestate sibi vindicare, eamque viris amplissimis collegis ac fratribus suis Parisio, Burgensi, Polo et Crescentino demandare, et si quidem finito iudicio parebit, illegitime Concilium Bononiam translatum fuisse, omni ratione curaturum ut Tridentum revocetur. Interea dum illi cognoscent, petere ne quid ab alterutra parte in contrarium fiat, sed quidquid hac de re velint in medium afferre, id ut intra proximum mensem faciant edicere, ac ne Germaniae deesse videatur, legatos eos se missurum pollicetur, qui populorum illorum infirmitati, si Caesari et ipsis non ingratum esse cognoverit, commoda ratione medeantur. Haec eo scripto continebantur.

29. Extat illud in Ms. Archivi Vaticani¹, cuius series ob rei gravitatem repetenda visa est:

« Responsio Sanctissimi Domini nostri data ipsi oratori Caesareo in publico consistorio Romae 1 Februarii MDXLVIII.

« Magnam superiori consistorio, illustrissime domine orator, mœroris causam dedisti sanctissimo Domino nostro et sacro cardinalium collegio, cum ex Diplomatici illius verbis, quod mandatum appellabas, hoc in loco abs te prolata et recitata facultatem tibi ipsi sanctissimo domino nostro et sacro collegio protestandi a Caesarea majestate datam esse assereres, qua statim eis usus. Magna idem mandatum postea diligentius expensum et examinatum lætitia eos ipsos affecit, quorum animos dolore antea afflixerat, cum nihil in eo reperit sit, quod tibi istam facultatem, quam tu tibi sumpseris, daret. Haec vero duo cum explicavero, ac simul doloris et mœroris causas atque rationes reddidero, scias tibi maxima ex parte, ad ea omnia, quæ alicujus momenti, vel dicta abs te prolixius vel acta in superiori consistorio fuere, de quibus nunc responsum expectas, esse responsum: quæ enim protestatio illa complectebatur, licet responsione non indigeret, tamen silentio non præteribo. Hunc vero ordinem in respondendo sequar sanctissimi domini nostri auctoritati obtemperans, quem mihi præscripsit, cum mihi has partes tibi respondendi dedit.

« Igitur, ut a mœroris causa explicanda incipiam, ea quidem hujusmodi est, quam per te facile intelligere possis, præsertim cum partem

hujus molestiæ in ipso protestandi munere fungendo, quasi gravi onere portando, te ipsum sensisse minime dubitandum sit; eo autem majorem, quo vel majus studium tuum erga clarissimam Caesareæ pietatis et religionis famam; vel major pietas erga Ecclesiam esse deberet, cui ex hac re non minimam perturbationem impendisti, ut quisque pius ac prudens rerum æstimator fuerit, merito suspicari posset.

« Haec ergo est ipsa causa doloris, quam protestandi asserta abs te facultas merito utriusque attulit, quam si in te ipso, quod minime credendum est, expertus non fuisses, in illis certe religiosissimis et principibus viris, et nomini Caesareo multis de causis addictissimis, qui te, cum jam ad protestandum accederes, adierunt, multis lacrymis mixtas preces et hortationes secum afferentes, ut te ab incæpto protestandi proposito abduceres. Hanc qualis sit facile cognoscere potuisti. Illud vero omnibus notum est, rem mali exempli, et ab iis potissimum usurpatam, qui vel prorsus ab obedientia recesserunt, vel in ea vacillare cœperunt. Quare si hæc maxime perturbationis Ecclesiae signa certissima graviter sanctissimi domini nostri animum commoverunt, qui paterno amore semper Caesarem majestatem est prosecutus, et Ecclesiae paci, ut pastorem Ecclesiae deceat, semper studuit, nihil mirum. Eo vero graviore dolore et ejus Sanctitati et sacro Collegio, et omnibus qui pacem Ecclesiae amant, incusserunt, quo minus hoc tempore aliquid hujusmodi expectabatur. Quid enim minus expectari poterat a Caesarea majestate, quam eo tempore, quo contra eos, quibus rebelliosis nomen erga ejus majestatem, maxime vero erga Ecclesiam Romanam obtigerat, cum Protestantes se appellarent, gloriosissimam victoriam reportavit, idque non tantum interveniente Sanctitate sua ut, domine orator, nimis leviter æstimans auxilia suæ Sanctitatis in hoc ipso bello Caesareæ majestati missa dixisti, sed ita prolixè copiis et pecuniis adjuvante, ut vires pro patrocínio Ecclesiae excesserit, omnia autem tempore opportuno data, ut ipsa opportunitate auxilia utrumque magna beneficio et utilitate superarent. Quid igitur minus expectari potuit, quam ut adepta victoria, et ea adhuc recenti, tales fructus pietatis et benevolentiae sanctitatis ejus Caesarea majestas redderet, ut finis illius belli principium protestandi contra eum futurum esset? *An expectavit, ut faceret eas, et fecit labruscas?* dicit Propheta in Dei persona ad populum suum post multa beneficia illi collata, cum eorum ingratum animum redargueret. Si vero ipse Dei vicarius Caesarem majestatem tanquam plantam nobilissimam, omni studio, cum inde ab initio Pontificatus sui semper colens, ex qua sanctissimi et nobilissimi fructus ad pacem et concordiam Ecclesiae expectaban-

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 99. et in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 123. insec. Summar. Conc. Trid. et Bonon. post. med. p. 61. In eodem lib. sunt Acta Conc. Bonon. vide p. 62. Ext. in Act. Conc. Bonon. p. 61. et in Ms. card. Pii sig. num. 260. p. 35.

tur, hac sua diligenti et assidua cultura non suavis pacis et concordiae tanquam uvarum fructus, sed protestationis minime decentis, et discordiarum acerbissimas quasi labruscas percipiat, cui magis conveniret veraci animo dicere: *Quid potui facere vineae meae, et non feci!* et quae sequuntur. Haec ergo uerunt, quae sanctissimo domino nostro, et ut inuerso huic sacro collegio mœrorem animi merito attulerunt, cum tu, domine orator, Diplomatis mandati tui auctoritate et facultate fretus, nullis rationibus, quo minus a protestatione abstinens, deduci te patereris.

« Nunc igitur accipe quo pacto idem mandatum diligentius examinatum, primum Sanctitatem suam, deinde reliquos omnes, qui ob causam dolore sunt affecti, omni dolore levavit, quod uno verbo, minime Diplomate contineri ne verbum quidem, quod tibi facultatem præbeat, sub ea forma verborum contra Sanctitatem suam et sacrum collegium protestandi, qua in tua protestatione usus es, cum minime honorifica Sanctitati suae, tum Caesarea majestate parum digna. Dico vero iterum atque iterum, ut melius audias et intelligas, nullum scilicet verbum esse in mandati Diplomate, quod significet talem voluntatem Caesaris fuisse, ut eo modo contra Sanctissimum Dominum nostrum protestareris, quo jam es protestatus, nullum quod hanc tibi facultatem daret. Tu enim, quasi facultas tibi data esset contra Sanctitatem suam et sacrum Collegium protestandi, sic ea usus es. Illius vero rei in mandato tuo nullam non modo expressam, sed ne leviter quidem adumbratam voluntatem Caesarea majestatis habes: in hoc vero expressam contra legatos Sanctitatis suae, et praefatos Bononiae existentes, quos translationis Concilii ex Tridento Bononiam auctores fuisse accusas, ac ut contra eos sui procuratores protestantur, mandat. Tu vero, cum audieris contra illos a procuratoribus Caesaris jam protestatum fuisse, quasi idem esset protestari coram Sanctitate sua et sacro Collegio, et contra ejus Sanctitatem et ipsum Collegium, eo modo protestandi es usus in hoc sacro loco, assertus haec in causa procurator quomodo alii procuratores Caesarea majestatis apud assertos, ut appellas, legatos Sanctitatis suae Bononiae sunt usi, quam et facultatem, ut dixi, tibi non competere ex tenore et data mandati plane constat; praecipue enim quae tu protestando objicis, aliquot mensium spatio, postquam mandatum factum fuerit, acciderunt, et illud complecti ea, quae necdum contigerunt, nulla ratione queat. Sed quid melius hoc intelligi potest, quam ex ipsius mandati verbis. Recitatio igitur bona fide, quae tu bona fide scripta esse dixisti, cum descriptum exemplar mandati mihi traderes ». *Recitatur mandatum*

« Intellexisti nunc tandem, domine orator, quod ante non animadvertisti in verbis mandati: si enim abs te animadvertum fuisset, non tam longe extra fines mandati fuisses progressus. Sed nunc admonitus annon animadvertis, quo pacto cum de legatis Bononiae, et de protestatione mandati loquitur, hanc voluntatem Caesaris fuisse, satis apertis verbis declarat, ut contra eos protestareris, cum de Sanctitate sua et sacro collegio contra ipsos legatos, ex quo super his majestas sua iudicium a Sanctitate sua, quae legitimus et unicus iudex hujus negotii est, exposcere censenda est; nunc ergo ex iis videmus omnes, et libenter praedicamus, legitimus fines modestissimi principis Caesarem mandato suo non egressum, qui si se offensum existimabat a legatis sanctitatis suae praefatis, nihil alienum a iustitia fecisse videbatur, si contra illos coram sanctissimo domino nostro, et sacro hoc collegio protestaretur, neque enim extra hos terminos Diploma illud, quod mandatum appellas quoque progreditur. Quod si Sanctitas sua hujus causae recognitionem suscipere recusasset, tum demum, si unquam, protestationi contra Sanctitatem suam locus aliquis et tempus fuisset. Tu vero non modo hoc tempus non expectasti, quod certe si futurum fuisset expectare debuisses, si vel speciem aliquam iustitiae tuam protestationem expectare voluisses, sed nec tale iudicium unquam postulasti. Si quid vero postulasti, quod ad iudicium hujus causae pertinet, haec summa postulationis tuae fuit, ut legatos ipsos una cum maxima parte ipsorum praefatorum in dicta causa sua Sanctitas condemnaret. Quid enim aliud revera petis, quando a Sanctitate sua postulas, ut decretum illud Concilii, quod statuit translationem ejusdem Concilii ex Tridento Bononiam, quod illi ut necessario et salutariter, sic et iustissimis modis factum asserunt, rescindere et abrogare tanquam injustum, et factione potius quam jure factum, sine ulla ulteriore causae cognitione postulet, ut et multo maximam partem praefatorum una cum legatis minimae parti, quae Tridenti manserat, cedere cogat: quo quid magis omnem auctoritatem ipsi Concilio non modo in praeteritis actis, sed etiam in futuris adimere possit, praesertim cum nullam aequitatis formam, nullam juris id iudicium habiturum esset, non video; quanto aequius fuisset, ut pauciores illi, qui Tridenti remanserunt, si quid a majore parte minus juste factum fuisse in hac translatione cognovissent, ejus Sanctitati suas, vel excusationes, vel querelas porrigerent, quas quidem ejus Sanctitas nunquam sane recusasset accipere, quemadmodum neque nunc recusat. Imo quando Caesarea majestatis mandati verba huc spectent et provocent, quemadmodum iustissimum et religiosissimum principem decet, Sanctitas sua, ejus causae cognitionem et controversiam de jure translationis

ejusdem. veteri et perpetuo more et jure Romanorum Pontificum ad se revocat. Quanta vero æquitate hoc faciat et facturus sit, paulo post explicabo. Nunc ut concludam hunc locum, gratulationis et gaudii ex iis, quæ jam diximus, vides, domine orator, quantam causam habet, et Sanctitas ejus et sacrum hoc collegium, ac omnes pii, tu ipse denique principis tui causa Ecclesiæ gratulandi ereptæ ex tanto timore, quanto asserta protestatio tanti principis tali tempore merito incutere posset. Qua in re divinæ bonitatis maximæ sunt agenda gratiæ, quod cum seditiosa consilia non deessent, quæ Cæsaream majestatem huc impellerent, tanta Dei tutela in tanta causa extitit, non modo ut non permiserit eum aliquid hujusmodi in suis scriptis complecti, quod Ecclesiæ perturbationem afferre posset, sed contra, veram et legitimam viam aperuerit ad ipsam pacem Ecclesiæ, et Concilii ipsius concordiam firmandam. Principis igitur tui causa habes, domine orator, quod gaudeas, tu vero quantum, vel ad gaudendum vel dolendum tibi sit, tuo judicio perpendendum relinquatur.

« Atque hæc quidem, quæ hactenus dicta sunt, cum ejusmodi sint, quæ fundamentum tuorum dictorum et actorum in superiori consistorio tollant, iisdem sane sua Sanctitas omnem suam responsionem concludere posset, nec quidquam præterea ad protestationem tuam, quæ nulla est, nullam vim habet, nullo jure consistit, respondere. Verum quia fieri posset, ut si quæ abs te sunt dicta silentio præterirentur, suspensionem ea res alicujus veri objecti criminis (tu vero plura objecisti) ignaris rerum afferre posset, idque cum detrimento salutis animarum eorum qui illis fidem essent habituri; ideo Sanctitas ejus, omnium saluti consulere volens, et falsos rumores sparsos, quantum fieri potest, ex omnium animis depellere, paterne etiam jussit, ut ad objecta tua in asserta illa tua protestatione responderem ea, quæ a me nunc es auditurus, si primum quo spectet tota hæc protestatio, quem finem sibi proponat edixero. Scopum vero cum esse video, ut negligentem in rebus Ecclesiæ suam Sanctitatem, tergiversantem ac moram afferentem, ne Concilia rite celebrarentur, ostendat; contra vero vigilantem et diligentem ipsam Cæsaream majestatem. Cum igitur hunc scopum tua protestatio sibi proposuerit, argumenta omnia quibus viam ad hanc conclusionem firmandam tibi munire contendis, ejus quidem generis sunt, quæ maxime videntur Cæsareæ majestatis pietatem et studium erga Ecclesiam declarare, præcipue vero in procuratione celebrationis Generalis Concilii, quod præcipuum remedium rebus Ecclesiæ afflictis et perturbatis semper est judicatum. Quæ omnia si abs te hoc animo prolata fuissent, ut Cæsaris tantam pietatem testatorem redderes, ne opus quidem esset

hic alia responsione, præter gratulationem apud ipsam Ecclesiam, et gratiarum actionem apud divinam bonitatem, quæ tali animo præditum imperatorem Ecclesiæ dederit. Nec vero Sanctitas sua Cæsaris virtutes obscurari cupit, ut suæ illustrentur, quod esset invidi, nec minores videri eas desiderare potest, pro quibus augendis preces una cum Ecclesia continue fudit, sed quoniam tu in hac tua asserta protestatione, quo magis virtutes Cæsaris illustras, hoc magis obscuras pia Sanctitatis ejus studia et ejusdem negligentiam in rebus Ecclesiæ testatorem reddere existimasti, ideo huic parti, quæ prima pars est protestationis tuæ, in qua Cæsaris studium extollis in procurandis rebus Ecclesiæ, maxime autem frequenti postulatione generalis Concilii primum apud felicis recordationis Pontificem Leonem et Clementem, tandem autem apud Sanctitatem suam, sic respondeo. Sua Sanctitas, si Cæsaris hic animus fuit, si hoc ejus desiderium, ut Concilium generale celebraretur, commune quidem hoc desiderium fuisse Sanctitati suæ cum illius majestate. Sic vero commune, ut Sanctitatis ejus voluntas hac in re quemadmodum est illi ætate, sic tempore fuit antiquior, quam eandem fuisse ante Pontificatum adeptum sic declaravit, ut nullus ex hoc sacro collegio frequentius ea de re cum iisdem Pontificibus egerit, idque testimonio ipsius sacri Collegii, præsertim eorum, qui tum in cardinalium numerum adscripti fuere, nec ratio inanem hanc ejus voluntatem fuisse, sed sinceram atque stabilem. Factus Pontifex statim declaravit cum nulla de re prius apud principes, quam de celebratione Concilii egerit. Simul et autem ei vel minima occasio ejus celebrandi est oblata, id indicit, primum quidem Mantuæ, ut tu, domine orator, recte commemoras, deinde Vicentiæ: quibus in locis si res ex voluntate Sanctitatis suæ non successit, quod Mantuæ fere nulli, Vicentiæ pauci prælati convenerant, tamen non defuit cura et studium suæ Sanctitatis, quæ Vicentiæ suos legatos sex mensium spatio expectare episcopos fecit, quos per litteras suas ad omnes provincias directas ad Concilium invitavit, et simul nuntios ad principes dimiserat, ut bona eorum pace liceret episcopis ex quavis provincia, quo convocati erant, venire. Quod si nec Mantuæ nec Vicentiæ ulla frequentia episcoporum fuerit, non ob eam quidem causam accidit, quam tu, domine orator, affers, cum dicis illas civitates minime aptas fuisse, quo diversarum provinciarum homines convenirent, qui solam Tridentinam nunc aptam esse contendis, præsertim cum hoc constet etiam, ut satis opportuna sit Tridentina civitas, tamen commo-ditate loci et abundantia omnium rerum, quæ celebrationi Concilii sunt necessarie, has urbes Tridentinam longe superare. Sed aliæ causæ fuere: maxime vero ipsa bella inter principes

Christianos, quæ hoc sanctissimum studium celebrandi Concilii plusquam ulla causa, et pæne sola impedit. Hic vero nunc nagis eminere Sanctitatis ejus celebrandi Concilii studium, Cæsaris studio est necesse, quod Cæsar sive invitus id fecerit, sive quæcumque causa adductus et tractus ad bella quæ gessit, maxima impedimenta interposuisse celebrationi Concilii nemo negare potest, quæ hanc tamen majorem occasionem ejus Sanctitatis declarandæ suæ voluntatis dedere, quod assiduus suavor pacis semper fuerit, bellum ipse nunquam gesserit, quod vel minimum impedimentum Concilii celebrationi dare potuerit: nulli parti plusquam alteri adhæserit, nulli principi se socium belli adjuverit, præterquam ipsi Cæsari eo in bello quod videbatur maxime viam munire Concilio celebrando, atque tu ipse, Domine orator, recte dixisti, ut qui ratione suaderi sibi non permitterent, ut sanis consiliis non obedirent, vi cogèrentur. Verum ne singula recenseantur, quod esset nimis longum, et ut omnis actionum comparatio tollatur, quam Sanctitas sua fieri non vult, præsertim hac in re, in qua de pietatis laude fit contentio, quæ, qualiscumque sit, tota tribuenda Deo est. Sed ut concludatur hic locus de studio suæ Sanctitatis, de laboribus, de impensis pro celebratione Concilii, in cujus commemoratione tu, domine orator, Sanctitatem suam compulsisti, sic brevi a me expediatur tota hæc oratio, si tu, domine orator, apud animum tuum paulum recensere volueris singulorum annorum Pontificatus Sanctitatis suæ, quæ publice omnibus sunt nota. Quod si feceris, ejuspiam voluntatem statim clarissime in nuntiis et legatis agnosces, quos singulis fere annis cum iis mandatis præcipuis ad diversas provincias misit, ut quoties ab armis cessatum esset, et intervalla bellorum spem aliquam alicujus opportunitatis celebrandi Concilii darent, de hoc cum iis principibus agerent, quorum auctoritate et opera Concilia indigere solent, cum bella flagrant de pace, cujus tamen finis et quasi fructus esset ipsa Concilii celebratio: qua in re ita tuit ardens animo ejus Sanctitas, ut nec annorum longitudine, nec incommodis deterreri potuerit, licet annis admodum gravis, quominus ejusmodi legationem, idque non semel apud principes discordes, perse obire vellet pro ipsa Ecclesia, ut ei simul cum pace Concilium Generale rediret. Hos certe annos si paululum tecum consideraveris, videbis universum ejus Pontificatum in his duobus sanctissimis negotiis esse consumptum; neque vero tu quidquam horum negas, quia nihil accusas antequam ventum sit ad Tridentinum Concilium. Neque etiam quidquam hic objicis antequam venias ad translationem, ac ne in ea quidem aliquid accusas, fateris enim, inscia Sanctitate sua, id factum fuisse, et ob eam causam legatos accusas, quod

inconsulta Sanctitate sua id fuerint ausi, in hoc tantum factum Sanctitatis suæ improbas, quod quibusdam litteris, in quibus prælatorum, qui e Tridento Bononiam una cum legatis Concilii se contulerant mentionem faciens, Concilii Bononiensis nomine illorum congregationem appellat, in grave (ut tu dicis) præjudicium illorum prælatorum, qui Tridenti remanserunt; si vero hoc præjudicium Concilii appellationem attulisse illis affirmas, annon idem præjudicium est, quod Cæsar ipsis in litteris eis attulit, quod tu ipse, domine orator, quod reverendissimus Tridentinus cum verba litterarum Cæsaris sequentes postularetis, ut sua Sanctitas Concilium Tridentum convocaret, reverti faceret, reduceret, quod fieri quidem non posset, si nusquam nisi Tridenti Concilium esset. Quare cum de Congregatione Bononiensi constat imperatorem intellexisse Concilium eam congregationem, illud quoque appellasse non est dubium? Cur ergo hic non idem est præjudicium? an quod summi Pontificis verbum qui legitimus est iudex, vim sententiæ habere videatur: In hoc enim Sanctitatem ejus accusas quod præproprio judicio antevertens iudicis sententiam, causam eorum, qui Tridenti remanserunt damnavit, Congregationem Bononiensem Concilium appellans. Ausculta ergo et intellige, domine orator, qui recte hac in causa suam Sanctitatem iudicem agnosces, ne latum quidem unguem eum ab officio iudicis discessisse, nullumque præjudicium alteri parti attulisse, etiamsi Concilium conventum Bononiensem appellat, quia donec causa cognoscatur, liberum est iudici communi vocabulo quo omnes utuntur, uti; omnes vero ita vulgo et loquuntur et scribunt, Concilium esse translatum e Tridento Bononiam, et illic nunc esse; imo Sanctitas sua, donec aliter sibi per probationes contrarias constiterit, cum videat multo maximam partem episcoporum una cum legatis Sedis Apostolicæ Bononiam causa transferendi Concilii se contulisse, aliter, si justis iudicis partes sequi velit, dicere aut appellare non potest, nec enim minor pars in re dubia, quod tu in tua protestatione asseris, sed major, sanior haberi debet. Non igitur alia appellatione majoris partis episcoporum se ex Tridento Bononiam transferentis uti potuit, præsertim cum sciat Concilio potestatem datam esse seipsum transferendi. Au vero legitimis modis translatum fuerit, quoniam in eo est controversia, hoc iudicium sua Sanctitas, prout ad se delatum est, sibi reservat, Concilii tamen appellationem non aufert, donec (ut dixi) alterius partis probationibus error et injustitia modi transferendi ostendatur. Adjungis vero nescio quid in illa tua querela injusta, ut dicis, translationis Concilii, quod non tam ad prælatos illos pertinet, qui auctores ejus rei fuerunt, quam ad ejus

Sanctitatem in eadem causa, et (ut dicis) crimine involvendam, cum dicis prælatos quosdam obnoxios et addictos nomini Sanctitatis suæ hoc fecisse : quod vero tu, domine orator, an ut hos accusas quod sunt addicti, sic illos laudas qui Tridenti manserunt, quod nomini Pontificio non sunt addicti ? An vides quare periculum inde timeri poterit, nec enim schisma ex alia re nasci, quam ex his prælatis, qui nomini Pontificis Romani minus sunt addicti ? Sin vero intelligis fastidiosos quosdam, qui partes suæ Sanctitatis jure vel injuria defendere velint, tales quidem sua Sanctitas nullos cognoscit, quia partes suas proprias nullas agnovit præter eas, quæ sunt patris erga filios, et pastoris erga gregem. Nec vero accidit in Concilio ulla talis controversia, ut hujusmodi addictis opus esset, tantum denique sua Sanctitas sibi addictos episcopos esse cupit, quantum suæ conscientiæ et libertati (cujus præcipue semper in Concilio est ratio) addicti esse velint. Neque vero quidquam fuit, quod sua Sanctitas legatis suis discedentibus majori cura commendavit, quam ut viderent, ne Patribus in Concilio ullam occasionem de adempta sibi libertate dicendarum sententiarum conquerendi præberent. Sed transeamus nunc ad reliqua, quæ apertis oculis objicis Sanctitati suæ. Ad illud vero in primis, in quo insistis maxime, quod sua Sanctitas nullis nec Cæsaris nec Serenissimi regis Romanorum hortationibus, nullis aliorum principum Germaniæ vel hortationibus vel precibus sibi persuaderi patiat, ut Concilium revertatur Tridentum ; ex quo argumentaris minimæ curæ esse Sanctitati suæ res Germanorum, eorum salutem pro nihilo apud eam haberi, præsertim cum majestatis suæ studio ac cura effectum sit, ut si Concilium redeat Tridentum, ii statim Tridentinæ Synodi decreta sint suscepturi, qui jam pridem ab Ecclesiæ obedientia discesserunt. Hic quidem sua Sanctitas primum respondet, nunquam se præcise negasse reditum Concilii Tridentum, modo id debitis modis fiat, illique Provinciæ sic utiliter sineque scandalo aliarum provinciarum provideri possit, id quod sæpe a Sanctitatis suæ legatis est affirmatum ; sed ne hoc facile credat, experientia superiorum annorum satis admonetur, quæ hac ratione adducta, quod salutarem Germaniæ populis indictionem Concilii Tridenti futuram speraret, jam bis eodem loco Concilium vocavit, bis legatos misit, quod satis ostendit Sanctitati suæ, non minimæ sed maxime curæ res esse Germanorum. Sed cum legati ejus Sanctitatis in prima indictione septem menses integros expectassent adventum Germanorum et aliarum provinciarum episcopos, quam pauci venerint, quam nulli potius, quis te melius novit, domine orator, qui una cum illustrissimo domino Granvela et reverendo domino episcopo Atrebatensi tertius orator Cæsa-

reæ majestatis eo accessisti, cum legati tum eo in loco adessent reverendissimi domini cardinales Parisius, Moronus et Polus, quorum patientiæ in expectando ipse optimus testis esse potes ? Eo autem locupletius testimonium hac in re dare, quod invitati tu et collegæ tui a legatis, ut eandem imitarentini, ut saltem vel unus vestrum maneret Tridenti, quia vestrum exemplum multos invitare facile posset ut venirent, vos ipsos excusastis, quod id minime facere possetis, et cum pauculos dies illic fuissetis, dum discessistis, secutum est postea in eodem loco maturiori tempore, ut est existimatum, iudicium a sanctissimo domino nostro Concilium missis eodem legatis reverendissimis de Monte, Sanctæ-Crucis, et eodem Polo, cum tu, domine orator, una cum illustrissimo domino Francisco Toledo Cæsareæ majestatis oratore iterum venisses. Quanta vero et quam longa expectatio legatorum fuerit, cum tu eorum patientiæ particeps esses, nihil atinet apud te commemorare, sed meminisse potes, quot menses frustra pæne consumpti sint antequam principium Concilio dari potuerit. Post vero, cum jam per Dei gratiam et sollicitudinem sanctissimi domini nostri et suorum legatorum Concilium inchoaretur, etiam præclaros progressus fecisset, multa præclara cum de fide, tum de morum reformatione decreta edidisset, omniaque abunde adessent Concilio, quæ Germanos, ut venirent, invitare possent, tamen vidisti, quam pauci accesserint. Ex illis quidem, qui medicina Concilii indigerent, nulli, ex episcoporum vero numero, et si aliqui inventi sunt saltem, qui procuratores suos miserint, tamen quod atinet ad id remedium, quod ex Concilio Tridenti celebrando salutis Germanorum causa sperari potuit, nec minima quidem ex parte ea signa voluntatis in recipienda medicina salutis ostendebant, quæ quantum studio, curæ, et sollicitudini sanctissimi domini nostri in ea porrigenda responderent, imo in ipso studio diligentia accedendi ad Concilium ipsa Germanica natio, licet propinquier, passa est se vinci ab aliis nationibus, ab aliis episcopis, qui satis magno numero venerunt ex Hispaniis, Gallis, Italia et remotioribus provinciis, quibus civitas Tridentina non erat ita commoda. At alia nunc tempora sunt, aucta nunc magis est auctoritas Cæsaris, qui in se recipit Germanos, si Concilium redeat Tridentum, omnes ad obedientiam redituros. Hoc enim se effecturum Cæsar, cæterique principes status Germaniæ pollicentur. Tu vero, domine orator, tecum considera si Germani hanc voluntatem habent, cum non simpliciter se Concilio submiserunt. Quanquam hoc non propterea dictum quasi multum laboret Sanctitas sua Bononiæne an alio in loco perficiatur Concilium, modo publicæ et communis Ecclesiæ utilitatis ratio habeatur. Tu vero, do-

mine orator, ita vim loci et urbis Tridentinæ in hac causa verbis exaggeras, et ita necessariam illam civitatem affirmas, quo redeat Concilium, ut nisi in eo loco, ubi inceptum est, illic quoque Concilium finiatur, acium esse de salute populi Germaniæ asseras. Quare culpam hanc suæ Sanctitati tribuere vis, nisi ejus auctoritate rursus Concilium redeat. Considera, quæso, quæ dicis de hac auctoritate cogendi Concilii eo uno in loco, in quo videris idem facere in re Concilii, atque factum est divina Providentia sic statuente in veteri populo, cum nondum Spiritus esset datus, et uno tantumque in loco, in una tantum civitate Hierosolymitana sacrificare possent. Cur enim Concilii Universalis vim in quo Spiritus sanctus præsedat, ad unius civitatis muros cogis, in qua de Germanorum salute agatur? An non eandem servitulem in celebrandis Conciliis pro salute populi Germani introducis, quæ erat populi Judæorum in sacrificiis, qui nusquam salutare hostias præterquam Hierosolymis afferre poterant? Nunc enim, qui certum locum præscribere vellet Concilii, de conjunctumque populi salute agatur, quasi nunquam pro illis quidquam salutare decerni possit, nisi in eo certo loco, vim quidem et injuriam facit Spiritui sancto, et illi ex cuius merito, et per cuius misericordiam per orbem universum est diffusus. Vide vero si hæc ratio valeret, qua sola niti videris, cum contendis Concilium necessario Tridentum reduci oportere, hæc scilicet, quia Germani illis morbis laborant, qui per Concilium necessario sanari debent. Quid ergo si Daci, et Golhi, et Bohemi, si Angli, iisdem morbis laborant, an singulis domi suæ generale Concilium dabitur? Nec vero quando de commoditate loci agitur in celebrationibus Conciliorum eorum ratio habetur, qui recepturi sunt decreta Conciliorum, sed eorum, qui facturi sunt, qui sunt ipsi episcopi, qui præsent in Conciliis, quorum commoditati ea in re maxime consulitur, nec ita spectatur unius nationis hæc in re commoditas. Quot enim Concilia nominari possunt, ad exstirpandas unius provincie hæreses, in alia indicta et celebrata, quæ non minus erant utilia illi provincie adversus hæreses, quam si in ipsa celebrata fuissent. Denique quam iniquum hoc videtur, ut longe, vel decreto facto a Germanis de loco certo uno vobis statuendo pro Concilio, ipsi cæteris libertatem et jus eligendi loci auferre, et sibi vendicare velint. Hæc vero nunc sunt dicta, ut intelligas, cum de Concilio celebrando conveniat, nullam esse causam, cur tam pertinaciter de uno certo loco contendere debeat, ut necesse sit ad tam extrema remedia, qualia sunt hæc genera protestationum venire, quibus tu nunc apud sanctissimum dominum nostrum, apud quem minime oportuit, es usus, quorum capita in fine tuæ prolixæ orationis colligis, ad quæ

nunc respondebo, sed mutato ordine, ut ad primum caput in quo contra illos, qui Concilium Tridento Bononiam transtulerunt, protestaris, eorum factum, ut alienum a legibus et moribus Ecclesiæ et Conciliorum accuas, ultimo loco respondeam. Tametsi in his, quæ a 'me supra dicta sunt, quæ juste et legitime dici possunt a sua Sanctitate, jam intellexisti. Illud autem in primis, quod si sua Sanctitas verbo approbare visa est illam translationem Concilii, sequens majoris partis sententiam, cum nondum talis controversia exorta esset, et pro ea judicanda iudicis personam sumere esset necesse, tamen nunc in eo non persistit re jam vocata ad iudicium, sed in fine distinctius declarabitur, quid hæc in re sua Sanctitas declarare staturit. Nunc quod in secundo capite totam protestationem convertis contra suam Sanctitatem, objiciens ejus responsionem ad majestatem Cæsaream illegitimam, præsentis negotio et necessitati ineptam et inconvenientem, fuco et figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse et esse, nulloque jure, nulla ratione subsistere. Illic enim tua verba repelo, quæ utinam, aut modestiora fuissent, aut saltem ejusmodi, ut non in genere tantum dicta, sed aliquibus probationibus nix distinctius ostendisses, qua in re, quo in capite, nam plura contineret responsio suæ Sanctitatis, illa peccaret. Sic enim distinctius posset tibi responderi, nunc autem cum in genere dicas, vel in genere erit respondendum, rem contra se habere atque tu affirmas esse, sed legitimam et pro tempore et causa opportunam, ac ab omni fuco alienam Sanctitatis ejus responsionem, vel si quid distinctius responderi debeat, suspicari oportebit, quibus rebus maxime offendaris, si vero his, quæ præcipua capita sunt, quæ postulant ut rata et firma ea decreta habeantur, quæ jam tractata sunt, quæ petunt ea quæ ad securitatem loci præstandam pertinent, quæ ad libertatem eorum, qui venturi sunt ad Concilium, ut tutus sit eorum ius et reditus, quæ petunt, ut is ordo retineatur in Concilio, qui jam inde ab Apostolorum temporibus per sanctam Romanam et universalem Ecclesiam fuerit observatus, quæ postulant rei frumentariæ et commæus rationes explicari antequam Tridentum redeatur. Hæc omnia consuetæ sunt postulari in omnibus Conciliis, ac non tam legibus Pontificum, quam ipsorum Cæsarum firmata. Quare quid ex his te magis offendant, injustitiæ spem præ se ferat, cum tu nihil explices, difficile est divinare; utcumque sil. ex his satis ad hoc caput responsum erit. Restant duo alia, in quorum priori protestaris omnia damna, humiliter et pericula quæ in rempublicam Christianam sint eventura Sanctitati suæ majestatem Cæsaream attributuram: in altero majestatem suam non defuturam Ecclesiæ, sed in omnibus in quibus negligens invenietur sua Sanctitas, in

iisdem eandem majestatem Cæsaream protectionem Ecclesiæ suscepturam. Ad quæ duo capita Sanctitas sua sic simul repondet, se quatenus humanam fragilitatem per divinam gratiam vincere possit, non commissuram, ut jure negligens in rebus Ecclesiæ haberi possit; sin ita contigerit, (septies enim in die cadit justus) se eo minus dolere posse, si ejus negligentia Cæsaris vigilantiam acere possit, ut necessitatibus Ecclesiæ subveniat, modo ita ejus curam suscipiat, quemadmodum tu majestati suæ in hac asserta protestatione præscribis, cum dicis quatenus jus patitur, et legibus, sanctissimorumque Patrum institutis, et orbis consensu, hoc decretum et observatum fuerit, quem morem et modum si Cæsar sibi observandum animo proposuerit, tum Sanctitatem suam in optimam spem venire facile per Dei gratiam omnia ea mala, quæ hæc protestatio nominat, depelli posse, nihil autem in posterum opus fore protestationibus, nec enim unquam talem suam negligentiam futuram sperat, quin si Cæsar hanc diligentiam præstet, quam hæc protestatio pollicetur, uterque suo officio fungens Ecclesiæ utilitatibus ad Dei honorem, cujus in diverso munere ambo sunt ministri, cumque pace et tranquillitate populi Christiani servire possit. Reliquum nunc solum est, ut ad illud caput tuæ protestationis respondeatur, quod tu solum, domine orator, si attulisses, exactius formam tui mandati secutus fuisses, nec tantam materiam sermonis cum multo scandalo dedisses, quantum vel falsum rumore protestationis hujus multorum animis attulisse est verisimile. Quoniam tu procuratorio nomine suæ majestatis protestationem contra legatos et alios prælatos Bononiæ sub nomine Concilii congregatos et congregandos, coram sua Sanctitate et his venerabilibus fratribus suis interposuisti, ad quod tantum faciendum et proponendum majestas sua te procuratorem et mandatarium constituit et deputavit, Sanctitas sua, habita super his cum eisdem venerabilibus fratribus suis S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de ipsorum consilio et unanimi assensu protestationem hujusmodi admittit, si et in quantum de jure admittenda veniat, et non alias, aliter, nec alio modo, non intendens præterea per hujusmodi admissionem Concilio, aut legatis et prælati præfatis, seu aliis quibuscumque, quorum interest aut interesse potest vel poterit, quomodolibet in futurum in aliquo præjudicari, nec eis jacturam aut ullum præjudicium fieri, sed eorum jus, si quod illis, jure, privilegio vel consuetudine, qualitercumque competat, salvum, integrum et illæsum præservari, neque ex hoc suæ majestati, aut quibuscumque personis, regnis et dominiis suis protestationi hujusmodi adherentibus seu adherere volentibus, actionem, vel exceptionem, seu jus aliquod de novo ac-

quiri. Et nihilominus cum in dicta protestatione translationem Concilii ex Tridento ad Bononiæ civitatem factam, nullam et invalidam et injustam, nullisque momenti et effectus fuisse, coram Beatitudine sua et eisdem venerabilibus fratribus suis proponatur, et quamplures quidem causæ et rationes ad id allegentur et deducantur, quæ probationem eausque cognitionem requirunt, volens Sanctitas sua, prout ad suum incumbit officium, questionem coram ea propositam hujusmodi cognoscere, illamque ad universalis Ecclesiæ unitatem, pacem et tranquillitatem in conjunctione membrorum ad unum caput Christum videlicet conservandam, ac divisionem ovilis suæ Sanctitati ex alto commissi, et in illo schisma, per quod ipsa Ecclesia scindi et scandalizari, grexque Dominicus sibi creditus turbari possit, prohibendum, necnon scandalis et damnis, quæ exinde evenire possent, occurrendum, concordia, vel jure, seu alias fine debito, quam celerrime poterit, decidere et determinare.

« Igitur de eodem consilio et assensu, tam ex officio, quam per viam querelæ, et ad instantiam omnium et singulorum quorum interest, et alias omni-meliore modo et forma, via, jure et causa quibus melius et efficacius potest, etiam de Apostolicæ Sanctitatis suæ in persona S. Petri concessæ potestatis plenitudine causam et causas nullitalis, et invaliditalis, ac injustitiæ translationis hujusmodi, ac processuum omnium desuper habitorum, et inde secutorum quorumcumque ad se assumit, ac illam, et illas, cum dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii, solaque facti veritate inspecta audiendas, et in sacro consistorio referendas reverendissimis dominis Parisiensi et Burgensi, ac Crescentio et Polo S. R. E. cardinalibus committit; et mandatum potestate citandi et inhibendi, etiam per publicum edictum, constituto summarie et extrajudicialiter de non tuto accessu, ac omnia et singula alia, quæ in præmissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi. Inhibens præterea in virtute sancte obedientiæ, ac sub excommunicationis, anathematis, et maledictionis æternæ, ac dignitatum, et beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumcumque feudorum, indultorum, privilegiorum, concessionum, facultatum, privationum pœnis ipso facto incurrendis, ipsis legatis ac prælati utrobique existentibus, necnon quibuscumque personis, quacumque Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, ne interim pendente cognitione hujusmodi, aliquid in ejus præjudicium attentare aut innovare audeat vel presumat, decernens ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandans insuper sub

eisdem pœnis tam legatis quam prælatis Tridenti existentibus, ut aliquos ex eis vita, moribus et scientia commendabiles, et ad hoc instructos et peritos, qui postpositis odiis, conciliatis animis, et Spiritu sancto, non autem passionibus repleti dicant quod sentiant, et sentiant quod loquentur, ad nos quanto citius mittere procurent, monens ipsos omnes ac quoscumque alios sua interesse putantes, ut infra mensem a die intimationis præsentium faciendæ computandum, per se, seu aliquos, ut præferret, ex eis comparcant præterea coram Sanctitate sua vel ipsis iudicibus ad allegandum, deducendum et probandum, quidquid allegare, deducere et probare voluerint in præmissis. Verumtamen pendente hoc translationis iudicio, ne ulla ex parte sua Sanctitas salutis provinciæ Germaniæ deesse videatur, quemadmodum pium parentem decet, legatos aut nuntios eo mittere offert, si id præsentis temporis expediens, et ipsi serenissimo Cesari et ipsis Germanis gratum cognoverit, qui eorum populorum infirmitati præsentis aliqua curatione medeantur. Finito vero iudicio, si quacumque causa, nulla aut injusta translatio reperiat, Concilium Tridenti prosequendum omni sua auctoritate et studio curabit. In omnem vero eventum sua Sanctitas charitate, qua complectitur inclytam Germanorum nationem, nullum officii genus prætermittet, quod in eius Sanctitatis potestate sit, quominus nobilissimam provinciam ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem revocet, et in ea pristinum Christianæ religionis splendorem restituat, quemadmodum a Deo Optimo Maximo votis omnibus precatur atque exoptat.

30. « Illustrissime Domine orator, tædet sanctitatem suam his tuis continuis protestationibus contendere, nec ipsam agre ferre credat Cæsareæ majestatis ac sacri imperii jus, cui tantum præjudicari times, si quid compelat per te illæsum præservari, cum illud ledere sua Sanctitas nunquam intendit. Sint tamen pariter Sanctitatis suæ ac sanctæ Apostolicæ Sedis et hujus sacri senatus jura semper salva et præservata, nec per has tuas quantumcumque per te nuper et hæc præsentis die gesta et dicta in aliquo læsa. Satis est ad protestationem per te in præterito consistorio factam congrue esse responsum, illudque tibimet, ut illi qui eam proposuisti, ac temet præsentem et intelligente, nec non coram eisdem notariis et testibus datum, quod quidem nec tua probatione indigere, nec ei tua negatione, aut inficiatione, seu improbatione aliquid juris detrahi posse, constat. Eritis igitur iidem vos et alii, si qui præsentibus sitis, notarii de omnibus et singulis rogati et requisiti, ut adhibitis iisdemmet testibus, et cæteris hinc præsentibus, qui pariter ad id rogantur et requiruntur, unum vel plura Instrumentum seu Instrumenta, prout necessarium

fuerit, desuper conficiatis et in notam redigatis.

« Die prima Februarii MDCXLVIII, in consistorio secreto jussu sanctissimi domini nostri legi suprascriptam responsonem ipso domino Didaco oratore Cæsareo præsentem, et audiente, ac intelligente, præsentibus ibidem etc. ».

31. *Ob litem motam a Cæsare suspenditur Concilium.* — De his mox certiores facti sunt legati Bononiensis Concilii, ut Pontifex causam translationis Concilii cognoscendam suscepisset, atque Concilium intermittere jussisset, donec lata esset decretoria sententia, de quo hæc memorat Angelus Massarellus¹ :

« III Februarii reverendissimus cardinalis Farnesius significat, qualiter sanctissimus D. noster die Mercurii, qui primo hujus mensis in Consistorio dederat responsum ad protestationes factas coram sua Sanctitate ab oratore Cæsareo, cujus responsonis summa est, quod Sanctitas sua cum videat controversiam de validitate translationis Concilii ex Tridento, ipsa advocat ad se hoc iudicium cognoscendi de validitate, constituitque iudices quatuor cardinales videlicet Parisium, Burgensem, Crescentium et Polum, qui audiant quoscumque contra dictam translationem opponere volentes, quibus datur terminus unius mensis a die intimationis, nos vero interim præcipit supersedere ab omni actu Concilii quocumque in loco sub gravissimis pœnis ipso facto incurrendis. Ipsum Concilium quoad prosecutionem suspendit, donec hujusmodi iudicium pendeat, mandans legatis qui hic sunt, et prælatis qui Tridenti remanserunt, ut mittant ad suam Sanctitatem aliquos viros bene instructos et morigeratos, qui utriusque rationes afferant, et partes suas tueantur, offerens sua Sanctitas hoc interim mittere in Germaniam unum vel duos legatos, ut aliquod remedium illi nationi tribuant medio tempore, dum iudicium pendet ».

32. Interjectis nonnullis diebus, ipse Pontifex scriptis ad legatos litteris retardari progressum Concilii ob litem motam a Cæsare jussit pendente iudicio, significavitque monitos eos, qui vellet contendere iudicio, ut argumenta causæ suæ depromerent, atque adeo nomine Concilii Bononiensis non pauciores tribus de re apprimè instructos præstules mitti imperavit².

« Venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino et dilecto filio Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero, S. R. E. cardinalibus nostris et Apostolicæ Sedis de latere legatis.

« Venerabilis frater, et dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quam semper fuit flagrans et ardens desiderium nostrum, ut Oecumenicum Concilium pro remedio hæresum, et reformatione morum, ac cæteris Chri-

¹ *Diar. Conc. Trid.* p. 273. Ms. Vat. — ² Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 123. p. 796.

stantiatis necessitatibus per nos non solum indiceretur, sed indictum aperiretur, continuaretur, finque debito concluderetur, notum Deo est, non ignotum hominibus, vobis vero notissimum, qui in ipso Concilio legati nostri, eique nostro nomine praesidentes, id nostrum desiderium cura, diligentia et pietate vestra, illorumque venerabilium Patrum vobiscum in eo commorantium, hactenus indeficienter executi estis, ita ut rem ad propinquum paene finem Domino auctore perduxeritis : sed accidit, ut dum nos nostri officii, universalisque beneficii, et vestri pii laboris fructum atque exitum jamjam affore sperarem, hic nosler vesterque in sancto pietatis studio cursus, sicut alias ex bellis et discordiis Christianorum principum, ita nunc ex causa, quam vobis putamus non ignotam, aliquantisper necessario retardandus fuerit. Cogimur enim querelas coram nobis propositas audire, ne justitiae administrationem super illis denegare velle videamur, quod sane neque nostrae neque hujus Sanctae Sedis consuetudinis unquam fuit. Proinde etsi voluissemus ea, quae restabant, per nos agenda in ipso Concilio quanto citius expediri, ne celebratio neque expeditio ejus tamdiu contra nostram voluntatem dilata diutius differretur, boni tamen consulendum et aequanimiter ferendum nobis est, si ad modicum tempus a prosecutione rerum in ipso Concilio tractandarum supersedeatur, et interim praecognita ipsius rei veritate ad ipsam prosecutionem Concilii postea recurratur tanto ardentius, quanto id ipsum ad nostrum utcumque officium, atque ad bonum publicum, cui omnes studere debemus, pertinebit.

« Nuper siquidem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti, per dilectum filium Jacobum seu Didacum de Mendoza apud nos oratorem procuratoremque ad id specialiter constitutum, coram nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto, fuit contra vos et praelatos vobiscum Bononiae congregatos exhibita ac proposita querela, per quam idem Jacobus procurator nomine ejusdem Caesaris conquerebatur et protestabatur, translationem Concilii ex Tridento ad istam Bononiae civitatem alias factam fuisse et esse nullam, et illegitimam, affectatamque ac indebite procuratam, sicut et apud vos alii dictae majestatis agentes in diem (sicut scitis) conquesti et protestati fuerunt. Nos autem etsi decretum ipsius translationis a tot Catholicis et religiosis episcopis, vobis etiam, qui ipsi Concilio tunc etiam praesidebatis, assentientibus, factum rite et rationabiliter promulgatum, ac canonicum, et legitimum, necnon majorem partem praelatorum, quibus id placuit, saniozem, et ab omni dolo, fraude et culpa remotam esse : idemque Oecumenicum Conci-

lium, quod Tridenti erat, nunc Bononiae congregatum existere, jure credere et praesumere debeamus, re tamen in controversiam deducta, et ad nostrum judicium delata, nisi (quod absit) justis judicis partes postponere voluissemus, non poteramus, si quae contra praesumptionem hujusmodi probanda deducerebantur, desuper veritatem nolle diligentius persequari.

33. « Habita itaque propterea cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, de ipsorum consilio et assensu causam et causam nullitatis, et invaliditatis, ac injustitiae translationis hujusmodi assumpsimus, illamque et illas nonnullis ex dictis cardinalibus probis et peritis viris certis modo et forma audiendis et cognoscendis, ac in ipso consistorio nobis et reliquis cardinalibus referendas commisimus, omnesque et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, monuimus, ut si qui contra translationem hujusmodi aliquid opponere, deducere et probare vellent, comparent coram nobis, et propterea tam praelatis, qui Tridenti remanserunt, quam vobis et praelatis istis, qui Bononiae vobiscum resident, sub certis tunc expressis paenis inhibuimus, ne cognitione hujusmodi pendente aliquid in illius praedictum innovare, aut attentare praesumatis vel praesumant, prout in cedula per nostrum secretarium de mandato nostro in eodem Consistorio lecta et recitata, (cujus authenticum ad vos transmitti mandavimus) plenius continetur.

« Cupientes igitur questionem hujusmodi concordia (si poterimus), aliter jure, per celerem tamen sententiam, sicut rei qualitas exigit, terminare, ne longa hujus cognitionis dilatio non solum in tempore, sed in re peccatum includat, vobis per praesentes injungimus, quatenus integrum hujus translationis habitum processum in authentica forma per aliquem nuntium aut fidelem cursorem ad nos transmitti curetis, ac eosdem istos praelatos nostra ex parte moneatis et requiratis, prout nos per easdem praesentes monemus et requirimus, ut aliqui ex eis non pauciores tribus de hoc translationis negotio instructi et informati, qui tameorum proprio quam vestro et caeterorum istorum praelatorum nomine, defensionis causae et causarum hujusmodi assistant, quanto citius ad nos venire nostroque conspectui se praesentare procurent. Non obstantibus Apostolicis, ac Synodalibus, et Conciliaribus ordinationibus et constitutionibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVI Februarii MDCXLVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

34. *Pontifex mandat tum patribus qui Tridenti remanserant, tum iis qui Bononiae, ut mittant delegatos Romam ad subsellium Apostolicum.* — Proximo die Pontifex Petro Paecccho cardinali ac caeteris praesulibus, qui Tridenti haeserant,

scripsit Epistolam ¹, ejus caput et compendium hoc erat. Vel justa, vel injusta fuit Concilii translatio: si justa, cur tamdiu Tridenti immorentur, cum publico lotoſius Eccleſie offendiculo, ac discrimine ſchismalis? Si injustam æſtiment, cur non ad Sedem Apoſtolicam provocaverint? tam diu etc. horum enim alterum ex officii religione fieri ab iis debuiffe, quo facto præſens offendiculum ſubmoviſſent. Tum eos coarguit quod prius eorum querelas Cæſar Sedi Apoſtolicæ deluſiſſet, quam eas ipſi vel litteris, vel internuntiorum opera denuntiaviſſent, ſubditque jam Cæſareum oratorem eorum munus impleviſſe, atque conqueſtum contra fas ac leges, Concilium Tridento Bononiam tranſlatum eſſe, qua nata controverſia (addit Pontifex) ſe, licet a majori Concilii parte, et a legalis Apoſtolicis Concilium jure tranſlatum ſentire debeat, tamen pro ſingulari ſuo in nationem Hiſpanam ſtudio, judicis partes ſuſcepſiſſe, denuntiaviſſeque, ut ſi qui adverſus memoratam tranſlationem apud ſubſellia Apoſtolica diſceptare velent, ſiſterent ſe judicio: tum vetuit vel a Tridentinis vel a Bononiſibus præſulibus quippiam lite pendente pertentari, monuitque Tridenti congregatos, ut tres ad minimum præſules ex ſuis idoneis mandatis inſtructos ad rem judicio experiendam tranſmitterent. Ut autem lectori res explorator fiat, placuit hic integram Pontificis Epistolam ² afferre:

« Dilecto filio noſtro Petro S. R. E. præſbytero cardinali Giennenſi nuncupato, ac venerabilibus fratribus archiepiſcopis et epiſcopis ad præſens Tridenti commorantibus.

« Dilecte fili noſter, et venerabiles fratres, ſalutem etc. Cum ſemper hoc apud nos ſtauiſſemus, quoties nobiſcum Eccleſiæ ſtatum tot et tantiſ malis jam pridem vexate conſideraremus, nulla remedia illis tollendis aequè profutura eſſe, atque illa, quæ ex Concilii Œcumenici celebratione afferri poſſent: hunc autem animum noſtrum nondum vocati ad curam uniſverſi gregis Chriſti apud felicis memoriæ Pontifices prædeceſſores noſtros, qui hoc munus Deo imponente ſuſtinebant, ſæpe eſſemus teſtati: tum vero in hac ſententia multo magis confirmabamur, cum in nos licet indignos, divina providentia ſic ſtatueret, eadem cura eſſet tranſlata, auctis jam progressu temporis malis, et ita per orbem Chriſtianum ſparſis, ut quidquid præter hoc unum remediū tentaretur, fruſtra adhiberi videretur; itaque inito Pontificatu ſtatim Concilium Œcumenicum indiendum curaviſmus, ſed non eo ſtatim ſucceſſu, quem optabamur, propter varia impedimenta, quæ ex bellis partim domeſticis principum Chriſtiano- rum inter ſe, partim vero externis contra com-

munem hoſtem fidei oriebantur, quæ epiſcopis opportunitatem veniendi ad Concilium, licet a nobis variis in locis pro eorum commoditate indictum, ſuſtulerunt. Tandem vero cum divina bonitate factum eſſet, ut ceſſante communi hoſte ab infeſtatione reipublicæ Chriſtianæ, et reconciliatis Chriſtianorum principum animis, ac noſtram ſententiam probantibus, Concilium Tridenti per nos indictum convenientibus eo diverſarum provinciarum epiſcopis celebrari cæptum eſſet, nullum quidem nuntium lætiorum audire potuimus, tum enim principum jactum eſſe nobis perſuadebamus paciſ et tranquillitatis Eccleſiæ, ſublatis malorum radicibus, reſtituendæ. Auxit vero hanc noſtram lætitiæ ejuſdem progressus, quem partim purgandis erroribus et reſecandis falſis dogmatibus, partim in reſtituenda collapſa morum diſciplina in ſuis decretis diverſis ſeſſionibus promulgatis oſtendebat, quæ tandem ita creviſſe accepimus, ut quæ pro remediis malorum Eccleſiæ a Concilio expectari poſſent, omnia fere complecti viderentur. Ut vero hæc nobis grata fuere, quo maturius hac ratione provideri poſſe Eccleſiæ malis ſperabamus, ſic omnia, quæ moram aliquam huic rei afferrent moleſta exiſtunt, quare cum primum nobis de diſceſſu legatorum noſtrorum, et maxima partis epiſcoporum e Tridento tranſlationis Concilii cauſa vobis eodem in loco manentibus allatum eſſet, non potuimus id ſine magna animi moleſtia audire, quo magis nobis ante oculos verſabatur, quantum inde moræ in proſequentibus rebus Concilii, quantum ſcandalorum in Eccleſia facile oriri poſſet; quæ cum vobis non minus quam nobis nota eſſent, ſatis mirari non poſſumus, quid acciderit, cur, ſi juſta et rite facta illa tranſlatio vobis videbatur, comites vos legalis noſtris et cæteris epiſcopis ad locum pro proſequenti Concilio deſtinatum non dedidiſtis, vel ſi injuſta aut nulla, cur veſtras querelas hæc de re nobis non detulidiſtis, nec enim alterum iſtorum ad veſtrum officium pertinere ignorare potuiſtiſtis, quorum utrumviſ ſi a vobis factum fuiſſet, idem omnem ſcandali ſpeciem, quæ in multorum animis ob hanc rem oriri potuit, facillime ſuſtuliffet, quare in utroque vos de fuiſſe conſtat; prius autem nos a chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum imperatore de veſtris querelis eſſe admonitos, quam per aliquem veſtrum, ſaltem per veſtras litteras vel nuntios, non poſſumus ſine aliquo animi dolore ad vos ſcribere: quod ſi hoc officium ab aliis expectabamus, ab te certe, fili noſter Petre, id prætermiſſum fuiſſe, eo majorem conquerendi cauſam habemus, quo majori vinculo propter cardinalatus munus, quo fungeris, ad ejuſmodi officia aſtrictus eſſes, nos quidem cum aliquandiu taciti expectaremus, ut alterum iſtorum a vobis fieret, jam autem veſtrum hoc

¹ Apud Goldaſt. loc. II. p. 264. — ² Pan. III. lib. I. c. xv. an. 1548. p. 58.

officium Cæsarea majestas avertit, quæ per oratorem suum et per litteras de nulla et illegilima translatione Concilii nobiscum est conquesta, idem prorsus, quod ante de ea re vobis conquerentibus nunquam fuisset recusaturi, hoc nunc prompti offerimus, ut vestras querelas hac in re libenter et prompte audiamus, atque totam hujusmodi causam cognoscamus. Licet autem decretum ipsius translationis, quod a majori parte Concilii assentientibus nostris et Sedis Apostolicæ legatis est factum, rite et legitime esse factum, ac idem Concilium Œcumenicum, quod Tridenti erat, nunc Bononiæ congregatum existere jure credere et præsumere debeamus; tamen re in controversiam adducta, et ad nostrum judicium delata, ut justis iudicis partes in omnibus sequeremur, si quid vos contra hujusmodi præsumptionem dicere velitis, vos audire, atque probationes vestras intelligere, atque omnia quæ a iudice requiruntur, implere prompti sumus, qua in re etiam inclytæ nationis vestræ Hispanicæ, ejusdem autem devotissimæ Sedis Apostolicæ, et personarum vestrarum dignitatis rationem habuimus, quas cum ex relatione fide dignorum doctrina et moribus in primis ornatas, ac pietatis atque omnis disciplinæ Ecclesiasticæ maxime retinentes cognovissemus, committere nolimus, ut aliqua præsumptio quantumvis magna contra vos prævaleret aut impediret, quominus a nobis æquis animis semper auscultaremini.

35. « Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de ipsorum consilio et assensu, causam et causas nullitatis et invaliditatis ac injustitiæ translationis hujusmodi assumpsimus, illamque et illas nonnullis ex dictis cardinalibus probis et peritis, certo modo et forma audiendas et cognoscendas, ac in ipso Consistorio nobis et reliquis cardinalibus referendas commisimus, omnesque et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes monuimus, ut si qui contra translationem hujusmodi aliquid opponere, deducere et probare vellent, comparerent propterea coram nobis et eisdem cardinalibus per nos, ut præferatur, deputatis, necnon tam prælatis, qui Bononiæ, quam vobis qui Tridenti residetis, sub certis tunc expressis pœnis inhibuimus, ne cognitione hujusmodi pendente, aliquid in illius præjudicium innovare aut attentare præsumatis aut præsumant: prout in cedula per secretarium nostrum de mandato nostro in eodem Consistorio lecta et recitata, cujus exemplum authenticum ad vos transmitti mandavimus, plenius continetur. Cupientes igitur questionem hujusmodi concordia si poterimus, aliter jure, per celerem tamen sententiam (sicut rei qualitas exigit) terminare, ne longa hujus cognitionis dilatio non solum in tempore, sed in

re peccatum includat, vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub censuris et pœnis in eadem cedula contentis per præsentem mandamus, vosque monemus et requirimus, ut si translationem hujusmodi invalidam, aut minus legitimam fuisse prætendatis, aliqui ex vobis non pauciores tribus de hoc translationis negotio instructi et informati, qui tam eorum proprio quam vestrorum omnium nomine causæ et causis hujusmodi assistant, ac quidquid contra translationem primam dicere, allegare vel proponere volueritis, deducere et probare possint et debeant, quanto citius ad nos venire, nosroque conspectui se præsentare procurent, non obstantibus Apostolicis ac Synodalibus et Conciliaribus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem per præsentem tibi, fili charissime cardinalis, et duobus, vel tribus ex vobis intimatæ, ac in valvis cathedralis Ecclesiæ Tridentinæ affixa illarum copia ibidem dimissis, perinde vos arcent, ac si vobis omnibus et singulis intimatæ fuissent. Datum Romæ xvii Februarii MDXLVIII, anno XIV ».

36. Acceptis Pontificiis imperiis Concilii Bononiensis Patres, ut meliøre jure facti erant, ita Pontificio imperio demisse paruerunt, ut ex eorum Actis constat; habita enim congregatione generali Materanum archiepiscopum, necnon Feltrensem, Motonensem coadjutorem Veronensem, Salutarum, Albiganensem, et Aliphani episcopos decreverunt procuratores pro jure translationis Concilii defendendo apud subsellia Apostolica, de quibus legati has litteras ad Paulum Pontificem dedere:

« Sanctissimo Domino nostro papæ.

« Beatissime pater, post humillimam commendationem et pedum oscula beatorum.

« Conferent se ad beatissimos pedes vestræ Sanctitatis honorabiles hujus sacri Concilii Patres summa doctrina, prudentia et pietate præditi, archiepiscopus Materanum, necnon Feltrensis, Motonensis idemque Veronensis Ecclesiæ coadjutor, Salutarum, Albiganensis et Aliphani episcopi virtute Brevis vestræ sanctitatis sub data Romæ apud S. Petrum die xvi Februarii nobis directi, in plena congregatione communi consensu electi, ut defensionis translationis assistant. Processum vero super ipsa translatione habitum providus vir Hercules Severolus hujus sacri Concilii promotor Sanctitati vestræ clausum et obsignatum, ac authentica forma redactum præsentabit. Reliquum est, ut causam Dei, quæ in ipso translationis judicio maxime agitur, et reipublicæ Christianæ salutem, ac Conciliorum Generalium honorem atque auctoritatem, nosque ipsos beatitudini vestræ plurimum commendemus, quam Deus ipse diu incolumem Ecclesiæ suæ servare dignetur. Bononia ix Martii MDXLVIII.

« Vestre Sanctitatis

« Servi et creaturæ Joannes Maria cardinalis, Marcellus cardinalis S. Crucis ».

Cum venissent Romam Bononiensis Concilii procuratores designati, in cardinalium senatu, ad translationis jus ostendendum, et sententiam Pontificis excipiendam accessere, de quibus hæc Acta¹ Consistorialia :

« Romæ apud Sanctum-Petrum xxii Martii MDXLVIII, fuit congregatio generalis reverendissimorum DD. cardinalium. Comparuerunt coram Sanctitate sua sex prælati, qui nuper de mandato Sanctitatis suæ Bononia advennerunt ad assistendum defensioni causæ et causarum translationis Concilii ex Tridento ad civitatem Bononiensem, de quorum comparitione fuit rogatus R. D. Blossius electus Fulginatensis suæ Sanctitatis secretarius, prout penes eum constat ». Concepta sunt subjectis verbis ea publica documenta².

37. « Comparitio reverendissimorum DD. deputatorum Concilii, coram sanctissimo domino nostro Romæ in generali Congregatione reverendissimorum cardinalium die xxiii mensis Martii MDXLVIII.

« Beatissime Pater. Audivit Sanctitas vestra, audiveruntque reverendissimi domini cardinales, et vos in primis reverendissimi domini deputati ex litteris jam lectis causam adventus nostri : venimus enim a sancta Synodo OEcumenica Bononiensi pro obedientia litterarum Sanctitatis vestre destinati, ut defensionis translationis sacri Concilii a civitate Tridentina ad civitatem Bononiensem assistamus. Et licet translatio ipsa nulla egeat defensione, cum fuerit facta rite ac recte a majori parte Patrum, Spiritu S. suggerente et illuminante, cujus directione sacra OEcumenica Concilia diriguntur ac gubernantur, tamen ut Sanctitatis vestre monitis ac præceptis sacrum OEcumenicum Generaleque Concilium Bononiense (ut par est) obtemperaret, habita prius diligenti discussione et numeri et personarum Patrum mittendorum communi consensu, nos ad pedes Sanctitatis vestre delegavit, atque misit injungens nobis, ut deosculatis prius humiliter pedibus Sanctitatis vestre, tum nomine reverendissimorum cardinalium in ipso sacro Concilio presidentium, tum cæterorum omnium Patrum ibi legitime congregatorum, nostroque, prout deosculati fuimus, pro veritate et justitia assisteremus defensioni ipsius translationis Concilii pie justissimeque factæ. Sperat autem eadem sancta Synodus, eundem Spiritum sanctum dominum et vivificantem, cujus spiratione ac directione ipsa translatio facta fuit, in ejus tutela

nobis non defuturum. Igitur, clementissime pater, qui Petri Sedem et fidem merito tenes, et Christi vices geris in terris, tuum erit, si quispian translationem hujusmodi oppugnare voluerit, justissimam defensionem nostram benigne audire, et æquum judicem præbere, cum causa Dei et res agatur, nostrum autem defensioni ipsius negotii adesse, et partes nostras fideliter adimplere; precamur insuper et suppliciter oramus Sanctitatem vestram, ut quemadmodum summa sua providentia ac bonitate, pro reparanda restaurandaque religione Christiana jam fere collapsa, sacrum, generale et OEcumenicum Concilium saluberrimum remedium indixit et congregavit, eadem prudentia ac pietate auctoritatem præsentis generalis Bononiensis Concilii, cujus ipse caput certissimum est, cæterorumque futurorum Conciliorum, ac libertatem Ecclesiæ, divinamque causam, sine quibus actum certe esset de republica Christiana, conservare atque prolegere dignetur. Processum autem et gesta in ipsa translatione habita, ut mandata Sanctitatis vestre impleantur, magister Hercules promotor nomine sacri Concilii mox Sanctitati vestre in authenticam formam redacta præsentabit et exhibebit. Rogamus itaque vos dominum secretarium et notarium, ut de hujusmodi nostra comparitione fidem legitimam faciatis ».

38. Illis gestis præsules, qui a Concilio Bononiensi procuratores deputati fuerant apud subsellia Apostolica in causa translationis, certiores fecere Patres Bononiensis Concilii, quod coram Pontifice comparuissent in judicio, benigneque ab eo excepti fuissent, de quibus hæc memorat Angelus Massarellus³ :

« XXIX Martii in litteris deputatorum significatur qualiter xxii præsentis mensis recepti fuerunt in generali congregatione omnium cardinalium a sua Sanctitate benigne, ejusque pedes nomine sacre Synodi, reverendissimorum presidentium, et suo, deosculati fuerint, commendantes suæ beatitudini causam Dei, et auctoritatem sacri Concilii Bononiensis erga suam beatitudinem, quæ exposita fuerunt per organum reverendi domini archiepiscopi Materani decani deputationis. Deinde dominus Hercules Severolus promotor Concilii præsentavit suæ Sanctitati processum authenticum ipsius translationis ».

Memorata vero præsulum designatorum a Concilio Bononiensi litteræ subjectis verbis conceptæ erant⁴ :

« Reverendissimis et illustrissimis DD. cardinalibus de Monte et Sanctæ-Crucis de latere legatis, sacrique OEcumenici Concilii Bono-

¹ Act. Consist. Ms. card. Spole sign. num. 133, pag. 344 — 1604, et Act. Consist. Ms. arch. Vat. sig. num. 3204, p. 774. Ms. 1604, sig. 1604, num. 123, p. 83.

² Dian. Cone. Trid. et Bonon. p. 290. — L. C. XI, de Con. Ms. arch. Vat. pag. 502, num. 3204, p. 775. Act. Ms. card. sig. num. 123, p. 83.

niensis præsidentibus, nostris observandissimis ac reverendis Patribus in ipso Generali Concilio existentibus fratribus colendissimis.

« Illustrissimi et reverendissimi domini legati reverendique Patres. Itinerum incommoda propter pluvias continue ingruentes, nec non fluminum difficiles transitus in causa fuerunt, ut non sicut desiderabamus, atque nobis fuerat injunctum, sed ut tantum xv kal. Aprilis ad Urbem omnes applicare potuerimus, adventuque nostro statim a nobis sanctissimo domino nostro significato, Sanctitalis suæ nomine per reverendum dominum electum Massanum nobis ordinatum fuit, ut domi maneremus, donec a reverendissimis dominis cardinalibus super rebus sacri Concilii, quomodo a Sanctitate sua essemus recipiendi, fuisset discussum. Quo facto, die Jovis, quæ fuit xxii præsentis mensis, in generali congregatione, assistentibus omnibus illustrissimis reverendissimisque cardinalibus, Sanctitas sua nos benigne recepit, et deosculatis prius a nobis Sanctitalis suæ pedibus nomine dominationum vestrarum illustrissimarum et reverendissimarum, nostræ deputationis testimoniales litteras exhibuimus, quibus per secretarium lectis, causam nostri adventus, justitiam translationis, ac humilem supplicationem protectionis conservationisque auctoritatis sacri Concilii, libertatis Ecclesiæ, divinæque causæ Sanctitalis suæ, ut in exemplo quod his inclusum transmittimus, breviter exposuimus. Promotorque Concilii gesta in ipsa translatione habita juxta mandatum quod habebat, Sanctitali suæ exhibuit, quæ de ejus mandato reverendissimo cardinali Bellayo consignata fuere. Demum eundem secretarium de comparitione nostra et actorum præsentatione rogavimus. Cumque sanctissimus dominus noster adventum nostrum gratanti animo suscepisset, et aures supplicationi nostræ perbenignas præbuisset, obedientiamque dominationum vestrarum reverendissimarum cæterorumque Patrum commendasset, celeremque expeditionem causæ hujusmodi pro justitia pollicita esset, ad quatuor reverendissimos dominos cardinales super hujusmodi negotio deputatos nos remisit : quos omnes conjunctim, ut decebat, visitavimus, et pro defensione translationis unumquemque ipsorum, quantum pro loci et temporis congruentia nobis sufficiens visum fuit, informavimus, iterum et sæpius eos informaturi, si contradictores venerint : nam hucusque ex adverso nullus comparuit. Ilæc sunt, quæ in materia negotii nobis impositi hactenus peracta fuere, de quibus dominationes vestras illustrissimas, reverendosque Patres omnes litteris nostris certiores facere volumus, itidem facturi de reliquis, quæ in futurum occurrerint, rogamusque interim Deum optimum Maximum, ut dominationes vestras

reverendissimas et illustrissimas reverendosque omnes istos Patres diu incolumes et felices conservet, quibus nos humiliter commendamus. Dat. Romæ die xxiv mensis Martii MDCXLVIII ».

Reverendissimarum et illustrissimarum dominationum vestrarum servitores et paternitatum vestrarum fratres obsequentissimi, sacrique Bononiensis Oecumenici Concilii deputati.

« Joannes Michael archiepiscopus Acheruntinus et Materanus.

« Thomas episcopus Feltrensis.

« Aloysius coadjutor Veronensis.

« Philippus Salutiarius.

« Joannes Baptista Albinganensis.

« Sebastianus Aliphianus ».

39. *Præsulum Hispanorum responsio fallax et de ea rectum severumque judicium Pontifici obsequentium.* — Defecere ab hoc obedientiæ Christianæ exemplo præsules Hispani, qui Tridenti hæserant, non enim aliquos e suis ad disceptandam translationis causam ad subsellia Apostolica miserunt, cum agerentur imperiis Cæsareis, litteras tamen Christianæ demissionis erga Pontificem notis refertas misere ad declinandum judicium, multisque excusationum fucis ac figmentis suam in Tridentina urbe residentiam colorarunt ¹ :

« Sanctissime pater, post humillima pedum oscula beatorum. Accepimus Sanctitalis vestræ litteras in forma Brevis plenæ clementiæ et mansuetudinis, ut vere Apostolicum pectus redolentes, quibus nos redarguit non uno nomine, quasi cessatores in officio. Quod si a nobis utcumque prætermisum sit erga Sanctitatem vestram, cui nulla non officiorum genera plane deberi ingenue profitemur, ipsa judicet : re-creat enim nos benignitas et prudentia sua incomparabilis, quæ facile intelliget, nihil nos, vel dum translationis contradicimus, vel cum silemus, sed neque quod hactenus hoc in loco manserimus, nihil, inquam, minus de Sanctitate vestra, de Apostolica ipsa Sede, de republica denique Christiana quam bene mereri, quam qui optime, absit verbo invidia ! cogimur enim sic dicere. Tantum enim abest, ut in causa translationis de Sanctitate vestra offendenda cogitaremus, ut vel maxime line ansam dissentendi acceperimus, quod videbamus de re omnium gravissima, inconsulta Sanctitate vestra decerni. In quo etiam piensissimum imperatorem, optime de republica Christiana merentem, desiderabamus non fuisse neglectum. Videbamus non defuturos, qui rem incommode interpretaturi forent ; prospiciebamus a Sanctitate vestra, ut est consummati sensus, non probatum iri faciliter. Quod autem tacentibus nobis,

¹ To. XVII. de Conc. Ms. arch. Vif. sig. 3204. p. 136. continente Acta Conc. Bonon. p. 88. Ms. ead. Franc. Bibl. sign. num. 123. Est. etiam in Ms. ead. Pii sig. 260. p. 73.

dum Sanctitas vestra expectationem nostram desiderat et expectat, augustissimus imperator, quod nostri censebat esse muneris, anteverterit, conquestus cum Sanctitate vestra de illegitima translatione, non ita, quesumus, interpretetur, quasi nos cum eramus delaturi querelam Sanctitati vestrae, ad Cæsaream majestatem adduxerimus: sed proprio ipsius Cæsaris motu factum est, qui protectionem Ecclesiæ ad suum pertinere munus jampridem intellexit, scilicet se ei advocatum præstare, zelatus unionem nobilissimæ nationis ad Catholicam Ecclesiam, et unum caput Christum, ejusque vicarium Sanctitatem vestram. Sed neque unquam in mentem nostram venit potuisse desiderari in hoc officium nostrum, ut certiorum redderemus Sanctitatem vestram, quam nunquam non factam certissimam a legatis suis arbitrari sumus; palam enim excipientibus notariis coram universa Ecclesiâ apertis verbis locuti sumus, et humanis omnibus sepositis affectibus contestati, imminere scandalum reipublicæ Christianæ ex recessu Patrum ab hoc Tridenti loco, afferri negotio incommodas moras: videbatur nobis sufficere, quod indicassemus quid de re sentiremus: deinde siluimus. Quo etiam fit ut cum denuo nihil aliud ad rem ipsam afferre possimus, præsentiam nostram in negotio desiderari minime credamus. Sed si quid interim cessatum videatur, satis res ipsa indicet candorem animi nostri. Et quid enim erat operis, vel negotii, patri satisfacisse, si desiderantem credidissemus, molestia levare, si inde contristandum essemus opinati? majora sibi nos debere fatemur, ut agnoscat universa Ecclesiâ filios seniores, qui semper cum patre mansimus, et eo melius habentes, quo jam ita sumus de junioris filii, qui perierat, salute et solliciti, Germanici scilicet populi, ut non solum patrem a molestia mitigandæ nostræ invidiæ liberemus, sed magis etiam ad congaudendum invitemus, et ut revertentibus occurrat filiis, rogemus aliquin desiderantem. Nostras itaque partes tantum esse existimavimus, ut a translatione proposita pro conscientia dissentire deberemus: præ modestia vero et humilitate non ausi sumus impetitive Sanctitatem vestram interpellare quasi officii admonentes, quem sperabamus nulli officiorum generi, quod ex re Ecclesiæ judicasset, fuisse futurum, volentes, ut par est, suo iudicio tribuere: neque videmus, quare nos comites proficiscentibus legatis et prælatis ipsis dare debuerimus, quorum nobis sententia non probatur, et iis quidem, qui repetita oratione pollicentibus tum in generali congregatione, tum in publica sessione in recessu ipso celebrata, se quamprimum illa asserti morbi opinio refraxisset, esse redituros: præsertim si se Germani Concilio submitterent. Nos vero interea sedimus in civitate manentes, quos audie-

ramus, et bona fide credebamus reversuros, et continuo de reversione cogitantes audivimus, et agentes, quod factum prope credidimus tunc primum cum illa vox lætitiæ audita est, Dei scilicet gratia factum, et imperatoris virtute, ut quod erat commune Ecclesiæ desiderium, Germani se tandem Concilio submississent.

« Tenes igitur jam, pater sanctissime, quod tam diu desiderasti. Ecce virtus imperatoris tui, Josue alterius, vincentis, dum tu oras velut Moyses sanctus. Ecce Carolus reducit errantes oves, et minat ad virgam Pastoris, reportat ad caulam Dominicam, et quos nuper Deus sibi subjecit, Deo ipse subjecit, redditque vicario Filii sui, nempe qui non alia ratione magis, non alio scilicet secretiore consilio bellum suscepit, quam quia prælium Domini erat. Dirige igitur errantem gregem, pastor optime, ad pascua Synodalia, eoque virga, hæc enim directionis virga regni tui est. Benedictus Deus in tanta materia benefaciendi, rebus præsertim desperatis collapsisque. A Domino certe est, quod tantum accessionis factum sit Apostolicæ vestrae Sedi, a qua jam pridem fuerat miseranda discessio. Intelleximus præterea a Sanctitate vestra scandalum aliquod accepisse, qui nos hoc in loco remansisse audierant. Satis nobis est si non dederimus; nos enim qui sumus, ut prohibere possimus? Commune hoc nobis cum reliquis Patribus est, quod et ipsorum plures etiam turbavit recessus. Quod autem Sanctitas vestra nobis tantum tribuit, est quod magis adscribamus paternæ pietati quæ ad meliora semper satagit provocare, quam ut agnoscamus merita nostra, præterquam illa quæ nobis communia sunt cum nationis nostræ laude, non sine Dei munere; semper enim majores nostri Filii Dei vicarium coluerunt, et beati Petri Apostolorum principis successorem pie venerati sunt, quæ nostra omnium observantia jure exigit a Sanctitate vestra, ut non sit passa prævaluisse in nos aliquam præsumptionem, qui in hujusmodi non solum a malo, sed ab omni specie mali fuerimus abstinentes. Non igitur videmus unde in hanc invidiam trahimur. Habet igitur Sanctitas vestra actionis nostræ rationem: tua erit clementiæ boni consulendo præstare, ne nobis, vel immodica pietas fraudi sit, neque contraissee videamur, dum bene mereri studemus. Superest ut cum Concilii finis pax sit, rogemus humiliter Sanctitatem vestram, ne patiar nos litibus exerceri: servos enim Dei litigare non decet. Aut enim de qua agitur causa nostra est, aut Dei: si nostra, parati sumus magis injuriam pati, quam inferre. Si Dei est et Christi, ut vere est, ad quem magis, quam ad ejus vicarium pertinere potest ejus defensio? Si tu justificas, quis est qui condemnet, ut nobis egeat defensoribus?

« Obsecramus supplices Sanctitatem ve-

stram, ut indieti jam Concilii intermissa redeat celebratio, et desideratus progressus. Redde, Domine, loco huic Apostolicos tuos legatos : redde civitati præelectæ Patres ; compendio agetur, si de translatione nullam malueris habere rationem, discussionem nullam. Si tu, sanctissime Pater, quod omnes sibi promittunt, remedium non affers tantis malis (ad quæ tollenda consilia tua omnia direxisti, et convertisti) quæ poterit esse in posterum spes ? quem optabimus Pontificem ut fessis labefactisque rebus occurrat ? Quam autem totus tuus supra Pontificatus summa sit tibi cum laude actus, et ad personam, quam sustines convenientissime, nunc tu hoc actu, nulla adduci possumus ratione, ut credamus te posse deficere, cum plausus excitandus est, plausus, inquam, æternus. Patere igitur, Pater sancte, quæ tua est consuetudo, et sustine, quæ tui animi est placiditas, quod paucis his egerimus tecum, apud quem alii forsitan peritius, nullus profecto amantius, quam nos, et observantius, atque prudenter, aut commode ipse existimaris ; licet nec ex humanitate tua, tantum nobis licentia arrogaverimus, ut disseramus, quid tantum Pontificem deceat, cui fuerit satis, quid abs te speremus, indicare. Deus autem Sanctitatem vestram diu servet incolumem Ecclesie sue sanctæ. Tridento X kal. Aprilis anno Domini MDXLVIII.

« Humillimæ creaturæ et devoti oratore cardinalis Giennensis, archiepiscopus Turritanus, archiepiscopus Panormitanus, episcopi Rossanensis, Castelli-Maris, Algarensis, Lancianensis, Syracusanus, Pacensis, Asturicensis, Oscensis, Calaguritanus, Canariensis ».

40. Traditum etiam est harum litterarum exemplum Bononiensis Concilii procuratoribus, ut si quid in iis veritate aut jure non niteretur, ipsi illud arguerent : ii vero gravissime reprehenderunt in præsulibus Hispanis, quod magis private sententiæ, quam divinæ voci e Pontificio throno pressuræ crederent, nec, ut Dei servos decuerat, ad schismatis defugienda pericula tollendaque publica offencicula, Christi vicario cognitione causæ translationis ob protestationem Cæsaream suscepta parerent, multaque alia addidere ad suæ causæ defensionem, quæ ex subjectis eorum scriptis patebunt ¹ :

« Judicium dominorum deputatorum Concilii super litteris prælatorum Tridentinorum.

« Beatissime pater. Interpellati fuimus a reverendissimis dominis cardinalibus super negotio translationis Concilii deputatis, quid sentiremus de responso dato litteris Sanctitatis vestræ a reverendissimo cardinale Giennensi et aliis prælatis, qui post ipsam translationem

Tridentinæ hactenus remanserunt. Nos igitur omnibus mature consideratis, illud in primis perspeximus, causæ vestræ terminationem ex his facillimam reddi, cum et iudicium simul et iudicem non improbet, et in huiusmodi iudicio contradictores se constituere nolle profiteantur. Quæ quidem res sicut grata nobis, ita minime nova extitit, propterea quod notissima sit translationis iustitia : quamobrem cum tota illa responsio nobis, qui translationis defensionem assistemus, in hac ipsa re nullum facesset negotium, tantummodo illud superest, ut nonnulla percurramus in eo responso obiter inserta, per quæ fortassis, nisi pro veritate refellantur, nonnihil festinationis, aut non maturæ considerationis argui posse viderem. Idcirco omni modestia nobis ipsis proposita, et fraterno amore ac sincera charitate ducti, et dumtaxat quæ minime possunt dissimulari in nos prolixius objecta paucis diluemus, nullo pacto impugnantibus id quod illi de se asserunt, nempe de republica Christiana bene meruisse, non tamen sustinentes illud, quod aiunt, quam qui optime. Eos enim potius optime meruisse arbitramur, qui decretum sanctæ Synodi a longe majori parte sancitum agnoverunt, ipsosque reverendissimos a latere legatos secuti sunt, ac sanctissimam Crucem pro vexillo sacri Concilii, eisdem a Sanctitate vestra solemniter traditam, non deseruerunt.

« Quod autem prius Sanctitatem vestram consultam fuisse desiderasse videntur, superfluum profecto fuit desiderium illud, cum nec Sanctitatis vestræ auctoritas deesset in ipsis reverendissimis legatis, nec defuerit eis speciale Diploma datum anno usque millesimo quingentesimo quadragésimo quarto die VIII kal. Martii, facultatem transferendi Concilii ipsis reverendissimis legatis, quandoocumque eis videretur, concedens sub his verbis : « Motu proprio, ex « certa scientia ac de Apostolicæ auctoritatis « plenitudine, parique consilio et assensu vobis « insimul, aut duobus ex vobis relicto legitimo « impedimento detento, seu inde absente, quan- « documque vobis videbitur Concilium prædic- « tum de eadem civitate Tridentina, ad quamcum- « que aliam commodiorem, et opportuniorem, « seu tutiorem civitatem, de qua etiam vobis « videbitur, transferendi, et mutandi, ac illud in « civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi ; « necnon prælatis et aliis personis Concilii hu- « jusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate « Tridentina procedant, etiam sub censuris « et pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Con- « cilium in alia civitate huiusmodi, ad quam « illud transferri et mutari contigerit, conti- « nuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud præ- « latos, et alias personas Concilii Tridentini, « etiam sub perjurii et aliis in litteris indictio- « nis Concilii huiusmodi expressis pœnis coer-

¹ To. xvii. Conc. sign. num. 320. Ms. arch. Vat. sign. p. 467. Ext. inter Acta Conc. Bonon. et in alio p. 92. Ext. in Ms. car. Pii sig. num. 260. p. 77.

« cendi, etc. » Quae omnia tunc publice lecta et recitata fuere in ipsa Sessione, propterea quod nonnulli a translatione dissidentes, hujusmodi cognita facultate, communi se decreto submissuros palam profitebantur; prout illo audito amplius minime reslitterunt.

« Neglectam vero majestatem Caesaream (ut illi affirmant) non modo re ipsa, sed neque cognitione quidem sola factum asserimus. Neque enim minorem rationem habuimus majestatis suae, quam Sanctitatis vestrae, ut qui (res enim ipsa moram non patiebatur) saluti nostrae in primis, ex qua pendeat totius Concilii summa, nunc providerimus. Eo enim res adducta erat, ut nisi Concilium transferretur, ipsius manifesta dissolutio immineret; ipsa vero dissolutio nihil perniciosius esse cogitari poterat. Morbus enim ille pestilens longe lateque in civitate illa pagisque adjacentibus, in Germania gravius, unde magna quotidie confluebat miserabilium multitudo, grassabatur, trepidabantque universi Patres, quorum pars magna jam discesserat, reliqui se itineri, nulla discedendi venia sibi minime concessa, habita ratione accingebant: cum etiam prius frequenter contestati apud reverendissimos praesides fuissent, nullo modo tanto se periculo amplius obiecturos. Medici autem, quorum fidei committebamur, discrimen agebant, praesertim magni nominis ille Fracastorius publico stipendio conductus, contagiosum esse ex aeris infectione morbum, et qui in nobiles et delicatos praecipue saeviret, jurejurando affirmabat, omninoque nos deserere velle protestabatur: sicuti etiam antequam translatio fieret, deseruit. Ad haec quoque indubitatus oriebatur timor, civitates finitimas statim commercium nobis interdiceretur, unde et comaeatus penuria in loco sterili et infer montes posito, ac magna itineris difficultas, morbo procedente, parabatur. Sed ne verbis agamus in ea re, quae Actis Concilii patet Sanctitatis vestrae jussu huc allatis, satis erit ad ea, quae indubitata sunt fidei, nos referre, atque ita apparebit omnes, qui nos festinantiae aut properantis nimium iudicii arguere velle conantur, hanc vere notam ipsos incurrere, nos vero pro negotii, personarum et temporum qualitate, matura deliberatione processisse. Nam quid horrendum magis fimeri poterat, quam adeo necessarij Concilii dissolutionem fieri? quod vero non delaturo essent, qui rem incommode interpretarentur, facile id erat ipsis Patribus evitare, si decretum longe majoris partis (quod tacere tenebantur) agnovissent, quo uno decenti remedio facile perspiciebant obviam iri scandalo, quod reipublicae Christianae imminere asserunt, ac eodem remedio incommodas moras ad progressum sanctissime Synodi evitare.

« Nequaquam igitur credibile est, quod ipsi aiunt, in hoc negotio praesentiam eorum desi-

derari non credidisse. Nonne post generalem monitionem, etiam sub censuris et gravissimis poenis, praesertim illis, quae in Sanctitalis vestrae Diplomate continebantur, omnibus in die Sessionis factam, reverendissimi legati privatim eosdem post decretum translationis, ut se Bononiam conferrent, monuerunt? Deinde postquam Bononiam ventum est, nonne per litteras eorumdem sibi fideliter exhibitas rogati et moniti fuerunt, ut se nobiscum jungerent? Quod autem in eodem responso saepius repetitum est, eos videlicet, teste conscientia et proposita translatione dissentire debuisse, ideo se comites non dedisse proficiscentibus legalis cum caeteris patribus, quorum ipsis sententia non probaretur, ulteriori profecto explicatione distinguendum est. Nam aliter potuerunt sentire quidem, et cum omni conscientia, ante decretam et saecitam translationem (vota enim singulorum libera esse decet in sacro Concilio), verum posteaquam longe major pars (quae de jure quidem sanior esse censetur, et cui etiam ex conclusione in generali Congregatione communi omnium Patrum consensu facta standum erat) translationem ipsam decrevit et sancivit, si qui prius aliter sentiebant, decebat eos intellectum captivare in obsequium majoris partis; id quoque ipsis non modo probantibus, sed etiam petentibus, servatum a nobis in aliis sessionibus semper fuit; quod nisi fieret, nihil unquam in Conciliis deliberari ac statui posset, nihilque propterea unquam firmum, nihil stabile futurum esset in Ecclesia Dei, nullaque amplius esset sacrorum Conciliorum auctoritas, unde oriretur scandalum, scandalorum omnium gravissimum.

41. « Quod omnino polliciti fuerimus reversionem, cum primum illa pestilentis (quod aiunt) asserti morbi suspicio refrixisset, pollicitatio ipsa qualis fuerit, non opus est ut verbis contendamus. Acta loquuntur, quae sic habent: Placebit vobis similiter decernere et declarare pro conservatione et prosecutione ipsius Concilii, securitateque vitae ipsorum praetorum. Concilium ipsum ad civitatem Bononiensem veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri, et ibidem Sessionem jam indictam statuta die XXI Aprilis celebrandam esse et celebrari; et successiva ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo domino nostro et sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Caesare, Christianissimo rege, et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit et debeat? »

« Praeterea ut denus causam hanc fuisse mansionis Tridenti, quod bona fide crederent nos illic reversuros, quid est quod a reverendissimis legatis moniti, ut se nobiscum Bononia

jungerent, nihil responderunt? Cur etiam pro eorum pietate nunquam nos monuerunt, cum probe agnoscerent tanti viri, nihil boni Tridenti pro Ecclesia agere: quinimo scissionis tunicæ Christi inconsultis (quod certe admittere volumus eos nunquam cogitasse) infirmioribus multis dubitationem injecisse? Sed et nullus sani capitis ambiget, mansionem illam Cæsareæ protestationi occasionem præstitisse, quæ nullo pacto profecto potuisset a Cæsare emanare, si Conciliorum ipsi probatos mores, et majorem ac saniores partem Patrum, imo sacrosanctam crucem, insigne unicum et amabile veræ et legitimæ potestatis, et præsentis Sacri Concilii, quæ nulli per Sanctitatem vestram alligata est loco, secuti fuissent. Non erat igitur eo pacto repetenda reversio, quod difficilior reddebatur, sed quod facilior, utpote ex concordii nobiscum sacri Oecumenici Concilii progressu.

« Ad hæc cum valde observemus reverendissimum et illustrissimum dominum cardinalem, et cæteros Patres ipsos toto diligamus affectu, non potuimus non valde tristari ex ipsarum litterarum suarum particula, dum asserti morbi suspicionem fuisse dicunt, et non magis veri morbi invasionem, nisi forte ita intellexerint, asserti morbi, id est, assertive a sacro Oecumenico Concilio pro evidenti et notorio declarati: frustra enim post latam sententiam diffinitivam de iis, quæ a sacro Concilio diffinita sunt, amplius dubitatur. Hæc enim sunt verba sacrosancti illius decreti: Placetne vobis decernere et declarare de hujusmodi morbo, ex præmissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut prælati in hac civitate sine vite discrimine commorari et in ea idecirco inviti minime retineri possint et debeant? Itemque attento recessu multorum prælatorum post proximè præteritam Sessionem, et attentis protestationibus aliorum quamplurium prælatorum in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui justè detineri non poterant, et ex quorum discessu Concilium dissolveretur, vel ex paucitate prælatorum bonus ejus progressus impediretur, et attento etiam imminente periculo vite et aliis causis pro aliquot ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis. Quæ cum sint etiam maxime notoria declaratione, si adhuc dubitant, et rem se aliter habuisse prætendunt, advertant, quæsumus, Patres illi quanti momenti verbum eis excederit: nam Sanctitas vestra in memoratis litteris ad eos destinatis, inter cætera ait: « Vos in virtute « sanctæ obedientiæ, ac sub censuris et pœnis « in eadem schedula contentis per præsentem « monemus ac requirimus ut si translationem « hujusmodi invalidam prætendatis, aliqui ex « vobis, etc. » Nonne hoc est speciale mandatum pœnam maximarum continens censurarum, ac

æternæ (quod audire horribile est) maledictionis? Igitur cum non miserint, et nihilominus morbum illum notorium (qui verissimus utinam non fuisset!) assertum vocent, hoc unum certe contra ipsam translationem prætendisse videntur. Verum cum minime verisimile sit, ut tanti Catholici Patres hæc gravissimas censuras neglexerint, verbum illud casu excidisse, non autem ex animo prolatum fuisse arbitrari maluimus. Non enim satis esset contra mandatum hoc strictissimum speciosa illa ipsorum divisio, videlicet? « Aut enim de qua agitur causa nostra « est, aut Dei etc. » Nam in primis dicimus superfluum esse hoc responsum, imo assumptæ huic causæ impertinens, ut se exponant injuriæ patienti, quam neque nos, neque alius quispiam intulerit, neque velit cogitive inferre. Causam vero Christi ad ejus vicarium justificandam referre, totum hoc religiosissime, ut sanctos viros decet, dictum arbitramur. Verumtamen ad rem, de qua interpellat Sanctitas vestra, non admodum explicite, ut decebat, convenit. Tota enim Dei causa est, et quæstio facti, et in quo et Sanctitas vestra divinare non debet, ut quæcumque in facto dubia proponuntur, absque ulla facti dilucidatione condemnent, vel justificet. Sed, inquit, servos Dei litigare non oportet; at obedire certe oportet, et ad sobrietatem sapere, atque in primis querere, ne specie recti decipiantur, ac seipsos seducant. Unde qui in tota Epistola illud præcipue agunt, ut translationem improbent, bene fecissent si ad judicium Sanctitatis vestre in tempore accessissent, et voci procedenti de throno, in quo Spiritus Dei loquitur, magis quam suo spiritui credidissent.

« Quamobrem cum invictissimus imperator in suis mandatis ad protestandum directis, reverendissimos legatos in sacro Bononiensi Concilio degentes, assertos, et non veros esse, Patresque ibi commorantes, in privato conventu non in sacra Synodo existere, ac plurima adversus translationem, de qua agitur, ut libitum fuit suæ majestati, plena opprobriis cumlaverit, inde suasit ratio, ut causa hæc apud Sanctitatem vestram assumeretur, inde etiam emanarunt litteræ illæ, de quibus agitur, pro exquirenda facti veritate, non ut lites foverentur, vel ut magis (quemadmodum servos Dei decet) faciliori modo terminentur sopianturque. Qua de re oportebat ipsos Patres Tridenti commorantes apertius loqui, aut juxta expressum Sanctitatis vestre mandatum aliquos ex ipsis destinare. Quanquam in eo, quod ad nos attinet, satis superque arbitramur factum nobis iri, quod vel saltem profiteantur se nihil contra ipsam translationem prætere, propterea quod neminem miserint. Scandalum vero hoc totum quod ortum est, unde hoc magis provenerit, ex mansione Tridenti, vel ex recessu (ut ipsi aiunt) quem recessum jure et congruentius

debuissent translationem veram et legitimam (prout fuit) dicere, credimus de facili perpendi posse. Quandoquidem etiamsi causæ omnes, propter quas translatio facta fuit, cessarent, cæteræque impleverint in decreto ipso translationis explicatæ, solanihilominus hæc causa superveniens mansioni in civitate Tridenti jure obstare posset, ut mansione hac durante Tridentum reverti non expediat, ne hoc exemplum firmetur futuris temporibus perniciosissimum, potuisse videlicet paucissimos Patres contra decretum sacri Oecumenici Concilii rite factum, ex mansione sua (ne dicamus pertinacia) longe majorem partem cogere, et ad se reducere. Ideo non sine maxima causa hoc exposulavit sancta Synodus, quando ad certas litteras Sanctitatis vestræ responsum dedit, ut Patres illi nobis se prius jungerent.

« Superest ut in nullo illud indiscussum permaneat, dum ipsi rogant Sanctitatem vestram, ut indicti jam Concilii intermissa tedeat celebratio : nam si de intermissione processus more solito habiti in congregationibus Synodalibus intelligunt, nullo modo intermissa fuit celebratio, præterquam ab assumptione causæ, et intimatione litterarum Sanctitatis vestræ, citra quæ, ut inde majus bonum eliciatur (testante id Sanctitate vestra) processisse memorantur; si vero canonum preparatorum publicatione conqueruntur, ingrati admodum existent erga officium nostrum, qui publicationem hujusmodi in sessionibus Bononiæ habitis gratia ipsorum, ut nobiscum jungerentur, distulimus. Quanquam in hac ipsa re exigua erit temporis jactura, cum tot et tanta a nobis ibidem de fide et moribus diligentissime discussa unica sessione publica valeant, atque uno die, facillime sanciri.

« Sunt et alia in eorum litteris jactabunda de sua pietate, prudentia, humilitate, mansuetudine, patientia, zelo, perseverantia in domo Patris (ut qui filii sint sapientiores, et tanquam ii qui nesciant nec inferre nec referre injuriam) : quæ quoniam vice versa tantis in nos undique scatent accusationibus, ut nulli attente legendi non patet, cum tamen, quod ipsi verbis jactant, nos re ipsa potius præstemus, merito duximus transigenda silentio.

« Rogamus itaque Sanctitatem vestram, ut in eo, quod progressum sacri Concilii (in ejus pacifica quasi eramus possessione) paulisper, ut rationem majestatis Cæsareæ haberet, in sua, quam a Deo habet potestatis plenitudine retardare velit, amplius non persistat, sed restituta sine ulteriori dilatione Patribus Bononiæ residentibus, quæ restant examinandi et discutiendi plena possessione, ne ex tam diuturna cessatione res publica Christiana detrimentum patiat, suam quamprimum sanctissimam sententiam subinde proferat; ac toti orbi

justissimam causam nostram palam esse faciat. Desiderio enim magno desideramus tot et tantos labores nostros, non sub modio, sed super candelabrum statui et cum omni claritate dilectissimos fratres nostros nobiscum se conjungentes amplectari, et quæcumque supersunt celerrime (quantum in nobis erit) expedire. Hoc etiam postremo animadvertat Sanctitas vestra, quod a principio nascentis Ecclesiæ usque ad diem hanc (seposito schismate, a quo Dei gratia immunes sumus), vix ullum Concilium tanto tempore perduraverit. Unde jam pridem jure meritoque suos episcopos propriæ expectant sedes et commissa Ecclesiæ, a quibus tamdiu abesse, non sine ingenti dolore atque animarum jactura fieri posse manifestum est. Ipse autem Deus Optimus maximus, cujus tota hæc causa est, cor Sanctitatis vestræ, quod in sua semper est manu, dirigat ad salutem, pacem, quietem et concordiam nostri ac universi gregis Sanctitati vestræ ad pasendum tertio iterata jussione traditi et commissi, quam Deus Ecclesiæ suæ diu servet incolumem ».

42. *Ex agendi modo præsulum Hispanorum et ipsius imperatoris schisma timendum.* — Cum Hispani præsules, qui Tridenti hæserant, in superioribus litteris contenderent, ideo se Tridenti immoratos, quod legati polliciti essent, sedato epidemico morbo, se Tridentum reversuros, ad hæc legati respondere, ut refert Angelus Massarellus¹ :

« Reverendissimi domini legati responderunt ad prædictas litteras prælatorum in eo, quod dicunt se expectasse Tridenti reditum Concilii tanquam promissum ab ipsis reverendissimis legatis, quod hoc non est verum, sed referunt se ad decretum ipsius translationis, et dato quod aliquid privatim dixerunt (quod tamen non dixerunt) nihil valet, quoad obligandum Concilium, ut Tridentum revertatur ». De eodem responso procuratores Concilii a legatis certiores redditii sunt, quo argumento extant eorundem legatorum litteræ ad cardinalem Farnesium conceptæ verbis Italicis, quibus significant Tridentinos Patres, qui se excusant expectasse Tridenti reditum legatorum et aliorum præsulum, tanquam ab iis promissum, aberrare, iterumque confirmant pollicitationes datas a Synodo summa fide in Actis et decreto translationis, quod ad Pontificem transmissum est, insertas, quod ad promissa ab ipsis legatis privatim data spectaret, professi sunt, nec Synodum ad ea obstrinxisse, nec obstringere potuisse, nec quippiam decreto contrarium spondidisse, etiamsi ab ipsis aliqua verba jactata essent, quæ in sensum ab ipsis præsumptum detorqueri possent. Porro non ea causa permotos ipsos Tridenti hæsisse constare ex litteris, qui-

¹ Hist. Conc. Trid. et Bonon. p. 274

bus provocati sunt humaniter, ut Bononiam accederent, quibus nunquam responderint. At si veritati eorum dicta consentirent, debuissent ipsos litteris respondere, monereque dati iis promissi, quo adducti haerent Tridenti. Ne vero legalis culpa adscribatur cum veritatis injuria, datas praesulibus deputatis partes, ut Pontifice consentiente objectis respondeant modesto scripto, quod in publica etiam Acta redigatur. Caeterum nulla re alia offendi ipsos, maxime in ea parte, qua erga Pontificem obsequiorum signa explicuere, nec quippiam gravioris momenti contra translationis jus auctoritatemque adduxerint.

13. Cum in ea lite de translatione Concilii intentata a Caesare, debuisset Caesar Pontificis sententiae decretoriae se submittere, atque Lutheranos ad veterum Conciliorum decreta sanctissima servanda adigere (constabat enim pari pertinacia eos futuri Concilii contemptuosos sanctiones, qua veterum Conciliorum ab universa Ecclesia cultas conculcassent) variis illius argutiis, paene ad schismatis discrimen deflexit: visus enim est negare velle Pontificem non ambiguum non esse supremum in causis Ecclesiasticis iudicem, quod Concilia Lugdunense secundum et Constantiense, atque aliqua vetera professa sunt, ipsique Graecorum imperatores, cum ejurarunt schisma, demisse agnovissent, sed veluti reum litis ad aliud tribunal, quod a Caesareo penderet imperio adducendum. Illud vero tribunal, ad quod provocare velle Pontificem interminatus est, dixit legitimum Concilium, quasi vero possit esse aliquid legitimum Concilium, quod adversus Pontificem non ambiguum a Caesare indicatur: in hoc schisma incitari Caesarem a senatoribus suis scripsit cardinalis Sfondratus ad cardinalem Farnesium, qui de his praesidem Concilii Bononiensis certiorum fecit. « Prima Martii » inquit Angelus Massarellus, « scribitur, Caesarem nolle acquiescere commissioni causae, quam fecit Pontifex de validitate vel invaliditate translationis, sed velle appellare ad legitimum Concilium, et velle et ratificare, qua suus orator protestatus fuerat contra suam Sanctitatem, nisi redeatur Tridentum ». Consulti de his legati Bononiensis Concilii respondere, si provocatio edita adversus Pontificem ab oratore Caesareo rata habeatur a Caesare, atque in eum, ut suspectum, appellet ad legitimum Concilium, Concilium Romae convocandum, atque in eo decretoria a Pontifice sententiam ferendam, an translatio jure celebrata fuerit: subdit memoratus auctor, qui Concilio a secretis erat:

« IV Martii reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium iudicium eorum quoad Concilium, videlicet, cum timetur quod imperator sit ratificaturus gesta per dominum Didacum in protestatione et nolit accipere

iudicium translationis, et allegare suam Sanctitatem suspectam, et appellare ad legitimum Concilium, quod sua Sanctitas convocet ad suam praesentiam Concilium quocumque ex loco, et cum ejus assistentia una cum oratoribus principum, qui interesse voluerint, causam super validitate translationis cognoscat et sententiam ferat ».

In hoc ancipiti et lubrico rerum statu, cum lis in bellum apertum eruptura, Caesarque defecturus a Pontifice obsequio et Ecclesiae conjunctione formidaretur, ad retinendum Caesaris vim, a Pontifice cum Henrico Gallorum rege de armorum societate agitatum est, regiaeque voluntatis interpretis exiit Carolus cardinalis Guisius, a quo conventa Henricus rex habuit rata v Martii, ut Patribus Bononiensibus retulit regius orator XI Martii, quo tempore nil praetermissum est ad Caesarem flectendum ad acquiescentem, atque a schismatis tramite devio abducendum, eaque de causa Julianus Ardinghellus intermunitus nona Martii incitatissimis equis a cardinale Farnesio provolare ad imperatorem jussus est, qui eodem mense celerrime reversus meliores concordiae spes retulit, ut narrat Angelus Massarellus ¹.

« XXVIII Martii applicuit Bononiam dominus Julianus Ardinghellus, qui revertitur ex Germania ab imperatore, retulitque reverendissimis legatis, qualiter mitteret eum sua majestas Caesarea de rebus religionis, et quod venerit in hanc conclusionem, quod pro reductione Germaniae sua Sanctitas mittat aliquos legatos in Germaniam cum plena facultate inveniendi modum concordiae cum illa natione, quod legati celeriter eant Augustam, et quod hoc interim nihil fiat in Concilio, neque Bononiae, neque alibi, et quod de reductione Concilii Tridentini pro nunc amplius sermo non habeatur, quousque res Germanicae non sint compositae, quia tunc vel non erit opus Concilio pacatis Lutheranis, vel si erit opus, tractabitur vel de Tridento, vel de alio loco neutro, hocque etiam interim nihil innovetur in iudicio translationis, et quod Pontifex mittat aliquem ad suam majestatem, cum quo agetur de recompensatione Placentiae ».

4. Caesar petit ut mittantur in Germaniam nuntii Pontifici facultatibus amplissimis instructi pro conciliandis Protestantibus. — Flecti nunquam potuit Caesar ad restituendam Placentiam, et haec fuit novorum bellorum causa, cum Parmam Galli tuendam suscepissent. Quod ad nuntios Apostolicos in Germaniam mittendos pro conciliandis Ecclesiae aberrantibus populis, Christianaque disciplinae redintegrandae a Caesare postulate attinet, Bononienses legati suaserunt Pontifici, ut eos mitteret, atque etiam Romae pro castigandis perpoliendisque aliarum

¹ Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 289.

nationum moribus præules variorum regnorum Romæ congregaret: « V Aprilis MDCXLVIII », inquit Angelus Massarellus ¹, « reverendissimi legati probant quod proponit imperator, de reformatione facienda in Germania per nuntios Apostolicos illuc mittendos, ut eo interim fiat reformatio aliarum nationum Romæ coram sua Sanctitate, et quod vocentur prælati, qui sunt Tridenti, et qui sunt hic Bononiæ ad dictam reformationem faciendam, etc. ».

Pie quidem petiti ab imperatore legati sive nuntii a Pontifice fuere, sed non pie ab eo postulatum est, ut ii mandatis instruerentur ad dissolvendam omnem disciplinam Ecclesiasticam, petiit enim inter alia, permitti sacerdotibus, ut in cæpto concubinato prætenso nomine conjugii jacerent; ut solveretur lex de jejuniis; ut calicis usus laicis concederetur, quæ concordie species omni bello funestior futura erat. Sed hanc ipsam ab eo postulatum formulam afferamus ²:

« Facultates pio reverendissimo legato e Germania Romam misse, ut tales expedirentur.

15. « Ut statuatur competens aliquis modus circa religionem in Germanica natione observandus, donec per Concilium generale aliud definiatur, supplicatur suæ Sanctitati, ut velit committere vices suas reverendissimis dominis cardinalibus, tanquam legatis de latere cum facultatibus infrascriptis.

« In primis videlicet, quod possint omnes et singulas utriusque sexus personas, cujuscumque qualitatis fuerint, ad gremium Ecclesie redeuntes, tam in genere quam in specie, et tam in communi quam in particulari ab omni hæresi dissolvere, ac communioni fidelium, et in pristinum rem restituere, remittendo vel moderando abjuratæ formam, et alia requisita eorum arbitrio, necnon etiam propterea penas per eas incuras et pœnitentias, quas de rigore juris subire deberent, et in foro temporali et contentioso in toto vel parte, prout juxta qualitatem temporum et locorum, ac multitudinem personarum eis expedire videbitur.

« Et si hujusmodi hæreticorum aliqui sacerdotes, sive sæculares, sive regulares ante lapsum in hæresim rite et legitime ordinati fuerint, possint ipsi reverendissimi domini legati, cognita in eis vera et non ficta pœnitentia, super irregularitate per eos contracta, etiam missas et alia divina officia more hæreticorum celebrando, dispensare. Itaque ea non obstante in eorum Ordinibus et in altaris ministerio ministrare, et beneficia Ecclesiastica, quæ ante in Catholica Ecclesia obtinebant, quæ tamen non fuerint interim per Sedem Apostolicam aliis

collata, retinere, et alia in futurum eis conferenda recipere et retinere valeant.

« Et si hujusmodi presbyteri, sive sæculares, sive regulares fuerint, post lapsum in hæresim propter contractum matrimonium cum viduis vel corruptis bigamiam incurrerint, possint ipsi reverendissimi domini legati cum eisdem quorum uxores jam ab humanis decesserint, vel qui ad gremium Ecclesie omnino redire volentes illas reliquerint, etiam ad exercitium ordinum et ministerium altaris, cognita eorum qualitate idonea, ad beneficia obtinendum et retinendum, super ipsa bigamia dispensare, et hoc propter penuriam presbyterorum, et quoque in generali Concilio disponatur, quid desuper sit faciendum.

« Item si etiam ex prædictis qui in sacris constituti matrimonia contraxerunt, sive sæculares sive regulares fuerint, nonnulli, ad dimittendas uxores, eo quod continenter vivere non possint, (hoc dogma Lutheranicum falsum est, quia per Christi gratiam concupiscentia vinci potest, ut docent sancti Patres et sacræ litteræ) minime induci valebunt, habeant facultatem ipsi reverendissimi legati, considerata aliquorum singulari qualitate, et cognita eorum vera conversione, ac temporis exigentia, cum illis specialiter dispensare, ut cum uxoribus quas duxerint permanere, et stipendia Ecclesiastica percipere possint, et hoc usque ad Concilii generalis diffinitionem.

« Item, habeant facultatem dispensandi cum ipsis in hæresim lapsis, qui in sacris constituti non erunt, ut post receptum absolutæ beneficii et peractam pœnitentiam, ad id, si ab eorum ordinariis digni atque idonei reperti fuerint, possint, si voluerint, ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines promoveri, et beneficia Ecclesiastica eis canonice conferenda obtinere.

« Item, habeant facultatem absolvendi ab apostasia quoscumque religiosos, qui extra regularia loca vagantes, et his, qui ad redeundum ad eorum ordines induci non poterunt, licentiam manendi extra regularia loca, etiam in habitu presbyterorum sæcularium, deseruendo tamen aliquibus beneficiis curatis, concedendi, et hoc attentæ etiam penuria presbyterorum, ut supra dictum est.

« Item, habeant facultatem dispensandi et ordinandi circa communionem sub utraque specie cum his, quos omnino altera contentari nolle cognoverint, prout ipsis reverendissimis dominis legatis videbitur paci et tranquillitati Ecclesiarum expedire, et hoc usque ad Concilii, ut supra dictum est, diffinitionem.

« Item, possint ipsi reverendissimi domini legati circa defectum ciborum, et jejunia, ac ferias dispensare, vel moderari in communi vel particulari, prout eis expediens conscientie,

¹ Ut supra p. 291. — ² Ms. arch. Val. sig. num. 3229. p. 126 c. 3261. insert. Acta Concilii Bonon. p. 460.

quieti et animarum saluti videbitur, et hoc ut supra dictum est, usque ad Concilii generalis determinationem.

« Item, pro reformando mores cleri, ne scandalosi sint populo, detur facultas ipsis reverendissimis legatis omnia statuere et ordinare, quæ temporum qualitati et conservationi religionis secundum Deum viderint expedire.

« Item, habeant facultatem beneficia quæcumque arbitrio suo dividendi, dismembrandi, uniendo et applicandi, et hæc ad effectum, ut provideatur aliis beneficiis exilibus, seu hospitalibus, vel scholis studentium, aut aliis piis locis, sive pro prædicatoribus, vel aliis Ecclesiæ ministris, cum, vel si magis expedire videbitur, possessoribus ipsorum beneficiorum modum distributionis fructuum eorumdem, arbitrio ipsorum reverendissimorum injungere, et quod de ipsa distributione teneant rationem reddere, vel ordinariis, vel futuro Concilio, aut alias, prout per ipsos reverendissimos dominos legatos ordinabitur.

« Item, quia circa restitutionem honorum Ecclesiasticorum plurimæ difficultates occurrere possunt, ob temporum prædictorum calamitatem, ideoque detur facultas ipsis reverendissimis dominis legatis ipsam restitutionem in toto, vel in parte differendi, vel moderandi, aut cum personis, per quos fieri debet restitutio, concordandi: et hoc arbitrio ipsorum reverendissimorum, et prout eis expedire videbitur, Cæsarea majestate id postulante, tam suo quam ordinum imperii nomine.

« Item, possint ipsi reverendissimi, quoad præmissa omnia et singula, alios quoque, quos voluerint, subdelegare cum simili et limitata potestate.

« Item, quod omnia tractent interveniente Cæsarea majestate, et de ejus consensu tanquam periti rerum Germanicarum, et cujus zelus in restituenda unione Ecclesiæ sanctissimo domino nostro et toto orbi cognitus est.

« Item, quod in litteris fiat amplissima derogatio regularum cancellariæ Apostolicæ, etiam de non tollendo jure quesito, ac constitutionum et ordinationum Apostolicarum, etiam in generalibus Conciliis editarum, necnon statutorum et consuetudinum, tam provincialium quam Synodaliū, ac privilegiorum, quorum tenores in amplissima forma etc. »

46. Consulti de his a cardinale Farnesio, Pontificio nomine Concilii Bononiensis præsides respondere, adeo Cæsareis votis indulgendum, ut quidquid sine peccato tolerandum videri potuerit theologis, tolerandum assenserint, velut de retinendis uxoribus quæ prius erant concubinæ a sæcularibus sacerdotibus, non autem a religiosis: idem petere Ferdinandus et principes electores a Pio IV. Sed repulsam passos visuri sumus.

« Judicium legatorum Concilii circa facultates dandas legatis in Germaniam mittendis 1548, transmissum sanctissimo Domino nostro.

« I. Quoad primum, videtur excipiendi hæresiarchæ, quibus non videtur concedenda remissio sine publica abjurazione, vel saltem nisi in eis appareant evidentissima signa veræ et non fictæ penitentiae: de qua tamen etiam publice aliquo modo constare deberet: et nihilominus, ne difficultates a nobis nasci viderentur, posset tota hæc pars de hæresiarchis committi privatim fidei legatorum nulla facta mentione de ea in Bulla.

« II. Placet attentis illis verbis: *Cognita in eis vera, et non ficta penitentia.*

« III. Possit concedi, attentata ratione adducta per reverendissimum dominum legatum, injuncta tamen eis prius penitentia salutari.

« IV. Videtur omnino excipiendi regulares, quia forte cum eis non potest dispensari cum dispensatione communi. c. *Cum ad Monasterium* de Stat. Regular. et etiam secundum doctrinam B. Thomæ.

« V. Videtur quod possit concedi.

« VI. Si concedatur, videtur addenda clausula: *Dummodo deferant habitum suæ professionis subitus presbyteralem.*

« VII. Magnam videtur habere difficultatem propter falsum dogma inclusum, propter exemplum, et propter multa pericula, præsertim quando essent communicandi magno numero, et tempore, et etiam si sanguis esset conservandus et deferendus ad infirmos. Et quia fortasse dubitari potest, quod illorum petitio quoad hoc procedat potius ex contentione, quam ex devotione; tamen si concedendum esset, videretur addenda clausula, « quoad illos tantum, qui devotionis causa peterent, » fatendo Christum esse totum in qualibet specie, et remoto periculo effusionis, etc.

« VIII. Verbum *in communi* videtur excedere modum dispensationis, et quod saperet potius introductionem novæ legis, a qua deinceps cum difficultate retraherentur.

« IX. Placet.

« X. Non displiceret, nisi dubitarem de exemplo, quod extendi posset ultra Germaniam successu temporis, tamen non videtur, denegandum propter necessitatem, attentato præsentis statu illius provincie.

« XI. Videtur concedendum, attentata necessitate propter pacem reducendam dumtaxat, quoad moderandas restitutiones honorum Ecclesiasticorum moneantur legati, ut hæc facultate parcius utantur, cum sit res pessimi exempli, et arguat impænitentiam eorum, qui integram restitutionem facere nollent.

« XII. Non placet aliquo modo, quia eligitur industria personæ, quæ non præsumitur in omnibus.

MIII. Verbum *de consensu* nullo modo placet, et videtur mutandum, ut dicatur *de consilio*.

47. « Quoad capitula inclusa in litteris reverendissimi domini legati datis v. Aprilis, de quibus quidem capitulis dicit responsum fuisse, ea non videri a doctrina Catholica aliena: a primo de conditione hominis recti, usque ad ultimum de Ceremoniis nihil dicimus, quia oportet, quod totus tenor inspiciatur, et consideretur unumquodque quantumvis minimum verbum, quod non repugnet determinatis in Concilio Tridentino, et aliis sacrosanctis Conciliis, et traditionibus, et consuetudinibus Ecclesie, et communi doctrinae Sanctorum ».

Consulti etiam a Pontifice praesules, qui a Concilio Bononiensi Romam deputati fuerant, ita respondere ¹:

48. « Specialiter quartum caput, dum in eo de retinendis uxoribus agitur, quoad regulares, qui solemniter voto castitatis se obligarunt, moderandum esse existimamus ut nisi cum aliquibus, et his paucissimis ex aliqua urgentissima causa vel evidenti necessitate dispensetur, nimirum non initiatis sacerdotio. Quo vero ad seculares in sacris constitutos nullatenus nobis cum eisdem dispensandum videtur, ut cum uxoribus titulos beneficiorum, quibus cura imminet animarum, neque executionem ordinum quoad ministerium Altaris retinere possint. Prolapsos in eandem impietatem vidimus Lutheranos, ut illusi a Sathana sacerdotes episcopale munus in conferendis ordinibus sibi arrogarent atque etiam laici munus sacerdotale invaderent, ac tot ac tam nefarias haereses pertinacibus haurerant animis, ut licet postulata Caesarea qua gravissima trahebant animarum pericula, Lutheranis permitterentur a Romana Ecclesia, non tamen ab haeresi ad fidem orthodoxam traducendi forent, sed magis in suscepto flagitio obfirmandi, ut suis locis inferius illustrabitur.

« De septimo capite assensere, posse calicem concedi, si pietatis studio petatur, et profiteantur Christum tam integre sub una, quam sub utraque specie contineri.

« Quoad octavum circa delectum ciborum, saltem sextam feriam omnino excipiendam esse censuimus.

« Quoad nonum caput, facultatem illam generalem restringendam esse pro reformatione morum cleri nationis Germaniae duratura usque ad determinationem generalis Concilii.

« Circa decimum tertium, existimamus alienum esse a decretis et institutis sanctorum Patrum, ut spiritualia cum consensu saecularium potestatum deliniantur; licet quandoque eorum consilium requisitum fuisse memoretur ».

Consulti etiam, an expediret supersedere in iudicio translationis, subiecere: « Sanctitatem vestram humiliter rogamus ut quam primum ad expeditionem negotii devenire dignetur, prout in litteris suis Synodo destinatis, et nobis coram Sanctitate vestra comparentibus benigne pollicita est ». At obiit Carolus V, qui instabat ut intermisso ac interciso translationis iudicio, Concilium obeas causas, ob quas indictum fuerat, Tridentum reduceretur. Addidere demum iidem praesules: « Quo vero ad missionem legatorum in Germaniam, non videtur posse denegari aliquo modo propter multas rationes ». Haec illi, quae mox legatis Bononiensis Concilii significarunt, ut narrat Angelus Massarellus, qui eorum sententiam in tria distinctam capita breviter perstringit:

« XIV Aprilis domini deputati Concilii significavit legatis, quod responderent dubiis propositis ex parte suae Sanctitatis an legali essent mittendi in Germaniam? Quod sic. 2. Quoad facultates eis dandas, limitari missas a Caesare. An supersedendum sit in iudicio translationis, vel ferenda sententia? Quod feratur sententia ».

49. *Res Galliae minatur se revocaturum praesules suae ditiosis, si haec concedantur.* — Indulgebantur haec Lutheranis concepta pia spe eos a schismate et haeresi revocandos, putaruntque politici omnino Lutheranos hac arte ad Ecclesiae obsequium revocatum iri, Caesarique futuros addictissimos, adeo ut Galli politici qui Caesarem civilibus haereticorum bellis implicitum teneri proptabant, ne ipsis Caesar bella moveret, adduxerint cardinales Gallos suis artibus, ut Pontificem a mittendis legatis in Germaniam, obiecto Caesarea potentia inde agenda errore revocare miterent, quod legatis Bononiensis Concilii significatum a cardinale Farnesio refert Massarellus ¹.

« XIX Aprilis reverendissimi domini legati receperunt litteras a reverendissimo domino cardinale Farnesio xv hujus datas, quibus significat cardinales Gallos interponere difficultates ante suam Sanctitatem, ne mittat legatos in Germaniam, prout petit imperator, cum vereantur ex hoc Caesarem fieri absolute dominum illius nationis, et deinde facile conversurum se ad bellum contra regem eorum, propterea Beatitude sua aliquid certi non statuit, et quod etiam reverendissimi domini deputati in hoc sint discordes », quibus addit:

« Eo progressa est Gallorum politicorum haesim ac discordiam in imperio alere meditantium astutia, ut internuntius in aula Gallica significavit, regem Galliae revocaturum e Concilio Bononiensi suum oratorem, si legati in Germaniam decernantur, si vero non mittantur, omnes vires pro luendo Pontifice adversus Caesarem

¹ Sic 3200. p. 232, 234.

¹ *Diag. Conc. Trid. et Bonon.* p. 292.

vim conversurum ». Quod relatum Bononiensibus Patribus narrat Angelus Massarellus ¹ :

« XVI Maii nuntius Apostolicus apud Gallos significat, regem Christianissimum ægre ferre, quod legati vel nuntii Apostolici mittantur in Germaniam, cum hoc tendat ad tyrannidem imperatoris augendam, non autem ad bonum publicum, quare protestatur, si mittantur, se velle revocare suum oratorem et praelatos Gallos a Concilio Bononiensi, alias pollicetur omnem favorem et vires pro defensione Sedis Apostolicæ, prout sui antecessores semper fecerunt ».

Exosse fuerunt Deo eæ Gallorum artes, dum enim in Germania fovere hæreticos moluntur Cæsareæ potentia deprimentæ studio, hæresis clam irrepsit in Gallias, quas immensis cladibus postea funestavit.

50. *Cæsar subornatus ab impiis decretum nefarium, Interim dictum, ferre meditatur.* —

At Pontifex, quamquam pro conciliandis Ecclesiæ Lutheranis ad mittendos legatos esset paratissimus, tamen Cæsaris postulata de conferenda legatis auctoritate, permittendarum sacerdotibus et monachis uxorum, indulgentiæ laicis calicis usum, et solvenda legis de jejuniis iniquiora videbantur, quæ potius Catholicos pellectura essent in Lutheranismum, quam Lutheranos ad Ecclesiæ castra traductura, gravissimaque alia mala invectionura, quare ad temperanda Cæsareæ postulata Chissemense episcopum ad Cæsarem misit : sed Pontificius internuntius dætere Cæsarem non potuit, ut Pontificiæ potius quam suorum politicorum, qui imperialem auctoritatem auclam, depressamque Pontificiam optabant, consilia admitteret: itaque Cæsar ab impiis impie subornatus, tertiam religionis formam, adversam Catholicæ, nec cum Lutheranâ consentientem, conlavit, nec advertit disciplinam Ecclesiæ circa continentiam sacerdotum non ex placito humano, ut fingebant Lutherani, sed a Spiritu sancto et traditione Apostolica esse constitutam. Quamvis itaque examiverit Cæsar, ut sanctio sua nefaria approbaretur a Pontifice, obtinere non potuit, ut constat ex Angello Massarello :

51. « XXVI quous cardinalis Moronus rêtu-

lit novitates ex Augusta XVI et XVII hujus datas, quod concordaverint in modo vivendi in religione usque ad determinationem Concilii: mittitur a cardinale Slondrato, legato apud Cæsarem, exemplum modi, quem tractarunt Germani in dicta, secundum quem vivere debeant usque ad decisionem Concilii, et examinaverunt scripturas, quas vocant *INTERIM*.

« II Maii reverendissimi DD. legati scripserunt ad cardinalem Farnesium, quod viderunt et examinaverunt scripturam quam *INTERIM* vocant, quam in duas partes dividerunt. In prima continentur materiæ publicatæ Tridenti in Concilio de peccato originali et justificatione, et quoad hanc partem nihil a sanctissimo domino nostro innovandum censent, sed decreta Tridentina illibata permaneant. In secunda continentur materiæ nondum publicatæ, et in hac multa advertunt, quæ in scriptis ei demandantur. Nonnullis interjectis addit auctor, legatos libello Cæsareo notulas apposuisse, quibus ea quæ a veritate Catholica dissidebant, expungenda ostenderunt.

52. *Articuli propositi a Protestantibus tanquam omnino necessarij singulatim refutantur.* — Nec minus Cæsar, dum religionis dissidium in Germania componere affectat, tractandis rebus Ecclesiasticis male se immiscuit in Augustanis comitiis, ac primum colloquia inter Catholicos et Lutheranos inania atque exitialia instituit, quamvis edoctus toties fuisset, ut ab iis abstinere(1).

Controversiarum earum capita fuere eadem, quæ alias fuerant agitata.

Primum, quod a Lutheranis mordicus tenebatur, fuit de fide, qua sola conferri justificationem effutiebant, quam tamen in alio colloquio Augustano jam a pluribus annis non solum justificare consenserant, eam vero propositionem falsam esse ostensum est, uti etiam fallacem salutis certitudinem ex eo conceptam, quod quis salutem se consecuturum sibi præfidat.

Secundum controversiæ caput vertebatur de legitima Sacramentorum administratione, quam rite non tractari in Lutheranâ Ecclesiâ perspicue demonstratum est.

Tertio capite disciplina Evangelica in vero

¹ Ut supra p. 295.

(1) Inter plura Augustana comitia per hos annos iudicta, nullius adeo celebris memoria præ comitiis anni hujus superest. Horum famam perennat liber *Interim* in iisdem comitiis publicatus quo servanda in Ecclesiâ Germanica disciplina interim usque ad exitum Concilii præscribatur. Propositum huius principibus approbandum die XV Maii scribit in Annalibus suis Calvinus; sed Gassar in Augustanis Annalibus die XII Junii productum affirmat, Cæsare auctore. A Julio Pflug episcopo Naumburgensi, Michaelæ Sidonio archiepiscopi Moguntini vicario, et Joanne Agricola Islebio Lutheranis digestus fuit, quibus adjuvendus fuerat Bucerus ea de causa et Strasburgo actus; sed is approbare opus recusans non sine indignatione remissus fuit. Fidei dogmata in illo sane erant omnia; discipline quedam capita, quæ a consuetudine R. E. abhorrebant, permissa, Pontificem offenderunt, quemadmodum orthodoxæ fidei dogmata Lutheranos evertebant. Quare nec ab orthodoxis, nec ab hæreticis approbationem obtinuit. Quamquam ex principibus non pauci partem metui, partem commodi privati gratia recipere illud visi sunt, non defecerunt tamen vel in ipsa Germania principes qui palam reprobare non dubitaverint. Constantia, urbs celebris, primum restitit, dein coacta cessit. Magleburga restitit. Joannes Fridericus Saxo nec captivus quidem cogi ad id potuit. De Lantgravio ambigunt; exist enim ejus nomine inscripta ad imperatorem Epistola, qui arma sua in Lutheranos offert, paratumpse se ad liberum probandum exhibet, siquidem carcere exemptus libertati restituitur. Sunt tamen quibus litteras illas suspectas efficit constantia filiorum ejusdem Lantgravii, quos ex iisdem litteris nihil permoveri se permisisse constat, ut Cæsaris jussioni sese submitterent. Vide Durand, *Hist. du XVI^e siècle*, lib. XIX.

usu clavium constituebatur : ostensum vero est usum clavium a Lutheranis pessime exerceri, cum plerimi eorum pastores sacerdotio non sint initiati.

Quarto loco proposita est legitima institutio ministrorum Ecclesie, quam apud Lutheranos nullo jure nisi responsum est.

Quinto loco postulabatur a Lutheranis libertas sacri Evangelii : at sub aureo verborum eorum velamine plures latebant pestes, cœlibatium enim clericorum, et monachorum vota abolita cupiebant, quæ non pugnare cum libertate Evangelica ostensum est.

Sexto capite flagitabant Lutherani Christianam libertatem, at non qualem Christus et Apostoli commendarunt, sed qualem libertini antea affectabant, sed hac libertate improba in Sathanae servitute ipsos redigi illustratum est, ad quos articulos extat hoc Catholicum responsum¹ :

53. « Ad sex articulos, quos pro omnino necessariis habent Lutherani, responsio.

I.

« Doctrina de justificatione facile concordabitur, si non contendatur solam fidem justificare, et si omittatur affectata verborum novitas, et refinectur potius vetus dicendi modus, quo usi sunt Patres nostri antiqui, S. Jacobus, S. Cyprianus, S. Augustinus, de fide et operibus : Si fides vera nunquam est sine bonis operibus, ut ipsi dicunt, quid opus est addere hanc vocem SOLA, ut excludat a fide opera ? Hoc enim intendunt potissime, quando dicunt SOLA FIDES JUSTIFICAT, ut a justificatione opera excludant : quoniam vero propositio illa SOLA FIDES JUSTIFICAT reprobat a S. Jacobo et a S. Augustino expressis verbis, et multam in populo bene agendi negligentiam generat, atque etiam certis rationibus dialectice falsa esse convincitur, quia si sola fides justificaret, sequeretur, quod nec Deus, nec gratia, nec charitas, nec Sacramentum Baptismi, nec Penitentia justificaret, quia nihil horum est fides, sequitur autem, si sola fides justificat, sicut sequitur solus Deus creat aliquid ex nihilo, ergo nihil, quod non est Deus, ex nihilo aliquid creat.

« Rectius igitur omittatur hæc de sola fide contentio et dicendi novitas, ut maneamus unanimiter in antiqua SS. Jacobi, et Augustini, totiusque Ecclesie sententia, nempe, ut non baptizatus peccator per fidem et Baptismum justificetur ; baptizatus vero peccator, justificetur per fidem et Penitentia sacramentum. Hoc breviter dictum est, et neminem scandalizat, nec est contra ullam Scripturam, nec misericordiae Dei aut merito Christi derogat, sine quibus utique, nec fides, nec Sacramenta per

sese tantæ forent, aut esse possent efficaciae, ut peccatorem justificarent sine gratia Dei et merito Christi.

« Quod autem aiunt nos hac fiducia misericordiae certos et securos de salute reddi, simile est illi Lutheri doctrina, quod homo baptizatus salutem perdere non possit, nisi nolit credere, quia per fidem Baptismi dum credit aut recordatur se baptizatum esse, statim omnia peccata absorbentur. Et adhuc audacius ait Philippus Melancthon in Methodo et in Commentario ad Rom. : Eos qui dubitant an consecuti sint remissionem peccatorum, et Deo placeant, atque in gratia ejus sint, non esse Christianos, sed Ethnicos, nec certe invocare Deum. At hujusmodi temeraria de vita æterna præsumptio, certitudoque et securitas toti repugnat Scripturæ et veteris et novi Testamenti, quia in Prophetis sæpe adjicitur dubitationis vocabulum *quis scit, forte, forsitan*, ut Dan. iv, Ion. iii., Jobel. ii., et Judith. vii. et Eccles. ix., apertissime dicitur : *Nescit homo, an amore, an odio dignus sit*. In novo quoque Testamento ait ipse Dominus, Matth. vii. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine : Item, Augusta est riva*, etc. et Paulus Rom. ix. : *Non est volentis, neque currentis*. Et ii. *Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time*, etc. I. Cor. iv. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Præterea dum aiunt conscientiam sibi peccati consciam esse, quia legi nunquam satisfaciamus, hoc aludit ad illos reprobos Lutheri articulos, quod justus in omni opere bono peccat, quod nobis impossibile sit legem implere, etc. At cum dicitur est, quod Paulus ait : *Nihil mihi conscius sum*, ergo conscientia non est sibi semper peccati conscia ; et Luc. i., quod parentes Joannis Baptiste *ambularerunt in lege Domini sine querela* ; Marc. ix., quod *credenti omnia sunt possible* ; et Phil. iv. *Omnia possum in eo, qui me confortat* ; et SS. doctores Hieronymus et Augustinus dicunt, gravem esse blasphemiam dicere, quod Deus nobis impossibilia præceperit, quia tyrannicum est subditis impossibilia præcipere. Tria igitur sunt in primo articulo quæ debent corrigi. Primo, ne dicatur : *Sola fides justificat*. Secundo, ne dicant : *Vos fiducia misericordiae certos reddi de salute*. Tertio, ne dicant : *Vos legi nunquam satisfacere, sed omni opere bono peccare*. Talia enim dicta non edificant, sed scandalizant populum Dei.

II.

« Sacramentorum legitima administratio. Hic vident in oculo nostro festucam, et non vident trabem in oculo suo, ipsi enim maxime illegitime administrant Sacramenta, utpote foris extra Ecclesiam in schismate et rebellionem. Hic est omnium pessimus abusus : in Missa præterea utrumque Canonem reprobant, et omittunt

¹ T. VI. de Conc. Ms. Vat. sig. num. 3203. p. 147.

Communione unius speciei, et vocant dimidia-
lam dispensationem, cum tamen extra Missam
semper in Ecclesia fuerit communio infirmo-
rum. Eucharistiam pro infirmis non observant,
sed circa infirmi lectulum dicunt repente sine
Missa verba Consecrationis supra panem et vi-
num, et mittunt ea in os infirmi, plerumque
residuum Calicis, quod infirmus non bibit, fun-
dant in terram, nec relinunt numerum septem
Sacramentorum, altaria demoluntur, missas
privatas abrogant, in Baptismo, Chrisma et
Oleum, et alia nulla omittunt et despiciunt,
quæ semper tamen in Ecclesia fuerunt: quo-
modo igitur super iis poterimus cum eis con-
cordare? Melius profecto est, si ab his malis
cedere et cessare nolunt, ut nos permaneamus
cum reliquis nationibus, quam ut accedamus
eis, et simul cum eis fiamus schismatici, et
eorum schisma augeamus.

III.

« Disciplina Evangelica, verus usus cla-
vium. Hunc articulum facile admittimus per
omnia, si recte intelligatur, sed admonendi
sunt, quod maximus est apud ipsos clavium
abusus, nam eas committunt multis, qui veri
presbyteri non sunt, utpote a nullo episcopo rite
ordinati, et per novum eorum Evangelium om-
nis Evangelica disciplina evanuit, quia in eo
non obeditur præpositis Ecclesiarum ordinariis,
et omnis devotio, timor Dei, visitatio Ecclesia-
rum, oratio, jejunium etc. in populo languet et
minuitur.

IV.

« Institutio legitima ministrorum Ecclesiæ.
Et hic quoque in verbis nulla est inter nos dis-
cordia, sensu autem maxima, quia legitimam
institutionem vocant ipsi, ubi novi eorum visi-
tatores et superintendentes eligunt, et nova
benedicendi formula presbyteros et diaconos
instituunt, ubi nullus est verus episcopus, talis
autem institutio, ut est maxime frivola, ita in
Ecclesia tot retro sæculis approbata, aut usitata
non fuit.

V.

« Libertas sacri Evangelii. Hic difficillime
concordabimus. Difficillimum est enim nobis a
tam antiqua et lege et consuetudine totius Eccle-
siæ discedere, eisque consentire. Concubinatus
tamen non minus nobis quam ipsis displicet.
Libenter itaque simul cum ipsis consulere in
medium volumus, quomodo tolli queat scan-
dalum istud: vota autem monastica, quæ tot
utriusque Testamenti Scripturis sunt fundata,
et tot sæculis per omnem Ecclesiam compro-
bata, et in perpetuo usu servata calcare jam et
pro nihilo habere non possumus. Ut igitur di-
cere non possint nos nostra defensione velle

pacem et unitatem Germanicæ nationis impe-
dire; dicamus eis, et hic sicut super art. se-
cundo, ut ipsi primo super hac re quarant con-
sensum aliarum nationum, et Romani Pontificis,
sine quorum consensu nos in novitatem islam
consentire non possumus, quia faceremus nos
alienos ab illorum communione et vere schi-
smaticos.

« Nam quod dicunt, neminem pie et caste
vivere posse, quod laqueo sil, negamus nos
votum continentie laqueo esse secundum se;
licet per accidens laqueo fieri queat iis, qui car-
naliter vivunt et concupiscentiæ laxant habe-
nas, secundum se vero est pulehrum et salubre
sanctitatis vehiculum, vereque pietatis et vitæ
Christiane adminiculum, sicut expresse docet
Paulus I Cor. vii: *Virgo et innupta cogitat, quæ
Dei sunt, ut sit munda corpore et spiritu.* Nec est
impossibile votum illud servare, quod tot millia
monachorum et monialium per tot sæcula ser-
varunt, omnia enim poterunt in eo qui eos
confortabat, Philipp. iv. Et paulo post: *Credienti
enim omnia sunt possibilis*: Marc. ix. *Et conti-
nentiam potentibus dat Deus*: Sap. viii. Falsum
est autem quod aiunt libertatem conjugii Scri-
pturam concedere contra votum, eamque tempore
Nicanæ Concilii in Ecclesia fuisse, nun-
quam enim probare poterunt tempore illius
Concilii licuisse ulli sacerdoti monachoque aut
moniali conjugium inire, quandoquidem et
Apostolorum canones non omnibus clericis
permiserunt nubere, sed iis tantum qui in mi-
noribus erant constituti Ordinibus. Cæterum
Pauli verbum: *Melius est nubere quam uri*,
alium habet sensum, quam ipsi putant, non
enim statim uritur, quem stimulus carnis vexat,
sed qui tentatione vincitur et concupiscentiæ
consentit, juxta illud Jacobi i: *Unusquisque ten-
tatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus*:
dein, *concupiscentia cum conceperit, parit pecca-
tum*. At Paulo, cum vexaretur illo carnis sti-
mulo, dictum est: *Sufficit tibi gratia mea*.
I Cor. xii. Hoc et unicuique Ecclesiastico dici
posset, si forti animo contra tentationes carnis
resisteret.

VI.

« Christiana libertas. Hanc duplicem petunt,
in ritibus, et in cibis, ut tollant per hoc omnem
Ecclesiæ statuendi ac prohibendi auctoritatem.
At hoc est contra omnem Scripturam. Christus
jubet audire Ecclesiam, Matth. xviii, prælatos,
Luc. x. presbyteros et præpositos, I Thess. i,
Hebr. xii. Apostoli præceperunt abstinere a
sanguine et suffocato, Act. xv. Paulus jussit
facere mulieres in Ecclesia, et velatas esse, et
alii multi statuerunt multa quæ ad pietatem et
ad Dei cultum deservire visa sunt. Non est igitur
hæc Romano Pontifici et Concilii tollenda
auctoritas præcipiendi ea, quæ ad populi ædifi-

cationem faciunt. Christiana enim libertas liberat a peccato et a servitute diaboli, Jo. viii et Rom. vi, non autem a iugo præcepti, quod suave vocat ipse Dominus Matth. xi; ait enim Jo. xiii: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*; et Lutherus olim in serm. de Indulgentiis dixit, quanto plus est præcepti, tanto major est securitas, et plus meriti: et super Decalogum scribens docebat, non esse bonum sine præceptis esse, allegans illud Judic. ultimo: *In diebus illis non erat rex in Israel: sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat*. Hoc autem dicebat Lutherus non esse bonum ».

54. *Carolus V tenere se immiscet rebus Ecclesiasticis tractandis, quævis a Pontifice motus.* — XI Maii¹ reverendissimi legati scripserunt ad cardinalem Farnesium eorum iudicium circa Scripturam, quæ dicitur INTERIM, quod videlicet, quoad materias jam determinatas Tridenti, nullo modo admitti vel approbari debeat: al quoad alias miserunt notulas multas, in quibus ille libellus a Catholica veritate discordat, quare si non reformetur, nullo modo comprobandus est, et quoad sententiam ferendam super validitate translationis, si certa concordie spes appareat ex dilatione, differendam esse, alias cito ferendam ».

55. Quam male ferendis huiusmodi decretis se implicaverit Carolus V, constat ex sanctis Patribus, qui imperatores episcopale munus invadentes corripuerunt, ut Hosius² Warmiensis episcopus pluribus commemorat. Verum excusat eum Surius, quod prius libellum cum Pontifice communicarit affirmans. At falso rumore deceptus, opinatus est Surius, Carolum V egisse quod pium imperatorem decuerat: sed longe ab eo abfuit, non enim consulit Pontificem de proponendis dogmatibus fidei præscribendaque disciplina, sed legatus Apostolicus cardinalis Sfondratus monuit Pontificem, in quo Caesar errores se induceret, a quibus cum Pontifex illum pro pastoralis munere opera Prosperi Sanctaeruei Chissemensis episcopi, quem ad eum misit, amatissime revocare pertentaret, Caesar internumtum Apostolicum audire recusavit, donec in comitiis Augustanis nefarium suum decretum dictum INTERIM, quo pseudo-pontificatum Germanie invadere visus est, XV Maii fulisset, frigidaque excusatione flagrantissimum delictum temperavit, ut constat ex iis, quæ nitide recenset Angelus Massarellus³:

« XXI Maii reverendissimus dominus cardinalis de Monte recepit litteras ex Augusta XV huius datas a reverendo domino episcopo Chissemensi nuntio Apostolico, qui scribit se applicuisse Augustam XI huius, et non potuisse habere audientiam ab imperatore ante diem XV,

in qua die sua majestas hora XX publicavit scripturam, quam INTERIM vocant, ut secundum eam status Germanie vivere debeant in religione usque ad determinationem Concilii, et hora XXI audivit dictum dominum Chissemensem, qui frigide nimis exposuit suam commissionem, cum tota ejus vis consislat circa ipsum INTERIM, quod cum publicatum fuisset, nihil restabat quod cum sua majestate nomine sanctissimi Domini nostri ageret; imperator excusavit se de huiusmodi publicatione, asserens se non posse amplius refinere dietam Augustæ, et sciebat quod ipse Chissemensis non habebat in mandatis a sua Sanctitate aliquid momenti. Circa civitatem Placentinam respondit imperator velle prius agere de rebus publicis, et deinde de privatis, nam res privata est agi de Placentia, cum ea pertineat ad domum Farnesianam, et quod ipse imperator dixerat, se non egisse aliquid quod non esset boni et Catholici principis ».

56. Verum cum nondum pervenerat secundi huius decreti fama ad Pontificem, cum pacis cupidissimus modos omnes exquirebat, quibus primum decretum de dogmatibus tolerari posset, quod testatur Angelus Massarellus¹: « Pontifex mittit episcopum Fanensem in Germaniam ad imperatorem, ut una cum cardinali Sfondrato legato agat pro rebus religionis in illa provincia, et inveniat modum tolerandi scripturam, quæ INTERIM vocatur, et quod supersedetur sententia translationis ». Multis interjectis, mixtos cum veris fuisse nonnullos errores in scripto Caesareo auctor indicat, dum ait:

« XV Junii formavimus responsum ad cardinalem Farnesium super scriptura INTERIM cum episcopo Minoricensi ».

57. At Caesar in comitiis Augustanis edidit decretum, quo disciplinam sacram disciplinae instauranda specie profligavit, Pontificiamque autam ac pios omnes maxime conturbavit, ut testis est Angelus Massarellus²:

« XXV Junii reverendissimus dominus cardinalis Moronus recepit litteras a reverendissimo cardinali Sfondrato ex Augusta XIX huius datas, quibus significat imperatorem proposuisse in dieta reformationem cleri Germanici, et eis modum vivendi, quoad mores XV huius præscripsisse, ita ut jam unusquisque videat imperatorem hunc Carolum usurpasse sibi omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, nam die XV Maii præteriti præscripsit modum credendi quoad dogmata fidei, nunc autem XV huius mensis formam vivendi quoad mores Germaniæ dedit ».

In eo secundo decreto Caesar, qui novi Concilii cupidissimum se jaclabat, superiora Concilia, quæ continentiam sacerdotibus imperarunt, et laicis calicis usum vetuere, audaci

¹ Diar. Conc. Trid. in Bonon. Ms. arch. Vat. p. 294. — ² Hosius Ep. Warm. in confess. Cath. Fid. c. 25. — ³ Angel. Mass. in Diar. Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. p. 295.

¹ Ut supra 297. — ² Diar. Ms. arch. Vat. p. 298. auctore Ang. Mass. Secret.

contemptu profrivit, præfexens, id sibi licere usque ad novum Concilium, quasi homini laico ita veterum Conciliorum, quæ a Spiritu sancto regebantur, flocci auctoritatem fecisse licuerit, eoque prætextu omnia Concilia novi Concilii spe et expectatione, abrogare cuius principi liceat : ut vero in futuro Tridentino hæc rejecta sint, suo loco dicetur.

58. *Responsio Pauli petitionibus iniquis eujusdam ducis Germaniæ.* — Quam vero abhorruerit Paulus Pontifex ab his decretis, constat ex responso ¹ ab eo dato cuidam præpotenti Germaniæ duci petenti a Sede Apostolica, ut in ejus principatu conjugium sacerdotibus, laicis calicis usus, jejuniorum abrogatio ob inductas a Lutheranis turbas permitterentur (erant hæc Lutheranismi retia, quibus tot improvidæ nationes illaqueatæ sunt) : ad hæc vero Pauli III nomine brevibus, sed gravissimis sententiis responsum est :

« Petitiones ducis tres, communio sub utraque, matrimonium sacerdotum, ciborum indifferencia. Mœret et dolet et admiratur Pontifex plus credi versantibus in tenebris peccatorum, quam sanctæ matri Ecclesiæ, quæ in fide errare non potest. Novatores novis opinionibus nova moluntur ut status principum mutant, bona Ecclesiæ rapiantur. Dolet Pontifex de incommodo ducis, et sperat Deum non defuturum ei.

« Laudat ducem, quod quæstiones de fide ad Pontificem referat, quod ab Ecclesiâ non recedat. Germaniam non querere vera remedia ad evadenda pericula, quæ a Turca imminet Hungariæ et Croatiæ, ne reliquam partem occupet, cum quærat, ut schisma a papa confirmetur.

« Petitiones has non posse approbari sine scandalo omnium provinciarum, in quibus sequentes hæreses Lutheranorum comburuntur.

« Exemplum adducit imperii Constantino-politani eversi ob hæresim de Spiritu sancto.

« Ad primam, consuetudo antiqua communicandi laicos sub una specie approbata a Concilio Constantiensi est habenda pro lege. Hæc non potest mutari absque Concilio generali sine scandalo.

« Ecclesia credit totum Christum esse sub qualibet particula. Fructum quoque integrum et præmium non deesse. Ergo obediendum est Ecclesiæ. Exemplum Christi admonet, ne quærendo species externas, amittat quis fructum internum. Deus permittit variis fluctibus opinionum quati impios propter arrogantiam ». A fructibus cognoscitur qualitas hujus opinionis.

Ad secundam de uxoribus. Negari exemplo Veteris Legis, quæ jubebat offerentes extra domum manere. A majori etc. Non posse id mutari absque scandalo, et Dei offensione, et immutatione cultus. Post votum voluntarium non licet :

posse, si velint, cum Dei gratia continere se ; hortatur ad sobrietatem ; non videre qui novitates expetunt, quantum in eis mali sit absconditum ; incommoda et pericula matrimonii Sacerdotum recenset, periculum usurpationis Ecclesiæ, periculum annulationis Ordinum sacerorum. Observationi de gravioribus peccatis quæ sacerdotes committunt, respondet : Lex non est tollenda, quia Legis prævaricatores inveniuntur : sed reformatio facienda est.

Ad tertiam petitionem respondet. Per jura prohibitum est, nisi de consensu utriusque medici. Ariana hæresis prætextu libertatis jejunium tollebat. Adhortatur ad Ecclesiasticas institutiones observandas, et fructus ex jejunio explicat. Petitioni ut tolerentur hæc usque ad Concilium respondet, infringi superiorum Conciliorum auctoritatem : exemplum dari ut futura Concilia sint nullius auctoritatis, et omnia prætextu novi Concilii posse mutari Concilium hæc non concessurum. Concilio non credunt. Pontificem eurare unitatem, pacem inter principes. Admonet ducem, ut sit constans in fide Catholica.

Paruit Pontificis monitis dux ille, ac tumultuantes novatores repressit, quem de iisdem Concilium Tridentinum sub Pio IV consuluisse visuri sumus.

59. *Deplorandum Caroli V decretum dictum INTERIM.* — At Caesar a Pontifice monitus quibus se errorum laqueis implicaret, non resipuit, sed superiora duo decreta ultima Junii in comitiis Augustanorum recessu impie promulgavit, quæ inter Constitutiones imperiales a Melchioro Goldasto ¹ recensentur :

« Caroli V imperatoris Interim.

« Cum res ipsa declaret illud dissidium adeo altas egisse radices, ut jam non solum Germanicam, verum etiam multas alias nationes attingerit, omnibusque eis commune esse cœperit, ita ut visum sit huic tam gravi morbo nullo alio convenientiori remedio, quam per viam Universalis Catholici Concilii subveniri non posse, impetravit tandem ad preces statuum sua majestas post multas in ea re habitas tractationes, quod generale Concilium in Germanica natione Tridenti convocatum et celebrari cœptum sit ; quapropter et horum comitiis initio cum statibus ita egit, eosque permovit, ut insequentes sanctorum patrum, majorumque nostrorum vestigia, qui in negotiis fidei semper ad sacra Concilia recurrere, eisdemque obtemperare soliti fuere, in adhesionem et submissionem hujus Concilii communiter consenserint, ac ulterius suæ majestati liberum permiserint, de Christianis ac convenientibus mediis cogitare, quibus medio tempore usque ad finem ac determinationem Concilii omnes status pie ac pacifice simul vivere et habitare queant, ita ut nemo contra jus

¹ To. xi. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197.

¹ Est. inter Constit. Imp. apud Gold. to. 1. p. 518.

ac æquitate gravetur. Et sicut sua majestas tunc temporis hujusmodi statuum consensum ac remissionem clementissimo animo suscepit, ita et nunc non minus suscipit.

« De negotio vero remissionis tanquam per se gravissimo sua majestas haectenus paterno affectu fideliter, et cum summa diligentia deliberavit, statuumque sententias (sicut ipsimet sciunt) exquisivit : neque persona non sine dolore animi percepit quam immensa incommoda huic inclite nationi haectenus ex prædicto dissidio fuerint illata, quæ calamitas et pernicies ex eodem impendat, ita ut inevitabilis necessitas expostulet pro constitutione ac conservatione firmæ pacis, justitiæ, unitatis ac pro tollendis discordiarum seminibus, hanc rem usque ad progressum et determinationem generalis Concilii, non in præsentî statu et confusione quasi suspensam relinquere, sed potius ad majorem Christianam concordiam, moderationem ac saniozem et propiorem intellectum reducere, variisque contrariis opinionibus amplius non connivere vel committere, ut per eas publica pax amplius turbetur et impediatur.

« Dum igitur majestas sua in hoc tota est occupata, peropportune contigit, quod quidam viri magni status et nominis proculdubio, bono quodam zelo erga Christianam concordiam, pacem et tranquillitatem, et ex vero erga patriam amore adjunctum hoc consilium et sententiam ipsorum suæ majestati proposuere, exactius discutendam tradidere, seque diligentius eam observaturos polliciti sunt.

« Id consilium sua majestas nonnullis egregiis sacræ Scripturæ peritis ac probatis doctõribus videndum commisit, ex quorum relatione animadversum est, id, si in recto Christiano sensu intelligatur, a nostra vera Catholica religione, et Ecclesiasticis doctrinis, statutis et ordinationibus (exceptis duobus articulis Communionem sub utraque specie et Matrimonium Sacerdotum concernentibus non abhorrere, sed ad promovendam ac impetrandam pleniozem controverse religionis Christianæ concordiam, conservandamque in sacro imperio publicam pacem et tranquillitatem conducere, quemadmodum et adhuc majestati suæ attenta qualitate horum ita videtur, nihilque magis in votis est, quam ut omnes ordines sub ipsius Casareo regimine, sicut ex officio hoc suæ majestati incumbit, in religione concorditer et pacifice simul vivant et conveniant.

Itaque majestas sua communes status, qui haectenus ordinationes et status universalis Ecclesiæ observant, requirit clementer petens, ut et in posterum ea observent, constanter in eis permanent, perseverent, nec desistant, vel quodquam immutent, quod se facturos esse constanter asseruerunt. Reliquos vero status, qui innovationem instituerunt pari, modo ma-

jestas sua clementer et serio requirit, ut vel communibus statibus sese rursus conjungant, et cum illis in observatione statutorum ac cæremoniarum universalis Ecclesiæ Catholice consentiant, vel saltem in doctrina sua, et Ecclesiasticis ordinationibus cum prædicto consilio sese omnino conforment, nec ultra illud quidquam instituant vel attentent. Et casu, que ulterius se intromisissent, per omnia sese præfato consilio et confessioni conforment, firmiterque in eo permanent, et ut omnes status ad promotionem publicæ pacis, quietis et unionis prædictum scriptum pro nunc tolerant, neque illud impugnent, neque contra illud doceant, scribant aut concionentur, sed omnes status universalis Concilii declarationem atque determinationem patienter et obedienter expectent.

« Nihilominus majestas sua omnem diligentiam adhibebit, nihilque intentatum relinquet, quo Concilium Universale juxta statuum requisitionem quamprimum celebretur, et Germanica natio ap præsentî schismate penitus liberetur.

« Similiter et majestas sua tota in eo est occupata, ut Catholica quædam reformatio concipiatur in præsentibus quoque comitiis ipsis statibus publicanda, de qua sperandum sit, ipsam usque ad determinationem sæpe dicti Concilii, ad tollendos abusus et scandala, atque ad plantationem et conservationem Catholica disciplina, rationis vivendi et virtutum non parum frugiferam futuram.

« Et quamvis in sæpe nominato consilio sub Rubrica de Cæremoniis inter alia contineatur si quid in illis succreverit, ex quo superstilitio oriri posset, ut illud tollatur, etc. reservat sua majestas sibi in eo, et aliis articulis, ubi et in quantum opus fuerit, nunc vel deinceps omni tempore potestatem convenienter statuendi ac disponendi. Quidquid enim sua majestas ad promovendam Dei gloriam, ad componendam controversam religionem, conservandam firmam pacem, justitiæ et tranquillitatem in sacro imperio Germanicæ nationis, denique ad utilitatem et commodum communium statuum suscipere, instituere, efficere et promovere poterit, in eo sese juxta officium suum imperiale, cum omni clementia exhibet promptissimum.

« Atque hæc ad declarandam Casareæ majestatis voluntatem communibus imperii statibus clementer et benigne significanda duximus.

Distincta sunt illa in hæc capita i. De conditione hominis ante lapsum. ii. De conditione hominis lapsi. iii. De redemptione per Christum Dominum nostrum. iv. De justificatione. v. De utilitate et fructibus Justificationis. vi. De modo per quem homo justificationem accipit. vii. De charitate et bonis operibus. viii. De fiducia remissionis peccatorum. ix. De Ecclesia. x. De notis

et signis Ecclesiae verae. xi. De auctoritate et potestate Ecclesiae. xii. De ministris Ecclesiae. xiii. De Pontifice et episcopis.

60. « XIII. Atque ut Ecclesia, quae est unius capituli, hoc est, Christi unum corpus, eo facilius in unitate contineri posset, etsi multos habet episcopos, qui populum ejus, quem Christus pretioso sanguine suo acquisivit, regant, idque jure divino, unum tamen in remedium schismatis, qui caeteris omnibus praesit, cum plenitudine potestatis Summum Pontificem habet, idque pro praerogativa Petro concessa, quod ipsum quam utile sit ad avertenda Ecclesiae schismata satis constat, iis qui non ignorant, a contemptu hujus summi Sacerdotis plerumque schismata orta esse, ut Cyprianus scribit et res ipsa testatur; qui igitur Cathedram Petri tenet Summus Pontifex eo jure quo Petrus accepit a Christo dicente: *Pasce oves meas*, universam Ecclesiam et gubernat et gubernare debet. Qua tamen potestate sua uli debet non ad destructionem, sed ad aedificationem. Hanc autem plenitudinem potestatis, sic videtur Christus Petro ejusque successoribus dedisse, ut reliquis episcopis partem sollicitudinis ejus commissae non abstulerit, sed suarum Ecclesiarum et dioecesium veros jure divino episcopos esse voluerit. Debent autem Christiani homines, et Pontifici summo, et singulis suis episcopis parere juxta illud Apostoli: *Obedite praepositis vestris, qui vigilant pro animabus vestris* ».

XIV. Subduntur plura de Sacramentis in genere. xv. De Baptismo. xvi. De Confirmatione. xvii. De Sacramento Poenitentiae. xviii. De Sacramento Eucharistiae. xix. De Sacra-unctione. xx. De Sacramento Ordinis. xxi. De Sacramento Matrimonii. xxii. De Sacrificio Missae. xxiii. De memoria Sanctorum in Altaris sacrificio fieri consueta, et de eorum intercessione inibi expedita, et obiter de Sanctorum invocatione. xxiv. De memoria defunctorum in Christo. xxv. De Communionem cum sacrificio jungenda. xxvi. De caeremoniis et usu Sacramentorum. Illoc caput viginti quatuor articulis distinguitur. Mox subditur:

« XXVII. Et quanquam cum Apostolo sentiendum, eum, qui celebs est, curare quae sunt Domini, etc. eoque magis optandum multos inveniri clericos, qui cum coelibes sint, vere etiam contineant, tamen cum multi, qui ministerii Ecclesiastici functiones tenent, jam multis in locis duxerint uxores, quas a se dimittere nolint, super ea re generalis Concilii sententia expectetur, cum aliqua mutatio in ea re, ut nunc sunt tempora, sine gravi rerum perturbatione nunc fieri non possit.

« XXVIII. Illud tamen negandum non est, etsi conjugium per se honorabile est juxta Scripturam, eum tamen qui non ducit uxorem, et vere continet, melius facere secundum Scripturam.

« XXIX. Eadem est ratio usus Eucharistiae sub utraque specie, cui multi etiam assueverunt, et ab eo avelli sine gravi rerum motu hoc tempore non possunt. Et quia Concilium Oecumenicum, cui omnes imperii status se submiserunt, procul dubio piam et sollicitam curam adhibebit, ut in hoc casu conscientiam multorum et publicae tranquillitatis optime consulatur, qui usum utriusque speciei antehac receperunt eumque relinquere nolunt, super ea quoque re deliberationem et sententiam Oecumenici Concilii expectent.

« Illi tamen, qui utrumque speciei usum amplectuntur, illam inveteratam sub una specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent, nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Oecumenicum decreverit ».

Subdit Christum sub singulis speciebus integrum contineri, atque adeo adorandum, ac etiamsi asservetur Eucharistia, in ea permanere: demum hortatur ad servanda, quae ad disciplinam cleri et populi pertineant, atque ad tollenda publica offendicula constituentur¹:

« Datum in civitate imperiali Augusta die ultima Junii anno Incarnationis Christi Domini nostri MDCXLVIII, imperii nostri XXVIII, regnorum trigesimo tertio ».

61. *Promulgatur sanctio inscripta: Reformatio politicae imperialis.* — Promulgata est eadem die ultima Junii sanctio inscripta *Reformatio politicae imperialis*, in qua inter alia Carolus Quintus pie pro Caesareo munere blasphemos impia in Deum, in Salvatorem, in ejus Sacramenta, in Genitricem Christi, in Sanctos verba vomentes justis poenis afflicti, ebrietatem coerceri, castigari luxum, concubinos et adulteros plecti, famosorum libellorum, picturarum auctores et typographos, venditoresque multari jussit². « Carolus Quintus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus etc. Universis et singulis nostris, et sacri Romani imperii electoribus et principibus Ecclesiasticis, archiepiscopis, episcopis, et aliis praefatis, etc.

« Gratissimum nobis fuit, placuisse dilectionibus vestris et vobis conceptam reformationem, ex qua disciplinam Ecclesiasticam multis partibus deformatam pristinae dignitati ac nitore restituere pro virili vestra statulistis, cupientes ea parte sollicitudinis, quam suscepistis e manu Domini, afflictis imperii rebus succurrere, et omni studio, ac diligentia collapsam paene religionem erigere ac confirmare: quam vestram voluntatem egregiam sane ac piam, ut perspectam ante habuimus, et nunc libenter agnoscimus, ita quoque deinceps in ipsa rerum administratione operam vestram futuram strenuam ac diligentem nobis pollicemur. Ideoque ne pius

¹ Ext. apud Gold. to. 1. p. 547. — ² Ibid. to. II. p. 525.

hic exercenda reformationis calor longa temporis dilatione refrigeretur, valde nobis probatur, quod in hoc ipsum de celebrandis Synodis Dioecesis ad festum divi Martini diem proximum constituistis, nam Provinciales ut ante Quadragesimam omnes absolvantur, videtur omnino necessarium. Data in civitate nostra Augustana Vindelica die IX mensis Julii MDCXLVIII, imperii nostri XXVIII, et regnorum XXXIII ».

Subtextitur formula illius reformationis Ecclesiasticæ decrepta ex sacris Canonibus, et ex Traditionibus, et e sacra Scriptura, donec a Concilio generali corruptelæ, quæ irrepserant, tollerentur, quæ hisce capitibus distincta est. I. De ordinatione et electione ministrorum Ecclesiæ. II. De ordinum Ecclesiasticorum officiis. III. De officio decani et canonicorum. IV. De horis canonicis et psalmodiis. V. De monasteriis. VI. De scholis et Universitatibus. VII. De hospitalibus pauperum infirmorum et peregrinorum. VIII. De dispensatione verbi Dei, et officio Ecclesiasticæ. IX. De administratione sacramentorum. X. De administratione sacramenti Baptismi. XI. De administratione sacramenti Confirmationis. XII. De Missæ cæremoniis. XIII. De sacramenti Penitentiae administratione. XIV. De Unctionis-Extremæ administratione. XV. De Sacramenti Matrimonii administratione. XVI. De cæremoniis Ecclesiasticis. XVII. De disciplina cleri et populi. XVIII. De pluralitate beneficiorum. XIX. De disciplina populi. XX. De justificatione. XXI. De Synodis. XXII. De excommunicatione.

Nonnulla in his sparsa erant, quæ juri Pontificio, quo immunitates et privilegia nonnullis concedebantur adversa erant, adeoque præsumptis expetere a Cæsare, ut cum Pontifice ageret, ut in iis huic decreto se accommodaret, quod minus Cæsar in se recepit.

62. *A viris optimis Interim Caroli V reprehenditur, et in conciliandis Protestantibus nequam proficit.* — De hoc instaurandæ Ecclesiasticæ decreto promulgato a Cæsare refert Angelus Massarellus¹: « Secunda Julii MDCXLVIII, cum cardinali de Monte formam reformationis ab imperatore in Germania propositam examinavimus. IX Julii, cardinalis de Monte de ea scribit ad cardinalem Farnesium ».

Reprehenderunt viri prudentia et doctrina conspicui in Cæsare, illum nonnulla contraria decretis Concilii Tridentini inseruisse; ac licet tacito nomine Concilii doctrinam veram tradidisset, arguendum tamen ex eo quod minus alienum invaderet, potuisse illud honestius decernere, ut Concilii decreta servarentur, et ita postulare, ut Concilium Tridentum transferretur. Alii tamen aliter senserunt, ut in veteri Ms. cardinalis Pii tum edito perpenditur²: « Cum

Cæsar (inquit) improbet translationem, et velit eogere redire Tridentum, ostendit nolle Concilium esse liberum, ut etiam in publicatione INTERIM videtur credere Concilium non esse legitimum, nunquam legitime congregatum. eum in eo contineantur et diversa et contraria decretis Concilii, ut de lapsu hominis, et de justificatione, et de auctoritate papæ; si enim decreta Concilii de verbo ad verbum in INTERIM inseruisset, subiciens nomen Concilii, et non accepta illa ferens Concilio, culpandus adhuc esset; si enim volebat ponere falcem in messem alienam, quo nomine nunquam excusaretur, etiamsi Evangelium ipsum publicasset, debebat prius statuere, quod decreta Concilii essent servanda, et hoc colore petere ut Concilium rediret Tridentum, sed cum ipse impugnet illud hac sua falsa doctrina, non video; quo jure petat reditum Concilii ad Tridentum; quam enim eorum vult habere Concilii non legitimi, et potius conciliabuli, quam Concilii?»

Conflata est superiori Cæsareo decreto hæresis *Interimistarum*, a quibus tamen idem decretum non fuisse observatum refert Stanislaus Hosius³ episcopus Varmiensis, postea cardinalis et Concilii Tridentini præses: « Conscripta fuit in Germania quædam INTERIM religio, (quam recte nolo dicere), sed fuit auctoritate comitiorum ab omnibus prope recepta, paucis quibusdam exceptis: num autem a quibus recepta est, apud eos legitimum sacerdotium, juxta formulam in eo libello præscriptam, fuit restitutum? Nihil minus, etiam INTERIMISTÆ æque sunt, fuerunt, ut alii Lutheristæ, nisi quod a carnibus alicubi abstinent in Quadragesima, et pro sabbato, et rem divinam, vel prophanam potius, ne dicam sacrilegam, facientes, lineis et sacerdotalibus aliis indumentis nonnullis in locis utuntur ».

63. Non conversos eo decreto ad fidem orthodoxam Lutheranos, sed inter se in diversas sectas fuisse dissectos, idem episcopus multis interjectis narrat⁴:

« Inter Lutheranos, et Christianos quoties actum fuit de concordia! Quæ causa vero fuit, cur INTERIM religio constitueretur, nisi quod non deccant qui minime dubiam spem ostenderent fore, ut per hanc viam et rationem cõeret inter Christianos et Lutheranos concordia? Num autem eum, quem sperabant homines, res est exitum consecuta? Minime gentium: quin, quod omnium fere judicio paucissimis exceptis in comitiis imperii fuerat approbatum, quod summa eorum voluntate constitutum, hoc paulo post ab illis ipsis, a quibus fuit receptum, non est servatum. Lipsenses ne viderentur non esse prudentiores quam universum imperium, quamvis in plurimis ad illam in comitiis præ-

¹ Ang. Mass. in *Deat. Gene. Lud. et Bonon. Ms. arch. Vat.* — *Ms. ed. Pii*

² Stanislaus Hosius de expresso Dei verbo p. 62. — ³ *Ib.* p. 69

scriptam INTERIM religionem assensu fuerant, pleraque tamen sua suique magistri Martini Lutheri retinenda esse putaverunt, ac duplex INTERIM conscripserunt, quod in quibusdam consentirent, in aliis ab eo, quod erat constitutum in comitiis, discrepant. Wittembergenses vero quaquam et vicini Lipsensium, et eidem principi qui subscripserat INTERIM religioni subjecti, quoddam et ipsi scriptum ediderunt, nec INTERIMISTÆ, verum ADIAPHORISTÆ dici et esse voluerunt, et in minus multis quam Lipsenses, a magistri sui Lutherani doctrina discesserunt. Porro Saxonie civitates cum faces illi adderet Matthias Flaccus Illyricus, ne latum quidem unguem, a magistri sui Martini Lutheri placitis sibi discedendum esse duxerunt, cum quidquid ab illo dictum esset et scriptum, id tanquam expressum Dei verbum recipiendum et adorandum esse censerent. Itaque post concordiam tentatam, quæ facta jam etiam esse putabatur, major est discordia consecuta. Nam sicut ipsi Lutherani nefario scelere, ab unitate Catholica se tanquam ab area Dominicæ separarunt, sic et suam paulo post unitatem discordiis furialibus dissiparunt, vel de sola alba veste linea, cujus vetus usus est sacerdotibus in templis, quantæ fuerunt, quam acerbæ contentiones inter Germanos Lutheranos, quales videri volunt ii qui sunt a Flacco, et inter degeneres Lutheri discipulos, quos ille vocat ADIAPHORISTAS, et INTEREMISTAS, cujusmodi sunt qui Philippum sequuntur? Quæ fuit autem causa, cur tam hostiliter mutuo minutis adeo de rebus insecrarentur? Non alia, quam quod metuebant Germani Lutherani, si qui fuissent ex priscis illis ritibus, et ceremoniis in Ecclesiam restituti, ne qua a Luthero ad Christum inclinatio facta, neve secuturo papatui fenestras fabricari viderentur. Si qui vero Lutherani dici gaudent, tanto studio caverunt, ne vetustis Ecclesiæ ritibus restituti papatui fenestras fabricarentur, quanto majore studio providendum nobis est, qui non alio magis, quam Christianorum nomine gloriamur, ne fabricentur Satanatui, cui fabricantur procul omni dubio cum assuefiunt homines Ecclesiam non audire, si quæ fuerint ab illa decreta pro nihilo ducere, tum illius iudicio suum privatum iudicium antepone.

64. Illius fuisse Cæsarem a Lutheranis tradit Gaspar Cardillo¹, cum enim armorum potentia cogere eos ad officium potuisset, nimium illis adblanditum fuisse, qui ea indulgentia abusi sensim collectis ac redintegratis viribus, incautum pæne oppresserunt, ut ex suo decreto INTERIM dicto nil atinud, quam dedecus discrimenque extremum sibi compararit.

« Reprehendunt enim Protestantes clarissimum omni genere virtutis imperatorem Ca-

rolum V, quod INTERIM conscribi fecerit, hæreticisque concesserit, dum Concilium celebrandi tempus a bellorum tumultu liberum atque exemptum suppeteret, et quod clementiæ ac benignitati Cæsaris dandum erat, id adversarii (more suo) minis ac vi illatæ tribuunt, quasi vero tunc Cæsar jure cum hæreticis Germanis agere non posset, ut INTERIM dum Ecclesia Catholica in OEcumenica Synodo rem illam definiret, de qua publica controversia agitabatur, Ecclesiæ Romanæ vetustam disciplinam atque fidem nulla immutatione facta sectarentur, ac si jus asperrarentur, non posset ille nullo aut facili negotio potentia atque armis, quibus bene instructus erat, in antiquo eodem officio retinere, sed clementissimus atque optimus imperator, ne qua ratione Germanos exasperaret, sed benignitate potius et mansuetudine provocaret ad religionem, passus est, ut INTERIM dum celebraretur Synodus, pleraque illi tenerent nova, modo INTERIM nihil innovarent. Illi vero accepta conditione non solum fidem datam servare sartam tectam minime voluerunt, quam interposito jurejurando Cæsari adstrinxerunt, sed veluti furis quibusdam atrocissimis agitati, tunc maxime errorem errorum, hæresim hæresi, tumultum tumultui, seditionem denique longe alia graviore et magis periculosa seditioni cumlaverunt, donec tandem undique collectis copiis potentiores effecti, injustissime arma adversus imperatorem ac principes suos pestilentissimi homines arriperent: verum est enim, quod Augustinus testatur, hæreticos initio vulpes esse, quoniam cum viribus possunt parum, arte, calliditate, fraudibus atque dolis plurimum utuntur, armis vero potentes effecti, leonibus esse similes omnino, qui, uti unguibus leones, vi et armis omnia tentent, aggrediantur, pulsent, diripiant atque discerpant etc. » De hac Lutheranorum prodicione agetur inferius suo loco, ex qua perspicue enitescet, quam male Cæsar se eorum neniis duci passus fuerit, nec leges pro redintegrando Concilio Tridentino propositas a Concilio Bononiensi et Pontifice admiserit: collimabant enim eo impiorum artes, ut non Concilium vetere Ecclesiæ more et instituto celebraretur, sed cogeretur conciliabulum, in quo jam definita in aliis Conciliis atque in ultimo Tridentino in controversiam adducerentur, ut ex fide dignissimis monumentis¹ constat, quæ etiam docent, decretum Cæsareum INTERIM dictum nec apud Catholicos valuisse: adversus protestationem vero Cæsaream, ne ea temere effusa evertisse Ecclesiæ auctoritatem putaretur, scripta exarata sunt, ut Angelus Massarellus², qui Concilio Bononiensi a secretis erat, memorat: « XIII Julii aptavimus respon-

¹ Gasp. Cardill. disp. i. p. 696.

¹ Ext. in fo. III. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 262.
— ² Ang. Mass. in Conc. Trid. Bonon. p. 326.

sionem dandam imperatori ad suam protestationem contra Concilium a Minoricensi primo formatam, in qua totum diem consumpsimus».

65. *Cæsar meliorem se gerit erga Pontificem.*

— Inter hæc revocatus est ex aula Cæsarea cardinalis Sfondratus Cremonensis qui legatum Apostolicum apud Carolum V imperatorem agebat, quem xxvi Julii Bononiam ingressum refert Angelus Massarellus, additque Petrum Bertanum episcopum Fanensem, qui xvii Junii ad Cæsarem missus fuerat, ut de rebus Concilii ac de Placentia restituenda ageret, varia colloquia cum administris Cæsareis contulisse irrito exitu. Dum Cæsar acerbe ageret cum Pontifice, ac plura adversus ipsum moliri videretur, atque in bellum dissensio eruptura crederetur, Pontifex pro Concilii et Ecclesie dignitate tuenda ac libertate Italie defendenda, cum Henrico Gallorum rege fœdus armorum sancire meditatus est, dumque de bellicis sumptibus conferendis agitur, Lugduni certam vim auri apud trapezitas a Pontifice deponi voluit, atque ex eo difficultas non levis oborta est, ad quam leniendam Hieronymus Dandinus episcopus Imolensis ad regem Christianissimum, per equos dispositos celerime provolare iussus est; ea de causa Alba-Spina, qui regi a secretis erat, xxii Augusti Romam ad Pontificem accessit, sed irrito exitu id fœdus agitatum est, ut Dandinus episcopus Imolensis xv Septembris retulit, Cæsar vero melius agere cepit cum Pontifice, et concordie cum Cæsare spes ostensa est, de qua hæc refert memoratus Angelus Massarellus¹: «Prima Augusti reverendissimus dominus cardinalis de Monte recepit litteras a reverendo domino episcopo Fanensi nuntio apud imperatorem, quibus significat egisse cum ministris Cæsarianis, et concordasse quod Concilium suspendatur per sex menses, et quod interim supersedeatur in sententia translationis, et quod mittantur facultates quas petit imperator, et quod fiat reformatio, ubi voluerit Pontifex cum interventu prelatorum omnium nationum, quod placeat imperatori. XII Augusti recepimus litteras a cardinale S. Crucis, quod ea forma concordie non spernatur a Pontifice». Mox subdit ab eodem cardinale significatum esse, quedam Cæsaris postulata immutatum iri. Nunquam tamen assensit Paulus Caroli V Cæsaris decreto *Interimistico* de permittendis sacerdotum vel monachorum conjugiiis, ut constat ex aliis fide dignissimis documentis; de mittendis vero Apostolicis internuntiis in Germaniam pro conciliandi Ecclesie Lutheranis, ac temperanda erga eos canonum Ecclesiasticarum acerbitate, Pontifex, adversante Gallorum rege, qui Germaniam perpetuo civili bello implicitam percipiebat, constituit, quos non fuisse adhuc

missos querebatur Cæsar, sed ob iniquiora ejus postulata retardata res fuerat non sine justissima causa, ut in Instrumento de translatione Concilii juridico refertur²: «Nec arguendus est Pontifex de mora in missione legatorum super hoc INTERIM, quia in causa fidei, quæ est omnium gravissima, cunctandum erat, nam etiam Concilium in decreto justificationis per novem menses supersedit, quod decretum confessor Cæsaris dixit, nec sanctius, nec sanius ab Angelo potuisse fieri, nec excusandus Cæsar, quod a dicta vellet recedere, cum post publicationem INTERIM per multos dies non recesserit».

66. *Quibus conditionibus admittendi sint in gremium Ecclesie hæretici.* — Diu certatum est de modo et conditionibus, quibus admittendi essent in gremium Ecclesie Lutherani vel alii hæretici, deque auctoritate internuntiis Apostolicis conferenda, cum Cæsar nonnulla cum legibus Ecclesiasticis pugnantia flagitasset, de quibus consulti præules doctrina florentissimi ita respondebant Pontifici³:

67. «Quamvis redeuntes ab hæresi tantum recipiendi forent, ut laicis communicarent, et satis foret admitti ad pacem, qui hostes fuere Ecclesie: ex sententia Cypriani ad Stephanum, nec promoveri deberent ad majorem dignitatem, id decernente Gregorio in Epistola quam scripsit universis Numidis, et Leone in Epistola ad Januarium episcopum Aquilegiensem, in septima tamen Synodo, quæ dixit, id fieri exemplo aliarum sex Synodorum, decretum est, recipiendos revertentes ab hæresi, et jussi sunt Basilius episcopus Ancyrae, et Theodorus episcopus Mirensis et Theodorus episcopus sedere in gradibus suis, Anatolius, qui a Dioscuro ordinatus fuerat, nedum receptus, sed factus princeps episcopus Constantinopolitanus, et id quidem non absque ratione, cum plus erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas, ut dixit Gregorius in Epistola ad episcopos per Galliam et Germaniam constitutos, et nunc præcipue, ubi per gravem dissensionem scissura non hujus aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages instet, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis sincera charitas subveniat; habeant ergo de præterito detestabili errore sicut Petrus habuit de mendacio et timore, amarum dolorem, et veniant ad Ecclesiam Christi veram, id est, Catho-

¹ Ms. card. Pii ex discursu juridico de translat. Concil. — ² Ms. card. Francise Barb. sig. num. 2677. Pag. 83. Habetur in cap. *Si quis Presbyteri* l. 1. q. 7. Habetur in cap. Nos 12. *dist.* Habetur in cap. *Saluberrimum* l. 1. q. 7. *Pharocriton*. Habetur in cap. *Conventibus* l. 1. q. 7. Habetur in cap. *Leot* l. 1. *dist.* Habetur in cap. *Ut constitueretur*. L. *dist.* Et in cap. *Ipsa est pietas*. 23. q. 4. Vgo Can. et alii in d. c. *Ipsa est pietas*. Habetur in cap. *quodam* in q. 7. et in cap. *Ego Berengarius de consensu*. d. 2. Habetur in cap. *Si quis* 23. q. 3. Habetur in cap. *Legat.* 23. q. 2. c. *Si quis per apostropha* L. *dist.*

¹ Ang. Mass. in Cap. Tit. et Bonon. p. 297.

licam matrem, sint in illa clerici, sint episcopi utiliter, qui contra eam fuerunt hostiliter; verba fuere Augustini ad Bonifacium; quod tamen provenit ex Ecclesie misericordia et claritate, quæ quos recepit ad veniam, non repellit severitate pœnæ, ut sic eos alliciat ad sui emendationem exemplo patris qui filium prodigum recepit cum honore.

« Propterea Germaniæ redeunti ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ dici potest, quod dicitur Hierem. III: *Tu fornicata es cum multis amatoribus, revertere ad me, dicit Dominus, et ego recipiam te.*

« Ex his subsequitur non alienum fore a ratione et æquitate si Sanctissimus D. N. acquiescens postulatis Cæsareæ majestatis, nuntiis in Germaniam destinandis facultatem et auctoritatem dederit redeuntis ad Ecclesiæ gremium absolventi, et moderandi pœnas et pœnitentias, ac alia indulgendi, quæ primo, secundo et tertio capitulis continentur.

« Si tamen remittitur formula abjuratōnis hæresis, scilicet specialis detestatio, imprecationes, chartula professionis fidei, et aliæ solemnitates, de quibus meminit Gregorius in Registro, non tamen videtur omittendum juramentum, se scilicet non recessuros, nec præstyturos hæreticis auxilium et favorem. Magna enim apud Germanos juramenti religio, et usque adeo ut etiam vi et metu extortum servent.

« Cavendum etiam erit, ne indiscreta sit aut nimie facilis hujusmodi remissio, mentique infixum esse debet, quod dixit Gregorius Homil. quod ea, quæ in nos committuntur facile possumus dimittere, ea vero, quæ in Deum commissa sunt, cum magna discretionem sunt relaxanda, et diligenter prospiciendum, ut vera sit hujusmodi pœnitentia, non ficta aut simulata, cum non legatur, ex quo est religio Christiana, nec detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, aut ab ipso denique Salvatore, veniam nisi corrigentibus esse concessam, mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus, ut rescripsit Fausto apud Constantinopolim legato; provocat enim Dei iram, qui impœnitentibus veniam impartitur, teste Cyr. in lib. de lapsis.

« Inducendi viderentur, et modis omnibus alliciendi Protestantium concionatores et pseudotheologi, ut quam scriptis improbarunt majorum nostrorum fidem, religionem, ritus et ceremonias, editis libellis approbarent et agnoscerent, ac quemadmodum non erubuit Lutherus in lib. quem scripsit contra Zuinglium, Oecolampadium et Carolostadium, omnia illa improbare, quæ ante quadriennium aut quinquennium conscripserat, et in visitatione Saxonia in pluribus recedere ab his, quæ prius docuerat. Nec Bucerus erubuit Argentinæ e sug-

gesto in magna populi frequentia retractare, quæ docuerat de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nec id vitio dandum, cum et Augustinus retractaverit, quæ prius asseruerat: ac quemadmodum universa illa cohors Augustinæ Confessionis non erubuit ab illa Apologia, quam post conventum Augustensem anni MXXX ediderunt, cui veluti sacre anchoræ innitebantur, in pluribus dissentire in Apologia edita anno MXXI, quam tamen pro eadem haberi volebant, et pugnantiæ etiam profiteri, ut Zuinglianos ad se traherent. Sic nec hi ipsi Apologiarum auctores erubescere deberent pro tollendo schismate, pro pace concilianda, pro animarum suarum salute veritatem agnoscere, eamque fidem scripto profiteri, quam majores sui continuata sæculorum serie professi sunt, disjectisque densissimis tenebris veram lucem aspiceret, et abruptis catenis, quas humani generis hostis ad eos perdendos iniecerat, sese ab ejus captivitate vindicare, ut eadem manus salutem restituat, quæ vulnus intulerat.

« Nec præterendum censeo, non debere delegatos Apostolicos in communi absolutio-nem impartiri, quod petitur ¹ caput I, si per in communi intelligunt una communi absolute absolvi universum populum, quia sicut universitas excommunicari non potest, cum persona sit quadam representata carens anima, sic nec absolvi potest a nexu excommunicationis, qua hæretici ipso jure irretiti sunt.

68. « Majorem difficultatem habet, quod IV caput continetur, cum dicitur: Si qui in sacris constituti Matrimonium contraxerunt, sive sæculares, sive regulares, ad dimittendas uxores, eo quod continenter vivere non possint, minime induci valebunt, possit cum aliquibus, ex speciali prærogativa, pro temporis exigentia, dispensari, qui volent cum uxoribus permanere et Ecclesiastica stipendia percipere. Et in primis non admittenda ratio, quod continenter vivere non possint, quoniam nemo, si vult se continere, potest dicere: Non valeo, cum teste Apostolo Corinth. X: *Fidelis Deus est, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus sustinere.* Et Genes. IV: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Et Ecclesiast. XV: *Aut hominem vita et mors, hominum et malorum, quod placuerit dabitur ei.*

« Secundo, perpendendum videtur, an danda sit hujusmodi dispensatio ², an ab ea abstinendum, in quo censerem minime concedendam, nec ullam fore aut temporis necessitatem, aut personæ prærogativam, quæ justa causa sit ut his concedatur, quoniam etsi annis cō a Christo nato permissum fuit uxorem habentes assumi ad sacerdotium, quod pauci in legis

¹ C. Romana de sent. excomm. n. I, b. — ² Habetur in cap. Presbyt. de 27. dist. Habetur in cap. Cum in præterito 81. dist.

Evangelicæ exordio forent cœlibes Ecclesiastico ministerio idonei, et ne eo tempore, quo in Christianos sæviebat tyrannorum rabies, hæc etiam legis austeritate delerrentur homines a fide suscipienda et sacerdotio, nunquam tamen permissum fuit sacerdotibus Matrimonio jungi, quod id foret posita manu ad aratrum retro aspicere, et retrocedere a perfectiori statu ad imperfectiorem; quinimo expresse vetitum can. 25. Apostolorum, et deinde a Calixto I, Carthaginiensi Concilio asserente, hoc exemplo docuisse Apostolos, et ipsam servasse antiquitatem, et alii pluribus synodis.

« Non negamus apud Romanum Pontificem auctoritatem esse dispensandi, aut (jus divinum interpretando) declarandi ex urgentissima causa, ut sacerdos aliquis regularis vel sæcularis valeat matrimonium contrahere, idque quandoque fecisse Romanum Pontificem, sed dicimus in casu nostro id minime faciendum, nec adesse rationabilem causam, quoniam si dispensandum cum his, qui post votum castitatis uxores duxerunt, repugnante jure divino, quoniam modo si id petierint, ut indubite petent Germani, negare poterimus, repugnante solum humano jure, quod omisso in suscipiendis ordinibus sacris castitatis voto, uxoriali in sacerdotes assumi, aut etiam sacerdotes qui votum castitatis non susceperint, mariti fieri possint? Etsi enim Ecclesiæ institutum sit, quod ad sacros Ordines promovendi castitatem vocent, juris tamen divini est, quod postquam voverint, votum reddant. An autem expediat, aut deceat legem cœlibatus abrogare, quantum esset immutare universalem statum Ecclesiæ, quam prope id esset sacerdotes ad sæcularem ordinem traducere, omnia profanare, satis discere possumus exemplo Orientalis Ecclesiæ, quæ tamen nullo unquam tempore permisit monachos uxores ducere, ut alias disseruimus.

« Deinde habenda est ratio, quod etiamsi parcendum sit multitudini, cum sine scandalo puniri non possit ex sententia Augustini, auctores tamen scelерum puniendi sunt, sicut num. 10 mandavit Dominus suspendi principes populi pro peccato multitudinis, et rescripsit Alex. III archiep. Toletano¹. Et propterea sacerdotes et apostate Germania, qui causa fere dissidii, et auctores tot hæresum et abominationum, quibus divina et humana omnia polluerunt, tante effusionis sanguinis, perditionis tot animarum, et denique tot malorum, puniendi forent, non autem cum his dispensandum, ut sacrilegas plurimi uxores retinere possint. Quod si pro bono pacis remittenda est eis pena, moderanda penitentiæ, recipiendi in

gratiam, et ex magna indulgentia stipendio Ecclesiastico sustentandi, non tamen tam malo exemplo confovendi in sua pertinacia, ut uxores retineant: persuadendi igitur sunt et cogendi, quin etiam præmiis et stipendiis alliciendi, ut dimittant. Facite erit eis, quas pro uxoribus habent persuadere, ut pro communi incolumitate, pro filiorum salute et sustentatione seorsum vivant, et eorum careant contubernio, cum videant, quos pro maritis habuere, et ex eis susceptos filios opibus juvari, ad honores et dignitates assumi, alioquin perdendos et ejiciendos; quod si obdurati in suo errore persisterint, providendum, ne conventus habeant, ne quid scriptis disseminare audeant, quin etiam banno imperiali e tota Germania ejiciendi, constituenda præmia capientibus et eos interficientibus, et denique omnia tentanda et providenda potius, quam indulgendum sit, ut cum tanto Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio uxores retineant. Hæc mea hucusque constans est opinio, et ut in ea sint et alii prudentes maxime cupio et opto.

69. « De Communionem sub utraque specie, de qua cap. VII, in primis præmittendum, quod quia sacra Scriptura, et Salvator ipse noster indifferenter, modo unius duntaxat speciei, modo duarum meminit, colligi posse, non multum referre sub una, vel sub duabus speciebus sanctum Eucharistiæ Sacramentum suscipere, nisi obstaret Ecclesiæ constitutio, et antiqua plurium sæculorum observatio; loca autem quæ unam tantum speciem aut commendarunt, aut præceperunt, sunt hæc Jo. VI: *Hic est panis qui de Cælo descendit, ut si quis manducaverit ex eo, non moriatur.* Et rursus: *Panis verus est, qui de Cælo descendit, et dat vitam æternam. Item: Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi.* Et paulo post: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et in Oratione Dominica solum panem substantialiorem postulamus, et Dominus Jesus discipulos euntes in Emmaus, solo pane communicavit, fuit enim illa panis traditio post benedictionem et fractionem Sacramenti Eucharistiæ exhibitio, ex Augustino lib. III. de consensu Evangelistarum.

« Loca autem de utraque specie sunt eodem VI cap. Joan.: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam.* Apost. ad Cor. X: *Unus panis, et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et uno calice participamus.* Et cap. XI: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Item: Quicumque manducaverit panem hunc, et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.*

« Secundo, præmittendum est, olim et per

¹ Habetur in cap. *Ut non liceat clerico* 7 dist. et in cap. *Indelic* 23. q. 1. Habetur in cap. *Inter* 1. c. 11.

multa sæcula fuisse usum communicandi sub utraque specie ¹, quod ex pluribus Sanctorum scriptis colligitur. Soter enim Pontifex, qui fuit xii a B. Petro, inquit : In Cena Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ quoniam eodem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus gravissimis criminibus inhibitus est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam penitentes eadem die a percipiendo corporis et sanguinis Sacramento reconciliuntur.

« Cyprianus uno sæculo posterior in serm. de lapsis, dum loquitur de quadam puella a Dæmone obsessa, ad ipsam divina celebrantem deducta, inquit : Ubi vero solemnibus adimpletis diaconus calicem offerre cæpit præsentibus et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare persistit, tum Diaconus etiam reluctanti de Sacramento calicis infudit.

« Augustinus ² in lib. Sententiarum Prospere, inquit : Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Domini corporis immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?

« Gregorius ³ in quadam homil. Paschali, inquit : Quid sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur; quare non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

« Sextæ Synodi ⁴ caput habetur : Didicimus, quod in quibusdam Ecclesiis sacerdotes Sacrificio oblationis jungant uvas, quæ in Altari offeruntur, et sic utraque populo dispensent, præcipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat.

« Ex sermone S. Ambrosii ad Theodosium imper. cum eum ob cladem Thessalonicensium Ecclesia exclusit, constat ætate sua laicos sub utraque specie communicasse, cum inquit : Istasne adhuc stillantes sanguine injustæ cædis manus extendes, et his sanctissimum Domini corpus prehendens, vel tum pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi : et habetur lib. v Ecclesiast. historiae Theodoretii ep. c. xviii.

« Idem colligitur observatum usque ad ætatem D. Thomæ Aquinatis, dum dixit in part. Summæ quæst. 80, art. xii, esse usum multarum Ecclesiarum, in quibus populo communicanti detur corpus Christi sumendum, non autem sanguinem. Si multarum, ergo non omnium, et quæst. 82. dum dicit, quod dispensatio sanguinis convenit diaconibus.

70. « Cum itaque primum consuetudine, cujus initium ignoratur, et forte non multorum sæculorum indictum sit, ut laicis detur Eucharistiæ sacramentum sub una dumtaxat specie, et deinde a Constantiensi Concilio sancitum, nec repugnet jus divinum, quod sub utraque specie detur pro bono pacis, et ad tollendas religionis controversias, ut etiam in aliquo condescendamus infirmitati pusillorum, et plus nimio scrupulosis conscientiis videretur, nedum his, qui usum communicandi sub utraque specie susceperunt, sed omnibus, qui voluerint in Germania, quin etiam in aliis nationibus et provinciis, ne dispar in re tanti momenti sit ritus et observatio, abrogato decreto Constantiensis Concilii, committere uniuscujusque conscientiæ sub una vel utraque specie communicare, modo communicantes sub utraque non detrahant unam dumtaxat sumentibus, quod integrum non sumant, sed dimidiatum sacramentum, ac etiam fateantur non minus sub una specie, quam sub utraque adesse verum et integrum Sacramentum, et verum et impassibile corpus cum sanguine et anima Domini nostri Jesu Christi.

« Nec probarem, quod delegati Apostolici id indulgerent per modum tolerantiae et conniventiae, quomodo Judæis permissus fuit repudiij libellus, illa enim peccatum non excluderet, non sublato Ecclesiæ decreto, quod nunquam permittendum est, etiam ut declinetur majus peccatum, sed quod abrogato aut sublato Ecclesiæ decreto, auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ veræ sponsæ suæ sit licita, et digne sumentibus utilis et salutaris, ea scilicet ratione ut quod erat illicitum prohibente Ecclesiæ, sublata prohibitione, reddatur licitum permittente Ecclesiæ.

« De delectu ciborum et jejuniis, quod capit. 8. continetur, non damnant Protestantes jejunia et delectum ciborum, ut de se mala, prout fecerat Jovinianus, non ignari utrumque commendari, tam in veteri, quam in Novo Testamento, sed contendunt, non omnia meliora aut optima legibus sancienda, sed faciliora tantum, quæ commodius servari possint, et propterea super his decreta abroganda, sed egregie falluntur. Quoniam ut dixit Augustinus in lib. de vera Religione cap. xxxi in istis temporalibus legibus quamquam de his omnibus judicent, cum eas instituunt, si tamen fuerint institute et firmate, non licet de ipsis judicare, sed secundum ipsas (si modo de delectu ciborum et jejuniis humanae leges sunt, non potius divinæ, et ex traditione Apostolorum deductæ.) Postquam enim per tot sæcula receptæ sunt, non videtur disceptandum, quam difficiles sint, et propterea abrogandæ, sed sequendæ et observandæ, nec ideo malæ censendæ, quod plures sint transgressores, quod observatione difficiles sint, prout de lege cælibatus dictum est. Propterea censem dele-

¹ Cap. In Cæn. de consecr. dist. 2. — ² Cap. Cum frangitur de consecr. dist. 2. — ³ Cap. Quid sit de consecr. dist. 2. — ⁴ Cap. Dilectio de consecr. dist. 2.

gatos abstinere debere, et a novis constitutionibus et a derogatione veterum, quæ sicut universali aliarum nationum, provinciarum consensu decretae sunt, et usu comprobatae, ita et universali consensu abroganda forent, si abrogandas urgens necessitas suaderet, idque omnino ad Concilium rejciendum. Probarem tamen quod aliquod ciborum genus, qualia sunt ova et lactinia jejunii tempore, excepta Quadragesima, quod multis in locis usus, vel potius abusus introduxit, permitterentur, quodque aliqui ab illius observatione expressim eximerentur, quales sunt pueri et adolescentes citra xxi, et senes ultra lx suæ ætatis annum, prægnantes, ilinerantes, et qui labore corporis et virium defatigatione artes suas exercent. Jejunia tamen, quæ Vigilias vocant, et dies festos non receptos ab universali Ecclesia, sed in locis particularibus introducta et obligatione eximi, et uniuscujusque affectui et devotioni citra obligationem permitti possent.

71. « De reformatione morum cleri et facultate statuendi et ordinandi, quod 10 cap. continetur, major res videtur, quam quæ a nuntiis Apostolicis fieri debeat, sed opportuna videretur auctoritas legati cardinalis, et Synodi, vel Generalis, vel Provincialis, præsidente ipso Apostolico legato; tutius tamen foret Generali, quam Provinciali Synodo providere. Ardua enim res est, et multis periculis plena novarum legum constitutio, sat esse, si antiquorum canonum usum restituerent, sublatis abusus. Idem de his quæ in capite continentur.

« De restitutione bonorum Ecclesiasticorum in primis habenda est ratio, ut restituatur intermissa fere in tota Germania decimarum solutio, quæ cum jure divino constituta sit, et ante legem, et post legem Moysi datam, et a Salvatore nostro in lege gratiæ comprobata, eo majori diligentia procuranda est, quo majori auctoritate decreta.

« De aliis autem bonis pro varietate casuum varia sunt incunda consilia, nam quedam sunt monasteria et Ecclesie prorsus solo aquata, quedam quorum extant ædificia, sed prophanata et ad alios usus translata, istorumque et illorum aut nulli, aut vix unus, vel alter superest monachus, vel minister, eorum prædiis et provenibus a principibus aut magistratibus occupatis, nonnullis etiam a privatis hominibus possessis, ab aliquibus titulo emptionis, dotis et legati defunctorum ipsis ignorantibus auctores fuisse mala fidei possessores.

« De monasteriis penitus desolatis, seu destinatis, cum in Germania paucissimi sint, qui velint regularem vitam profiteri, et propterea exigua supersit spes restituendi in eis regularem observantiam, videretur constitui posse collegia secularium clericorum, aut illa unienda et applicanda militia S. Georgii, alias in Ger-

mania ad preces Friderici III Caroli imperatoris proavi, instituta, vel novum militiae Ordinem constituere ». Et infra :

« Illis, et prioribus præceptoris allici facile possent Protestantium concionatores et theologo ad concordiam, etiam omnia uxorum retentione, si sibi et filiis de his præceptoris provideretur, qui postquam assecuti fuissent, metu eas amittendi, etiamsi bonus fidei zelus abesset, in officio retinerentur, quo fieret, ut brevi tempore desistentibus a doctrina concionatoribus, oblivioni traderetur Lutherana vesania.

« Ac etiam cum episcopi, et alii habentes jurisdictionem, non modicum patiantur detrimentum in eorum redditibus et provenibus, ex eo quod magistratus sæculares sibi vindicant jurisdictionem in causis Ecclesiasticis, officium etiam delegatorum erit, providere, ut jurisdictione et libertas Ecclesiastica illæsa remaneat, et sublata non minus quam immobilia restituantur.

« Et autem concordia super bonis ablatis et eorum fructibus perceptis facilius redderetur, exorandus esset Cæsar, ut permitteret, quin etiam mandaret iudicibus imperialis cameræ, jus dicerent contra bonorum Ecclesiasticorum occupatores, sublata quacumque suspensione alias facta ».

72. Demum exeunte Augusto idoneis instructi mandatis internuntii Apostolici tres decreti fuere in cardinalium senatu, quorum nomina Angelus Massarellus¹ subjectis verbis recenset :

« IV Septembris M^oXLVIII, recepit reverendissimus dominus cardinalis de Monte a cardinali S. Crucis, quibus significat, quod ultima præteriti mensis fuerit consistorium : in quo deputati fuerint episcopi Moysius Lipomanus Veronensis, Sebastianus Pighinus Ferentinus, et Aliphanus nuntii Apostolici in Germania; ut eant cum facultatibus, quas petit imperator dispensari cum Lutheranis ad gremium redire volentibus ». Cujus vice Fanensem deinde missum fuisse in aula Cæsarea tunc agentem narrat Massarellus.

Eæ vero facultates postulate a Cæsare non in effusa amplitudine internuntii concessæ sunt, sed justitia pro Dei cultu amplificando temperate, non ad Ecclesie destructionem, sed ædificationem, ut eloquitur Pontifex in suis diplomatibus : cum enim non idem casus occurrerent in omnibus, qui solvi lege Ecclesiastica flagilabant, ideo pro eorum varietate distincta fuere tria Diplomata, quibus jussi sunt internuntii in sacerdotum conjugii, et communionis sub utraque specie permittendis, jejuniorum et feriarum observantia restringenda,

¹ Ang. Mass. in Dip. Cons. Trid. et Bonon. Ms. n^och. Vat. p. 305. Pellum, ead. l. c. de Cler. c. 19.

sacerdotiorum vectigalibus conjungendis, rerumque ablatarum restitutione componenda esse parcissimi, ac nisi tres internuntii mutua sententiarum consensione conspirarent: ideo vero importunis precibus Cæsaris, quem a suscepta sententia dimovere non poterat, nonnullis assensisse visus est Paulus, quod cœlibatus sacerdotum positivo tantum jure, licet antiquissimo et æquissimo, imo ab Apostolis tradito constitutus esset: ac Cæsar Lutheranos ex ea indulgentia ad fidem Catholicam et Ecclesiæ conjunctionem revocandos præfideret. At promissa Cæsaris de Lutheranis ea ratione Ecclesiæ conciliandis evanere: stetitque fixa et inconcussa de cœlibatu sacerdotali Ecclesiæ vetustissima disciplina, nec sacerdotes Lutherani cum Ecclesia in gratiam admissi, nisi pellices abigerent. Ex iis enim internuntiis Sebastianus Pighinus episcopus Ferentinus profectus in Germaniam lapsa bimestri, certiozem fecit cardinalem Farnesium, se peragrasse superiorem Germaniam non sine periculo; infectos Lutherana lue in perfidia obduruisse, et paucos ad religionem Catholicam reversiones, spesque lenues eorum in castra Ecclesiæ traducendorum affulgere, nisi Cæsarea majestas magis strenuam operam ad id contulerit: jacta quidem ab ea fundamenta redintegrandæ veræ religionis in omnibus terris ipsi obnoxii, aut in maxima earum parte, Ecclesiasticos et monachos, qui pulsati ab hæreticis erant, suis bonis restituuisse: in Ecclesiis principibus duo altaria excitari jussisse, omnia enim eversa ac sublata fuerant, et in iis quotidie duo sacra celebrari, sed paucos iis interesse, compressis imperio illius adversariis, Catholicos in omnibus locis concionari posse. At quod majoris ponderis erat, non interdixisse Lutheranos a concionibus habendis, ac propterea illos majori quam antea diligentia ac furore habere conciones, impietatemque diffundere et confirmare, cum formidarent ne extingueretur. Addit quoque plura Cæsari ex formula decreti, cui INTERIM nomen est, sese pollicitos; at promissis defuisse, illique illudere, satyrisque dielini compositis illud decretum traducere. Donec ergo eos perduelles ac perfidos meritis pœnis affecerit, vulturque falsas suas opiniones prædicare, quibus infelices populos seducunt ac dementant, eo quod quæ carnem et sensum afficiunt, iis mirifice jucunda sunt, nullus felix restituendæ religionis successus sperari potest. Ita denique concludit: « Spero majestatem Cæsaream, intellecta rei veritate, sedulo adhibendæ operæ non defuturam, ac certissime rem conficere potest, religionemque pristino splendori restituere, cum tanquam dominator Germaniæ extra virgam imperitet, proceres ac plebeii tanto ejus nominis terrore perfusi sunt, ut nullus ejus voluntati repugnare ausurus sit, cum hujus

secte signiferos ac principes ducem Saxonie et landgraviarum Hassiæ in vinculis teneat, ac munifioribus arcibus ducis Wittenbergensis potiatur, præsidiaque validissima omnibus terris liberis imposuerit, ac veteribus magistratibus dejectis, novos pro sua voluntate præfece- rit. Hæc sunt de quibus modo reverendissimam et illustrissimam dominationem vestram admo- nendam censeo. Moguntia v. Novemb. MDXLVIII. ».

73. *Sententia Gallorum episcoporum de reformatione morum.* — Decretis in Germaniam internuntiis, Pontifex ad corruptelas quæ irrepserant tollendas, disciplinamque cleri et populi Christiani instaurandam curas convertit, atque ex variis regnis episcopos Romam exci- vit, eaque de causa indictos fuisse xxix Septem- bris conventus episcoporum in Gallia apud Noliun, ut episcopi Galli Romam mittendi pro disciplina Christiana ad meliorem formam re- vocanda decernerent, refert Angelus Massarellus ¹, in quibus conventibus actum est de Pontificis Romani auctoritate, quam Carolus V prædictis suis protestationibus infringere molie- batur, multisque argumentis illustrata, ut ex subjecto episcoporum consulto Henrico Gallo- rum regi dato patebit ²:

« Communis aliquot episcoporum Galli- cæ Ecclesiæ sententia, quam rogati dederunt. Videntur necne mittendi Romam episcopi aliquot disceptaturi de moribus universæ Ec- clesiæ.

« Est hoc ad nos relatum a rege nostro Christianissimo Henrico ex beatissimi Patris Pauli papæ nostri litteris, viderentur nobis Romam esse mittendi aliquot episcopi, qui cum cæteris, qui illuc convocati essent, agerent de collapsa corruptaque Ecclesiæ disciplina ». Et paulo post:

« Id quidem haud paulo facilius esset expli- care, nisi hoc ab rege Christianissimo peteretur, eo tempore potissimum, quo utpote publico Christianorum conventu instituto, nec liberum est nobis decernere, nec si nobis hoc integrum sit, reipublicæ commodum.

« Etenim hoc in primis considerandum, quem in locum summa rerum Christianorum progressa sit, quid ex eo conducat, quid secus animadvertendum.

« Exorta est jampridem Martini Lutheri pes- tilentissimi hominis pestilentior secta, quæ pri- mum administratorum Ecclesiæ auctoritatem, vim deinde sacramentorum et efficaciam labe- factans, post in dissimiles secumque pugnantem hæreticorum familias dissecta, omnem admo- dum Christianæ religionis speciem deformavit et corripuit integritatem, postremo cum in arcem totius pietatis invasisset, Baptismi, Eucharistiæ,

¹ Ang. Mass. in *Diar. Conc. Trid.* et Bonon. p. 308. — ² Fr. Belcar. *Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229.* p. 247. Ms. Franc. card. Barb. sig. 2077. p. 153.

reliquorum sacramentorum religionem atque sanctitatem evertit.

«Ad hæc, quæ non alia disciplinæ Christianæ instituta Oecolampadiani, Zuïngliani, Buceriani, Calviniani, cætera importunissimæ pestes et immanissimæ violarunt, tum scriptis factisque impudentissimis, tum præcipiti quadam et perditâ prædicandi ac obloquendi vanitate et obtractandi petulantia? In quo profecto omnem superarunt antiquorum immanitatem et insaniam hæreticorum, quoniam ex furore et recordia hæc rabies profeta est recentioris veneni, haud paulo magis furiosa amentia.

74. «Itum est utcumque obviam a Catholicis, et est res libris ac disputationibus acta, nec minus tamen maxima Germaniæ pars, nonnulla Galliæ, Britannia pæne tota, maxima ubique perditorum hominum multitudo hoc incendio conflagravit. Ex eo tempore haud dubie Christianum Concilium cœpit esse pernecessarium, ut et isto morbo correpta Ecclesiæ viscera curarentur quamprimum, et ab integris arceretur contagio. Cujus unius remedii permulta extiterunt vetustissima exempla, sed ne ultima repetamus, Apostoli, cum de circumcissione gentium a nonnullis esset illata quæstio, convenerunt Hierosolymam, res constitit, habito Concilio, ne gentes circumcisei cogentur¹. Secundum hæc tempora, ut Simonem, Basilidem, Apellem, Menandrum, cætera Ecclesiæ vulnera omittam, Paulumque Samosatenum Antiochiæ confutatum ac damnatum, Nicæna Synodus adversus Arianorum blasphemias propugnavit et Trinitatis veritatem in unitate, et in Trinitate unitatem; stetit pro Spiritus sancti divinitate contra Macedonium, Eunomium, Eudoxum Constantinopolitanam; damnavit Ephesina Nestorium duas in Christo personas constituentem, uti unam in eodem Christo naturam asserentem Eulychem abbatem Constantinopolitanum, et Dioscorum et Nestorium iterum Chalcedonensis, altera Constantinopolitana Theodorum; aliæ alios Christianæ Ecclesiæ et religionis hostes.

«Hoc exemplo in tanta hæreticorum insolentia ad unicum subsidium pietatis occursum est, universe videlicet Ecclesiæ Concilium. ut quibus copiis adhuc res Christiana fuit hæreticis omnibus schismaticisque superior, Patrum quidem auctoritatibus, nos iisdem uteremur in non dissimili periculo. Hæc itaque causa quæ fuerit, hoc tempus quam justum, quam necessarium, quot quantisque exemplis nitatur antiquitatis, satis arbitramur esse probatum, ut nec tempore, nec causa, nec necessitate conventus ipse Tridentinus ulli antiquorum cedere videatur. Haque decretus et indictus est a beatissimo

patre papa nostro Paulo, adnitate tunc rege nostro Christianissimo Francisco, instante etiam imperatore Carolo, quorum alterius nunc vita functi memoriam laudibus apud omnes homines, lacrymis vero etiam ad Christum, et assidua totius Ecclesiæ nostræ precatioe prosequimur, alterius quoque vitam et salutem, qua debemus charitate complectimur, auctoritatem certe utriusque conjunctam præsertim arbitramur esse defendendam, nam quidquam aut in beatissimi papæ nostri Pauli desiderare Sanctitatem, aut in gravitate Tridentinæ celebritatis, nec pudoris est nostri, nec recti sincerique iudicii: quid enim eum non laudare auctorem possumus, qui in locum successoris principis Apostolorum Petri, aut eam non suscipere frequentiam, quæ Ecclesiæ totius suslineat dignitatem atque potestatem, cum utriusque tot tantaque testimonia sint sanctitatis atque gravitatis?

75. «Apostolis suis² verba sua annuntiaturus non universis tantum, sed singulis Spiritum sanctum ad principes præsto fore pollicetur Christus, neque quod respondeant solliciti sint³, neque enim eos fore qui loquerentur aut responderent, sed Spiritum Patris sui illis omnia quæ dixerunt suppeditaturum. Hoc autem præ cæteris Petro tributum videtur hoc argumento, quod qui se improbatum lapidem⁴ in Scripturis dici intelligeret Christus, quanquam Paulus Apostolus angularum, Petrus ipse offensionis et scandali, idem ille Christus eum Petro hujus nominis notionem communicaverit, *Tu vocaberis* (inquit) *Cephus*, idem ad nominis sui egregiam ingenuamque professionem Petri eadem in eodem denominationem repetivit, addidit et consequentia illa, quæ mirifice commemorata sunt de exædificanda Ecclesia, perstatque in ejusdem nominis mysterio discipuli præcepto, de singulari potestate alligandi et solvendi. Sunt quamplurima alia, sed hoc vel maxime ad præstantiam muneris, quod ter repetita commendatione committit gregem suum Dominus Petro præter cæteros omnes.

«Neque tamen minus se in conventu Catholico affuturum et Spiritu sancto administraturum pollicitus est, nec minorem cæteris, quorum gravitatem et auctoritatem sustinet episcopi, quam Petro, cujus dignitatem refert summus Pontifex Romanus, et alligandi et expediendi facultatem fecit atque auctoritatem, remissionem retentionemque peccatorum, et apud Matthæum⁵ sancti Spiritus inspiratione futuram suam presentiam, et gubernationem Ecclesiæ sempiternam predicationisque pollicetur remissionem.

«Eundem autem Spiritum Petro⁶ atque

¹ Matt. x. — ² Matt. xvii. — ³ Ps. xvi. — Matt. xxv. I. ph. iii. Is. ii. I. Pet. ii. h. ⁴ xxv. Matt. xviii. — ⁵ Joan. xvi. — ⁶ Matt. xviii. Joan. xv. — ⁷ Matt. ii. — ⁸ Ad. Gal. ii. ad. Eph. iv.

universæ Apostolorum fuisse Ecclesiæ ita probabile est, ut Paulus quoque adscriptus ad illum numerum, cum qui Petrum sublevasset in administrationem circumcisorum, testatus sit adiutorem sibi fuisse, et legato, et oratori ad gentes, et quidem quemadmodum unum in una Dei Ecclesiæ corpus est, unus est Spiritus, unus Dominus, una Fides, unus Deus, ita hæc omnia in Petro et Apostolis, in optimo Pontifice et optimo præsumptu eadem sunt.

« Sic id quod est ipsum decantatum viri omnium sapientissimi versibus retinendum est ab omnibus, ut Ecclesiæ quam maxime una sit: *Una*¹, inquit, *est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ*, etenim sic illius simplicitas atque constantia servabitur, si unus semper fuerit, et boni Pastoris, et veræ Ecclesiæ sensus secum semper ipsa consentiens, sed ab alienis discedens, nisi forte in illo Apostolorum conventu Petri principis mentem ab reliquorum Apostolorum sensu, hoc est autem Spiritum a Spiritu discrepare putamus, et in hoc *unitatem coarquinamus* Apostolice edicti, quod ita habuit: *Visum est*² *Spiritui sancto, et nobis*. Aut nobis illis omnibus scribens Paulus ad Corinthios³ illum conventum, quem ut cum suo absente spiritu ad illius incesti damnationem unum in locum convenire hortatus est, summam in eo consensionem probavit; in altera ad eosdem Corinthios Epistola inquires⁴, *Siquid, cui conceditis, et ego*. Itaque illa eodem in Spiritu suis in omnibus conjuncta partibus Ecclesiæ, et sibi ipsa conveniens non modo in capite, sed ne in articulis quidem ullum, sive doctrinæ, sive morum experiri potest dissidium.

« Non est quidem Ecclesiæ certe hoc modo aliud Paulo, quam domus Dei, columna fundamentumque veritatis, et hæc sane duo cum uno in sensu conspirant, quid absurdum esse queat, quam alterum cum altero committere stultis istis et insulsis decertationibus? Hoc dum quarunt ineptissimi homines, Summine Pontificis auctoritas sit Conciliorum auctoritate potior an contra, dissentientium enim partium est istiusmodi dijudicatio, et pugnantium inter se, non unius ejusdemque et Dei et Domini Spiritus opinionum et voluntatum, si forte dissimiles essent ac diversi invicem: summa Ecclesiæ conciliatio non patitur hoc Ecclesiæ vere dissidium, et hoc Paulus ad Corinthios detestatur et aspernatur a se in enuntiatione verbi divini, ulla appareat inconstantia ejusmodi; videtur in his contrariis verbis inesse est, et non est, quid autem magis secum pugnet, quam si partes inter se Concilii alicujus ita discrepent, ut idem aliæ affirmant, aliæ negent, ut indignitas eadem incidat, quam tanta indignatione Paulus prose-

quitur, cum hæc inter discipulos jactari cognosceret: *Ego quidem sum Cepha. Ego sum Pauli. Ego sum Apollo*. Tunc enim justissima et sanctissima animi peroratione velut excalescens inquit: *Divisus est in vobis Christus? an Paulus pro vobis crucifixus est?*

« Paulo post idem rem totam ita concludit, ut ne quid divisionis, aut sectæ admittere videatur, utpote quem ab uno principio totum pendere, ab uno fonte proficisci, et defluere necesse sit: *Ego plantavi, (inquit) Apollo rigavit, sed neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*. Ergo ex ipsius Dei majestate atque præsentia, non ex sua utriusque dignitate perpendenda est utriusque auctoritas.

« Qui autem aut Marcellini papæ causa abdicatio, aut accusatio Damasi, aut Anastasii papæ detestatio, aut recentiorum nonnullorum invidia Pontificum, aliorumque oberil innocentia, quemadmodum nihil efficiat ad elevandum Conciliorum Catholicorum aut potestatem aut fidem acilari ab hæreticis schismaticisque conventus, quibus una sæpenumero opposita Pontificum Romanorum auctoritas integritatem relinquit Ecclesiæ.

76. « Princeps Apostolorum Petrus ancillarum atque servorum proterviorem vultum non ferens, non modo præceptorum dissimulavit suum, verum etiam negavit Iurpiter ac flagitiose, et idem ille socio administrationis Paulo, post acceptum proprie Spiritum sanctum, dignus est reprehensione habitus: haud propterea tamen, aut Christi misericordia ex superiore culpa est iudicatus indignus, aut ex posteriore castigatione minus ad principatum idoneus. Ita se res habet, singulorum vitæ ac moribus facile detrahitur, quanquam est apud nos iniquos haud admodum difficilis humana infirmitas venia.

« Catholicorum porro Pontificum solennes conventus ab omni fraude suspitioneque vacant, quorum gravitas dignitasque omni superiorum temporum antiquitatisque commendatione et fide celebratur. Horum de jure atque amplitudine si quid ademptum sit semel aut detractum sit in posterum de subsidio, quod unum semel reliquum extitit laboranti titubantique religioni, ut omnia effudisse medicamenta restituendæ veritatis, atque salutis publicæ videantur, qui vim illam atque religionem nlla ex parte tentare conati sunt, hoc est Spiritus sancti vocem labefactare, diminuire majestatem, potestatem convellere. Horum auctoritate Romani Pontifices suam dignitatem conservarunt, ut Nicei, et Chalcedonensis, et cæterorum, quorum illos decretis stetisse testantur canones universi¹, tum eorum auctoritate comprobati,

¹ Cant. vi. — ² Act. xv. — ³ I ad Cor. v. — ⁴ Ibid.

¹ Dist. 15.

tum admixti, adscriptique Pontificiarum Epistolarum auctoritatibus; Gregorius non minus quam Evangeliorum, Conciliorum approbat atque veneratur instituta. De iis non multo secus Gelasius¹ sensit; ab Apostolorum canonicibus ad quartam et vigesimam Lugdunensem alteram Synodum, recensentur omnes atque comprobantur. Papa Zosimus, Gelasius, Leo, Damasus, Urbanus, cæteri complures ita decreta Christianorum conventuum confirmant, ut vel Romanis Pontificibus præ cæteris omnibus rata sint. His quantum Augustinus tribuerit, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, infinitum esset recensere, quin etiam supervacaneum, qui Græci Latini que auctores hos fere secundum sacrarum litterarum dignitatem, sanctitatem, auctoritatem, fide proximis esse voluerint, quorum de jure non dubitavimus eadem illa prædicare, quæ de prædicationis suæ veritate professus est Paulus, ut si quis docuisset secus, detestabilis esset.

« Illa ergo et Pontificis summi et Concilii auctoritas una atque eadem auctoritas est, ac veterum Pontificum, veterum Conciliorum nec dissimilis nec dispar; quippe cum cætera omnia convenire non diffiteamur, ne revocetur in dubium, idque multo minus in Pontificio conventu ab ipso summo Pontifice congregato, qui conventus, aut nulla (quod nefas est putare) aut antiqua pollet sanctitate.

77. « Is autem hoc tempore ita se habet. Cæptus quidem ille est, et inchoatus tantum, ut de doctrina decerneretur, quæ pars erat causæ, totius altera vix disputatio sit ad elementa actionis illius producta. Deinde sunt cur dicamus ommissa, certe intermissa omnia. Causam afferunt insalubrem cæli statum et pestilentem aeris intemperiem, quorum nos opinioni libentius accedimus, concedimusque non inviti de loco transferendi inter Patres recte atque ordine convenisse; verum ut hoc dicere liceat, nimis acceleratam alii, aut precipitatam potius, nec illam plane integram deliberationem fuisse conquærentur, causam quoque ipsam commentitiam et fictam Non commentitia nec ficta fuit transferendi Concilii causa, sed justa, cum enim Cæsar hæreses impias Lutheranorum, quos sibi maxime conciliatos tunc cupiebat, damnari non sineret, ne exasperarentur, et ab eisdem Lutheranis Concilium ex improvise opprimi posset, de quibus cardinalis Cervinus, qui in Pontificatu Marcelli II nomen gessit, Paulum admonerat, transferendi in Italian Concilii occasio ex morbo epidemico ardentem arrepta est subdunt litteræ Gallorum presulum. Et sic adhuc in sententia permanent, ut ne pedem quidem extulerint Tridento, nec ullum alium præter hunc locum esse Concilii lateantur graves illi quidem

virii, et tum dignitate Pontificia, tum eruditionis excellentia, cum sanctitate morum, et commendatione vitæ totius insignes, penes quos sit veritas, ut de hoc non ambigamus, ex eo tamen res sunt in controversia.

« Sic autem rex Christianissimus noster Henricus impressa pietatis a majoribus suis vestigia persecutus, non consecutus est modo, verum etiam studio vicit superiores, qui beatissimi patris Pauli papæ nostri voluntate provocatus, translatum Bononiam Concilium celebravit. Sed ab altera parte Romanorum imperator Carolus perstat, perseveratque in patrocinio loci Tridentini. Hinc ad illa ulcera, quæ ab hæreticis sunt imposita Ecclesiæ, adjunctæ discessionum calamitates, quæ adhuc pars conjuncta, et una adeo fuerat Ecclesiæ, verendum est in primis, ne quod prope inceptum est, in partes abeat, et scissione dilabatur, quod ipsum certe, et majoris multo et discriminis, et damni fuerit familia scilicet Ecclesiasticæ jactura, quam futura fuerat hæreticorum (hoc est hominum jam dudum alienorum) desperatio, qui tamen ut revocarentur, toto consilio, omnibus Ecclesiæ viribus atque opibus actum est. Quanto magis igitur elaborandum est, ne hanc multo graviores plagam accipiat Ecclesiæ, ut in ea parte, quæ ad hæc tempora stetit sua integritate incoluntis, miserabiliter in partes divisa videatur. Christus Dominus apud nos divisus ad labem Christiani nominis sempiternam, quod sit argumentum vel maxime adversariis nostris debacchandi vehementius et furendi, ut rex Christianissimus Henricus in propugnatione Bononiensis loci, imperator Romanus Tridenti inter se dissident, quorum cæteris in rebus mirificus consensus est, cui malo ante omnia est nostro quidem judicio occurrendum, et eo remedia omnia adhibenda, nec cogitandum ante quidquam aliud, aut tentandum, quam hoc sit dissidium compositum. Concurrent hæc omnia, imperatoris protestatio Tridentina ad consessum Bononiensem jam inde suspensum, omnium expectatio quod Concilio futurum sit, ex ea velut offensione major hæreticorum arrogantia, summum integræ partis periculum, armorum motus, quæ omnia nobis non videntur posse admittere perniciendæ rei vel dilationem, vel tergiversationem. Nam quod Romam interim ad differendum et ab iniquis dicitur remedium convocatur episcopi, qui mores Ecclesiæ judicent constituentque: hæc quidem primum res in opinionem adduxit, ut initum videatur esse Concilium de suppressenda prorsus tractatione publica, et religionis morum, sive est ea Tridentina, sive Bononiensis suppressa. Sane Synodus, ut omnem corruptarum partium sanandarum rationem evertit, ita obstruit viam earum servandarum, quæ sunt a contagione integra, et expectationem reliquam aufert in posterum

¹ De f. 16.

melioris aliquando futurae Ecclesiasticae conditionis. Verum intermittatur tantummodo ne tollatur. Differt autem ea ratio ejus aegritudinis curacionem, ejusque periculi cautionem, quam aut primo quoque tempore necesse est expediri, aut vix nunquam postea verisimile est explicari posse, nisi forte, quae sua sponte in dies fiunt deteriora longinquitate temporis neglecta, meliora fient, ut quae recentia mala et parva vix sanari possunt, eisdem et inveteratis et majoribus factis medebimur, aut impendentis jamque urgenti gravius incommodi periculo non praestantissimo quoque opus est remedio. Age vero cum salus agitur corporis universi, quo in discrimine maximo et extremo prope jamdiu versamur, ac ne deposita cura ad experiendas corporis gravissime laborantis partes, et quasdam velut reduvias sanandas animam convertemus, quamquam non negamus in restituendis moribus, et excolenda disciplina Christianae vitae operam optime poni universae Ecclesiae. Haec tamen et pars est altera eorum, quae proponebantur indicendo Concilio, et si differri non possit, a singulis metropolitanis ad veterum canonum severitatem commodius exigetur, committendum nobis non videtur, ut superioribus maleficiis hoc adjungatur haud parum malum, ut in sermones malevolorum hominum incurramus, non minus velle quam corruptorum principiorum, Ecclesiae administrationis, medicinam, quam improbitatem nostram retractari et corrigi, quod solum summum Concilium et suscipere et perficere queat, propterea subterfugere nos, nec ulli remedii generi acquiescere.

« Etsi haec nostra communis omnium sententia nil magis necessarium esse, quam controversiam istam locorum componi, ut de alterutro, aut de tertio aliquo conveniat, instituti conventus actiones progredi ac finem accipere : ad id ante nihil minus conducere, vel nihil plus obesse potius, nihilve magis esse praeposterum, quam conventionem istam fieri Romae, neque vero ex quatuor quae feruntur generibus Conciliorum ignoramus, nos uni summo esse obnoxios, cui et jam satisfactum est ex parte, et in posterum non sumus defuturi. Scimus duos maximos simul esse non posse conventus. Verum nec generationi in beatissimum papam Paulum nostrum, nec in Christianissimum nostrum Henricum ullos regionum terminos circumscribimus, id tantummodo censuimus, quod nobis videtur rei Christianae utile ».

78. Tradit memoratus Angelus Massarellus xiii Octobris exiit fuisse Romam¹ e Bononiensi Concilio Claudium Mirapicensem, Joannem Noviomensem, Robertum Ambricensem, aliosve, et Joannem Nivernensem episcopos Gallos pro restituendo pristino morum nitore :

nam Lutherani, qui haereseos et schismatis et profligatissimae vitae suae trabes horrendas in oculis suis non viderant, de festivis quas in oculis cleri Catholici videbant, acerbissime que-rebantur, atque adeo Caesar ardentissime contenderat a Pontifice, ut corruptelae veteres abolerentur. Data vero ad eos episcopos Gallos exalt litterae subjecta verborum formula conceptae¹ :

« Venerabili fratri Joanni episcopo Noviomen-si.

« Venerabilis frater, salutem. Cupientes tecum pro tua doctrina, prudentia ac probitate super nonnullis rebus Universale Concilium, et salutem reipublicae Christianae concernentibus loqui, hortamur te, tibi que injungimus, ut pro commodo publico, particulare ad nos veniendi incommodum subire, et quanto citius poteris, ad nos te transferre velis ; venies enim nobis gratissimus, et libenter te videbimus. Datum Romae apud Sanctum-Petrum, x Octobris mdxlviii, anno xiv ».

Interjectis paucis diebus Gallorum regis orator Bononia Romam contulit. Porro ejus Concilii actiones publicas omnino fuisse inter-cisas docent ejusdem Concilii Acta.

79. *Decretum Sorbonicum contra Calvinistas.* — In Gallis hoc tempore plures novarum haereseon illecebris delinuit, pestiferas opiniones apud simplex vulgus sparsere, ad quorum reprimendam impietatem Sorbonica Academia, Concilii Tridentini sub Paulo III celebrati et aliorum Conciliorum decreta secuta, errores novatorum proscripsit hoc anno, ac e suggesto sacro propo-ni vetuit, quorum decretum Parisiensis senatus in Acta sua retulit, conceptum vero subjectis verbis fuit hoc decretum Sorbonicum² :

« Decanus et facultas theologorum Parisiensium omnibus in Christo fidelibus, salutem.

« Cum hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem videamus plures fidelium, juxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam parvulos fluctuare, et ad omnem ventum cujusvis doctrinae circumferri et agitari ; nostrum autem intersit quod in nobis erit dissidentes opinionum fluctus componere, de sanctissimo Christianissimi regis proposito abunde persuasi, quidam circa articulos hodie a plerisque controversos, et Christianis doctoribus et concionatoribus predicandum, et caeteris Christi fidelibus cum universa sit Ecclesia credendum, paucis hoc ordine visum est annotare :

« Certa et firma fide credendum est, Baptisma omnibus, etiam parvulis, ad salutem necessarium esse, et per ipsum dari gratiam Spiritus sancti.

« Eadem fidei constantia est tuendum, ho-

¹ Acta Conc. Bonon.

² Paul. III. lib. brev. an. xiv. p. 159. — ² EAL. in tom. xl. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3290. p. 189.

mini inesse liberum arbitrium, quo possit bene vel male agere, et per quod, etiamsi in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valeat.

« Non minus certum est, adultis et ratione utentibus, post peccatum mortale admissum, necessariam esse penitentiam, quæ in Contritione et Confessione sacramentali vocaliter sacerdoti faciendâ, similiter et Satisfactione consistit.

« Ad hæc peccatorem non sola fide, sed et bonis operibus justificari, quæ adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur æternam.

« Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiæ panem et vinum converti in verum Domini corpus et sanguinem, remanentibus tantum panis et vini speciebus, sub quibus realiter verum Domini corpus continetur, quod ex Virgine natum est et in cruce passum.

« Sacrificium Missæ est ex Domini institutione valens pro vivis et defunctis.

« Non est laicis ad salutem necessaria communio sub utraque specie: recteque certis et iustis de causis olim ab Ecclesia sancitum, ut ab illis sub una tantum panis specie communicetur.

« Porro solis sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum corpus, et in foro Penitentia a peccatis absolvendi.

« Quos certum est, etiamsi mali et in peccato mortali fuerint, consecrare verum Christi corpus, si quidem illud consecrare intendunt.

« Confirmatio et Unctio-Extrema sunt duo Sacramenta a Christo instituta, per quæ datur gratia Spiritus sancti.

« Nec dubitandum est, sanctos in hæc mortali vita et in Paradiso agentes miracula operari.

« Sanctum est et Deo maxime gratum orare beatam Dei Genitricem et sanctos qui in Cælo sunt, et sunt pro nobis advocati, intercessores apud Deum.

« Hi itaque sancti beate cum Christo degentes non solum sunt imitandi, sed et venerandi et orandi.

« Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dicata ex devotione visitant.

« Si quis in templo aut extra templum prius sua oratione ad beatam Virginem, aut sanctorum aliquem recurat, quam ad Deum, non peccat.

« Nec ullo modo dubitandum est, quin genuflectere coram imagine Crucifixi, et beate Mariæ et sanctorum ad rogandum Christum et sanctos, opus sit bonum et pium.

Adhuc firmiter credendum est et nullate-

mus dubitandum, Purgatorium esse, in quo animæ detentæ oratione, jejunio aliisque bonis operibus juvantur, ut citius liberentur a pœnis.

« Tenetur et quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, in fide et moribus errare non valentem, cui omnes fideles in his quæ sunt fidei et morum obedire obstringuntur.

« Quod si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire spectat et determinare.

« Est certum, multa esse credenda, quæ non sunt expressè et speciatiim tradita in sacris Scripturis, quæ per Traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.

« Eadem etiam veritatis certitudine credendum est, quod si jus anathematizandi est ex jure divino Ecclesiæ a Christo Jesu immediate concessum, et ideo censuræ Ecclesiasticæ sunt magnopere formidandæ.

« Certissimum est etiam Concilium Generale legitime et debite congregatum, Universalem Ecclesiam representans, non posse in fidei determinationibus bonisque moribus errare.

« Illud etiam non minus certum est, quod ex jure divino est unus Pontifex, id est, papa, qui supremum est caput militantis Ecclesiæ Christi, cui omnes Christiani parere debent, et penes quem est potestas indulgentias conferendi.

« Constitutiones Ecclesiæ, utpote jejunia, epularum discretionem, abstinere se a carnibus, et pleræque alia, ipsam conscientiam obligant, omni pariter seculo scandalo.

« Vota etiam, præsertim monastica et religionis, quemadmodum etiam perpetuæ continentia, paupertatis et obedientia itidem conscientiam obligant.

« Dicta theologiæ facultas prohibuit, prohibetque omnibus, qui suæ Congregationis existunt doctoribus, baccalariis, iisque omnibus, qui nunc et in futurum sibi ea in facultate gradum comparare student, ne ullo pacto suis in concionibus, propositionibus, dictis contraria controversere, neque in suis lectionibus, neque alibi illa legant doceantque.

« Præterea jubet, ut ab omnibus præfatis dicta propositiones subscribantur, utque demum non sint socordes ad commendandum defunctorum animas orationibus precibusque populorum, sub perpetua privationis pena dictæ societatis et Congregationis. Anno gratiæ MDCXVI, x Martii, theologiæ facultas in Sorbonico collegio debite congregata super præcedentium articulorum negotio, illas, qua forma scriptæ sunt, sacramento approbat, subscribi-que fecit, tum decani, facultatisque mandato eorum scribi, secretarii manu.

« Signatum l. Formier, de mandato.

« Lecta, publicata et registrata, audito procuratore generali regis hoc requirente, Parisiis in Parlamento ultimo die Julii anno Domini MDXLVIII ».

80. *Hæresis in Anglia propagatur.* — Propagata est maxime hoc anno in Anglia Zuingliana hæresis tyrannide regii tutoris, qui velut Antichristi præcursor iuge sacrificium sustulit ex Anglia: « Hoc tempore », inquit Surius ¹, « sub puero rege Missa abrogata est ». Funestam hanc historiam fusius Sanderus ² his verbis enarrat (1):

« Interim Catholici Angli, et præsertim doctores, qui schisma Henrici VIII saltem post mortem ejus reprimendum sperabant, ubi adeo id non evenire perspicerent, ut potius in pestilentiore hæresim erumperet, partim seipsos accusarunt, quod criminis in illis fortius non obstitissent, partim more ac squallore confecti miserimam vitam tradebant. Qui enim legebat apud S. Joannem Chrysostomum contra Paganos divinitatem Christi propugnantem, veterem et antiquam patriæ suæ fidem ob hoc ipsum commendatam, quod altaria olim erecta Christo fuissent (sunt etiam, inquit Chrysostomus, in Britannicis insulis extra hoc mare satis fundate Ecclesiæ et erecta altaria) cum illi iidem jam post mille et pæne ducentos annos a Chrysostomi morte eadem altaria non a paganis, verum ab iis, qui seipsos vocant Christianos, dirui et everti conspexissent: quo animo par est eos spectasse? Quas fuisse lacrymas? Quos gemilus edidisse? Nam si altaria Christi olim fuerunt in Anglia, affirmante Chrysostomo, Christianæ fidei signa, utique eodem modo altarium defectio jam est signum perfidie Antichristianæ. Atque ingemuerunt quidem et his novitatibus utcumque se opposuerunt Stephanus Wintoniensis, Edmundus Londinensis, Cuthbertus Dunelmensis, Nicolaus Vigorniensis, et Darius Cicestrensis episcopi, omnes doctrina et gravitate præstantes viri, qui etiam in ordinum conventu suffragia habebant, religionisque sententia ac interiori affectu Catholici erant, sed facti episcopi in schismate Henriciano extra Ecclesiam, vel potius contra Ecclesiam, regio, non Pontificio mandato aut assensu, et pro regia libidine Ecclesiasticoque ejus primatu stabiliendo non habebant illum fortitudinis et veritatis Spiritum, qui in unitate Ecclesiæ Catholicæ rite ordinatis et inunctis tribui solet: timide ergo restiterunt pueri regis primatui, imo simpliciter subscripserunt, et in

omnes cæteras innovationes, quæ non videbantur ipsis continere apertam hæresim, ne episcopatus ac honores perderent, vel ultro, vel contra conscientiam coacti consenserunt, ejus criminis gravissimas paulo post pœnas, primum sub hoc ipso Eduardo, quia in reliquis omnes hæreses, seu (ut tunc loquebantur) regie majestatis in reformanda religione progressionem non sunt assensu, nec blasphemam quadam illis proposita dogmata, pro concione, ut jubebantur, explicare et comprobare voluerunt, deinde multo magis sub Elizabetha omnes lucrunt, depositionem, et (ut postea dicemus) diuturnos carceres usque ad mortem patientissime tolerantibus, misericordiamque simul et justissima in se Dei judicia collaudantes.

« Illis ergo metu superiora edicta schismatica approbantibus, ac reliquis recenter regio nomine creatis pseudo-episcopis, ad ea stabilienda, sectamque per totum regnum propagandam diligentissime invigilantibus, secundum tempus lege comitiorum designatum, tremendum sacrificium cæteraque omnia officia et Sacramenta Catholico ritu publice fieri omnino desierunt; nec unus videbatur in toto regno, qui falsorum officiorum acritum communiōne non fuisset contaminatus, licet plurimi occulte etiam tum Missas fecerint et audierint, qui tamen et ipsi calicis Christi et dæmoniorum participes, templa quoque ac Sacramenta hæretico ritu administrata frequentabant, existimantes (ut divus Augustinus olim de quibusdam in Africa schisma Donatistarum sequentibus dixerat) satis esse si quovis modo Christum colant, et ignorantes id solum Christo placere, ut in unitate colatur.

« Sola serenissima Maria primogenita Henrici filia, Eduardi soror, quæ ei in imperio successit, sanctissima matris suæ Catharinæ fidem et constantiam secuta, non potuit illis protectoris, aut cæterorum regionum tutorum precibus aut comminationibus adduci, ut oratorium suum, quod domi habebat, vel claudi, vel sacrum Missæ Officium in Cenam Calvinicam mutari, vel saltem, ut secreto illud tantum, et non palam in contemptum legum regiarum, ac aliorum (ut dicebatur) scandalum fieri permitteret.

« Cum autem hæretici viderent se nihil apud eam in hac re proficere, nec ausi essent aliquid durius statuere in personam ejus, quæ esset sanguine et successione jure regi tam propinqua, quæque sæpe protectorem ac cæteros Eduardi consiliarios cum palam ac præsens, tum etiam per litteras ac nuntios audacter ad-

¹ Sur. in Comm. — ² Sander. l. II. de Schism. Angl.

(1) Reformatio illa Anglicana, de qua agendum hic suscipit annalista, ad annum præcedentem anticipanda est. Anno enim illo vergente, Protector per detectos a se viros hæresi infectos universam per regnum diffusam Ecclesiam lustravit, mandavit singulis ut sacras et templi imagines veluti superstitionis fomenta tollerent et abolerent. Tum in publicis regni comitiis die xxiv Novembris ejusdem anni sub utraque specie Eucharistia populo ut distribueretur mandatum est, additumque ut sacra vernaculo sermone haberentur. Illis constitutis, missæ private cessarunt, ac tunc demum altaria direpta sunt. Ita Burnet *Hist. de la Reform. en Angl.*, to. II. MANE.

monisset, ne fratris sui pueritia ita ad reipublicæ et religionis perniciem abuterentur, adjungens præterea futurum forsân tempus, cum cogenter administrationis hujus suæ tam insolentis, tamque ultimæ voluntati patris sui, quam saltem rege adhuc impubere religiose ipsos servare oportuisset, contraria rationem reddere; illi cum quid responderent aut statuerent non haberent, præsertim cum ipsa apud Eduardum fratrem ætate postea paulo maturiorem liberius aliquoties conquesta esset, illique ex amoris teneritudine etiam lachrymas mox visse diceretur, hoc consilium homines perditii inierunt, ut primum blanditiis et precibus, deinde minis rem agerent, sed cum neutro modo obtinerent quod cupiebant, aliam viam aggressi sunt, nimirum ut ab illa sacellanos suos, qui coram ipsa sacra Officiâ pro more faciebant, divellerent, in eosque ut in transgressores legum publicarum, carcere et aliis pœnis animadverterent, quod semel aut iterum quidem fecerunt ingravescente ita hæresi ac furente. E Germania in Angliam Petrus Martyr et Bucerus, maximi Dæmonis laquei, cum alia impiorum rabularum fœce provolarunt.

81. *Sigismundus senior moritur magno Poloniae domino.* — Passa est hoc anno Polonia gravissimum damnum extincto prima Aprilis die Sigismundo seniore rege, qui dum vixit, illud regnum regia constantia ab hæreticorum impietate insidiisque vindicavit, de quo insigne hoc elogium scripsit Stanislaus Hosius¹ episcopus Warmiënsis:

« Sanctus ille rex Sigismundus, ejus nominis Primus, qui ante annos non ita multos in Christo obdormivit, cum aliis heroicis virtutibus multis clarus, tum in luenda fide Catholica constantia quadam, et animi robore singulari præditus, et qui libenter vestigiis ejus incedit, serenissimus filius hic ejus, ejusdemque nominis Secundus, quem utinam paternâ felicitate paternos annos assecutum, regni hujus gubernacula longissimo ævo tenentem videamus, numquid non et ipsi eodem animo, eadem sententia, eademque religione fuerunt? Postularunt ab utroque nonnulli, quibus recte dici potuit: *Nescitis quid petatis*, ut purum Evangelium in regno suo prædicari permitteret. Respondit divus pater sui non esse muneris de puritate verbi cognoscere, ad episcoporum officium id pertinere, quorum quidem hæc de re iudicio se etiam ipsam libenter majestatis ejus submitteret, eorumque jurisdictionem salvam in omnibus esse vellet. Respondit eisdem prope verbis serenissimus ejus filius, neque dubitandum est, quin quotquot sunt Catholici reges et principes, si quis eis iudicium de causis fidei delatum vellet,

omnes uno sint ore responsuri ». De pio eodem responso dato hæreticis in comitibus Warsaviensibus meminit Surius²: regii nimirum non esse muneris de causa religionis agnoscere, regem se, non Pontificem, agere velle, satisque sibi negotii cum profanis causis. Tum subdit auctor: « Utinam hanc tanti regis constantiam plerique alii seculi essent politici magistratus, quibus ab impostoribus illis novi Evangelii buccinatoribus pestifera adulatione persuasum est, ad ipsos pertinere, ut de fide et de religione sibi iudicium usurpent, quæ res magnas non uno loco calamitates attulit ».

82. Audito tanti regis obitu Pontifex magnum ex eo traxisse dolorem Sigismundo juniore significavit, cum Ecclesiam adversus schismaticos semper defendisset, atque hæreticos, ne impiis opinionibus populum inficerent, represisset, tum hortatus est, ut non minus in paternas virtutes, quam in regnum successisse ostenderet, Sedisque Apostolicæ auctoritatem dignitatemque tueretur³:

« Sigismundo regi Poloniae.

« Charissime. Obitus claræ memoriæ Sigismundi Poloniae regis genitoris tui gravissimus nobis accidit, ut debuit; ea enim erat in eo pietas, prudentia et regia virtus, ut si unquam alias, hoc maxime tempore necessaria esset reipublicæ Christianæ ejus vita et incolunitas, quamvis enim Deus Omnipotens illi præstantissimo et optimo regi vitam in multos annos propagaverit, ut valde longævus ex ea discensisse videri possit, parum tamen vixisse dicendus sit, qui et suo regno, et universæ Christianitati tam erat utilis et necessarius; nam et semper in commune consultit, semperque fidem Catholicam adversus schismaticos defendit, nec in suum regnum hæreticas unquam opiniones admisit: quamobrem nobis in præsentium acerbitate temporum positus, in quibus undique nos mala nostra perturbant, genitor tuus vere est desiderandus, essetque nullo desiderabilior, nisi te ex illo genitum, in illius regnum pariter ac virtutes successisse intellexeremus, quo uno solatio tantum dolorem ex illius morte susceptum temperamus. Te enim firmiter credimus, tam bonæ arboris germen, optimos paternarum laudum fructus nobis relaturum ac producturum esse, quo fit, ut minus ex obitu genitoris tui doleamus. Quare cum illum viventem maximis tuis adducti meritis singulariter dilexerimus, etiamque in illum amorem nostrum in te illius filium optimæ spei regem transuderimus, mittendum ad te duximus delecta opera dilectum filium abbatem Martinegum camerarium secretum et unicum nostrum, exhibitorum præsentium, ut nostro nomine con-

¹ Stanis. Hosius ep. Warmien. in Confessione Gallic. tolet. 24. pag. 24.

² Sur. in Comm. hoc anno. — ³ Paul. III. lib. brev. anno XIV. pag. 252.

solutionem ad te nostram de obitu genitoris tui, simulque gratulationem de tua in regnum successione perferret, tum deinde serenitatem tuam de omnibus hic rebus, et quo in statu negotium universalis Concilii hoc tempore reperitur, et quid a te et regno tuo fieri cupiamus edoceat, quod sane officium cum una cum ipso tuo genitore exequi statuissimus, variis præpeditis impedimentis fuimus, ne id citius facere potuerimus, sicut hæc omnia ibidem abbas nuntius plenus tuae majestatis referet. Hortamur proinde serenitatem tuam in Deo Domino, ut per vestigia paternæ pietatis inconcussæque erga sanctam Romanam Ecclesiam devotionis incedens, Catholicæ fidei tutelam paternam constantiam, atque exemplo in tuo regno continuare, et Apostolicæ Sedis auctoritatem in honorem Dei Omnipotentis, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli tueri velis, ut gloriam majorum vestrorum, in primisque genitoris tui, qui hoc indesinenter egit, dum vixit, simulque cæleste regnum, ad quod illum translatum esse sperandum est, assequaris, etc. Datum Romæ apud S. Marcum XXI Junii MDCXLVIII, anno XIV ».

83. Decrevit ad Pontificem Sigismundus II Poloniæ rex Martinum Chromerum oratorem, ut regio nomine obsequia addiceret Pontifici, atque ab eo flagitaret, ut ad sedanda religionis dissidia Concilium OEcumenicum absolveret, de cujus adventu gratissimo cardinalis Farnesius has litteras ad eundem regem dedit ¹ :

« Sigismundo regi Poloniæ illustri.

« Serenissime rex. Adventus regniæ majestatis nuntii clari viri domini Martini Chromeri, et sanctissimo domino nostro, et nostro S. R. E. cardinalium collegio gratus et acceptissimus fuit, tum quod gravi et eleganti oratione dolorem cum levavit, quem omnes ob serenissimæ majestatis vestræ piæ memoriæ parentis obitum ceperamus, tum quod ea de præclara voluntate ac propenso animo majestatis vestræ erga ipsam beatitudinem domini nostri et sacræ Sedis Apostolicæ testificata, quæ etsi pro comperto habebantur, ipsius tamen Chromeri oratione quasi præsentata multa jucundissima fuerunt. Persuasum itaque habeat majestas vestra de ejus virtute, fide, constantia jam omnia expectari, quæ a summo et generosissimo rege expectanda sunt.

« Quid ad mandata, quæ nomine majestatis vestræ Chromerus diligenter exposuit, sanctissimus dominus noster responderit, quod ab ipso singula fidelissime pronuntiatur iri pro certo habeo, litteris hisce mandare supervacuum duxi. Duo tamen hæc non præmittenda mihi putavi, primum de Concilio OEcumenico, sanctissimum D. N. eodem animi ardore et sollicitudine, quo illud indixit et ut rite celebretur

operam dedit, modo per litteras, modo per nuntios suos Patres hortari, rogare, urgere, ut frequenti episcoporum conventu sacrosancta hæc comitia continerentur, tantoque nisu et flagranti studio in hanc unam rem incumbere, ut plane nemo dubitare possit, nunc per Sanctitatem suam omnino non stare quominus tam sacro tamque divinitus suscepto operi aliquando eadem Dei gratia aspirante, ejus præsentis numine felicissime est inchoatum et magna ex parte confectum, extrema manus imponatur, quod certe eventurum Deo freta beatitudo sua sperat, accedente præsertim majestatis vestræ acquisitissima ad optatam causam tuendam voluntate. Verum quæ sint dilationis causæ, quique totius negotii progressus, cognoscet majestas vestra ex Domini Chromeri verbis, et eadem puto explicatius ipsi enarrata jam fuerunt a secretario Sanctitatis suæ reverendissimo viro abbate Martinengo. Alterum, quod esse in eisdem litteris mandatum existimavi, illud nempe est accurata reverendissimi domini Cracoviensis commendatio pro cardinalatus honore, gratissimum Sanctitati suæ contigisse, quod ex liquido proponit talem esse virum, qualem et fama et multorum fide dignissimum testimonium jam pridem intellexit : quare præcipue erit Sanctitati suæ curæ, et majestatis vestræ voluntatis ac judicii certissimam rationem habere, et simul nationem Polonicam sibi merito charissimam hoc recenti suo beneficio prosequi, etc. Romæ die XI Septembris MDCXLVIII ».

Confirmabat Sigismundum regem in avita pietate ejus mater Bona regina, fidei Catholicæ studio et singulari in Sedem Apostolicam observantia conspicua, quam pietatis significationem cum expressisset litteris, Pontifex his verbis respondit ¹ :

« Charissimæ in Christo filiæ Bonæ reginæ Poloniæ illustri.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem. Attulit ad nos litteras serenitatis tuæ dilectus filius Martinus Chromerus serenissimi filii tui Poloniæ regis secretarius et orator, prudentique sermone eas subsecutus, nobis per se gratas fecit gratiores, de pietate tua erga fidem Catholicam et observantia erga nos et Sedem Apostolicam multa testatus, itaque et litteras, et pium animum serenitatis tuæ lætanter accepimus, teque in Domino hortamur, ut pari pietate in futurum procedas et continues, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum IX Septembris MDCXLVIII, anno XIV ».

Infecta est postea Polonia ² variis pestibus Ariarorum, Nestorianorum, Calvinistarum, Tritheitarum, Trinitatisque hostium, a quibus motæ ingentes in eo regno turbæ, debilitatum vero ab hæreticis regnum, Turcæ et alii hostes

¹ Ms. card. Pii sig. 260. p. 89.

² Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 378. — * Sur. in Comm.

finitimi magnis cladibus concussere, ut suis locis lugendum erit.

84. *Res Turcicae.* — Quod ad res Turcicas attingit, verterat Solymanus imperator, pactis cum Cæsare induciis, arma adversus Persas, sed ea expeditio ipsi feliciter non cessit, ut refert Angelus Massarellus ¹: « Octobris M^oXLVI, habuimus hodie ex Venetiis (1) quod Turca revertatur Constantinopolim ab expeditione contra Sophi, re infecta ». In Africa vero Christiani oppugnati sunt Mauris, qui Tripolim, quam equites Rhodii tuebantur, vexarunt, maritimasque excursiones prædasque graves egerunt, ob quas Pontifex Cæsarem rogavit, ut equites Rhodios opportunitis subsidiis adjuvaret, captisque redimendis operam daret ²:

« Imperatori.

« Charissime. Dilecti filii prior Germaniæ, et commendator felices a suo magistro et conventu Hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani ad majestatem tuam transmissi referre ei poterunt, quam gravi jactura his proximis diebus eorum Ordo affectus fuerit, capta a piratis infidelibus una eorum triremi cum non modica summa pecuniarum, et quamplurimis Ordinis militibus in servitutem redactis, et quanto etiam oneri eis sit bellum, quod continue cum Mauris gerunt pro defensione civitatis Tripolitanae, ac super his tuae majestatis opem forsitan implorant. Nos vero, etsi hos religiosos et fortissimos viros a tua majestate semper dilectos et plurimi factos scimus, facit tamen paternus noster et in eos amor, et officii ratio, ut illos tuae majestati impense commendemus, horlemurque te, ut si unquam in eos tua effulsit benignitas, efficias ut hoc maxime tempore eluceat, quo illi maxime indigent, protegasque præterea eorum bona et jurisdictionem, ut solitus es, ac priorem et commendatorem prædictos pro publica causa laborantes, tua solita humanitate excipias et audias; erit id tua majestate dignum, nobisque apprime gratum. Datum Romæ XII Octob. MDXLVIII, anno XIV ».

Decretus fuerat pariter ab equitibus Sancti-Joannis in Galliam orator prior Sancti-Egidii, ut ad defendendam Tripolim contra Barbarorum impetus imploraret opem ab Henrico ³ Galliarum rege, quem Pontifex etiam datus ad eundem regem litteris eodem die exaralis commendavit.

¹ Ange. Massar. in Diar. Gene. Trid. et Bonon. — ² Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 142. — ³ Est. XV. p. 141.

¹ Vana fuisse iuncta hæc Venetiis delata de relictu Solymani suspicor. Qui cum anno MDL, Ægira decemv. Annales Turcicos a Lemnæo vulgatos absolvit anonymus auctor testatur expeditionem hanc Persicum Solymani cepisse Ægira MDLII, mense Sofar, qui anni Mahometici secundus est. Cum vero Ægira hæc copertæ hoc anno MDXLVIII, die decima Februarii, teste Galvino in Opere Chronologico, mensis 8 q̄ptu in Martium nostratæ incidit. Teste vero eodem analista Lemnæiano, expeditio hæc Persica duravit 6 annum integrum cum novem mensibus 6; tum addit idem analista Solymanum redisse Constantinopolim primo die mensis Sülchizi anno Ægira MDLVI, id est, anno sequenti latente, cum mensis ille anni Mahometici postremus sit, ac medio circiter Decembris anni MDLIX copertæ.

85. *Apud Indos S. Francisci Xaverii erant latentes labores.* — Hoc tempore sanctus Xaverius ¹ in Indiis legatus Apostolicus Apostolico munere sanctissimiungebatur, Barbarisque ad Christi fidem traducendis felicem operam dabat in summa egestate, in qua quantis divinis deliciis afflueret, sodalibus suis, quos ad laborum et glorie societatem vocabat, significavit, ac de insulis Mauricis, in quibus agebat, hæc scripsit:

« Terra est aspera et sterilis alimentorum, frumento caret et vino, caro quid sit, fere incolæ ignorant, nulla enim apud eos armenta, nulli greges, præter paucos admodum sues, quos mirari magis quam gustare licet. Apris abundant. Aquæ dulcis magna inopia. Orizæ satis est, magna copia arborum, unde panem et vinum petunt. Aliæ porro arbores sunt, ex quarum cortice depexo conficiunt vestem, qua utuntur omnes. Hæc vobis, fratres charissimi, eo scripsi, ut scialis quantopere hæc insulæ cælestibus affluant gaudiis, nimirum hæc omnia pericula atque incommoda Christi Domini nostri causa suscepta, thesauri sunt cælestibus solatiis refertissimi, sic prorsus, ut has insulas perappositas esse credas ad lumen oculorum paucis annis ex suavissimi fletus suavitate perdendum. Equidem nunquam alibi, nec tam liquidis perpetuisque animi voluptatibus perfusum me esse memini, nec tam leviter labores omnes et arumnas corporis pertulisse, quam cum insulas concursarem cinctas ab inimicis non fidelissimis, easdemque omnibus vel morborum subsidiis, vel vile tuende præsidiiis atque adiumentis destitutas, ut divinae spei potius quam maris insulæ appellandæ esse viderentur ».

Fuisse Indos idolorum cultui addictissimos, atque in libidines effusos idem vir sanctissimus scribit in aliis litteris ², quibus Franciscum Henricum sacerdotem in Travancoride de Evangelio prædicando insudantem solatus est, si laboribus non respondere fructus viderentur; non enim exiguo esse, si infantes sacro lavacro fingeret, qui ejus opera felici immortalitate potirentur, nam de adultis vel albis vel nigris addidit paucissimos cælesti regnum adipisci.

« Franciscus Henrico in Travancoridem.

« Noli morere, frater, quod minus quam velles in istorum neophytorum cultura proficias; quippe, et cum gens ipsa, ut scribis, idolorum cultui dedita sit, et rex a Christi religione

¹ S. Xaver. l. I. Ep. VI. — ² Ibid. l. II. Ep. VII.

alienus acerbe insectetur Christianos, plus utique proficis quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos Cælo per Baptismum pariendo; nam si circumspicere animo voles, reperies profecto ex Indis vel albis vel nigris paucos in Cælum pervenire, nisi eos, qui quatuordecim annis minores cum baptismali innocentia excedunt e vita. Videsne, frater charissime, te, uti dixi, plus istic quam putes, proficere? id adeo cerne in pueris, iis scilicet qui abs te baptizati cælesti jam fruuntur beatitudine, qua nimirum carerent, si ita ex istis locis discessisses, neque eos per Baptismum Christo genuisses. XI kal. Nov. Punicali ».

86. *Librum exercitiorum S. Ignatii Paulus III approbat.* — Hoc anno comprobatus est Apostolica auctoritate pius exercitiorum spiritualium Liber a S. Ignatio societatis Jesu conditore compositus, in quo plura sacra documenta ad conlempandas res cælestes, et consecandas virtutes traduntur, flagitante id a Paulo Pontifice Francisco Borgia duce Gandiæ, qui iisdem exercitiis excultus ad magnam effloruit sanctitatem. Pontificium vero Diploma hac verborum forma conceptum est¹:

« Cum, sicut dilectus filius nobilis vir Franciscus Borgia, dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit, dilectus filius Ignatius de Loyola præpositus generalis societatis Jesu per nos in alma Urbe nostra erectæ, et per nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta sive exercitia spiritualia ex sacris Scripturis et vitæ spiritualis experimentis elicita composuerit, et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redegerit, illaque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem et profectum magno opere utilia et salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata, prædictus Franciscus dux didicerit, sed etiam experimento manifesto cum Barcinone, tum Valentia, tum Gandiæ id compertum habuerit, quare idem Franciscus dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta et exercitia spiritualia prædicta, quo latius eorum fructus pateat, et plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere, et si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare, aliasque in præmissis opportune providere de benigntate Apost. dignaremur. Nos igitur, qui documenta et exercitia hujusmodi examini fecimus, et quæ testimonio ac relatione dilecti filii nostri Joannis tituli S. Clementis presbyteri cardinalis, Burgensis episcopi, ac hæreticæ pravitatis inquisitoris, et venerabilis fratris nostri Philippi Salutarium episcopi, atque Urbis nostræ in spiritualibus vicarii generalis, necnon dilecti filii Ægidii Foscararii nostri sacri Pauli magistri nobis desuper facta pietate ac

sanctitate plena, et ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus, debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta societas præfata in Ecclesia Dei, ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta exercitia attulerunt, non immerito habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium ex cætera scientia nostra approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communitus, hortantes plurimum omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui devote velint, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die ultimo Julii MCLXVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

87. *Carolus Borbonius ad dignitatem cardinalitum erectus.* — Hoc anno nono Januarii die in cardinalium numerum adscitus est Carolus Borbonius episcopus Sanctonensis, regio stemmate clarus, de quo extant subjecta ad eundem litteræ¹.

« Dilecto filio nostro Carolo de Borbonio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Sanctoniensi.

« Dilecte fili noster. Cum nuper charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus per dilectum filium nostrum cardinalem de Guysa nobis omni instantia ac precibus supplicasset ut te sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem creare vellemus, nos etsi multa ac gravia impedimenta obstabant, tamen tanto desiderio ipsius regis, cui in omnibus quibus honeste gratificari possumus, maxime cupimus, perspecto cum idem cardinalis de Guysa nomine ejusdem regis, nil diligentia ac summi studii in hoc prætermisisset, in consistorio nostro superatis omnibus difficultatibus, et communi creatione cardinalium sacrisque jejunii non expectatis, te genere regio ortum, et episcopum Sanctonensem in presbyteratus ordine constitutum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem solum de cæterorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio creavimus ad Dei Omnipotentis laudem, et ipsius regis satisfactionem, in cujus gratiam cum libenter id fecerimus, non minus etiam libenter fecimus tua virtute, quam in te conspicimus, accedente, ex quibus speramus te nobis et huic Sanctæ Sedi in his difficillimis temporibus magno futurum non solum ornamento, sed etiam adjumento. Quamobrem te, fili noster, hortamur, ut quo magis tui similibus viris nunc egemus, cum a Deo sis ac nobis in participationem solli-

¹ Ext. apud Orland. I. VII.

¹ Paul. III. lib. brev. p. 19. Panvyn. in Vit. Paul. III.

citudinis et curarum praesentium vocatus, ad nos, sicut debes, venire matures, quo tua opera et consilio uti possimus. Venies enim nobis et eisdem tuis confratribus acceptissimus, pileumque rubrum plenius cardinalatus insigne a nobis ipsis juxta veterem et probabiliorem morem recipies, interea birretum rubrum a nobis de more benedictum ad te cum praesentibus multum in manibus ipsius Christianissimi regis, et per nuntium isthic nostrum assignari jussimus, tibi per ejus majestatem consignandum vel mitendum, quem tu debita reverentia, et quo dedimus amore, recipies. Datum Romae ix Januarii MDXLVIII, anno xiv ».

Cum vero Carolus ad Urbem sese conferre non potuisset, Pontifex Henrici II regis rogatu pileum rubrum x Junii illi transmisit, ac nuncupandi sacramenti formulam his conceptam verbis tradidit: « Ego Carolus cardinalis promitto et juro, quod ab hac hora in antea fidelis

et obediens ero beato Petro, sanctaeque Romanae Ecclesiae, et domino nostro domino Paulo papa III suisque successoribus canonice intrantibus ». Pluribus interjectis additum est: « Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordines seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari, haereticos, schismaticos et rebelles eidem domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnano, etc. ».

Fidem Carolus sacramenti hujus mire coluit, orthodoxam enim religionem adversus novatores constantissime in Galliis asseruit, ad quam defendendam cum incumberet, ne sceptrum in haeretici principis manus decideret, vinculis nefanda impiorum proditione mancipatus est, quo permittente scelерum vindice Deo, e vivis sublato, a Catholicis rex Galliarum renuntiatus est, quanquam paulo post ad Caelum vocatus sit

PAULI III ANNUS 16. — CHRISTI 1549.

1. *Nuntii Apostolici in Germaniam missi nihil proficiunt, obdurescentibus in suis erroribus et criminibus Lutheranis; in Brunsvicensi tamen ducatu Catholica religio restituitur.* — Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo quadagesimo nono, Indictione nona, revocandis ad Ecclesiae castra et incorruptam fidei puritatem Lutheranis, tum a Pontifice, tum a Cesare navata est opera, sed eam obfirmata in errore impiorum pertinacia infeliciter elusit. Deceverat, ut diximus, Pontifex affecto jam superiore anno tres episcopos internuntios amplissimis mandatis suffultos, ut fractos jam armis a Cesare Protestantibus, qui Concilii Oecumenici decretis se parituros polliciti erant, ejurata impia haeresi, censurarum omnium, quibus illaqueati tenebantur, religione exsolventur, fideliumque communioni rite aggregarent.

Sed ut queritur Alexander cardinalis ¹, in

suis ad Pontificium apud Caesarem internuntium litteris illi Apostolici nuntii vel legati frustra tempus in Germania contriverunt: obdurnere enim perdidit Lutherani in perfidia sua, in qua eos confirmarunt apostata sacerdotes et monachi, qui jubebantur contra Caesarem decretum concubinas suas a se removere, ut rite censurarum religione solverentur, cum praetensa eorum conjugia jurata essent scortationes, nec Caesar, ut ab eo expeiebatur, auctoritatem suam ad placendam impiorum pertinaciam adhibuit, refert vero Jacobus Augustus Thuanus ¹, Apostolicos nuntios ad Caesarem in Belgium se contulisse, Pontificiaque mandata exposuisse.

Pontificem partim sua sponte et pro pastoralis muneris necessitate, partim Caesaris rogatu ex cardinalium consensu legatos in Germaniam misisse, qui ad Ecclesiae gremium redeuntibus recipiant, et ipsis omnia laeta de ejus benigni-

¹ Lat. in Ms. card. Spade, sig. num. 37.

¹ Jacobus Augustus Thuanus I VI.

tate polliceantur, modo leges accipiant, non præscribant: hoc vero beneficium omnibus in perpetuum impartiri nullo præva opinionis crimine excepto, quamvis in eo per multos annos perseveraverint, ea lege, ut qui ea peste infecti fuerint, suum errorem apud sacerdotem orthodoxum profiteantur juxta præscriptam pœnitentiæ formulam; publicam proinde confessionem, abjurationem et satisfactionem jure præfinitam ipsis omnino remittere, potestatem insuper facere legatis, ut eos, qui pacto, jurejurando, aut quovis alio modo Lutheranis obstricti sunt, iis vinculis solvant, monachos in hæresim lapsos, et extra cœnobîa sua vagantes, in Ecclesiâ admittant, iisque resumpto pristino suo amictu, suo munere ut antea in Ecclesia fungi concedant, esu lactis, casei, butyri, ovorum et carniû (habita locorum et hominû ratione) permissio: addit etiam auctor legatos a Pontifice cupidissimo scilicet lucrandarum Christo animarum, quas dæmon fallacibus argutiis male fascinarat) auctoritate instructos, ut laicis, quibus ob periculum effusionis speciei vini Eucharisticæ prohibita est, sub utraque specie Eucharisticæ usum (tolerato effusionis periculo) ne perirent animæ, pro quibus Sanguis Christi effusus est, certa lege permetteret, iis nimirum, qui cæteris abjuratis erroribus Concilii Constantiensis decreto subscripserint, atque sub altera specie tantum quantum sub utraque sumi, qui que Ecclesiam ob factum de una specie decretum non errasse palam declaraverint, quod tamen ad tempus concessum intelligatur, elita, ut illi ipsi, qui ita sumenl, seorsim sumant ab aliis, neque tunc cum aliis quibus sub una specie tantum ministratur: at quia plures vecligalia, prædia et jura Ecclesiastica invaserant, ita iis consultum fuit a Pontifice, ut legati cum sacrorum bonorum usurpatoribus et possessoribus, de fructibus perceptis atque consumptis transigere possint, modo in posterum Ecclesiasticis possessionem vacuum relinquunt, ad idque contumaces censuris cogant, implorato etiam civilis magistratus auxilio, et ut res commodius ac celerius executioni demandetur, per Germaniam alios episcopos delegent ac substituant: ex eorum numero Argentinensis episcopus fuit, cui sacerdotis, qui a fide defecerant, in gratiam cum Ecclesia recipiendi potestas concessa est, modo inductas prætexto conjugii nomine pellicæ a se removerent, omninoque expellerent.

2. Publicum de his Pontificium Diploma acceptum Cæsar ad Germaniæ episcopos misit, omnesque seorsim commonuit, ut suarum dioceseon Protestantibus placide ac sine vi, precibusque et adhortationibus potius quam execrationibus et minis ab hæresi et Sathanæ castris ad gremium Ecclesiæ pellicere blande perentarent. At nimium hætenus blanditiis palpatum

exasperatumque fuerat hæreseos monstrum, ac nisi ferro et igne domari poterat; egregium enim adeo clementiæ Pontificiæ ac Cæsareiæ specimen impiorum contumacia protrivit; nam cum Mogunlinus archiepiscopus ad Philippi Hassiæ Lanlgravi in custodia detenti præfectos et senatores scripsisset, ac de sollicitudine pastoralis suæ ac Cæsaris voluntate eximia multa præfatus eos postulasset, ut concionatoribus suis formulam recuperandæ Ecclesiæ gratiæ pristinæque redintegrandæ conjunctionis a Pontifice præscriptam exhiberent, eique parere juberent, illi in veteri perfidia obdurere, ac postulata facere recusarunt, impio etiam turgidi fastu proaciter jaetarunt, doctrinam suam cum Prophetarum et Apostolorum testimoniis conspirare, nullum profiteri errorem, nihil sibi opus esse gratiæ et indulgentiæ Romani Pontificis, nec veniam ab eo exorandam, et quia sacerdotes apostatæ concubinas conjugii specie duxerant, ita offusas menti eorum tenebras pro luce Evangelicæ coluere, ut oblocuti fuerint, uxores ac liberos se deserere non posse, quos diligendos, et cura ac benevolentia complectendos didicerint auctore Christo, qui conjugium amplissimo elogio cohonestaverit, nuptias impuro cœlibatu meliores, denique ex Apostolo melius esse nubere quam uri, nec miseri intelligere voluerunt, Apostolum loqui de iis, quibus licitum sit nubere, nec se contrario voto constrinxerint, cum dicat perspicue, voti reos qui nuper sint damnationi obnoxios, cum primam fidem irritam fecerint. De permissa etiam certis legibus utraque specie addidere, in Ecclesiis suis cœnæ integræ usum permitti juxta Christi mandatum, et veteris Ecclesiæ morem, nec mutationem ullam in eo recepturos, in quo impio responso calumniati sunt, integrum apud Catholicos non esse Eucharistiæ usum, mentiti etiam sunt imperatam omnibus a Christo utramque speciem, et dum utramque speciem male affectatam, non veram cœnam Dominicam, sed fallacem tantum et umbratilem illius speciem relinere (nam cum Catholici sub unica specie integrum Christum sumant) ipsi tantum panem vinumque sumpserunt, quæ ab iis, quæ in popina sumuntur, non differant, dum pro conficienda Eucharistia sacerdotis rite consecratos non adhibere, vel si adhibuerint, judicium sibi manducant in schismate, et bibant. Ita nil profectum est cum Lutheranis seris illis ac non idoneis remediis, nam quod de Concilio OEcumenico admittendo erant superiore anno polliciti, id ita intellexerunt, si Concilium sathanicum foret, in quo non præsidere Christi vicarius, sed hæretici concionatores cum episcopis sederent, ut dicitur suo loco, quod vero Tridentinum nuperis annis celebratum respuerunt, inani ea excusatione se tuebantur, quod jam ipsorum placita de peccato originali,

ac de justificatione in eo damnata essent, quam prorsus futilem esse ita ostendebatur¹ :

3. « Si Tridentinum Concilium a recentioribus hæreticis recusari posset ex eo quia ante Synodum ab Apostolica Sede condemnati fuerint, possent Macedonius, Sabellius et Eunomius secundam universalem Synodum, quæ fuit prima Constantinopolitana, recusare, cum et ipsi ante Synodum a Damaso anathematizati fuissent, sic et Nestorius Ephesinam primam, qui a Cælestino damnatus fuerit, Eutyches etiam et Nestorius Chalcedonensem recusare potuissent, cum a Leone ante Synodum damnati fuissent. Eadem Petro et Severo Antiochenis patriarchis, alteri item Petro Apamearum episcopo una cum Zoaro Syro monacho, Anthimo quoque Trapezuntio archiepiscopo, et Constantinopolitana Ecclesiæ invasori, querela et exceptio patuisset adversus quintam et ultimam Synodum, nam isti omnes ante Synodum damnati fuerant Apostolica Sedis judicio, Petrus Antiochenus a Felice Romano Pontifice, Severus, alter ille Petrus Apamianus, et Zoarus ab Hormisda, et Anthimus ab Agapito. Eadem adversus sextam Synodum, Cypro Alexandrino, Sergio et Pyrrho, Paulo, Petro et Georgio Constantinopolitano, Machario quoque Antiocheno episcopis per Synodum damnatis : Cyprum enim, Sergium et Pyrrhum damnaverat Honorius, Paulum vero et alios Theodorus et Martinus Romani Pontifices. Eadem et Iconoclastis adversus septimam Synodum, quod prius a Georgio III, Stephano II damnati fuissent, eademque denique exceptio competiisset Photio adversus VII Synodum, quæ fuit quarta Constantinopolitana, quia per Nicolaum I ante Synodum damnatus fuisset.

« Non recusanda Synodus ex eo, quia Maximus Hierosolymitanus antistes recusavit Antiochenam Synodum, et Albanus ab ea, quæ in Tyro convenerat, aufergit, nec ad eam, quæ Selencia congregata fuerit, accedere voluerit, quoniam constat, Synodos illas illegitimas fuisse absque Apostolica Sedis auctoritate adversus sanctissimam Nicenæ Synodi professores congregatas et ab impiis celebratas ».

4. Nec minus Saxones quam Hassii ad Pontificia et Cæsarea imperia præfractos se ostenderunt, in nonnullis tamen locis velut in Brunsvicensi et Luneburgensi principatu Catholica religio restituta est, de quo Pontifex Henrico principi his litteris gratulatus² :

« Dilecto filio nobili viro Henrico Juniori duci Brunsvicensi et Luneburgensi.

« Dilecte fili, salutem. Reddite sunt nobis litteræ tuæ nobilitatis XVI Maii præsentis datæ, ex quarum prima parte dolorem, ex postrema lætitiã accepimus : doluimus siquidem res

Germaniæ, quas sperabamus paccatas, nunc sicut tua nobilitas scribit, in Saxonia et aliis partibus Septentrionalibus ad novam tumultuationem spectare, cui Deus Omnipotens sua misericordia dignetur occurrere. Latati vero sumus, quod tua nobilitas (sui generis et officii memor) orthodoxam religionem et pium cultum in suo ducatu restituerit, cæteraque se digna egerit et actura sit, de quo omnipotentem Deum laudamus, ejus majestatem orantes, ut talem te principem ad Catholicæ fidei tutelam diutissime nobis conservet, pro certissimo enim habemus, te sancte religioni in istis locis nunquam defuturum. Nos hinc te et tuos solito amore semper prosequemur, gratumque recipiemus, si ad nos aliquando scripseris. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum III Julii MDXLIX, anno XV ».

5. *Magdeburgenses præ cæteris in Cæsarem audaces.* — Quod ad turbas in Saxonia et aliis Germaniæ locis obortas attinet, eæ proximo anno in manifestam perduellionem eruperunt, cum Cæsar partem de Lutheranis victoriam intempestivo clementiæ genere corrumpere, et Christi causa abjecta in Belgium secessisset, ut Belgas Batavosque in Philippi filii verba solemnem sacramento adigeret, quo animadverso, Pontifex cum Lutheranos nulla molliore via ad officium revocari posse perspiceret, nec Cæsarem delere velle, judiciorum severitate, Lutheranam impietatem, prævales Hispanos Tridenti congregatos ad se revocavit, non ut Germanicas res perturbaret, ut malevoli interpretati sunt¹, sed ut ex eorum consilio restituenda disciplina Ecclesiasticæ leges sanciret, tum etiam schismatis conflandi occasiones perturbatissimis his temporibus præcinderet. Turbarum porro moverandarum occasione sumperant Lutherani nequiores, qui impiis animis nefandas Lutheri hæreses ita impresserant, ut decretum religionis, licet maneam ac mutilum a Cæsare editum admittere detrectarent, inter quos a nefariis impostoribus subornati Magdeburgenses audacia et flagitio eminebant, de quibus hæc refert Surius² : « Magdeburgenses jam antea proseripserat Cæsar, cumque nolent decretum religionis Augustæ evulgatum accipere, majorem in eos concepit indignationem. Hæc urbs fere prima amplexa Lutheri infaustum Evangelium, erantque hoc tempore illic aliquot strenui Lutherani concionatores, Nicolaus Amsdorffius, quem Cæsar ex Numburgensi episcopatu ejecerat, et Matthias Flaccus Hlyricus. Isti videntur commovisse cives, ut pertinaciter Cæsaris decretum repudiarent. Hlyricus diu fuerat Melancthonis discipulus, sed cum videretur non prorsus a Cæsaris decreto abhorre, multa quoque concedere, scripsit una cum sociis Magdeburgicis, qui nec latum unguem ulla in re a Lutheri

¹ Ms. card. Pii tom. sig. 64, p. 200, ex libello de Concil. —

² Paul. III. lib. brev. an. xv. p. 157.

¹ Lac. Ang. Thuanus l. vi. — ² Surius in Comm.

placitis discedendum putabant, contra Melancthonem et ejus assecclas : scripsit etiam in eos Nicolaus Gallus ». Et paulo post : « Hæc vero rigidorum et mollium Confessionistarum (sic enim Catholici quidam eos vocant) contentio tandem consueque progressa est, ut miser Illyricus tota fere Saxonia proscriptus Ratisbonam usque ad Nicolaum Gallum profugerit ».

6. Addit Sorius Illyricum in dicendo fuisse vehementiorem, ac mirum in modum conquestum, Confessionem Augustanam multis in locis fuisse depravatam, crimenque falsi impegisse Melancthoni, quod eam necnon Lutheri libros multis locis adulteravit, nec plane mentium, cum constet Confessionem Augustanam, non semel a Melancthone immutatam, inconstantes enim hæretici pro temporis ratione fidei suæ columnas mutare consueverunt. Dum vero Madgeburgi eloquentia sua versarent civium animos peritidi in concionatores, diu Magdeburgenses pessimo exemplo Cæsari rebellarunt, utque alios ejusdem secte populos ac principes in impia pertinacia obfirmarent, litteras¹ multis fraudium mendaciorumque fucis pigmentisque coloratas transmisere, quibus impudentissime mentiti sunt, se ob Evangelicæ fidei constantiam proscriptos, cum constaret, eos terrimæ hæreseos impietate infectos acceptam a majoribus Evangelicam veritatem proposita flagitiorum impunitate, quam ex sola fide sibi finxerant, detestanda levitate deseruisse : « Religio », inquebant orthodoxæ religionis hostes, « petitur, hoc est cur rebelles, cur perduelles vocamur, imperii edictis proscriptimur, ad penitenciam et interencionem destinamur, quo magis miramur illos, qui nobiscum idem in religione sentiant, federe et antiqua necessitudine conjuncti, nos in manifesto et communi discrimine, non solum deserere, sed etiam bello persequi, neque videre arma in nos sumpta, in ipsos tandem recasura esse, atque a nobis fieri initium, ut qui universi vinci simul non poterant, singuli ac separatim facile superentur ».

Nonnullis interjectis, concepta in Christi vicarium virulenta odia, suæ immemores salutis, exprompsere : « Eltro ac libenter de jure nostro remissemus, modo in salva conscientia licuisset, nunc bello absumptis ac direptis facultatibus : etiam ac vis animis ac mentibus infertur, quid enim formula illa Augustana aliud agit, quam ut Pontificiæ auctoritatis jugum, quod adeo generose excussimus, rursus cervicibus nostris imponatur. His recte convenit illud Jeremiæ² : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti non servitium* : nec minus impia, quam falso subdunt illusi, ut errores (inquunt) nuper detecti, et certis Scripturæ testimoniis revicti iterum in

domum Dei invehantur, ut tot annorum contentionibus ac laboribus parva libertas turpi obsequio ac morigeratione, que non solum ad nostrum dedecus, sed ad Dei ignominiam et offensionem pertinet, corrumpatur et penitus amittatur ? At enim aliorum exemplo cedere tempori, et tranquillitati publicæ consilere decuit, id enim maxime omnium suarum adversarii, in coque criminationum suarum veluti arcem constituunt. Verum id in cæteris, que ad fluxæ hujus vitæ commoda pertinent, locum habere possit, ad ea vero, que Dei gloriam spectant, minime porrigi debere non ambigitur ».

7. Somniarunt scilicet impostores isti eversa altaria, profanata sacramenta, derisa bona opera, hæreses, schismata ad gloriam Dei spectare, et qui sanctorum Patrum doctrinam sprevere, eorum exempla se æmulari mentuntur : « Hoc enim (inquunt) illa veteris Ecclesiæ lumina, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius docuerunt, testimonioque beati Petri, cujus ille, qui nos per Cæsarem oppugnat, se immerito successorem jactat, confirmant, Deo, non hominibus, in iis que Dei sunt, parere homines debere admonentis ; itaque et in veteris Ecclesiæ Annalibus legitimus Gordium Cæsariensem, qui sub Licinio imperatore ordines duxit, et postremo veræ gloriæ corona insignitus est, cum ad supplicium raperetur, rogatum ab amicis, ut periculi evitandi gratia sententiam retractaret, respondisse, non oportere linguam in contumeliam ejus, qui eam creasset, quidquam pronuntiare, et Basilium Magnus hanc etiam civi suo laudem tribuit, quod cum moveretur, ut de Deo quod vellet sentiret, cæterum in sinu suo tegetet, neque motum animi palam vulgaret, monitorem aspernatus sit, veritatem non solum ab iis prodi dictitans, qui eam deserunt, sed etiam ab iis qui eam agitant non audent publice profiteri, id enim exemplo Danielis confirmari, qui contra Darii regis edictum magno et constanti animo apertis fenestris Deum adoraverit, cum id privatim et elanculum facere possent. Verum quod ea res ad divini nominis gloriam pertineret, nullam instantis periculi rationem habuerit, quod ei ab invidis et æmulis conflatum, postea Deo ita volente in ipsorum caput recidit. Valeant ergo, qui nos facti Christum agnoscere, verbo autem rejicere suadent. Quid enim magis pudentum, quam nomen ejus embescere, qui mundum condidit, qui nos ad imaginem sui creavit, tot beneficiis licet indignos cumulavit, per quem vivimus, spiramus, cujus denique nos hæreditas sumus ? Hæc summa est accusationis ». Hæc illi, et plura alia, que licet vera falsis et bona malis accommodarint, repetenda visa sunt, ut pateret, quam infeliciter divini verbi adulteratores stulte plebeculle suscripserint

¹ Est. apud Jac. Aug. Tuan. hist. l. ix. p. 169. — ² Jer. c. 2. v. 20.

futuros Christi martyres, dum Sathane martyres fierent. Evulgata Magdeburgensium oratio ad omnes imperii ordines magnos animorum motus inter Lutherano dogmate fascinosos concitavit, adeo ut horum pertinacia tribueretur constantiæ, atque hoc anno a vi aperta adversum illos absente Cesare temperatum sit; ut vero deinde reintegrata in eos priora consilia fuerint, atque ad frangendam eorum pervicaciam bellum decretum fuerit, proximo anno diceretur.

8. *Difficultates in observatione Decreti INTERIM nuncupati.* — Non servatum etiam est Decretum Casareum, cui INTERIM nomen est a Catholicis ob varias causas, quæ in Ms. Vaticano his verbis sunt expressæ¹:

« Circa observantiam INTERIM. Catholici et Ecclesiastici principes, quominus hujusmodi INTERIM tam exacte observare nequiverint, has adducunt causas, quod scilicet magistratus sæculares quibusdam in locis sese de facto opposuerint, tum etiam passim et ubique locorum maxima Catholicorum sacerdotum sit penuria.

« Alii vero electores, cæterique principes, et status imperii sæculares illas afferunt causas, quod nova illa secta nunc per trīginta annos multorum animis sic insederit, quod tam cito eradicari non possit, imo per diligentes piasque admonitiones pedetentim ad præcavendum utique tumultum, qui alias a vulgo exoriri posset, sint ad pristinam fidei observantiam reducendi.

« Item, quod hujusmodi INTERIM in quibusdam punctis cum sacra Scriptura videatur pugnare, et ideo laicus absque communis et generalis Concilii determinatione ad aliud tandem persuaderi et induci non poterit.

« Item, quod nullos presbyteros, qui subditos juxta tenorem INTERIM, præcipue quoad illa duo puncta, communionem scilicet sub utraque specie, et sacerdotale conjugium concernentia docere velint, adipisci valeant.

« Item, quod in Academiis, aliisque particularibus Studiis et Universitatibus juvenus præter et contra mentem Casaræ declarationis erudiat, similiter et quidam concionatores² passim, et in publico hujusmodi declarationi reclamare audeant.

« Item, quod cum ratione communionis sub utraque specie, necnon sacerdotalis conjugii hucusque nullum concessum sit a Sede Apostolica indultum, vel aliqua subsequuta approbatio, contingat, quod quidam deinde totam non observent declarationem.

¹ To. XIII. de Conc. Ms. Vat. sig. num. 3200, p. 262. — ² Interim tou. XIII. de Conc. p. 268.

« Item, quoad sustentandam hujusmodi declarationem, necesse sit ministros Ecclesiæ a suis ordinariis prævio examine consecrari, et habilitari, et eos illis fore et esse subditos et obediētes.

« Item, quoad hucusque tum superioris, tum etiam inferioris status magistratus. parum omnino suis subditis circa hujusmodi declarationem præbuerint exemplum, nec præierint plebi, ut illa sequatur.

« Item, quod passim contra Casaræ majestatis declarationem, tam impune famosi libelli eduntur et circumferuntur.

« Demum omnes sacri imperii principes et status unanimiter concludunt, quod rebus Christianis non nisi per Generale Concilium opitulari et consuli possit ».

9. *Cæsar non solum Placentiam restituere recusat, sed et Parmam sibi arrogare affectat.* —

« Eo difficilius componi potuere Germanici de religione tumultus, quo priores post occupatam a Casare Placentiam dissensiones inter Pontificem Casaremque vigeant, detrectante Casare Placentiam restituere Pontifici, adeo ut cum superiore anno Cæsar post plura colloquia cum interuentis spes illius urbis restituende ostendisset, hoc anno nitide negaverit a se restitulum iri, ut Angelus Massarellus in Diario narrat¹:

« XXVI. Junii reverendissimus dominus cardinalis de Monte retulit ea quæ scribit D. Marcus Antonius e curia Casaræ, quod imperator dederit finalem responsonem D. Julio Ursino circa restitutionem Placentiæ, quod illa civitas non spectet ad Ecclesiam. Nota quid sperandum ab imperatore, cui tot et tanta beneficia contulit Pontifex, cum nolit restituere, quod sicarii ei dederunt, præsertim genero suo Octavio.

« III Julii illustrissimus D. Julius Ursinus reversus ex Germania a curia Casaris nihil boni fert, neque de restitutione Placentiæ, neque de Concilii celebratione ».

10. Tantum aberat Cæsar a restituenda Placentia, ut etiam Parmam affectaret (†), possetque ut res ipsius judicio permitteretur, quibus auditis, Joannes Maria de Monte² Concilii Bononiensis legatus in litteris ad Marcellum Cervinum cardinalem S. Crucis questus est:

« De impudentissimis administrorum Casareorum postulatis non modo retinentium Placentiam, sed etiam Parmam affectantium, si ego Pauli Pontificis personam gererem, atque ea

¹ Angel. Mass. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. —

² Jo. Maria car. de Monte leg. ad card. Marcellum Ms. arch. Vat. pag. 106.

1. Parmam non affectavit tantummodo imperator, sed prodicione capiendam tentavit; nam affectum in partes suas magnorum præmunito pollutione Octavianum Farnesium Pontificis nepotem clam misit Parmam, ut qui eam tenebat Ecclesiarum nomine Gamilium Ursinum ex Pontifice quod simulabat mandato ad urbem sibi tradendam induceret. Sed Ursinus fraudem aliquam subodoratus verborum Indificatione tandem detinuit Farnesium, donec per litteras Pontificis voluntatem exploraret. Quæ cognita, urbem retinuit Farnesiumque vacuam remisit.

prudencia animique magnitudine, qua ille pollet, praeditus essem, prius optarem mille mortes ac mille supplicia pati, quam cessione et consensu, aut metu, aut precibus, aut premio, aut amore erga posteros, aut ullo affectu humano constituere imperatorem legitimum Placentiae possessorem, absolvereque a culpa spoliis adeo ignominiosis, adeo violenter commissi, ac si non commissi, saltem promoti, confoti, approbati, (et ut ego sentio) ab administris suis procurati, (forte non sine ipsius assensu) ac pro omnium dolorum solatio ac pro mercede auri, argenti, suppellectilis, et aliarum opum, quae conjurati ac sicarii rapere, tradere Parmam, ne Hisloriis Annalibusque mandaretur, non modo sponte Ecclesiam privasse, sed etiam Italiam duobus magnis propugnaculis, atque ea addicere imperio cum diris et execrationibus omnium principum Christianorum, atque adeo summe placuit responsum redditum Marliano Alphonso a Pontifice non admittente imperatorem in iudicem illiusque sententiam respuente, placuit missa esse ad Caesarem Brevia, ut videat Pontificem stare suo pondere ac sua vi, nec velle auctoritatem dignitatemque suam ab alio precariam accipere, cumque faucibus pes imprimatur, tum nos ad libertatem tuendam magis animatos, sed firmitate, constantia ac perseverantia opus est, vellem cardinalis Farnesii auribus insinuare, ut jam occasionem arriperet conciliandi sibi sine nullo labore principes Christianos, qui ipsi multarum rerum successum adscribunt etc. Bononiae 11 Augusti MDCXLIX ».

11. Componi non potuit ea lis inter Paulum Pontificem ac Caesarem, cum Caesar contendere non modo Placentiam, sed etiam Parmam spectare ad imperium, atque in ea lite dirimenda ferendam a se decretoriam sententiam; verumtamen si Parma sibi dederetur, grati animi magnificentia se Farnesiis quadraginta millia nummorum annua traditurum. At e contra Paulus opponebat, nolle se coram Caesare iudicio contendere, ni prius Placentia sibi fuisset restituta: cum constaret illam per vim ac nefas ereptam, ac iure optimo tot annorum flexu fuisse a Pontificibus possessam; necnon Maximilianum Iavum patrum Caroli V anno MDCXI, ex pactioe foederis inito cum Julio II, jus omne Placentiae concessisse Pontifici, consentiente Ferdinando Catholico ejusdem Caesaris materno avo, necnon ipsum Carolum V anno MDCXXI publicis conscriptis documentis professum esse Parmam et Placentiam juris esse Pontifici; adeo ut iis ostensis Didacus Mendoza orator Caroli Caesaris obmutesceret: ut vero post mortem Pauli III quae hujus litis actionem intercidit, ac varios casus, Caesar demum Octavio Farnesio Placentiam ex consanguinitatis proposito amore restituerit, suo loco dicetur.

12. *Lite rursum et acerbius agitata de trans-*

latione Concilii, Paulus pacis gratia Concilium Bononiense dissolvit. — Vertebratur lis alia ardua apud Pontificem Paulum III de translato Bononiam Tridentino Concilio, inconsulto Caesare, tam praecipitae celeritate, ob pestis suspicionem, ut praesides Concilii nullo dato Patribus ad deliberandum temporis spatio, pridie translationis causas proposuerint, postridie transferendum Bononiam decreverint, perendie, id est, die tertio discesserint Tridento Bononiam profecturi. Objiciebant Hispani praesules, in quos se graviter animadversurum interminatus erat Caesar, si transferendo vel dissolvendo Concilio Tridentino consentirent, sine causa justa decretam factamque translationem, arrepta avidissime levissima occasione, numeratasque fuisse sententias, non ponderatas, nec majorem partem saniori preferri debuisse, tum ex ea translatione gravissima mala emeris, ac majora etiam emersura, ni Tridenti Concilium restitueretur, maxime cum Germani Lutherani se decreta Concilii Tridenti suscepturos polliceantur. Addidere Bononiam idoneam pro celebrando Concilio non esse, cum in media Italia sit sita atque Ecclesiae imperio subdita.

13. Haec praesulum Hispano sive Caesareo imperio subditorum rationes ex aliqua parte videbantur vere, sed maxima ex parte fallaces; nam verum quidem erat avidissime arreptam ex epidemico morbo transferendi Concilii occasionem; sed antequam morbus ille saeviret Tridenti, meditabantur legati transferre Concilium, quod Caesar libertatem Concilii auferre videbatur. Jactabant autem falso Hispani seniores contulisse partem Concilii, cum illi magis timebant Caesarem quam Christum, ac magis obtemperarent Caesari quam Christi vicario, cui sacramento solenni erant obstricti; ac rogari, ut accederent Bononiam, ut ex communi omnium decreto reliquae Lutheranae haereses damnarentur, quasi trabalibus affixi clavibus movere se Tridento recusarunt. Porro multa mala emeris, ex ea translatione atque intercisum fuisse Concilium, verissimum fuit, sed haec mala perperit eorumdem pertinacia. Quod addunt, Lutheranos comparatos ad suscipienda Concilii decreta, si Tridentum transferretur, a veritate hoc omnino alienum erat, cum pro defendenda haeresi arcanas coiliones mirent. Conquesti etiam male sunt, Bononiam non fuisse idoneam pro celebrando Concilio; cum in ea urbe Patres maxima libertate potirentur, Tridenti vero a Lutheranis Caesarea etiam Majestatis proditoribus opprimi potuissent; ita ut Caesar ipse a Mauritio Saxoniae principe, quem maximo principatu auxerat, proditus, vix interpesta nocte, profugus ex ejus servitute evaserit, ut redintegrato postea Tridenti Concilio visuri sumus. Ceterum cum Paulus Pontifex decretoriam esset laturus sententiam de translato jure

Concilio, iterum præsules Tridentinos ac Bononienses ad subsellia Apostolica excivit, de quo hæc vetus Manuscriptum refert :

14. « Et si domini sacri Concilii deputati, una cum illustrissimo domino primo præside, adeo iustitiam translationis ostendissent, ut a nemine de ejus validitate amplius jure dubitari deberet, quia tamen diversæ quotidie offerebantur difficultates, cum præsertim nomine Cæsaris peteretur ut ad aliquod tempus in hujusmodi judicio supersederetur, quod fieri sine gravi reipublicæ Christianæ detrimento, auctoritatis ac libertatis Concilii diminutione non poterat; id vero denegari absque maxima Cæsaris indignatione (quod valde advertendum erat sineque novarum turbarum incendio, majorique Ecclesiæ perturbatione posse non videbatur, Summus Pontifex decrevit super his omnibus, non solum reverendissimorum S. R. E. cardinalium atque Cæsaris et Galliarum regis ad quos ea de causa nuntios miserat, sed etiam aliquot diversarum nationum episcoporum, tam eorum qui Bononiæ in Concilio erant, quam qui Tridenti morabantur, sententiam intelligere. Quare misso ad utramque civitatem expresso nuntio, quatuor ex unoquoque loco evocavit, scriptis ad eorum quemlibet litteris infra scriptis¹ :

« Dilecto filio nostro S. R. E. presbytero eard. Pæcecco nuncupato.

« Dilecte fili, salutem, etc. In eo statu res Christianæ reipublicæ constitutæ sunt, ut matura provisione omnino indigeant : quamobrem, quod potissimum in re tam ardua nobis faciendum sit cogitantes, decrevimus sicut ceteros venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, ita etiam te in consilium adhibere, et tuam pariter sententiam intelligere. Quare in Domino hortamur, ubique in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut intra quadraginta dies post præsentium receptionem ad nos venias : quæ enim consilia ad publicam et universalem salutem nobis afferes, libenter audiemus, et tecum nostra vicissim conferemus. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum xviii Julii MDCXLIX ».

15. Transmissæ sunt aliis præsulibus Tridenti commemorantibus, eadem ferme verborum formula conceptæ litteræ, quibus significavit Pontifex eos a se Romam tot exciri, ut eorum iudicium circa præsentem rerum statum intellectual. De hac præsulum Tridentinorum ac Bononiensium vocatione, deque illius causis, nimium, ut ex eorum consilio disciplina Ecclesiastica in sanctiorem formam redigeretur, ac de loco, in quo Concilium de controversiis fidei, quæ dirimenda supererant, decerneret, constitueretur, refert Angelus Massarellus his verbis² :

« Cursor sanctissimi domini nostri præsentavit die Dominico, vi die Augusti, MDCXLIX, quatuor Brevia nomine suæ Sanctitatis, quatuor prælati, ex iis qui remanserunt in civitate post translationem Concilii ad civitatem Bononiensem, quæ fuit die xi Martii MDCXLVII, cum ipsi prælati prætererent, quod Concilium non esset legitime translatum, qui prælati quatuor sunt, reverendissimus dominus Petrus Pæcecco cardinalis Giennensis Hispanus, et reverendi domini Petrus Tagliavia archiepiscopus Panormitanus Siculo, ac episcopi Franciscus de Navarra Pacensis, et Bernardus Diaz Calagurritanus Hispani, quibus Brevibus dicti prælati vocantur a sua Sanctitate, ut eant ad Urbem ob aliqua negotia reipublicæ Christianæ, in quibus Pontifex indiget consilio eorum. Qui supradictus cursor præsentavit etiam xiii Augusti quatuor alia Brevia ejusdem tenoris quatuor prælati ex iis, qui in hac civitate Bononiensi commorantur, translationem ipsam approbantes : sunt autem ipsi quatuor prælati reverendi domini Sebastianus Leccavella archiepiscopus Naxiensis Græcus, Olaus Magnus archiepiscopus Upsalensis Gothus, et Joannes ab Hangesto episcopus Noviomensis Gallus, ac Ricardus Petrus Vigorniensis episcopus Anglicus.

« Causa autem hujus vocationis est, licet non exponatur in Brevibus, propter reformationem faciendam, nam cum Pontifex videret, quod jam per biennium prælati qui Tridenti remanserunt post translationem, non potuerunt concordare cum prælati qui sunt in Concilio Bononiensi, defendente imperatore Carolo V Tridentinorum partes, et Pontifice istis adversante, ne ulterius tempus teratur, Sanctitas sua vult hoc intuitu, quo Dei bonitate aliqua concordia incatur, vacare reformationi cleri et populi Christiani, cum hæc cura præcipue spectet ad suam Sanctitatem, coram qua erunt tot Patres reverendissimi domini cardinales, tot prælati omnium nationum et oratores principum. Deinde reformatione facta vacabitur conciliandis prælati Concilii, et agetur de loco, in quo dogmata, quæ dilucidanda restant, expediuntur, etc. ».

16. Non parvum Tridentini præsules nec adduci Romam potuere, cum magis Cæsarem quam Christum pertimescerent, seque his litteris turpiter excusarunt, immemores sacramenti, quo Romano Pontifici adstricti erant. Reddite vero sunt a cardinale Giennensi hæc litteræ³ :

« Litteras Sanctitatis vestræ in forma Brevis conscriptas reddidit mihi cursor, quem huc dedila opera miserat, quas, ut decet Sanctitatis vestræ humilissimam creaturam, summa reverentia et submissione veneratus sum, nihilque

¹ Ext. tom. VI. sign. p. 506, A/4 Concil. Bonon. p. 38. Ext. etiam in Ms. card. Pic sign. num. 260, p. 68. — ² Dicitur Concil. Trid. Ancl. Angel. Mass. Arch. Vat. p. 332.

³ Tom. VI. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3198. p. 508. Ms. card. Pic sign. num. 260, p. 68, card. Gen. ad PP.

magis optavi quam ut mox nullo intermisso tempore exacte voluntatem Sanctitatis vestrae exequi possem. Sed cum intelligat ipsa apertissime, quibus potissimum de causis universi, qui adsumus Tridenti ad Oecumenicum Concilium, non tam nostra sponte advenimus, quam Sanctitatis vestrae jussu coacti sumus, facillime intelliget, nihil nos aliud expectare hic aut postulare, quam ut Deus Optimus Maximus quae turbata sunt sic componat, ut concordii studio ea pertractari possint, quae ad necessarium Ecclesiae restorationem et summam Dei gloriam pertinent, quae quidem in tuto, legitimo et aperto hic Concilio commodissime tractari possunt et contici, quam possum humillime obsecro, et oro Sanctitatem vestram, ut quando statum totius negotii, cujus causa hic sumus, ita novit, ut neque id explicare necesse sit, neque fortasse expediat, me, si Romam hoc tempore non proficiscor, excusatum habere velit. Interim vero Sanctitati vestrae, cui referre non possum, ago et maximas gratias, quod me consiliurum suorum participem esse velit. Deus Optimus Maximus prosperam valetudinem Sanctitati vestrae et felicem universali Ecclesiae statum conferat. Tridenti xxv Aug. MDLIX. Eiusdem Sanctitatis vestrae humilissima creatura Petrus cardinalis Giennensis ».

Conceptis eisdem ferme verbis ¹, ut subditur : « Ad verbum (ait) ut supra responderunt suae Sanctitati ex Tridento praelati infrascripti . . . ».

« E. S. V. humiles et devotae creaturae.

« P. archiepiscopus Panormitanus.

« Franciscus episcopus Paecensis.

« Joannes episcopus Calagurritanus ».

De his consultus Joannes Maria et Monte ² rescripsit Pontifici Tridentinorum rationes, inania verba esse, omninoque esse mala tempora.

17. Herum Pontifex cum praelatorum Tridentinorum excusationem non admitteret, eos mense Septembri monuit, ut officii sui memores ad Urbem accederent pro tractandis iis, quae ad totius Christianae republicae commodum spectabant, quo argumento extant haec ad cardinalem Giennensem et alios misse litterae ³ :

« Venerabili fratri nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod ad nostras litteras, quibus te de his, quae ad universalem Christianam rempublicam pertinent cum aliis praelatis consulturum vocavimus, respondes te isthuc expectare, ut Deus Optimus Maximus quae turbata sunt in Ecclesia sua componat, ideoque te excusatum haberi potestas, si ad nos hoc tempore non proficisceris; sane haud gravate excusationes tuas admis-

semus, si et legitime essent, et hujusmodi quae a nobis probari possent. Verum considerantes, quemadmodum scribis, te non tua sponte, sed jussu nostro isthuc venisse, haud facile nobis persuadere possumus, quin idem quoque et nunc facias, praesertim cum ad ipsum voceris, cujus gratia te isthuc praestolari significasti, hoc est, unde concordii studio, ea quae ad commodum publicum, Dei gloriam et Ecclesiae instaurationem pertinent, pertractentur. Quare fit ut non videamus quomodo ex causis quas affers, legitime excusari possis, et qui nobiscum in partem sollicitudinis vocatus es, velis officio tuo et Ecclesiae deesse, et capiti tuo non obedire, cui et Domini voce, et juramento adstringeris. Verumtamen, utcumque sese res habebit, non desistemus a proposito nostro, prout gregis nobis a Deo commissi cura exposcit, ideoque a nostro priore mandato non recedentes, te iterum ad ipsam consultandum vocamus.

« Datum Romae apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die vi Septembris MDLIX, Pontificatus nostri anno xv ».

18. Obduruere iidem Hispani praesules, cum e nutu Caesaris penderent, in contumacia, quam futili excusatione obvelarant, addit enim Ms. Vaticani auctor : « Nec propterea praelati ipsi Tridento recedere voluerunt, rursus et ipsi eandem excusationem repetentes ». Paruere vero Pontificio imperio praesules Bononienses, quod Angelus Massarellus ¹ diserte tradit, subjicitque Concilium Bononiense a Pontifice fuisse dissolutum, cum ipse vellet spectantia ad controversiam de translatione Concilii, et ad rei Christianae commodum, vel ad disciplinae splendorem restituendum Romae tractare :

« XIV Septembris reverendus D. Olaus Magnus archiepiscopus Upsalensis, et Ricardus Petrus episcopus Vigorniensis recesserunt ex Bononia ituri Romam juxta vocationem suae Sanctitatis ad conventum Romae habendum pro controversiis Concilii et reformatione.

« XVII Septembris reverendissimus dominus Joannes Maria cardinalis de Monte sac. Concilii praesidens et legatus recepit litteras reverendissimi Alexandri S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis sub data xiii mensis Septembris, in quibus scribit nomine suae Sanctitatis, ut ipse cardinalis de Monte det licentiam omnibus praelatis hic Bononiae in Concilio existentibus, ut redeant ad propria, cum Pontifex hoc tempore Concilium celebrare non intendat, sed in conventu Romae habendo agatur de praesentibus controversiis, et ita notandum est, quod ab hac die cessat Concilium Bononiense. Concilium autem non fuit neque suspensum (nisi ejus processus) quod factum fuit, dum Pontifex avocavit

¹ Ext. in eod. to. vi. Ms. arch. Vat. sign. num. 3198. p. 397.

— ² Jo. Maria et Monte Leg. Conc. Bonon. in litteris ad Paul. III.

— ³ Ms. card. Pii sign. num. 360. p. 71.

¹ Diar. Conc. Trid. Auctore Ang. Mass. Secret. Ms. arch. Vat. p. 334, 335.

ad se causam super validitate translationis die 1 Febr. MDXLVIII, neque clausum. Quo igitur consilio hoc a Pontifice factum sit ignoratur, cum adhuc praelati, qui Tridentini manent, personaliter et ipsi translationi contradicunt, in ea civitate nemine dempto permaneant, perseveranter asserentes, Concilium non fuisse legitime translatum (quod tamen falsum est, ut ex Actis ipsius translationis apparet) et ita sunt in quasi-possessione Concilii, et ideo non convenit, ut Bononienses praelati relicto loco vero Concilii abeant. Deus Omnipotens dirigat hoc negotium in bonum et pacem communem reipublicæ Christianæ, quæ in tot annis undique labefactata, et pene divulgata ab hæreticis, et Christiani nominis hostibus, nunc novissime ab iis, qui ejus præcipui defensores et protectores esse debeant, perturbatur. Sapienter pauca, non enim licet omnia loqui ».

19. Acerbissima res videbatur et periculo plena dissolvi Bononiense Concilium, non dissoluto Tridentino cætu, ac licet Petrus orator a duce Florentiæ missus assereret, nil in spectantibus ad Concilium innovandum iri ex parte Cæsaris, neque ex parte Pontificis innovandum, sed utramque partem usuram beneficio temporis, tamen Joannes Maria de Monte ¹ Bononiensis legatus exclamabat in litteris ad Alexandrum cardinalem Farnesium datis : « Ad quid conventus ille præsulum Tridentini retinetur? Ego misera Cassandra exclamo apud vestram reverendissimam dominationem, an prudentiæ et cautionis ergo id patimur, ne quid pejus contingat, nec jam cogitatur de ferenda publica sententia in causa translationis Concilii? saltem fiat declaratio occulta, si aliud remedium non occurrat : in ea narrari posset Sanctitatem suam suspendisse Concilium, atque ad se cognitionem validitatis translationis revocasse ad tollendam, quantum in se esset, omnem schismatis occasionem; res concordia etiam conciliari tutius posset quam per sententiam, si permitteret Cæsar, ut Tridentini accederent Romam, ut de causæ suæ jure doceant Pontificem, ac de loco transferendi Concilii paciscantur, cum nec illis Bononia, nec his Tridentum placeat : vero cum suspensa sit sententia de translationis validitate ad averteendam schismatis occasionem, videndum etiam ne ea suspensio sententiæ schisma sit paritura, cum pars præsulum sibi licere putet hic stare, altera alibi subsistere; propterea sua Sanctitas, in eo casu quo ex humanis a Deo ipsam vocari contingeret, ex nunc prout ex tunc pronuntiet, declaret et notum faciat omnibus principibus et rebus publicis, et præsulibus, et universo clero, et populo Christiano se, diligentissima inquisitione et examine præhabitis, comperisse translationem Concilii

Tridento Bononiam (factam ex causis, de quibus in Actis ipsius Concilii) a majori parte præsulum intervenientibus, assistentibus præsidentibus atque adherentibus legatis Apostolicis, proprio nomine, et cum singulari auctoritate concessa ipsis legatis per specialem Bullam lectam ac publicatam die Sessionis, in qua facta est translatio, esse validam, ac subsistere, ut non possit ab aliquo cujuscumque gradus, præ eminentiæ et dignitatis jure impugnari, ac si quis in contrarium tendat, non abesse a periculo ne ipso facto incurrat indignationem Apostolorum Petri et Pauli, ac censuras et pœnas a sacris canonibus et Conciliis constitutas, (decernendo nihilominus irritum et inane quicquid in contrarium a quovis contingeret attentari). Hæc nitide reverendissimæ dominationi vestræ scribo,ambo enim novimus in quanto periculo versentur Tridenti res sanctissimi domini nostri, et Sedis Apostolicæ, et Collegii nostri, et Curie Romanæ : novimus contempsisse nos vite pericula et jacturam bonorum, ut fungemur manere verarum legitimarumque ac non abortivarum creaturarum; si Pontifex e vivis exeat, non edita hæc declaratione, nobis culpa adscribetur. Video inde ruinam irreparabilem impendere. Suspendio Concilii a sanctissimo facta nocet solis patribus Bononiensibus, qui eam admiseri illique paruere, ac possessionem loci amisere, tum ob suspensionem, tum quia ferme omnes discessere vel sunt abituri. At Tridentini suspensionem Concilii non admiseri, ita ut in suo statu integri permaneant, et nulli nisi Tridenti reperitur facies, vel forma, vel species, vel imago Concilii; qua tandem ratione retundere hos poterimus, nisi objecta in os Pontificia declaratione de translatione valida »? Addita sunt alia numeris arcanis expressa Bononiæ VIII Junii MDXLIX.

20. Meluebat idem cardinalis e Monte, ac Cæsar, captata vacantis Sedis occasione, præsulibus factionis suæ fretus in Concilium, imo in Concilium Pontificemque conjunctum imperium arripere, sed ab eo flagitio Cæsar abfuit, sed acerbissime Concilium eo inconsulto non debuisset, vel jure non potuisset transferri contendebat. At divina providentia imminetia discussit pericula, dimissumque est a Paulo III Pontifice, accommodante se temporum acerbitati, Concilium Bononiense ob concordie studium, ut Massarellus refert his verbis ¹ :

21. « Finis Concilii Bononiensis sub Paulo III Pontifice Maximo.

« Cum igitur res in eo statu essent, ut quotidie in deterius laberentur, atque ideo difficilis admodum quævis deliberatio absque evidenti reipublicæ Christianæ detrimento ac periculo,

¹ Id. Maria de Monte in lit. ad card. Far. Ext. in Ms. arch. Vat.

¹ To. VI de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 508. et aliud Ms. p. 250.

majorumque in Ecclesia Dei terrore et dissidiorum excitatione videretur, summus Pontifex temporibus cedens, Concilii celebrationem et controversiarum super translatione decisionem ad meliora tempora reservare, et in solo Deo spem omnem collocare coactus fuit. Quare ne diutius prælati, qui Bononiæ in Concilio erant, ab eorum Ecclesiis cum animarum eorum curæ commissarum jactura abessent, frustra que otio in ea civitate torperent, concessit eis licentiam abeundi, et ad dictas eorum Ecclesias revertendi, ibi meliora felicioraque tempora expectaturis, scriptis ad illustrissimum dominum cardinalem de Monte primum præsidendum (cum jam alter præsidens recessisset) litteris sub datum Romæ xiii Septembris m̄dxlix. Et ita ab hac die Concilium Bononiense dissolvitur. Deus omnipotens Ecclesiæ sanctæ unionem et pacem reddere, Christianamque religionem, tot jam annis undique labefactatam et pæne divulsam tueri ac defendere ad sui nominis gloriam dignetur. Amen ».

Hactenus de Bononiensi Concilio, in quo diu hæreticorum errores disceptati et confutati fuere, ac licet ejus decreta promulgata non fuerint in publica Sessione, quod Cæsarei Bononiæ accedere detrectarint, plurimum tamen ad prosequendum sub Julio III Concilium profuere, cujus Concilii Acta cum obscuriora fuerint, eorum, qui interfuerunt, nomina posteriorum memoriæ commendanda visa sunt.

22. Nomina, cognomina et patriæ eorum, qui interfuerunt sacro OEcumenico Concilio Bononiensi 1 :

SACRI CONCILII PRÆSIDENTES ET LEGATI.

« Reverendissimus et illustrissimus dominus Joannes Maria episcopus Prænestinus de Monte.

« Reverendissimus et illustrissimus dominus Marcellus Cervinus, fil. Sanctæ-Crucis in Hierusalem presbyter, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sacri Concilii præsidentes et Apostolici legati de latere.

ORATORES HENRICI REGIS CHRISTIANISSIMI.

« Illustrissimus D. Claudius d'Urfe, præfectus Provinciæ de Forez, Gallus.

« Illustrissimus D. Michael ab Hospitali, consiliarius Parisiensis, Gallus.

ARCHIEPISCOPI.

« R. D. Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

« R. D. Antonius Filholi, archiepiscopus Aquensis.

« R. D. Ludovicus Cheregallus, archiepiscopus Antibarensis, Ordinis Minorum de Observantia, Vicentinus.

« R. D. Jacobus Cœcus, archiepiscopus Corycensis, Venetus.

« R. D. Michael Saracenus, archiepiscopus Materanus et Acheruntinus, Neapolitanus.

« R. D. Lacavela, archiepiscopus Naxiensis, Ordinis Prædicatorum, Græcus.

« R. D. Olaus archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

« R. D. Robertus Vauchop Venantius, archiepiscopus Armacanus, Scotus.

EPISCOPI.

« R. D. Christophorus de Spiritibus, episcopus Casenatensis, Viterbiensis.

« R. D. Philo Roverella, episcopus Asculanus, Ferrariensis.

« R. D. Jacobus Ponzetta, episcopus Malphelensis.

« R. D. Thomas Campegius, episcopus Fel-trensis, Bononiensis.

« R. D. Benedictus de Nobilibus, episcopus Aciensis, Ordinis prædicatorum, Lucensis.

« R. D. Quintius de Rusticis, episcopus Mil-litensis, Romanus.

« R. D. Robertus Senatis, episcopus Ambri-censis, Gallus.

« R. D. Joannes ab Angesto, episcopus No-viomensis, Gallus.

« R. D. Cathelannus Trivultius, episcopus Placentinus, Mediolanensis.

« R. D. Ferdinandus Pandolphinus, episco-pus Trojanus, Florentinus.

« R. D. Alexander Campegius, episcopus Bononiensis, Bononien.

« R. D. Antonius de Humeis, episcopus Isernensis, Florentinus.

« R. D. Leo Ursinus, episcopus Forolivien-sis, Romanus.

« R. D. Fuscherus, episcopus Torcellan. Ve-netus.

« R. D. Jo. Lucius Staphileus, episcopus Si-binicen. Illyricus

« R. D. Marcus Antonius episcopus Grosse-tan. Bononien.

« R. D. Dionysius Græcus, episcopus Millo-potamen. et Chironensis, Ordinis Minorum de Observantia, Græcus.

« R. D. Braccius Martellus, episcopus Fesu-lanus, Florentinus.

« R. D. Baruffus de Pisis, episcopus Sarsina-tensis, Britonobiensis.

« R. D. Philibertus Babu, episcopus Ango-lismensis, Gallus.

« R. D. Joannes Baptista Campegius, epi-scopus Majoricensis, Bononiensis.

« R. D. Thadæus de Pepulis, episcopus Ca-riensis, Bononiensis.

« R. D. Petrus Vorstius, episcopus Aquensis, auditor Romanæ curiæ, Flander.

¹ Acta Conc. Bon. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 123.

« R. D. Augustinus Zanettus, episcopus Sebastensis, Bononiensis.

« R. D. Heliseus Theodinus, episcopus Soranus, Arpinas.

« R. D. Jacobus Corlesius a Prato, episcopus Vasionensis, Romanus.

« R. D. Franciscus Boerus, episcopus Macloviensis, Gallus.

« R. D. Georgius Cornelius, episcopus Tarvisinus, Venetus.

« R. D. Baldassar Lympus, episcopus Portuensis in Portugallia, Ordinis Carmelitarum, Portugalliensis.

« R. D. Bernardus Bonjoannes, episcopus Camerinensis, Romanus.

« R. D. Angelus Paschalis, episcopus Motulanus, Ordinis Prædicatorum, Dalmata.

« R. D. Joannes Campegius, episcopus Parenthinus, Bononiensis.

« R. D. Ludovicus Simoneta, episcopus Pissauriensis, Mediolanensis.

« R. D. Augustinus Slenchus, episcopus Chissamensis, bibliothecarius Apostolicus, Eugubinus.

« R. D. Tiberius de Mutis, episcopus Jeraicensis, Romanus.

« R. D. Georgius Andreacius, episcopus Regiensi, Mantuanus.

« R. D. Aloysius Lipomanus, episcopus Montensis, coadjutor Veronensis, Venetus.

« R. D. Jolicus, episc. Sancti-Pauli, Gallus.

« R. D. Philippus Archintus, episcopus Salutarum, vicarius Sanctiss. N. D. papa in urbe Mediolanensi.

« R. D. Vincentius de Durantibus, episcopus Thermularum, Brixien.

« R. D. Jo. Petrus Ferretus, episcopus Mylonensis, Ravennalen.

« R. D. Claudius de la Guiche, episcopus Mirapiscensis, Gallus.

« R. D. Egidius Folietta, episcopus Caprulanus, Cingulanus.

« R. D. Ricardus Patus, episcopus Vigornensis, Anglicus.

« R. D. Petrus Ghinuccius, episcopus Cavallicen, Senensis.

« R. D. Cornelius de Mussis, episcopus Bituntinus, Ordinis Minorum Conventualium, Placentinus.

« R. D. Marcus Maliperius, episcopus Corsulanus, Venetus.

« R. D. Jacobus Jacobellus, episcopus Bellicastroen., commissarius generalis Apostolicus sacri Concilii, Romanus.

« R. D. Alvarus de la Quadra, episcopus Venusinus, Hispanus.

« R. D. Thomas Casellus, episcopus Britiorien., Ordinis Prædicatorum, Rossanen.

« R. D. Galeatus Floreimonibus, episcopus Aquinaten., Suessanus.

« R. D. Philippus Bonus, episcopus Famagusten., Venetus.

« R. D. Jo. Baptista Cicada, episcopus Albingen., auditor Camere Apostolicæ, Genuensis.

« R. D. Stella, episcopus Lavellensis, Ordinis Prædicatorum, Venetus.

« R. D. Franciscus de Manni, episcopus Briocensis, Gallus.

« R. D. Laurentius Puccius, episcopus Veneten., Florentinus.

« R. D. Berengarius Bombau, episcopus Calvensis, Hispanus.

« R. D. Franciscus Gallianus, episcopus Pistoriensis, Florentinus.

« R. D. Petrus Dival, episcopus Sagiensis, Gallus.

« R. D. Gregorius Castagnola, episcopus Mylonensis, Ordinis Prædicatorum, Græcus.

« R. D. Philippus Roccabella, episcopus Maceratensis, Recanatensis.

« R. D. Jacobus Barba, episcopus Aprutinus, Ordinis Heremitarum, sacrista Apostolicus, Neapolitanus.

« R. D. Camillus Menluatus, episcopus Satrianensis, Placentinus.

« R. D. Jacobus Spiphame, episcopus Niverniensis, Gallus.

« R. D. Sebastianus Pighinus, episcopus Alphanus, auditor curiæ Romanæ, Regiensis.

« R. D. Ambrosius Catherinus Politus, episcopus Minoricensis, Ordinis Prædicatorum, Senensis.

« R. D. Peregrinus Fabius, episcopus Vestanensis, auditor Romanæ curiæ, Bononiensis.

« R. D. Pompeius de Zambeccariis, episcopus Sulmonensis, Bononiensis.

« R. D. Camillus Peruschus, episcopus Alatrius, rector Studii Romani, Romanus.

PROCURATORES.

« R. P. Ambrosius Pelargus, Ordinis Prædicatorum procurator, reverendissimi et illustrissimi domini Adolphi archiepiscopi Colonensis, Sacri Romani imperii electoris, necnon capituli ejusdem Ecclesiæ Colonensis procurator, reverendissimi et illustrissimi domini archiepiscopi Treverensis, electoris sacri imperii germanus.

ABBATES.

« R. D. Lucianus de Oltonibus, abbas Pomposiæ Ferrariensis, Mantuanus.

« R. D. Chrysostomus Gimilianensis, abbas SS. Trinitatis de Cajeta, Calaber.

GENERALES ORDINUM.

« R. P. Franciscus Romeus, Generalis Ordinis Prædicatorum, Aretinus.

« R. P. Bonaventura Pius, Generalis Ordinis Minorum Conventualium, Costacciarus.

« R. P. Hieronymus Seripandus, Generalis Hieremitarum Sancti Augustini, Neapolitanus.

« R. P. Nicolaus Audeus, Generalis Ordinis Carmelitarum, Cyprius.

« R. P. Augustinus Bonucci, Generalis Ordinis Sanctæ-Mariæ Servorum, Aretinus.

« R. P. Simon Guicciardus Stampensis, Generalis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, Gallus.

OFFICIALES CONCILII.

« D. Hugo Boncompagnus, abbreviator, Bononiensis.

« D. Hercules Severolus, promotor, Faventinus.

« D. Angelus Massarellus, secretarius, Sanceseverinus.

« Pompeius de Spiritibus, magister caeremoniarum, Spoletanus ».

Subduntur nomina notariorum diversarum nationum, qui fuere tredecim, et theologie professorum, qui fuere numero octuaginta quinque, quorum ullimi ex Societate Jesu, qui Presbyteri reformati dicebantur, fuere viri insignes, Claudius Jains, Jacobus Laynes, Alphonsus Salmeron socii sancti Iguatii, et Petrus Canisius Germanus, eruditis operibus clarissimus.

23. *Detractatum a Pontifice fœdus cum rege Gallo: Ochini impia scripta et Vergerii a fide defectio.* — Servire temporari maluit Pontifex, gravioraque imminet mala defugere, quam adversus Cæsarem, multa indigna molientem, Apostolicam tueri auctoritatem cum maxima Christianæ reipublicæ perturbatione, quare a ferenda de translatione Concilii decretoria sententia abstinuit, ac minus malum tolerare maluit, quam majus accersere, ut narrat Angelus Massarellus ¹ his verbis : « VIII Novembris reverendus dominus archiepiscopus Materanus dixit de sententia validitatis translationis danda a sua Sanctitate, et quod ego referrem cardinali Sanctæ-Crancis animum suum, ut unius ex deputatis a Concilio. Retuli : significavit animum cardinalium deputatorum super religione esse, ut pro nunc nihil agatur, tanquam eligendum minus malum contradicente imperatore ». Verebatur nimirum Pontifex, ne Cæsar adversus Pontificiam sententiam intercederet, et majores in Ecclesia Dei tumultus orirentur, quorum malorum avertendorum causa, licet Gallia rex ardentissimis studiis offerret se Pontifici ad sancientum fœdus armorum adversus Cæsarem, et Brosia regis orator omni arte et contentione pellicere Pontificem ad eam societatem niteretur, tamen Pontifex licet infensum Cæsaris animum adversus Sedem Apostolicam experiretur, nunquam cum Gallo id fœdus sancire voluit, ut Alexander

cardinalis Farnesius Pontificio apud Cæsarem internuntio litteris significavit ¹, ut certiores faceret Cæsarem maluisse Pontificem expectare, ut Cæsar sponte sua Placentiam resiliiret. Conqueri etiam jussit de libris contumeliosissimis in Pontificem sparsis nomine Bernardini Ochini apostate, Cæsarique exponere, hæretici hominis rabiem ac levitatem, reique indignitatem ac infamiam in ipsam Cæsaream majestatem redundare, cum hæc omnia sub ejus patrocinio committantur. De his libris impiis meminuit Surius ² additque : « Si quis ita scriberet in principibus Evangelicos quemadmodum liber ille perstringit Pontificem, nemo æquo ferret animo, et hic visus est dignus Sleidano Sacramentario, e quo non pauca in defuncti Pontificis contumeliam suis illis præclaris Commentariis infarciret. Sane qui talium Commentariorum lectione delectantur, illi facile quoque Mahometis Alcoranum, et id genus alia commenta non admodum recusaturi videntur ».

Nequissimo huic apostatæ Ochino ad inficiendas suis hæresibus Angliam et Poloniam tunc intento scelestissimum alium apostatam conjungimus Petrum Paulum Vergerium, qui internuntium Apostolicum egerat in Germania, ac plura etiam pietatis ardentissima adversus hæreticos signa dederat, sed dum curiosus in hæreticorum perlegendis libris versatur, Theologicis disciplinis destitutus, in eorum cœnomersus periit, hæresimque aliis aflare non pertimuit, quare a Paulo Pontifice exactoratum narrant Acta ³ Consistorialia :

« Romæ apud Sanctum-Marcum die Mercurii III Julii MXXLIX, fuit Consistorium, in quo sanctissimus dominus noster de reverendissimorum consilio declaravit per ejus diffinitivam sententiam Petrum Paulum Vergerium episcopum nuper Justinopolitanum, ob causas in cedula expressas, regimine et administratione Ecclesiæ Justinopolitanæ privatum, aliisque penis a jure indictis afficiendum esse, prout in dicta cedula per Sanctitatem suam subscripta quæ penes reverendum dominum Blossium electum Fulginatensem Sanctitatis suæ secretarium ex hujusmodi causa notarium remansit, latius constat ».

Percussus hac sententia Petrus Paulus Vergerius, in desperationem efferatus, acerbissime adversus Pontificiam auctoritatem scripsit, actusque in reprobum sensum latius diffudit hæresim in Polonia, ac multos Catholicos imbecilles in Sathana castra traduxit, licet vero non semel de reditu ad Ecclesiam egerit, tamen fastu nimio deterritus est, ne publice suos errores ejuraret, de quo Ilosius episcopus Warmiensis postea cardinalis veluti de magno Sathanae administro queritur.

¹ Ang. Mass. in Diar. Ms. arch. Vat. p. 333.

² Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 37. p. 616. — ³ Sur. in Comm. — ³ Acta Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 131. p. 13.

24. *Patriarcha Aquilegiensis hæresis suspicionem incurrit.* — Eodem anno in gravem hæreseos suspicionem adductus est Grimanus patriarcha Aquilegiensis in controversia de Prædestinatione, quæ ex hac occasione suborta est. Cum Ecclesiæ Ulinensis ¹ Collegiæ concionator temere offendiculum populo Ulinensi objecisset concionando, prædestinatum a Deo nullo modo posse damnari, quantumcumque scelera admiserit, præscitum vero, sive reprobatum, quantumvis virtutibus se excolere annititur, necessario damnandum, quibus verbis cum Lutheranis colludere visus est, qui ejusmodi verbis a virtutis studio avertere Christianum populum, atque in vitia ex quadam desperatione impellere consueverant, ob exortam ex his verbis publicam offensionem Ulinensis vicarius concionatorem illum munere habendarum concionum interdixit. Concionator vero provocavit ad Grimannum patriarcham, qui vii Aprilis hujus anni ad vicarium Ulinensem litteras ² dedit, deque Prædestinatione sermone instituto concionatoris verba defendit, prædestinatum ideo non posse ullo modo damnari, quia tandem a peccato eruendus sit, pariterque præscitum necessario damnandum, electionemque et prædestinationem adeo necessariam sine ulla distinctione constituit, ut in nostra voluntate arbitrioque nullo modo sit positum salutem consequi vel damnari.

Has patriarchæ litteras, ut hæreseos crimine infames, Ulinensis vicarius ad censores fidei, qui agebant Venetiis, transmisit, illi rem ad Romanæ Inquisitionis Tribunal delatere, vocatusque in jus a Pontifice patriarcha Aquilegiensis Apologiam ³ conscripsit, in qua pluribus sententiis excerptis ex D. Augustino et nonnullis SS. Patribus, scripta in litteris confirmavit, sed ea Apologia majorem illi hæreseos suspicionem conflat, et sique in plures annos extracta est, donec in Concilio Tridentino sub Pio IV constituti sunt iudices ⁴ Theologica scientia florentissimi, qui censensere plures sententias apud divos Augustinum et Prosperum assertis a patriarcha non dissimiles reperiri, ac patriarcham xvii Septembris m^oxlxi crimine hæreseos purum ac liberum pronuntiarent, velut tamen ne ejus litteræ, vel Apologia typis unquam mandarentur cum hujusmodi sententiæ gravem offensionem parere ac turbare plurimum mentes possent. Purum autem ac nitidum dogma Catholicum est, nulla humana industria salutem comparari posse sine gratia Dei, quæ per merita Christi confertur; nec quemquam damnationem evadere sine eadem gratia, cui tanquam principali secundaria cooperatio nostra conjungenda est, bene vero ex parte sua velle omnes salvos fieri,

et Christum pro omnibus mortuum sacræ testantur litteræ.

25. *Compositæ controversiæ cum Hussitis.* — In Bohemia ¹ Prosper S. Crucis internuntius ad regem Romanorum missus, ut Hussitas Bohemiæ Ecclesiæ Romanæ Ferdinandi regis ope conciliaret, felicem in ea re operam navavit, de qua re scripsit cardinali Farnesio, Hussitas initio pervicacia sua omnem piam industriam cluisse, regia vero industria demum evictos, ut nonnulla sacri fœderis capita admitterent, quæ una cum litteris transmisit, hæc vero fuisse non quidem qualia optanda essent, sed qualia possent tolerari, ut sensim eorum secta deleretur; assensisse eos, cum solemnibus sacerdotum Hussitarum conventus esset, integrum esse sub qualibet specie Sacramentum et Corpus Christi, non tamen adstringi voluisse, ut communicantes admoneret, quod sub unaquaque specie sit integrum corpus, ob graves in ea re difficultates: damnasse errorem quod sufficeret semel in anno confiteri, si quis vellet sepius sacram Eucharistiam sumere; destitisse a celebranda Joannis Hussi hæresiarchæ festivitate: professos se obedientiam justam et debitam exhibituros Pontifici: de communione infantium articulum suppressum, quod sint pauci qui eam conferant, atque sacerdotes initiandos sacramento esse constringendos eam infantibus non collaturos, atque ut ea consuetudo delenda sit operam daturam regiam majestatem in conventibus ordinum nomine totius regni ut postuletur a Pontifice facultas archiepiscopo concedenda, ut absolvat Hussitas cosque in gremium Ecclesiæ restituat, quæ ut promoveri possint cursum Romam direxisse, ut Pontificiam mentem intelligat, summa contentione deprecari, ut paterna charitatis ardore horum defectus exurat, pacta enim cum Hussitis concordia, se omnes hæreses in Bohemia serpentes gravissimis edictis elisurum, atque etiam illicitos libros prohibitorum, ac progressu temporis ab his, qui utramque speciem sumunt optimi archiepiscopi diligentia et exemplis plura obtineri posse, perpensis porro omnibus se commiseris plures ad Hussitas dellexisse, ut confessionis molestiam defugerent, jam vero cum sint professi confessionem auricularem necessariam, ac tantum sub una quantum sub utraque specie contineri, sperari posse brevi temporis flexu consuetudinem communicandi sub utraque relictorum. Creditur etiam Lutheranos animis dejectum iri cum viderint eos, quibus maxime nitebantur, ad Sedis Apostolicæ obsequium conjunctionemque rediisse. Bat. Praga xii Novembris m^oxlxi.

Dominationis vestræ reverendissimæ humillimus ac devotus servus Prosper e Sancta Cruce

¹ Tom. de Vat. sign. num. 265, p. 352. — ² Liv. 960, Ms. 122 et 160. — ³ Liv. de p. 151. — ⁴ Liv. p. 152.

¹ Ms. eod. Tit. sig. num. 260, p. 129.

26. De singulis his controversiis compositis cum Hussitis, sive cum Calixtinis, extant aliae Sebastiani Pighini¹ episcopi Ferentini internuntii Apostolici in Germaniam decreti ad eundem cardinalem Farnesium :

« Reverendissimo et illustrissimo cardinali Farnesio.

« Tandem regiae majestatis opera post gravissimas difficultates, divina favente gratia Calixtini sacerdotes, qui sub utraque specie communicant populum, ad Catholicos articulos profitendos adducti : « Credere se secundum « primitivae et universalis Ecclesiae Concilia, « nec ulterius contendendum sensere theologi, « cum vox *universalis* omnia contineat ; professi « quoque integrum esse sacramentum sub una « specie, semper debent communicantes ad « monere, quod sub unaquaque specie est integrum Corpus », nolere tamen obstringi, ut repeteretur singulis vicibus, sed id praedicatum iri, ac universos in conventu consensuros. Circa articulum confessionis contendebant, quod sufficeret semel in anno confiteri, etiamsi quis vellet saepius sacram Eucharistiam sumere, sed demum ad Catholicam sententiam revocati sunt. Circa quintum articulum de festo Joannis Ilus, assensere, ut id festum infaustum aboleatur. Circa obedientiam Pontifici exhibendam, addidere justam et debitam, nec altercandum visum est, cum nil injustum ab his exigi possit, atque ipsi archiepiscopo Pragensi creandae omnem obedientiam sacramento spondere debeant, archiepiscopus vero omnem fidem, subjectionem et obedientiam polliciturus sit. Circa articulum de compactatis, scilicet in quo sensu essent intelligenda, disceptatio praetermissa est, cum novae pactiones inchoatae sint, quibus veteres antiquantur, frustra disputaremus, in quo sensu vetera compactata accipienda. Circa ultimum articulum non visum est anxie disquirendum, cum archiepiscopus religionis Catholicae studio et eruditione praestantissimus creandus sit, qui multa emendaturus sit Catholicae censura : superest indecisus articulus de communione infantium, ac regiae majestas de ea se acturum cum felici successu in conventu ordinum sperat. Porro archiepiscopus initiandos sacerdotes obstricturus est sacramento ad hos omnes articulos observandos, neque ad dandam infantibus communionem, ac multi ex Calixtinorum sacerdotibus consentiunt, ut non detur. Itaque ille usus apud paucos supererit, quibus extinctis, debebitur consuetudo.

« Superest ut veniam praeteritorum deprecant, regiae majestas ait se nomine totius regni misso oratore petituram, atque etiam in Conciliis decretum iri aliquos, qui pro ea deprecatore-

res agant, flagitareque, ut archiepiscopo absolventi potestas conferatur, utque gesta a sua Sanctitate confirmari et flagitent, quae hactenus regiae majestas privato nomine egit, ac si ipsi in comitiis dixerint missuros ad Pontificem oratores, regium quoque, ut rem provehat, se adiuncturum.

« Certiorem etiam reddit regiae majestas beatitudinem ipsius, concordia haec constabulata, regni ordines ad publica comitia vocaturum, atque in iis acerbissima edicta promulgatum iri adversus omnes haereses, quae in hoc regno serpunt non exiguo numero, atque summa diligentia rem confectum iri, ut in optimum statum redigantur omnia, ac libri haeretici prohibeantur, et quae ab ipsius sanctitate pro salute animarum commoneanda visa fuerint, in opus provocatum iri. Datum Pragae xii Novembris MDLIX ».

27. *Spes oritur redintegranda fidei in Anglia.* — Hoc anno in Anglia gravissimae rerum conversiones contigerunt, quarum occasione de redintegranda in eo regno Catholica religione actum est, extant enim Alexandri cardinalis Farnesii litterae¹ ad Pontificium in aula Caesarea internuntium, quibus jussus est Pontificio nomine agere apud Caesarem, ut pro restituenda in Anglia religione Catholica vires conjungat, muniri enim viam huic rei, quae facile ad exitum perducatur, Caesarem gravissimis ex causis ad pium hoc opus obstringi, cum ob judicaria acta postulante Caesare in Henricum regem a Clemente VII confecta, defectio illius ab Ecclesia secuta esset.

De rerum Anglicarum spe haec Jo. Maria de Monte² legatus Concilii Bononiensis scripsit ad Alexandrum card. Farnesium : « Haec mea fixa est sententia, ut reverendiss. atque illustriss. card. Polus creetur legatus ad invictissimum imperatorem et ad regem Christianissimum, et ad quoscumque reges et principes Christianos, ad quos eum declinare, vel a quibus subsidia petere contingeret, et ad Anglos ad unitatem et gremium Ecclesiae redire volentes, et nos porrigeremus manus adiutrices, ac divideremus et oppignoraremus mitras, calices, palenas, nosque omnibus opibus spoliaremus », subjicitque, deberet sua sanctitas attollere in Caelum manus, gratiasque Deo agere, quod vitam sibi adeo propagavit, ut si non omnimodam recuperationem videat, tamen spes recuperandi illius regni optime comparatas alat : necnon legatum per litteras urgere, ut ad Caesarem pro statu rerum Anglicanarum se conferat : « Opinari enim », ita concludit, « quod cum ipsius reverendissima dominatio tot dotibus et ornamentis naturae sit praedita, tantaque

¹ Pighini lit. ad card. Farn. ex Ital. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3224. p. 100.

¹ Ext. in Ms. card. Spada sign. num. 37. p. 91. — ² Lit. Jo. Mariae de Monte car. Leg. ad Alex. card.

gratia et auctoritate apud Cæsarem polleat, implicatissimis his libris de Concilio, translatione et reformatione expediendis utilem operam navare posset, et hæc sufficient in tot occupationibus meis, quæ omnia submitto sapientissimo iudicio vestræ reverendissimæ et illustrissimæ dominationis et reverendissimi domini mei cardinalis Sanctæ-Crucis, etc. Bononiæ XI Septembris MDXLIX ».

28. Occupatus erat Cæsar in Belgis ad Philippi filii obsequium adigendis sacramento, defuitque præclaræ occasionis Angliæ ad Catholicam religionem revocandæ, cum maximis dissidiis ob varias pugnantisque inter se hæreses arderet, importunis hominibus novum Evangelium excitatum ab inferis propagantibus, male quædam Scripturæ loca distortentibus. « Sed impudentissimam eorum vanitatem », inquit Surius, « ipsa doctrinæ varietas et pugnantia coarguit, quæ nihil potest habere cum veritate commercii ». At senatus Anglicus armis ortas seditiones compescuit, sumpsitque supplicium de eorum auctoritatibus, aucta etiam subinde inter proceres hæreticos dissidia, ac Thomas Semerus Anglici regni protector (sed verus eversor) tandem impietatis suæ penas experiri cepit, a Joanne enim Dudleio Warvicensi comite de republica male gesta accusatus, sibi metuens una cum Eduardo rege pupillo Windesoriæ præsidii causa confugit, desertusque ab omnibus, deditione nuncupata, in custodiam mense Octobri conjectus est. Quam infelix vero fuerit Angliæ status sub hoc regni procuratore tyrannoque nequissimo, cum sua auctoritate perfidissimos hæresiarchas ad impietatem diluendam, perdendamque rem Catholicam armaret, narrat subjectis verbis Nicolaus Sanderus: « Cum cæteri novi magistri, tum maxime isti, quos diximus (scilicet Bucerus, Petrus Martyr, Ochinus) theologastri corperunt tandem ex pulpitis et cathedris professioni theologicæ olim assignatis suo more docere vel potius declamare, omnique ad fallendum composito artificio, ut ad quos singuli non modo Theologiæ (ut olim) candidati, qui reliquas necessarias artes ante didicerant, sed juvenes ac adolescentuli pueri etiam omnium classium, qui latine loquentes intelligere potuerunt, accedere, eorumque lectiones et conciones quotidie audire sunt coacti, quo enim quique minori erant ætate, et doctrina et iudicio imperitiores, eo erant istorum fraudibus magis obnoxii. Istorum ergo rudioribus animis, ac prurientibus cæterorum auribus, primum ex difficilioribus Scripturarum locis, variisque de prædestinatione, prædestinatione, reprobatione æterna, rerumque ac eventuum necessitate impiis tractationibus instillarunt incredibilem curiositatem et de rebus summis contendendi libidinem. Aliis ex locis sub prætextu asserenda libertatis omnia illa, quæ ad licentiam vitæ ac morum

inducendam facere videbantur, diligenter proponebant, ut inde Confessionem, pœnitentias, dierum ac jejuniorum observationes, omnesque Ecclesiæ ac superiorum præceptiones contemnendas junioribus non ægre persuaserint. Ex aliis demum Scripturis, quæ apud eos quorum sensus non fuerunt in rebus divinis exercitati videntur facere pro sectariis, ut de Sacramento duplici specie, de officio precum in lingua vulgari, ac similibus ita fidem majorum nostrorum in iisdem tractandis elevarunt, suam sinceritatem commendarunt, animosque suorum præoccuparunt, ut exinde in quibuslibet controversis locis maximisque mysteriis explicandis, etiam ubi sacri contextus verba, circumstantiæ, omnisque antiquitas aperte sonent pro Catholicis, lubenter istorum falsissimis ineptissimisque Commentariis omnino acquiescant, atque ita tandem discipulos suos corrumperunt, ut quasilibet de Deo, de Sanctis, de Sacramento, de Sacrificio impias opiniones facile hauserint. Atque de Patribus antiquis Ecclesiæ Doctoribus, vel singulis, vel in Concilio collectis, ita apud suos disserbant eos fuisse homines (ac si Protestantes nihil humani haberent) et non modo errare potuisse, sed et in multis quod undique ex singulorum scriptis (incommodè aut male intellectis sententiis fraudulenter congestis) demonstrare nitentur, turpiter hallucinatos fuisse. Et Augustinum quidem ex præcipuis unum etiam errata sua confessum esse, et peculiari libro multa retractasse, sæpeque item admonuisse omnes, ne sibi aliter quisquam crederet, quam videret id esse in Scripturis consentaneum, quod affirmaret. Ac mox captiosa apostrophe compellentes auditores seiscitabantur utrum æquius esse putarent, Scripturis sacris, quæ errare non possent, credere, an doctoribus, hominibus scilicet, qui falli possunt, et fallere; se enim id tantum requirere dicebant, ut omnes potius Deo credant quam hominibus.

— Hæc fraude imperiti permulti decepti non adverterunt antithesim, seu collationem non faciendam esse inter Scripturam et Patres, nec in eo versari quæstionem, utrum magis Deo an hominibus, Scripturis vel Doctorum libris sit tribuendum, sed illud potius, utrum quoad Scripturarum intelligentiam et expositionem, istis paucis indoctis, turbulentis ac sceleratis transfigis securus, quam illis antiquissimis, sanctissimis, doctissimis Patribus, vel singulis, vel simul omnibus credendum sit.

29. « Hoc miseri adolescentes hæc non observantes, suis magistris, ac si non aliud quam Dei eloquia funderent, sine exceptione obtemperabant, doctoribus autem ac Conciliis non aliter nisi quatenus sacris litteris consentanea dicerent. Cujus rei, vel se ipsi, vel suos præceptores faciebant iudices.

« De Ecclesia, episcopis, presbyteris ac pastoribus, quia multos horum nomine et auctoritate in avita fide retineri cernerent, admonebant illam feminam esse, et debere obedire viro suo, id est, Christo in sacris Scripturis loquenti. (At isti Sathanae sensum Christi verbis affigebant) addebant etiam istos, nimirum sacerdotes non debere elevare se super populum Dei, cum omnis multitudo sanctorum sit, et ad clerum parlemque sacerdotalem non minus, quam illi, quos clericos et presbyteros vulgus vocat, pertineat: ita cum Chore schismatis auctore passim concinebant isti.

« Biblia autem sacra, quae illi omnem veritatem complecti dicebant, ita data opera seu Latine seu Anglice versa et perversa legenda proponebant, ut in eis Ecclesiae, presbyteri, sacramenti, ac similium vocabula, quorum vel venerandis nominibus antiqua religionis veritas contineri, et plurimi in vetusta fide teneri videbantur, nusquam extarent, pro quibus substituerunt congregationem, seniores, secretum, et huiusmodi vocum novitates. Illud autem ab Apostolis ipsis verè Ecclesiae, et rite Christum colentibus Christianis, ut ab haereticis hominibus, ac conventiculis discernentur, attributum Catholici nomen, quo solo multi a sancto Augustino edocti in Ecclesiae gremio tum retinebantur, partim falsa interpretatione eludebant, partim sibi et suis tumide usurpabant, partim ridicula inversione in cacoclycum mutarunt, ac nonnunquam etiam cum Donatistis diabolicum esse inventum, ac sine Verbo Dei institutum dixerunt. In papam incredibilem semper scurrillitate, ex quolibet textu Scripturae insane debacchati sunt, et maxime in festo SS. Petri et Pauli ». Et infra: « Jam in omnibus officinis et tabernis, in popinis et fornicibus de fide inibaturo disputatio, sacram Scripturam (ut Hieronymus olim questus est) garrula anus, delirus senex, sophista verbosus, universi denique praesumebant, lacerabant, docebant antequam discerent, alii philosophabantur inter mulierculas, alii dicebant a foeminis, quod viros docerent, praecipue autem Apocalypsis, quae tot habet sacramenta quot verba, in omnium ore versabatur, inde Protestantes sua dogmata confirmabant, inde ad sensum suum incongrua aptabant testimonia, magna id audacia edisserentes aliis, quod ipsi non intelligebant: nec ad aliud quidquam tum (ut in sectarum initiis maxime fieri solet) vacabant Angli, quam ut aliquid novi dicerent aut docerent ».

30. Haecenus ¹ nil in ista nova secta certi habebatur praeter illud unum, quod cum Catholica fide nihil sibi fere commune intercedere vellent, et Bucerus ac Martyr, ex quorum iudicio scholae pene omnes pendebant, assertionem

diu cohibebant suam tantum Prolegomenis ad quamlibet haeresim indifferentibus. Animas enim isti et linguas habentes venales in secta constituenda omnino a Cramero archiepiscopo, qui ultra Lutheranismum non erat progressus, is itidem a protectore pendebat, qui in Zuinglianismum, licet sententiam suam usque ad futurum ordinum conventum occultaret, propensus videbatur, Bucerus autem etiam in Judaismum utpote ex Judaeis oriundus multum putabatur proclivis.

Petrus Martyr molliter et serviliter se in sectae et doctrinae suae accommodatione gessit. Nam Lutheri haeresim, quam in Germania imbiberat, et illic in Angliam secum advexerat, non aliter nec diutius defendendam vel retinendam statuit, quam quod id Cantuariensi et protectori visum esset, nosque ipsi, qui haec scribimus, eum docentem audivimus, cum impium quemdam de Eucharistia ac corporis Christi praesentia tractatum ex historia Coenae Domini, et maxime ex undecimo capite prioris Epistolae ad Corinthios adornaturus in eam tractationem ita est ingressus, ut anxius an pendulus prorsus haereret, veterum Protestantium, an novorum Sacramentarium sibi esset dogma defendendum, quid enim archiepiscopus praescriberet, quid Parlamentum sequendum constitueret, quod tum coactum erat, et de re tota prolixè deliberabat, quid demum protector docendum mandaret, miserimus homo ex aula in dies expectabat, quorum tandem per litteras Cantuariensis comperta voluntate, se subito in Calvinistam transformavit, et deinceps usque ad mortem vel Calvinii, vel saltem Zuinglii sectam est consecutus; magnus sane (ut D. Augustinus de Fausto Manichæo dixit) Diaboli laqueus, qui verbo, scriptione, doctrinaeque ac eloquentiae opinione plures seduxit; moribus tam mollis et effeminatus etiam in senectute ex illius coepostatae monialis suae consortio exstitit, ut in illa jam mortua, oratione funebris publice defendenda turpissime se gesserit, et Joanni Checo regio praereptori eum de noxioris morte per litteras consolanti sic responderit, se ita valere, atque ita suae conjugis charissimae obitum ferre, ut homo omnino dimidiatus poterat. Delicatus monachus adeo solus esse non potuit, ut a foeminis divulsus non se integrum, sed mutilum plane et dimidiatum existimaverit: cui tamen defectui libidinosus senex aliis dicitur medelam postea attulisse. Talibus heu! auctoribus ac doctoribus infelix Anglia periit.

31. Inter has religionis orthodoxae in Anglia cadentis ruinas stetit intrepida Maria futura postea regina, soror Eduardi, quem gravissimis monitis a caepa Catholicorum persecutione detertere conatam narrat Natalis ² Comes:

¹ Sander. l. 1. de Schism. Anglie.

² Natalis Comes hist. l. IV.

« Fama est, Mariam novi regis sororem ut quæ Catholica dogmata diligenter complecteretur, visis hæresibus, quibus omnia repleta contaminataque fuerant, convenisse regem seorsum et in privatum thalamum, quem monuit, ut susceptam hæresim deponeret, futurum enim, ut ira et indignatio divina cum affligeret, qui spreto divinis legibus et avertis sanctorum Patrum institutis, complexus sit recens liberius vivendi genus a legitima ratione sejunctum, maxime vero iram Dei timendam esse regibus tanquam auctoribus omnis prohibitis, vel sceleris cæteris hominibus subditis, qui pro viribus regum et principum instituta servare nituntur. Turpe esse principi homini, nobilitate, divitiis, auctoritate, potentia, honoribus præstare reliquis hominibus, at ingenio, moribus, prudentia, nihil differre ab infima multitudine; quod si Henricus pater odio Pontificis a Romana Ecclesia desciverat, non esse in errore diutius insistendum, quoniam, cum peccatum Henrici fuisset gravissimum, quia auctor tante improbitatis suis extitit, certe multo gravius futurum erat filii, si consceleratum hominum persuasionibus ab recta religione, et a vera fide Christi incontaminataque se abduci pateretur. Inde populorum Catholicorum odia futura in ipsum regem ante oculos proponi, et pericula ejus capiti imminentia, et divinam ultionem, quæ et ipsi, si in ea hæresi perseveraret, et ejus impuris ministris tante impietatis, nisi cito ab ea impietate desisteret, immineret. Rex attentissime sororis verba, et non sine lacrymis ingentique trepidatione audivit, sibi perobscurum esse respondit, quid ageret in tanta rerum magnitudine, futurum esse ut magis opportune illis consuleret, at nunc ita oportere parere gubernatoribus. His dictis a lachrymabundo puero discedit. Gubernatores cum puerum ita mœstum et prope afflictum conspexissent, rati id quod erat, non passi sunt amplius ut Maria cum puero rege loqueretur ». Ut porro Eduardus divino judicio ob flagitia percussus et vivis subblatus fuerit, ac Maria in regnum successerit, postea dicetur.

32. *Henricus II Gallia ree hæresibus regnum purgare curat.* — Anglorum intestinis seditionibus Henricus Gallia rex bene usus¹, Bononiensem expeditionem in Gallia Belgica suscepit, Sellaquam arcem frucidatis Anglis cepit, Amblitellum ad deditionem coegit, Montem-Lambertinum extracta arce munit ad intercipiendos commeatus Bononiæ inferendos, ut eam urbem in extremas angustias compelleret, tandemque pacis cum Anglo confecte beneficio receperit, refusa certa auri vi pro sumptibus in propugnaculis extruendis factis; missa

etiam in Scotiam classe Henricus duce Thermeo Scotos Mariæ reginæ parere coegit, atque Edin-tonio arce munitissima Anglos bello et peste attritos dispulit, atque alia ab Anglis antea occupata Scotiae adjunxit. Commendat Surius eundem regem, quod accepto insigni regio ritu solemniter sanctissimas leges ad regnum a peste hæretica vindicandum promulgarit :

« Henricus rex cum esset Parisiis severiter animadvertit in quosdam hæreticos, habuitque solemnem et publicam supplicationem ad Deum et Sanctos ejus. Deinde scripto quodam typis excuso testatur, se Catholicæ fidei, auctoritatis Apostolicæ et cleri suscepturum patrocinium, palamque declarat, quam ex animo detestetur nostrorum temporum hæreticos et hæreses partim e cineribus excitatas, partim recens inventas a Luthero, Carolostadio, Zuinglio, Oecolampadio, Melancthone, Bucero, Calvino, et indignis aliis hæresiarchis hominibus monstruosis et pestiferis, quas etiam velle se aite suis ditionibus extirpare, et in rem gravissime vindicare. Hæc quidem ille rex catholice et ut decebat regem Christianissimum, atque in ea re seculus est patrem Franciscum, qui nova dogmata ferre non potuit, et sæpe acerba sumpsit supplicia de hæreticis. Videbant sane illi reges, quam fere nisi tumultus et seditiones, Divinarum humanarumque legum contemptum, magistratus odium et fastidium, et multa alia horrenda mala pariat novum illud Evangelium. Et felices sane atque florentes illæ sunt republicæ in quas exitiosa dogmata minime irrepserunt. Speramus autem fore quandoque, Deo bene propitio, ut omnes intelligant, quam nihil nisi merae fraudes et imposturæ fuerint, quæ sub puri verbi Dei et sincera doctrinæ speciosis titulis novorum dogmatum architecti et satores orbi vendiderunt ».

33. *Calvinus ab Espenæo confutatus.* — Hoc anno Joannes Calvinus hæreseos, qua Galiam infecti, virus confecit. Vere enim dixit Propheta : *Abysus abyssum invocat.* El impij in deterius semper proficere consueverunt. Ille in libello² edito anno MXXI, Christum in Eucharistia Sacramento existere, atque daorandum professus erat, ita tamen, ut panem simul consistere diceret cum Luthero, deinde anno MXXV, ex libello suo adorandum expunxerat, tamen in Eucharistico dogmate proxime Luthero adhæserat, ac præsentiam Christi in Eucharistia, et conjunctionem veritatis cum signo agnoverat, ut etiam ad finem libelli scripserit : « Zuinglium et Oecolampadium in hoc offendisse, quod tum toti in eo sunt, ut assererent panem et vinum, Corpus et Sanguinem Christi vocari, quia ipsorum signa sint, non interea simul hoc egerunt, ut nihilominus veritas cum eis con-

¹ Bels. l. iv. num. 20. Sander. l. ii. in Eduar. VI Natal. Comes. l. v.

² Claudius Espenæ. l. v. de Euch. adoratione c. 9.

juncta sit ». At demum hoc anno MDLIX, inquit Espenceus ¹, in impietatis intimam abyssum prolapsus cum Bullingero facta consensione non amplius dixit, Christi Corpus esse vere, realiter ac substantialiter in Eucharistia, sed tanquam signatum in signo, nec conjunctam amplius cum signo veritatem, sed Christum tantum ab Eucharistia abesse, quantum cœlum distet a terra, et verba Christi: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, non litteraliter, sed extra controversiam figurate sive per euergram accipienda, quo veneno plura regna infecit.

34. Opposuit Calvini figmentis Espenceus SS. Patrum, ac maxime Chrysostomi oracula: « Auditores (inquit) suos de Eucharistia concionantes Catholici pro Corporis et Sanguinis Jesu Christi in ea veritate amandabant ad Deum verum, veracem, fidelem, omnipotentem, qui simul, quod aiunt, et semel eodem temporis articulo sursum cum Patre sederet, et hic una nobiscum invisibiliter adesset, omnium nostrum manibus, ore, linguis exciperetur. Quod hic Corpus degustamus, et Sanguinem delibamus, ejus esse, qui supra cœlos proxime Deum residens ab Angelis adoratur, qui plusquam Elias, non ut is Eliseo melotem, sed propriam carnem et ipsam habens, ascendit et nobis reliquit, ubi, queso, nisi in his mysteriis, qui illuc ad supernum utique thronum extulit, quod et nobis, ut hic teneamus et manducemus, exhibuit, qui etiam dum in hac vita sumus, in hoc mysterio facit, ut terra nobis cœlum sit, quod enim illic summo honore dignum est, id in terra nobis ostenditur, non Angeli nimirum, non Archangeli, non Cœli Cœlorum, sed ipse horum omnium Dominus, et verum in cœlo corpus, quod nunc in terra videndum, tangendum et sumendum tibi proponitur, quasi Christus nos sic alloqueretur: Et te sursum in cœlo habeo et deorsum in terra tibi contractor et copulor. Nec mihi satis est, ut neque tuum desiderium satiat, quod in cœlo origine tibi inde data tui primitias habeo, nisi rursus ad terram descendissem, neque simpliciter, ac utcumque tibi connector ac commisceor, sed et in esum trador, et manducor, ut summa fiat copula, conjunctio et unio, ut nullo nos deinceps intervallo distare, aut nihil jam medii esse esse velim, sed e duobus unum fieri, et utraque unum esse malim.

« Hæc omnia Chrysostomiana conferat lector cum Calvinianis, hoc est, vincula, copulas, unionem Christi (quod hic auctor sæpe ait, maximum esse amoris signum. Sic tu his (inquam) mysteriis et per hæc mysteria, quæ utique non alibi, quam in terra celebrantur, et sumuntur

nobiscum, et nostri cum Christo cum ejus a nobis, et nostri ab illo breviter signorum a rebus, et rerum a signis Calvinianis localibus distantis atque intervallis, quæ nec Chrysostomo, nec ulli (quod sciam) veterum ante hos modernos, vel per somnium venerunt. Quin etiam Bucerus Calvinii reformator, quique cum ex Zuingliano refluxerat, argumenta hujusmodi ex Domini in cœlo presentia ducta, et ejus in Cœna presentia opposita inepta putavit, irreligiosa, inconsequentia, impia, blasphema, furiosa etiam putarunt quidam Lutherani horum articulorum oppositioni et collusioni nominatim Zuingliana et Calviniana, opposentes Christi omnipotentiam et veracitatem ».

35. *Armenii se Ecclesie Romanæ conjungunt.* — Dum in Europa orthodoxa religio labe factatur ab hæreticis, divina providentia e lapidibus, sive lapidum daemoneque cultoribus filios Abraham suscitatura in extremis Asiæ oris Evangelium propagavit: in primis Armenii suavissimo Romanæ Ecclesie jugo, quod Europæ plures excutebant, se subjecere, de eorum enim patriarcha hæc referunt Acta Consistorialia ¹:

« Romæ XXI Augusti MDLIX, fuit Consistorium, in quo reverendissimus D. Marcellus tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis, fecit verbum de quodam patriarcha Armeno, qui superioribus diebus ad Urbem venerat, et qui se offerbat præstare obedientiam Sanctitati suæ et Romanæ Ecclesie, petens electionem de persona sua in patriarcham Armeniæ a populo celebratam per Sanctitatem suam approbari, et fuit commissum negotium eidem reverendissimo Marcello cardinali, necnon reverendissimis de Crescentiis et Sfondrato ». Tradunt eadem Acta in eodem senatu Portalegensis episcopatum fuisse institutum in Lusiliana a Pontifice, atque Olyssipponensi archiepiscopatu addictum.

36. *Apostolici labores S. Francisci Xaverii apud Indos et Japouenses.* — In Indiis ² ultra Gangem hoc anno S. Franciscus Xaverius legatus et novus Apostolus, Japoniorum insulis, in quibus nunquam auditum fuerat Christi nomen, Evangelium maximis cum laboribus felicissime intulit, in quibus religio Christiana ita effloruit, ut maxima Barbarorum multitudo fide Christiana exulta in iis martyrii coronas suo purpurata eruere collegerit, dum impura sacerdotum et monachorum coloris Lutheri suis grunilibus excitata in velitarum libidinum ceno volutata inconstantes populos ab Apostolicis, et Evangelicis institutis deficientes, e mentito Evangelii nomine, in Sathana castra traduxit. Utinam perpenderent novatores proprium esse hæreti-

¹ Claudius Espence. l. v. c. 9. p. 1195. Chrysost. l. de Sacer. homil. 3. ad Ephes. et 6. ad Antiochen. IV Reg. xi. homil. 21. in I Cor. scri. de cara vit. homil. 55. ad Antioch. et 15. in I Tim.

² Acta Consist. sug. 134. p. 15. — ² Orlandum. l. ix. Hist. Soc. Jesu.

corum, fideles mille dolis mendacisque pervertere, atque distortis interpretationibus Evangelii Evangelium obscurare, proprium autem vere ejusdemque Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ signum infideles collustrare Evangelio, atque ab idolorum cultu ad veri numinis cultum ritumque Catholicum cœlestibus miraculis veraque doctrina traducere, quod in Evangelico viro legatoque Pontificio Xaverio tanta pompa emicuit, ut pseudoevangelicorum novatorum tenebræ illius splendore facile discutiantur: suscepti porro ab eo tanti fuere labores pro Christi Evangelio apud Indos Japoniosque propagando, ut vere quod de Paulo dictum est a Christo, illi Apostolatu simili perfuncto ascribi possit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus: ego enim ostendam illi, quanto oporteat eum pro nomine meo pati*. Reversus ille e Cambaiæ regno Goam, protectionem Japonicam adornavit, nec ullo periculorum, quæ commemorabant amici, horrore, nec itineris longinquitate, cum Japonii Goa amplius mille et trecentis leucis distent, nec pelagi drocellis infamis totas sæpe naves vorticibus absorbentis sævitia deterreri potuit, existimabat enim indignum, legatum Apostolicum saluti animarum, et cœlestibus lucris inbiantem inde terreri, unde terrenarum opum avidi mercatores non arcerentur, responditque amicis: « Servorum Dei animos magis conquiescere in periculis quam in portu, nec majorem se unquam sensitse quietem, quam in æstu ipso laborum atque discriminum ».

37. De suscepto pio consilio hæc S. Franciscus Xaverius ad S. Ignatium et Cocinensi urbe Indiæ, scripsit: ¹

« Patri Ignatio Loliolæ preposito generali.

« Abest Japonia ab urbe Goa leucas amplius mille trecentas ex itinere, et urbs Malaca et Sinæ attingendæ sunt, nullis verbis exequi possum, quantum ex provinciæ hujus susceptione fructum capiam divine voluptatis. Constat enim iter plurimis ac maximis tempestatum, Syrtium, Piratarum periculis obnoxium esse, ut præclare agi cum naviculariis videatur, si alternæ naves Japonicum teneant cursum. Ego vero interiore quodam animi sensu sic affectus animatusque sum, ut Japonicæ protectionis consilium abjiciendum mihi non putem, ne si pro certo quidem habeam majora discrimina subeunda, quam unquam antea in omni vita. Tantam mihi spem religionis propagandæ Pauli Japonii sermo, vel ipse potius Deus iniecit ». Et infra: « Te ego, pater animæ meæ, summeque mihi venerande, positis humi genibus (sic enim hæc tibi Epistolam scribo, tanquam si præsentem infuerer suppliciter oro, ne Deum pro me in sanctis sacrificiis tuis ac precibus obsecrare

desistas, ut dum vita suppeditat, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det, et plane agnoscendæ, et omnino exequendæ facultatem; idem cæteros socios oratos volo. XIX kalend. Februarii MDCXLIX. Cocini ».

Cum Malacam applicuisset, duo lati rumores ardens Japonicæ protectionis desiderium magis incenderunt, alter erat, quod dynasta quidam in Japonia perdiscendæ legis Christianæ cupidus misso oratore ad proregem Indiæ sacerdoles postularet; alter fuit, quod sacrosanctæ crucis insignia, jam inter Japonios in honore esse in quadam insula dicerentur, atque excitarentur in ædium vestibulis ad fugandos dæmones, cum Lusitanos crucis presidio ad tætra ea monstra abigenda uti cognovissent: quippe in oppido quodam cum deserta domicilia, et demonum spectris, ac terribulentis infesta Lusitanis mercatoribus rei totius ignaris ad hospitium Japonæ assignassent, dæmonesque crucis signo fugati essent, Lusitanorum edocti periculo exemploter cognorant, nihil esse adversus insidias terroresque dæmonum Christi cruce præsentius, de quibus hæc S. Xaverius Apostolicus nuntius Romanis sociis Malaca scripsit: ¹

38. « Societati Romanæ.

« Pridie kal. Junias anno post Christum natum MDCXLIX, perveni Malacam, vix e navi descenderam, cum Lusitanorum mercatorum litteras ex Japonia accepi, ex quibus cognovi principem quemdam Japonicæ virum fieri velle Christianum, itaque legatos ab eo ad prætorem Indiæ missos cum mandatis et aliquot nostræ societatis homines postularent Christianæ legis magistros. In isdem litteris illud quoque erat scriptum, in quodam Japonicæ oppido mercatores Lusitanos jussu regis in hospitium dæmonibus infestum, ac propterea desertum esse deductos, ibi cum ignari totius rei Lusitani lacinia retraherentur, et conversi nihil omnino cernebant attonitos quid tandem id esset requisisse. Nocte autem quadam cum famulus spectro nescio quo exterritus exclamasset, eo clamore reliquos excitatos arripuisse arma, aliud quidpiam esse existimantes, quibus tumultus causam requirentibus respondisse puerum se nocturno spectro percussum inclamasse. Inde famulum illum complures disposuisse cruces in ædibus, et spectra illa evanuisse, denique incolas evanuisse Lusitanis in lectis illis Diabolos habitare, et simul quæsisse quo tandem remedio fugarentur, tum respondisse Lusitanos, nullum remedium cruce præsentius inveniri. Itaque posteaquam eam domum Lusitani crucibus munierint, exemplum incolis secutis ante domos passim excitatas cruces. Ad hæc nuntiabatur in Japonia latissimum Evangelio patere campum, gentem enim prudentem esse atque

¹ Vita Apost. c. 9. — S. Franc. Xaver. l. II. Ep. IX.

¹ Ibid. apud Pausell. l. III. Ep. IX.

ingeniosam, rationi obtemperantem, discendique pereupidam. X kal. Jul. MDCXIX. Malaca ».

39. At Lusitano destitutus navigio Xaverius, cum Sinensi navarcho idololatra transegit. Dei magis quam barbari fide confusus, timoresque omnes, qui Dei fiduciam minuerent, ab se abiecit. Jam in cursu erat navis, cum Barbari daemone, jactis sortibus, de itinere consulere, ingemiscente Xaverio protectionem suam Dei causa susceptam ad diaboli arbitrium disturbare: is dolor gemino casu auctus est, nam Xaverii comes Emmanuel Sina jactatione navis in apertam forte sentinam in caput prolapsus, mersusque ad umbilicum usque aegre extrahi potuit, cumque diu exanimis jacuisset, vulnusque grave accessisset in capite, precibus Xaverii percuratus est: mox vero navarchi filia agitatione navigii excussa in fluctus vorticibus hausta, Barbarisque ad placandum sacrificiis idolum versis respondit edita sorte malus daemon, si Emmanuel homo Christianus periisset in sentina, puellam in mari non fuisse perituram: adversus hostis insidias in preces ardentes effusus Xaverius Dei benignitate, cui omnia famulantur, pervicit, ut navarchus ventorum vi adactus in Japoniam flexerit, ac die assumptæ in Cælum Deiparæ sacro, reluctante Sathana, nautisque invitis Cangoximam in regno Saxumæ potissimum Pauli Japonii in Goensi gymnasio fide Christiana exculli patriam appulerit.

Ingressus ita Japoniorum regnum divus Xaverius legatus Apostolicus a Paulo III Pontifice (ut vidimus) ad convertendas ad Christum barbaras Orientis gentes missus, ad omnia propter Evangelium ferenda paratissimus, cum animadvertisset Bonzios idolorum sacerdotes Sathanae ad divinam gloriam aspirantis imperio ad nefandam hypocriseos pompam, personatam sanctitatem carnis et piscium abstinentia induisse, ab iis etiam ne ejusquam Japonii offensionem incurreret, temperavit, multoque arctiorem abstinentiæ legem sibi indixit; subdit auctor: « Pro pane oriza, pro obsonio fere pomis oleribusque barbaro item more conditis leniebat desideria naturæ, nec tamen melius alibi quam in Japonia valuisse se scribit, scilicet non tam frugalitatis naturali ope, quam cœlestis pabulo charitatis. Deinde sedulam et accuratam operam dare linguæ Japonicæ rudimentis aggressus in præcipuis Christianæ fidei capitibus convertendis, adjuvante Paulo (is erat Japonius neophytus Goæ sacris Christianis excultus) complures dies summis laboribus desudavit ».

40. De suo porro in Japoniam appulsu socios Goenses fecit certiores, subjectis litteris: « Societati Goam.

« Ad has regiones, tantopere a nobis exoptatas, Deo aspirante, pervenimus ipso die B.

Mariae in Cælum assumptæ sacro anno MDCXIX, et quoniam alium portum tenere non licuit, Cangoximam, quæ Pauli a Sancta-Fide patria est, applicuimus ». Multis interjectis: « Hoc nomine plurimum debemus, quod nos in hæc Barbarorum terras deduxit, ubi nos ipsos penitus obliviscamur. Nam cum ethnicis et veræ religionis hostibus omnia teneantur, in quo spem habemus, ad ejus presidium confugiamus, præter Deum habemus neminem. Etenim domi nostræ, ubi Christi Domini religio viget, nescio quot homines ipsi ac res create, veluti parentum, patriæ, consanguineorum amor, amicorum consuetudines, vitæ commoda, morborum remedia nobis impedimento sunt, quominus omnes spes nostras in uno Deo fixas et locatas habeamus. Ille vero tam procul ab domo atque inter Barbaros, ubi omnia presidia subsidiaque humana deficiunt, una Dei fiducia nitamur necesse est. Hæc tantorum erga nos Dei beneficiorum cogitatio non vulgarem nobis pudorem ac verecundiam affert. Divinam enim nos largitatem pæne oculis cernimus, ut qui in hæc loca divinæ religionis amplificandæ studio venientes aliquam a Deo gratiam inire arbitramur, demum plane videamus, id ipsum summum Dei esse beneficium. Etenim ille cum nos perduxit in Japoniam, rerum humanarum amore, quo irretiti minimum in Deo spei habebamus, penitus expedit, ut toti apti ex ipso penderemus etc. III nonas Novemb. MDCXIX. Cangoximæ ».

Lapso ab his exaratis litteris tertio die, de tenuissimo inter Japonios victu usurpari solito, et gravissimis difficultatibus, quæ mentem ab humanarum rerum cogitatione et amore dividerent, hæc significavit: « Multis vinculis solutos nos agnoscimus, quæ spem nostram ac fidem quominus cresceret, distinebant. Ad hæc illud quoque non leve commodum accedit, quod deliciis eis quæ alibi carnis stimulos irritare, animique et corporis vires solent infringere, hic caremus omnino. Etenim Japonii nullum altitè mactant vel comedunt, pisce vescuntur, interdum oriza, et tritico non abundant, herbis et arborum fructibus ut plurimum viciant, et quidem ita prospera valetudine ad multam usque senectutem utuntur, ut facile appareat, quam paucis sit eadem, quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta. Cangoxima, nonis Novemb. MDCXIX ».

41. Addebant piis omnibus Evangelicis præconibus, qui in India versabantur, variis litteris ad sanctitatem stimulos, atque inter alios socium, qui apud Paravas religioni propagandæ operam dabat, ac jurgia quædam cum Lusitanis contraxerat, sanctissimis hæc sententiis increpuit: « Insuper naturæ nostræ vitium esse dicimus, quod sæpe est incurie et negligentia: ita Dei ac nostri oblivionem naturæ conditione,

¹ Ibid. l. III. Ep. v. Ibid. l. IV. Ep. x.

tamquam velo quodam obtendimus, sed Deus non irridetur aut fallitur ». Comparatis linguae Japonicae levibus rudimentis, ad praedicandum Japoniis Evangelium se totum impendit.

Exceptis initio est legatus Apostolicus Xaverius risu et cachinnis a Japoniis, cum legis Christianae mysteria, lingua Japonia hiulce, aspere et impolite sonante, elegantiarum expertis pronuntiaret; verum divina exaggeratus constantia, spreto cachinnis gentium, fidei Symbolum repetere ac docere non desitit, atque infirmis sermone, sed opere praepotens, divinis miraculis potentiam Apostolicam explicuit; a Saxumano vero rege, ut facilis auditorum captaret benevolentiam, legis Evangelicae praedicandi potestatem edicto publico impetravit, per terrenum enim regnum saepe, ut ait Isidorus, caeleste proficit; ita Christiana sacra Cangoximae a D. Xaverio promulgata. Qui vero fructus uberissimi tanta patientia a novo hoc Japoniorum Apostolo collecti fuerint, describit gestorum ipsius scriptor¹ e Monumentis summa fide dignissimis: « Pauli primum uxor ac filia, tum propinqui et amici complures, qui haud iniquo animo tulerant eum factum esse Christianum, assiduus ejus monitis et hortatibus ad baptismum perducuntur. Hos deinceps subsecuti alii et paucorum mensium spatio cives amplius centum, haud repugnantibus invitisque propinquis, in iis Bonzii duo, quos cum aliis aliquot neophytis Xaverius in Indiam misit, ut ingenuis artibus in Collegio Goano et religionis imbuti mysteriis, suis deinde popularibus reversi prodessent.

42. « Ipse vero nondum usum vernaculi sermonis adeptus praecipua fidei nostrae capita Japonice conversa, litterisque nostratibus consignata neophytis e codice populoque tradebat. Porro ad ejus confirmandam inter homines ethnicos et alienos a veritate doctrinam prodigiorum adminicula miraculaque non deerant. Ethnico homini Cangoximae civi honesto ac locupleti filiam, quam unice diligebat, immaturo funere mors abstulerat. Hunc amici neophyti cognatique nonnulli nimis angoribus deditum cum vidissent, et vi doloris paene dementem, hortantur, ut ad Xaverium praecipua sanctitatis fama praestantem opem aliquam imploraturus accedat. Contestim ille desiderio charissima filiae ad eum, quem sibi nominaverant, advolat, et madentibus uberi fletu genis, multis ac supplicibus verbis obtestatur et orat, ut opem aliquam, si qua sit, exinctae filiae porrigat. Xaverius orbitatem hominis ac solitudinem miseratus, cum Joanne Fernandio socio ad orandum se recepit. Nec jam multo post, laetus et alacer, quod iudicium solet esse plerumque Numinis exorati e precatione reversus, hominem jubet

bono animo esse, vivere filiam ejus et salvam esse. Ille vero Xaverii verbis non satis intellectis, quae utique vir sanctus in re persimili a Christo didicerat, indignabundus abscedit, suspicatus, opinor, eum, vel ab snis adibus abhorre, vel minorem sibi fidem habere de filiae morte narranti. Domum repetenti puer domesticus obviam venit, et filiam vivam et incoluam nuntiat, quo nuntio moestus pater exhilaratus domum properat, et quam exanimem reliquerat, vivam reperit. Obstupuit parens ad ejus aspectum, et manantibus gaudio lacrymis ex eametsciscitatur, qui tandem rediisset in vita. Respondit illa se eum exisset e corpore, dum a terris quibusdam satellitibus ad horrenda quadam deportatur incendia, repente duobus a viris sane quam egregiis ex eorum ereptam manibus vitae redditam. Sensit pater familias praesentissimam Xaverii opem, et una cum filia gratiarum ergo ad eum confestim redit, filia Xaverium et ejus socium intuita admirabunda patri sueclamat; En, inquit, illi qui me ex inferis revocarunt, et obortis ambo lacrymis precumbant ad pedes, mox tota cum familia relictis superstitionibus patriis, Christianis sacris initiantur.

43. « Disseminata hujus prodigii fama, passio quidam affertur totus lumens ac turgidus, quem sublatum suas Xaverius in ulnas, et aliquoties sic affatus: Benedicat tibi Dominus: pulsus tumoribus sanum reddidit. Cujus etiam alius locuples et honestus alta scabie et lepra respersus Xaverium per internuntium rogat, ut ad se curandum ne gravetur accedere, Xaverius excusatis occupationibus, pro se misit e comitibus unum, qui salutato suis verbis agroto, semel, iterum, tertioque perquireret, Christianusne fieri vellet? cum ager annuisset, is manu deducta in morem Crucis hominem signat, statimque abstersa est omnis macula: nitor rediit, ut nitorem reciperet animi, qui jam receperat corporis. Stetit promissis, et Christianus factus est. His prodigiis quamquam ad Christi fidem populus propendebat, tamen ex altera parte Bonzii, qui initio siluerant, id quod Xaverius tanto ante praeviderat, ut senserunt Christianis institutis sua instituta convelli, vitia perstringi, discipulos ab se abduci, peregrinam religionem in dies propagari, toto pectore Evangelii cursum evertere et odio turere in Xaverium institutum, inire etiam inter se consilium, quemadmodum eum vel de medio tollerent, vel in Indiam relegarent. Interim in ipsam et ejus socios, de suggestibus iram suam effundere, maledictis proscindere, demones ac veneficos appellare, qui nefariis praestigiiis et arte diaboli, fictis miraculis ac prodigiis oculis humanis illudere: quibus sermonibus populus incitatus aversari coepit eos, quos paulo ante videbatur appetere, prohibere ne toris exirent, irridere cum prodirent, et ad risus

¹ Orléans, H. A. Soc. J. 80 L. 43. p. 306.

ac probra verborum lapidationes adungere : quocirca Patres velut domestica inclusi custodia carere publico ad dies aliquot sunt coacti, sed ne sic quidem a petulantissima multitudine tuti esse poterant, quæ nocturna lapidatione fores fenestrasque petens, concepta in hominum capita odia exprimebat in tecta. Nec defuit ad cohibenda ora maledica cœleste prodigium. Appetitus convitio et maledicto Xaverius, mente animoque Dei nunquam iratum in maledictum vidit, ejus vicem vir mitissimus miseratus ad eum conversus : Caveat, inquit, ori tuo Deus, nec temere ea effatus est verba : repente enim et copioso pituitæ cursu, fœde misero illi distortum est os, ut quoties hisceret ac fari vellet, toties intortæ in Dei famulum contumeliæ memoria veniret in mentem ».

Cangoxima Firandum petitus divus Xaverius legatus Apostolicus, ut aliis populis Evangelii lucem inferret, qui vero ab eo relicti fuerant Cangoximæ centum neophyti probe edocti atque instituti tanta constantia in Christi fide perstitere, ut sacerdotum præsidio destituti, non modo nemo eorum a suscepta religione desciverit, sed etiam annorum tredecim flexu ad quingentos aucti sint, ac morum sanctitate cæteris Japonibus ita præluxerint, ut Saxumanus rex ex India sacerdotes ad perdiscendam fidem Christianam tantarum virtutum mazistram ac parentem postea evocaverit.

11. In regno Armuziensi studio Gasparis Barzæi Christiana res aucta est, maxima enim opera ab eo in peccatoribus et vitiorum cœno erudendis impensa, ostensumque est in uno ex iis divino insigni prodigio quanta sit Sacramenti Pœnitentiæ vis, et quam in misero statu versentur, qui se noxarum lethaliu[m] vinculis implicari patiuntur; rem narrat his verbis Orlandinus¹ :

« Quemdam Gasparidum multumque cunctantem ac tergiversantem, tandem ad evomendam animi saniem et confitenda peccata perduxerat: quorum enumeratio cum dies aliquot absumpisset, pridie quam beneficium absolutionis acciperet, dum circa noctem mediam impositam a Patre penam persolvit, ecce felibus, muribus, tetrisque aliis animalibus cubiculum repente completur. Cohorruit homo ad tam fœdum spectaculum, et peccatorum conscius ne vivus in farlarum abriperetur, extimuit. Deinde ubi se ex pavore collegit, detractam a pariete Christi Redemptoris imaginem arcte complexus, magno clamore divinum Numen implorat. Ad eas voces monstra illa momento diffugiunt, tanto cum strepitu fremuntque, ut domus tota concuti et convelli funditus videretur. Quibus ille spectris admonitus, quarum se bestiarum similem effecisset flagitiose vivendo, studuit in

humana specie hominum more vivere, non vitam imitari bestiarum ». Addit auctor Evangelii sacerdotis ab Apostolica Sede in Indiam missi ardentissimis studiis a Mahometana impietate Armuziæ, indeque in finitimis religionibus plures Barbaros ad Christi cultum traductos fuisse :

« Fama Gasparis atque fructus non una Armuziam continebatur, transvolabat Persidem et Arabiam, et quas pede non poterat regiones, fama et nomine peragrabat. Germanus erat genere, Joannes nomine, Coloniae natus, parentibus locupletibus, qui Turcarum in oppido Carifa non longe ab Armuziæ finibus pro Mahometano annum jam decimum se gerebat, tormentarii pulveris artifex, atque ob id ipsum genti percharus. Is audito Gasparis nomine, et que ab eo gerebantur Armuziæ, constituit prorsus ab impio ministerio ad Christi famulatum, si Gaspar adjuvaret, redire quamprimum. Sed cum atramenti non esset copia, quo litteras exararet, e diluto sulphuris pulvere litteras ad eum scripsit Latino, Belgico, Francoque sermone, vehementer optare se, modo apud Lusitanos tuto liceat commorari, Armuziam accedere, et Christo Domino per Sacramentum Pœnitentiæ reconciliari. Gaspar eo nuntio lætus extemplo rescribit, fidenter accedat, sibi ac Lusitanis adventum ipsius gratissimum fore. Hæc Epistola a Catisano præfecto intercepta Joannis consilia prodidit. Confestim a Turcis de illius religione quæsitum. Ille vero intrepide se Christianum fateri, atque ad omnia tormenta necemque promptum exhibere pro Christo; inde a parentibus Mahometanis fœde laniatus atque dissectus, ad ultimum usque spiritum in veræ fidei confessione permansit. Caput abscessum et prælongo infixum hastili Turcæ in arcibus mœnibus posuerunt. Haud ita multo post a Lusitana classe capto oppido atque direpto, Gasparis Epistola apud præfectum reperta, eoque indicio de Joannis necem cognitum. Ergo refluxum et vestigio martyris caput Armuzium accurate transmittitur, idque a Gaspare postea cum psalmodia et laude perhonorificè conditum est ».

Navata est ab eodem viro Apostolico egregia opera in convertendis ethnicis Armuziensibus, Judæis Turcisque permixtis, qui divinitatis honores multis animantibus et idolis tribuebant, quorum insanos ritus, ut ex iis Christi liberatoris gratia magis illustretur, ex auctore repetimus : « Serpentes (inquit) et vaccas colunt, vaccisque per urbem libere vagantibus ad ædium vestibula, que apud eos ampla sunt, aquam ad potum exponunt magni utique emptam, cum nusquam in insula dulcis aqua reperitur : iisdem mos est currus triumphales ingentes extruere, in quibus vehuntur multi Pagodibus immolandi, et ipsimet cultris et novaculis se

¹ Orland. Hist. Soc. Jesu I. IX, Mafféus Hist. Ind.

incidunt, donec ex curru mortui decendant. Occisorum porro carnes arcubus ejaculantur in populum, qui certatim eas student arripere religionis causa, nec de populo saepe desunt, qui eadem adducti superstitione sub rotas curruum sese ultro coniciant, et insana religione comminuant: quod nihil gratius suis se diis facturos sibi persuadent, quam si eo lethi genere sese mactent, iisque sacrificent. Cum vir decesserit, uxor viva comburitur, et sexcenta id genus apud ethnicos digna lachrymis Gaspar invenit. Quibus erudiendis cum unum inter hebdomadam diem tribuisset, plurimos a suis avocavit insanis, plurimos convertit ad Christum. Aiebant ethnici, et qui Deum penitus ignorabant, non unis Christianis, sed sibi quoque et cuiusque humano generi Gasparem missum, ut eunctos naturae legem et rationis praecepta doceret. Saraceni vero, qui prius hominis paupertate contempta, conviciis eum ac probris, cœno ac lapidibus appetebant, postea admirati virtutem caelestemque philosophiam, qua Christianos jubeat sua cuique reddere, nullo habito sectae religionisve discrimine, sive Christiano, sive Saraceno, contemptum in venerationem, ludibria in honores et officia converterunt. Obtulerunt ei splendidam vestem et pretiosam, quam cum suis sordibus vilique tunica commutaret: sed ille pauperatis amorem se esse contestans eam ultro remisit, complures suo Mahometo Christianae legis admiratione relicto secuti sunt Christum, et qui in suis tenebris ac cœcitate perstabant, ei nihilominus tantum habebant honoris, ut eum magnum sacerdotem Christianorum appellarent».

45. *Auctus cardinalium numerus.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus, ut refert Joannes Franciscus Firmanus¹ in Diario, de quibus agit etiam Panvinus, ac singulorum nomina et titulos accurate recenset, quae tamen ex ipsis Actis Consistorialibus² a nobis repetenda visa sunt:

«Romae apud Sanctum-Petrum, die Lunae, vii Aprilis MDXLIX, fuit Consistorium, in quo creavit et assumpsit reverendissimos DD. de consilio, etc. in sanctae Romanae Ecclesiae cardinales presbyteros videlicet reverendos Hieronymum Verallum archiepiscopum Rossanensem, Joannem Angelum Medices archiepiscopum Ragusinum, hic Pii IV nomen in Pontificatu gessit et Concilium Tridentinum absolvit, Philibertum de Ferreriis episcopum Hipporegionensem, et Bernardinum Maffeam episcopum Massanum. Insuper Sanctitas sua de simili consilio in ipsius sanctae Romanae Ecclesiae cardinales

creandos et assumendos duxit, ac illorum publicationem ad tempus sibi reservavit. Et infra xii Aprilis recepit ad pedes, manus et osculum reverendissimos DD. cardinales noviter creatos, eisque dedit pileum rubrum.

«X Maii donavit eos annulis pretiosis, ac propriis titulis illos decoravit, videlicet Hieronymum Verallum Sancti-Martini in Montibus, Joannem Angelum Medices Sanctae-Potentianae, Maffeam Sancti-Cyriaci in Thermis, Philibertum de Ferreriis Sancti-Vitalis».

46. *Permittitur a Pontifice ut Poloniae reginae nondum coronatae porrigantur osculanda intra missarum solemnitas Evangelium et patena.* — Non praetermittendum hic visum est Paulum precibus regis Poloniae permotum indulsisse reginae Poloniae¹, ut inter divina mysteria Evangelium et patena illi deosculanda porrigerentur, licet nondum sacro ritu corona regia esset redimita:

«Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae regi illustri.

«Charissime, etc. Dilectus filius et secundum carnem nepos noster Alexander cardinalis Farnesius sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarius, tui regni apud nos protector, tuo nobili nomine exposuit, esse istic certas caeremonias, quibus episcopi, dum sacra celebrantur uti consueverunt, quoties regibus aut reginis Evangelium, aut patenam praebent osculandam, et quoniam serenissima conjux tua nondum coronata est, quadam religione impediri videri episcopos ipsos, ne iisdem caeremoniis erga eam utantur, petiitque a nobis maxima cum instantia ut pro tua et dictae tuae uxoris spirituali consolatione in hoc opportune providere dignaremur, nos vero qui etiam litteras tuae majestatis ad ipsum Alexandrum cardinalem super hac re enixe et studiose scriptas legimus, cupientes tam vehementi tuo ejusdem rei desiderio satisfacere, auctoritate Apostolica tenore praesentium omnibus venerabilibus fratribus nostris episcopis Poloniae, quandocumque voluerint supradictis caeremoniis etiam erga dictam conjugem tuam libere et sine conscientiae scrupulo uti possint, concedimus et indulgemus, etc. Datum Romae xi Martii MDXLIX».

47. *Pauli Pontificis mors et virtutes.* — Claudimus hunc annum Pauli III morte, quam Octavii nepotis rebellio in avum ante tempus accessivit. Cum Caesar occupata Placentia Parmam etiam imperio adiacere affectaret, Paulus eam urbem divisam a ditone Ecclesiastica eidem conjungere, atque Camerinum Octavio restituere meditabatur. At dux Octavius jacturam tantam aequo animo ferre non poterat, quare ex Romana aula concitatissimis equis se proripuit, fultusque amicorum subsidio in Parmae possessionem

¹ Jo. Franc. Firman. de Maegrata Ms. arch. Vat. fo. xi. Dicit, pag. 281. Panvin. in Paulo III. — 2 Act. Consist. sig. num. 135. p. 9.

¹ Paul. III. lib. lxxv. in. xiv. p. 242.

variis artibus se inducere pertentavit, sed ejus artes contrariis artibus et constantia Camilli Ursini, cui Pontifex eam urbem nomine Ecclesie custodiendam tradiderat, elusæ sunt. Pontifex de his factis certior cardinalem e Monte ad eum Bononia proficisci, ac persuadere jussit, ut ad Pontificiam aulam rediret; at ille prætor ingenio, et principatus amissi dolore percitus respondit, nunquam tanto affectum dedecore ad avum rediturum, sed pro recuperando principatu omnes suas vires collocaturum: scripsitque cardinali Farnesio nisi Parma sibi restitueretur, se fœdus cum Ferdinando Gonzaga, qui Parmam ferme ex omni parte obsidione premebat, initurum, sullullumque armis Mediolanensium et civium Parmensium ad se inclinantium amicitia fretum, Parmam tandem recuperaturum. Has litteras Alexander cardinalis Farnesius imprudenter Pontifici detulit, cum ætas effecta morbos animi facillime refundat in cœtus: quibus perlectis Pontifex adeo in iram et indignationem excanduit, ut dolore animi victus, deficienteque spiritu in terram exanimis procubiturus esset, nisi circumstantes sustentassent, cubilique imposuissent: qui multis adhibitis remediis cardiacis, tandem post quatuor horas, fugientes vitales spiritus ægre collegit. Correptus inde gravi morbo, excitis cardinalibus reipublicæ Christianæ curas reliquit, ut refertur in Diario Concilii: « Nona Novembris nocte præterita Pontifex male se habuit, hora decima quinta fuit Congregatio cardinalium coram sua Sanctitate, qui eis commendavit Ecclesiam, et impertitus est illis omnem auctoritatem se congregandi separatim a sua beatitudine, et omnia ea faciendi quæ judicarent expedire pro republica Christiana. Conservatores Urbis supplicarunt Pontificem pro exemptione et liberatione a gabellis macinæ et contractuum, quas Sanctitas sua imposuerat, pro quibusdam necessitatibus civitatis, et sua beatitudo annuit (1) ».

18. Commendatur Paulus ob multos susceptos labores pro conciliandis inter se Carolo V Cæsare, et Francisco I Galliarum rege, ut Concilium Oecumenicum, ad damnandas hæreses, quæ Ecclesiam Dei lacerabant, celebrari posset; constantiæ etiam laudem retulit in defendenda Apostolicæ Sedis auctoritate, quam premere Cæsar videbatur, et prudentia sua grave con-

stanti schismatis periculum discussit. Laudatur a Surio communem salutem propriæ prætulisse: « Crebro, inquit, ille dicebat: quorsum vitam hanc extraxisse attinet, nisi ut hæc extrema officia jam in ruinam propendentes reipublicæ qua possumus fide præstemus? et certe optatius erit, communi omnium expectationi, etiam si ex ea mors oppetenda sit, satisfecisse, quam turpi ignavia vitæ spatia extendisse ». Arguitur tamen a pluribus nimio in suos amori indulsisse, ac Parmæ et Placentiæ principatum iniqua arte in Aloysium spurium contulisse: quo facto illi peperit exitium sibi que mortem accivit: de quo in fine vitæ vehementer illum penituit, repetendo ea verba Davidica: *Et peccatum meum contra me est semper, et rursum: Si mei non fuerint dominavit, tunc immaculatus ero.* Decima Novembris febre et catharro oppressus, diem extremum elausit.

Audita Pauli Pontificis morte Ascanius Columnas contrafactis copiis Pallianum, et alias arces, vel oppida, quæ illi ob rebellionem erepta fuerant, occupavit: atque ad novos motus compescendos statim collectos est exercitus. Cardinalis vero Farnesius inducendi in possessionem Parmæ Octavii Farnesii cupidissimus, cardinalium Collegium adduxit, ut Camillo Ursino Parmam Octavio restitui juberet. At ille respondit, se a Pontifice Parmæ præfecturam accepisse, atque illam novo Pontifici a se restitutum iri.

Exeunte Novembri cardinales ingressi sunt conclave ut referunt Acta Vaticana: « Die Veneris, vigilia sancti Andræ, vigesima nona ejusdem mensis Novembris, celebrata Missa Spiritus-Sancti in Divi-Petri, et oratione habita per reverendum Beroaldum episcopum Telesinum, reverendissimi D. cardinales præcedente Cruce, pro celebranda futuri Pontificis electione accesserunt ad conclave ».

Discessum est in duas contrarias partes cardinalium collegium, altera erat Casarianorum, altera Gallorum et Farnesiatorum, ob quas dissensiones electio protracta fuit ad diem septimam Februarii anni sequentis. Quo tempore miraculum hoc contigit, quod Hieronymus Rubens¹ in sua historia Ravennatum narrat subiectis verbis:

¹ Hieron. Rubens Hist. Ravennatum l. III. Ex eo loco. Concilio, l. VI. de Euch.

(1) Paulus III Pontifex hoc anno affectum senio et laboribus vitam absolvit, ætatem agens annorum trium et octoginta. Pontifex, si privati hominis virtutes, si principis dotes spectes, incomparabilis. Inter gesta ejus præclara Concilium Tridentinum convocato maxima omnia superat. Nec est cur coactus eo descendisse reputetur, cum ea fuerit constantia Pontifex, ut cum res Ecclesie postularet, vel ipsi potentissimo Carolo imperatori resisteret. Quare si postulanti Concilii convocationem assensit, id ab eo præstitum, non vi coacto, sed sponte utilitatis Ecclesie amore persuasus, consensus est. Adeo vero Ecclesie commodis studebat, ut vel ipsum potentissimum imperatorem Carolum V in se coacitare non dubitaverit, quoties Ecclesie repugnantem illum nancisceretur: protestatus nolle se imperatori deferre, nisi imperator ipse Ecclesie obsequeretur, ait Segni Hist. Florent. lib. XII, pag. 317. Reliquas privati hominis virtutes deprimi atque commendari dictum illud Nicolai Ardinghelli cardinalis apud Segni lib. XII, pag. 322: « Paulo nihil peccati obijci potest, nisi unicum hoc, nimum scilicet in nepotes suos stulium ». Id profecto vitii ab omnibus ætatis illius scriptoribus Pontifici ceterorum optimo tributum est: nec aliud quidquam ex multis quæ per insensationem et invalidam objecta sunt illi, veritati congruere arbitror, cum vel ab adversariis grati obijciantur, vel levibus deducta indicia a riptoribus non plane benevolis afferuntur, quosmodi ea sunt quæ legas apud eundem Segni lib. VI, pat. 304, de astrologiis quin et magicis scientiis a Paulo cultis, et alia id generis sexcenta. MAX-1.

Ob Pauli Tertii Pontificis Maximi obitum, Sede vacante, pulcherrimam eam imaginem divae Virginis Matris, una cum aurea pane testudine ingenti ruina ac damno corruisse vidimus, in quo maximum quiddam certe configit, quod cum inferius Eucharistia loco inclusa serva-

retur hinc atque hinc ruina, et lapidibus maximis decidentibus et quasi attingere non audentibus, incolumis et intacta permansit, cum tamen vel ipsa pavimenti marmora in minutissimas partes contracta sint ».

JULII III ANNUS I. — CHRISTI 1550.

1. *Cardinalis de Monte creatur Pontifex nomine Julii III.* — Mulsit annus a partu Virgineo millesimus quingentesimus quinquagesimus felix Jubilei expiatione, et religionis orthodoxae in Germania restituendae spe, redintegratoque Concilio Tridentino a novo Pontifice Julio Tertio, qui ob varias cardinalium dissensiones, extracto in Conclavi ad tres ferme menses interregno praeter expectationem conciliatis repente omnium voluntatibus, ad Pontificatum evectus est, ut Acta Consistorialia referunt¹: « Die Veneris, septima Februarii MDL, hora tertia noctis, fuit electus et assumptus in Summum Pontificem reverendissimus dominus Joannes Maria episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis de Monte, qui assumpsit sibi nomen Julii III ». Hic patre Vincentio Fabiani filio interjureconsultos celeberrimo ex Monte Sabino agri Aretini oriundo, matre Senensi, a patre Antonio Maria de Monte cardinale in litteris educatus, in quibus cum excelleret, Synoninus archiepiscopus creatus, et Urbis etiam gubernationi a Clemente Pontifice bis praefectus, ac demum in Urbis exilio, obess datus furenti Germano militi, ad Campum Florae bis ad patibulum ab impiis latronis more raptatus, ereptusque a divina Providentia, Bononiensem legationem gessit,

dein auditoris camerae Apostolicae munus cum laude sustinuit, postea Paulo III cum lectissimis viris in cardinalium numerum adscitus, et aliquot provinciis integre administratis conspicuus, in Tridentino Concilio una cum collegis Marcello Cervino et Reginaldo Polo, ac demum etiam solus Pontificis vice praefuit, Bononiamque transtulit, et ex Bononia et Concilii legato, atque episcopo Praenestino ad Pontificatum evectus est, octava Februarii, cui Guisium et Ferrariensem cardinales plurimum studuisse idem professus fuit in litteris eodem die ad ducem Ferrariae exaratis²: « Factum est Dei in primis benignitate, in quem hoc totum referri debet, deindeque Ferratorum filiorum nostrorum Guisa affinis et Ferrariensis fratris tui cardinalium in primis opera, studio et amore, quem ipsi nobis in hoc mirificum exhibuerunt, ut hodie concordibus ceterorum cardinalium fratrum nostrorum suffragiis ad apicem Summi Apostolatus evecti fuerimus, etc. die viii Februarii MDL ».

2. *Julius notam fecit suam electionem Caesari, Parmae Farnesio restituit, et Lutheranos principes denudatice tentat.* — Studuisse etiam Julio pro assequendo Pontificatu Caesareis partibus addictos cardinales ipse profiteretur in litteris³ ad Caesarem proximo die exaratis (I,

¹ Acta Consistorialia in Biblio. Ms. arch. Vat. tom. VI, p. 1. Acta Consistorialia in Biblio. Ms. arch. Spaldet. CXXXV, p. 19.

² Jul. III. L. t. brev. p. 18. — Pavesi, eod. in Hist. Conc. Ital. lib.

³ 1. S. V. p. 1. et Seg. in Hist. Flo. ed. lib. XI, pag. 322. Caesarem cardinales unum aliquem ex suis tantocius assumere in Pontificem non potuit, quia Bononiam Palam quem historicus Raymundus de la Bosa mendose appellat. Anulum; ac cum cardinalium suffragia non suffragia, sed ad eum exirent, Caesarianum et Farnesianorum cardinalium studia in cardinali Rodolpho Florentinum conversi non suffragia, sed ad eum exirent, factus tandem venit in discussionem cardinalis de Monte, qui et a Farnesio et ab imperantibus non suffragia, sed ad eum exirent. Hoc electio inquis satis constat ex Annalibus, Annis Paulinis ab electione an polius ab assumptis Pontificis. — 2. S. V. p. 1. et Seg. in Hist. Flo. ed. lib. XI, pag. 322. Caesarem cardinales unum aliquem ex suis tantocius assumere in Pontificem non potuit, quia Bononiam Palam quem historicus Raymundus de la Bosa mendose appellat. Anulum; ac cum cardinalium suffragia non suffragia, sed ad eum exirent, Caesarianum et Farnesianorum cardinalium studia in cardinali Rodolpho Florentinum conversi non suffragia, sed ad eum exirent, factus tandem venit in discussionem cardinalis de Monte, qui et a Farnesio et ab imperantibus non suffragia, sed ad eum exirent. Hoc electio inquis satis constat ex Annalibus, Annis Paulinis ab electione an polius ab assumptis Pontificis. — 3. S. V. p. 1. et Seg. in Hist. Flo. ed. lib. XI, pag. 322. Caesarem cardinales unum aliquem ex suis tantocius assumere in Pontificem non potuit, quia Bononiam Palam quem historicus Raymundus de la Bosa mendose appellat. Anulum; ac cum cardinalium suffragia non suffragia, sed ad eum exirent, Caesarianum et Farnesianorum cardinalium studia in cardinali Rodolpho Florentinum conversi non suffragia, sed ad eum exirent, factus tandem venit in discussionem cardinalis de Monte, qui et a Farnesio et ab imperantibus non suffragia, sed ad eum exirent. Hoc electio inquis satis constat ex Annalibus, Annis Paulinis ab electione an polius ab assumptis Pontificis.

quod admiratione certe non caruit, cum ille pro tuenda Pauli III dignitate adversus Caesarem, ejusque ministros Tridenti ac Bononiae plura fortiter egisset, adeoque eorum odia in se asperasset, ut ab eis etiam vectigalibus episcopatus Ticinensis fuisset mulclatus.

Mox Caesarem rogavit, ut pro tuenda restituendaque re Christiana, necnon obortis in ditione Ecclesiastica motibus compescendis imperatoriam operam auctoritatemque conjungeret, ut subjecta ostendunt litterae ¹:

« Imperatori.

« Charissime, etc. Placuit heri Deo Omnipotenti, cujus bonitas saepe vocal ea quae non sunt tanquam ea quae sunt, humilitatem nostram misericorditer respicere, ac nos per concordia fratrum nostrorum suffragia ad apicem Summi Apostolatus subvehere, sicut a tuis plenius tibi significari non ambigimus, quae quidem in re cum benevoli ac studiosi tuae serenitatis nobis plurimum favorint, tibi post Deum (cui hoc totum tribuendum est) valde nos debere fatemur, sed tamen, fili in Christo charissime, longe majus a tua serenitate beneficium universa nobiscum Christianitas postulat, ut scilicet multis ac magnis tam hujus Sanctae Sedis, quam ipsius Christianitatis incommodis providere velis, opemque tuam afferre salutarem, res enim nostras valde perturbatas invenimus, ut vides, onusque administrandi Pontificatus semper quidem grave, ac hoc tempore multo gravissimum nobis fore videmus, nisi benignus favor, ac bonitas tuae serenitatis accesserit; quamobrem illam rogamus, ut nobis in tanto ferendo onere deesse nolit, hoc autem multis a te procedere rationibus potest, eaque in primis, si tuae bonitati obsecutus hanc Sanctam Sedem (cujus advocatus es) in primis tranquillaveris, quod vel solo tuo nutu facere potes, deindeque erga bonum universale illum animum continuaveris, quem omnes speramus, quique optimo Caesare dignus, et Deo Omnipotenti gratissimus est futurus, etc. Tuam Serenitatem diutissime ac felicissime a Deo conservari cupimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX Febr. MDL, suscepti Pontificatus anno I ».

Recurrente die sacro Cathedrae S. Petri solemnii ritu fuisse Iliara Pontificia redimilum ab Innocentio Cybo diacono cardinale tradunt Acta Consistorialia, quod confirmat Angelus Massarellus ², qui subdit presentes fuisse huic coronationi oratores imperatoris, regis Christianissimi, Romanorum, Portugalliae, Venetorum, Florentiae.

3. Sauxerant in conclavi cardinales nonnullas pactiones, ad quas servandas sacramento se obstrinxerant, inter quas, urgente ac suae domus commoda promovente Alexandro Farnesio, ea inserta fuit, ut qui renuntiatus esset Pontifex, mox accepto Pontificatu, Parmam Octavio Farnesio restitueret. Julius itaque ingentium malorum, quae ex Parma restituta Octavio emerura erant, ac futura perduellionis Octavii ignarus, misso archiepiscopo Barensi, cui nomen erat de Saulis, dedit imperia Camillo Ursino Parmae praefecto, ut eam urbem traderet Octavio, qui Pontificio mandato obsecutus, Octavium in Parmae possessionem induxit: aliae vero pactiones ad cardinalium commoda compositae, ut iniquae a Julio, exemplo Innocentii VI, rescissae sunt: tum instaurandi Concilii cupidissimus Petrus Toletanus ad imperatorem proficisci jussit, ut illi flagrantissimum pietatis ardorem, pro asserenda religione tuendaque reipublicae Christianae tranquillitate, et alenda pace significaret; cum nullum praestantius esset remedium pro haereticorum frenanda licentia, coercendaque improbitate, necnon pro Turcarum propulsanda tyrannide, quam ut firmissima concordia inter Christianos principes reintegraretur; tum etiam faceret certiore se nulla erga eum amantissimi patris officia praetermissurum, tum illi Alexandrum Farnesium cardinalem atque Octavium Caesarem genèrum commendavit; quae litterae XVI Februarii hujus anni consignatae sunt.

4. Misit eadem die Julius ad Henricum Galliae regem abbatem Rossettum cum litteris humanissimis, insignibusque amoris notis aspersis, restitutaque Octavio Parmae causas exposuit, ut bellici incendii exorientem in Italia flammam exstingeret, affectandaeque a Caesare Parmae occasionem adimeret.

Addit Angelus Massarellus ¹, Julium Pontificem octava Februarii die excurrentis hujus anni MDL, statim plura virtutum exempla explicuisse, benignitatem in primis erga Romanum populum, et alienum ab avaritiæ sordibus animum sublato vectigali acerbo, quod molendo frumento impositum erat magna pauperum calamitate, quodque etiam Paulus III in extremo mortis confinio remiserat; abolevisse etiam aliud molestum vectigal contractuum, liberalitatem etiam munificam in plures effudisse, maxime in cardinales, a quibus ad partem dignitatem fuerat proventus.

Nec modo in amicos exercuit munificentiam, sed etiam erga eos qui indigne illum

¹ Jul. III. lib. hœv. sig. num. 2889, p. 5. — ² Ang. Mass. Ms. arch. Vat. p. 343. Franc. Firmicus in Diar. Arch. Vat. tom. XI, Diar. par. I.

¹ Ms. arch. Vat. n. p. 343.

cliam illum suam ab electione cepisse cum in Annalibus anno MDLII, num. 17, legatur Bulla die XX Februarii eodem anno MDLII data qua annum Pontificatus III praefert; qui sane annus tertius nondum obtinisset, si ab assumpta Pontificia corona suppunctus fuisset.

injuria adfecerant, ac inter alios Hieronymum Rubicum, qui Ferdinando Gonzaga et senatu Mediolanensi impellentibus illum in Ticinensis episcopatus possessione ante improbissime divexarat, damnatusque a Paulo propterea fuerat, prostratis omnibus generosa oblivione injuriis, Ticinensi episcopatu ornavit; Julio Madruccio cardinali, qui ob avitam nobilitatem fastu turgidus inhoneste illam, dum præsidem Concilii Tridentini ageret, tractaverat, non modo illa decem millia nummorum, quæ a Paulo III ob quosdam sumptus controversos repetere non poterat, illi refundit, sed etiam aliorum decem millium munere illum cumulavit: tum etiam Germaniæ principes Lutheri fraudibus irretitos ad Ecclesiæ gremium revocare studuit: quo argumento inscriptæ sunt litteræ¹ multis amoris notis illustres Mauritio duci Saxoniae, quem amplissimo principatu a Cæsare auctum ad Catholicam fidem ejusdem Cæsaris opera sperabat rediturum.

« Dilecto filio nobili viro Mauritio duci Saxoniae, sacri Romani imperii principi electori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Licet assumptionem nostram ad summi Apostolatus apicem, quam Deus Omnipotens octava die hujus mensis per concordia omnium fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, jam credamus tibi notam, tamen illam tibi tanquam sacri Romani imperii principi et electori, summa nobilitate, virtute et auctoritate præstanti, etiam nostris litteris notam esse volumus, ut eam certius acciperes nobis scribentibus. Nos quidem, fili, nostræ imbecillitatis conscii, totum hoc in Deum referentes, ut debemus, nihilque nostris meritis, quæ nulla sunt, tribuentes, et tanti ponderis gravitate horremus præsertim his temporibus ac moribus, quæ tam difficilem regendi rationem habitura videntur, quo magis Dei clementiam imploramus, ut in ferendo onere nobis ipse adsit, qui illud imposuit, et tuæ quoque nobilitatis, cæterorumque principum dignitate atque auctoritate pollentium piæ nobis juvenem conciliet et concedat, ut qui nostræ virtuti diffidimus, ejus sancto auxilio, vostrarumque cooperatione pietatum tante curarum moli, cui nos longe impares cognoscimus, sufficere ad Dei servitium et bonum commune possimus, in quo non dubitamus tuam nobilitatem nobis pro sua pietate et principis electoris officio ac dignitate amanter ac ad futurum, cui quidem nos in omnibus ejus honestis desideriis paterno animo ac voluntate semper respondebimus. Datum Romæ die ultima Febr. MDC, anno 1.

5. *Carolus V Julio pollicetur se Ecclesiam defensurum, et Julius Carolo paternæ officia promittit.* — Frustra demulcere terocem ac im-

pium principem nisus est Julius, quem ad opprimendum insigni prodicione Cæsarem, Conciliique Tridentini Patres trucidandos fugandosve conjurasse visuri sumus. Respondere vero mutuis officiis Pontifici alii reges ac principes, ac inter alios Carolus Cæsar humanissimis litteris¹ amantissimi et obsequentissimi filii officia illi detulit, Sedisque Apostolicæ et Ecclesiæ dignitatem omni studio defensurum est pollicitus:

« Beatissimo in Christo patri et domino, Domino Julio III, divina providentiæ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, domino nostro reverendissimo.

« Carolus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus, ac rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciiliæ, Hierusalem, Hungariæ, Balmatiæ, Croatiae etc. archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ etc. comes Flandriæ, Tyrolis, etc.

« Beatissime pater, domine reverendissime. Etsi jam pridem quum publico rumore primum, deinde vero e litteris oratoris nostri istlic ex Urbe ad nos perlatum esset Sanctitatem vestram sacrosancti coetus amplissimorum Patrum S. R. E. cardinalium concordibus suffragiis ad Summi Apostolatus munus Dei Optimi Maximi beneficio assumptam esse, id sane perquam libenter, audiverimus, gratissimum tamen fuit hoc ipsum e Sanctitatis vestræ litteris cognoscere, quas plenas benevolentiae per internuntium suum ad nos dedit: antea enim Ecclesiæ pastore destituta, cum ingens desiderium ac summa omnium esset expectatio, ut talis illi præficeretur, qui et posset et vellet publicæ necessitati succurrere, cum animo Sanctitatem vestram ad hanc administrationem adferre magna cum voluptate accepimus, nam plerumque, quod litteris suis id amplissime testatur Sanctitas vestra, ea insuper initia dedit, unde in summam spem adducimur nihil de hac præclara sua voluntate toto administrationis suæ cursu Sanctitatem vestram remissuram, atque adeo ex ejus assumptione republicam Christianam amplissimos fructus consecuturam esse, id quod optamus, et summis precibus a Deo Domino flagitamus. Quod autem ad nos attinet, dabimus sane, quantum Dei benignitas nobis concesserit, omnem operam, ne opinionem, quam animadvertimus Sanctitatem vestram de nobis concepisce, modo fefelisse videamur, neque commitemus, quantum in nobis erit, ut quispiam in tuenda Ecclesiâ, ac illius procurandis commodis nos segnes aut remissos jure merito arguere possit, quin et hortationis et expectationi Sanctitatis vestræ pro virili respondebimus, nihil recessuri de veteri nostro instituto, et in reddendo eidem Sanctitati vestræ et isti Sanctæ Sedi officio cum

¹ Roy. Bib. III. an. 1550. n. 157.

¹ Jul. III. lib. hex., p. 88.

omni submissione et animi alacritate, cum quovis alio contendemus. Interim vero dum Petrum de Toledo, quem Sanctitas vestra se missuram ad negotia scribit, expectamus, ne quidquam de officio nostro prætermisisset aut longius distulisset videamur, mittimus ad Sanctitatem vestram debita ad hoc opera magnificum fidelem nobis dilectum Ludovicum de Zuniga commendatorem Ordinis militaris de Alcantara nuncupati, familiarem et cubicularium nostrum, qui cum oratore nostro Sanctitatis vestræ pedes nomine nostro deosculetur, et assumptioni ad hunc summum gradum Apostolatus gratuletur. Itaque Sanctitatem vestram summopere rogamus, ut nos filii obedientibus communerare, et quando amore tam paterno nos prosequitur, sibi vicissim de nobis ea polliceri velit, quæ ab obedientissimo filio expectari possunt et debent, et præfatum Ludovicum de Zuniga ac oratorem nostrum in his, quæ Sanctitati vestræ verbis nostris exposituri sunt, et benigne audire, et eam fidem adhibere, quam nobis ipsis, si adessemus, esset datura; quod superest, Deum Optimum Maximum precamur, ut in honorem et obsequium suum, Ecclesiæ suæ augmentum, et Christiani populi communem salutem Sanctitatem vestram diu servare incolamem, feliciterque præesse velit. Datum in oppido Bruxelleusi Ducatus nostri Brabantiæ, die penultima mensis Februarii, anno Domini M^oL, imperii nostri xxx, et regnorum nostrorum xxxv ».

6. Detersit Cæsar iis litteris ex animo Julii omnem aversam suspicionem ob illatas antea illi ab administris Cæsareis injurias conceptam, mirificæque recreatus Cæsaris officia pietatemque amplissimis laudibus extulit, vicissimque se Pontificia benevolentia paternisque officiis Cæsarem complexurum est pollicitus, ut sequentes probant litteræ ¹ :

« Imperatori.

« Charissime etc. Attulit ad nos dilectus filius Ludovicus de Zuniga intimus cubicularius tuus litteras serenitatis tuæ plenas humanitatis, benevolentiam et pietatis nobis longe gratissimas, quas etiam ipse prudenti sermone subsecutus fecit nobis gratiores, nam et de tuo in nos amore et propensa in hanc Sanctam Sedem voluntate multa commemoravit, quæ nobis audire fuit dulcissimum, ipso præsertim Ludovico referente, quem tibi merito charissimum ad hoc munus fuisse electum non parum gavisi sumus; ex hoc enim major tuæ serenitatis amor in nos apparuit, quamquam et ipsæ litteræ, quas attulit, ita undique pietatem tuam spirant, ut nihil illis gratius, nihil jucundius nobis accideret potuerit, quanti enim hæc sunt in tuis litteris perscripta verba: te omnem datam operam, ne opinionem, quam nos de te concepisse

animadvertis, ullo modo fefellisse videaris, nec commissurum, quantum in te erit, ut quispiam in tuenda Ecclesia, ac illius procurandis commodis te aut segnem aut remissum merito arguere possit. Addis etiam te et hortationi et expectationi nostræ pro virili responsurum, et in reddendo nobis et huic Sanctæ Sedi officio cum omni animi alacritate cum quovis alio certaturum esse, quæ verba, fili charissime, nobis non tam atramento et calamo quam corde et animo, et imperiali quadam magnanimitate perscripta videntur, ob quod erunt in animo ac memoria nostra infixæ sempiternæ. Quid enim nobis optabilius esse aut potest, aut debet, quam totos nos religioni et Ecclesiæ vacare posse, a tumultibus quiescere, teque potentissimum Cæsarem sicut officio et titulo advocatum Ecclesiæ habemus, ita etiam tuo studio et voluntate, sub cuius præsidio tuti nostrum munus exequi cum tranquillitate animi et sancto Dei servitio possimus, ad hunc scopum omnes curas et cogitationes nostras dirigentes. Quo gaudio excipere debemus hunc animum serenitatis tuæ, quem nobis offers et polliceris, qua instantia Deo supplicamus, ut te talem tantum principem nobis et Ecclesiæ diutissime conservet? Sumus id quidem, fili charissime, continue facturî, paternaque ac peculiari benevolentia semper tibi responsuri, sed super his ditissimus cum ipso Ludovico collocuti sumus: Nos tuæ serenitati de humanissimo atque amantissimo gratulationis et oblationum tuarum officio per ipsum Ludovicum et oratorem nobis præstito gratias agimus, utinamque cum Deo referre aliquando possimus. Tibi quidem ac tuis omnia felicia a Deo optamus et speramus ad honorem nominis sancti sui, totiusque Christiani nominis tranquillitatem et pacem. Datum Romæ apud S. Petrum die xii Aprilis M^oL, anno 1 ».

7. *De redintegrando Concilio Tridentino agitur, necnon de removendis impedimentis huic redintegrationi præsertim a Gallo rege suscitatis.* — Adstricta est ita inter Julium, Cæsaremque arctissima conjunctio, adeo, ut qui antea, dum præsidem Concilii ageret, Concilii Tridento transferendi auctor fuerat ob animum a Cæsareis libertatem Concilii infringentibus abalienatum, ac postea Bononiæ gravissime intercesserat, ne a Paulo III in id inclinante Concilio, petente Cæsare, Tridentum revocaretur, jam in alium mutatum virum, omnes curas et studia converterit, ut Tridentum illud restitueret: de quo hæc in veteri Ms. ¹ referuntur, significasse Julium III Cæsari optimam erga eum voluntatem; atque summo candore sine ulla arte ac dolo cum eo acturum: velle Tridentinum Concilium instaurare, etiam ob commoda quæ in Cæsarem ex eo redundarent, sed necessarium

¹ Jul. III. l. 1. p. 87.

¹ Ms. card. Phi sig. num. 45. sub fin. l. III. ex Ital.

esse, ut Gallorum quoque rex suam operam opemque in id conferret, ejusque regni præsentes illi interessent, ne Concilium nationale fieret, atque Gallia ab Ecclesia discederet : secundo conducere ut daret operam, ne inani otio ac mora tempus teratur in Concilio, inopesque episcopi sumptuum diuturna profusione vexentur, nec legali otio marcescant, atque adeo necessarium, ut Cæsarea majestas Germaniam ita contineat in officio, ut tum Catholicici, tum Protestantibus Concilio sint parituri : tertio, ut Protestantibus decreta Concilii se suscepturos pollicerentur, dataque est a Pontifice opera, ut hæc ubique promulgarentur.

8. Commendavit Cæsar Pontificia studia, ac se Concilium contra hostilem vim protecturum spondidit, sed a Lutheranis delusus est, nec enim illi parere Concilio, sed illud una cum Cæsare opprimere armis meditabantur, eamque ob causam non in Italia, sed in Germania cogi flagitarant. Addit autem Angelus Massarellus ¹ in Diario, missum ab imperatore nobilem Hispanum Avilam xxv Martii, libasse pia oscula Pontificis pedibus nomine Cæsaris, gratulatum de parta Pontificia dignitate, Cæsaremque Pontificis mandatis obedientem futurum professum esse : subjungit sequenti die Claudium Durfe provincie Foresii præfectum, Henrici regis Gallie oratorem, regio nomine Julio obedientiam deluisse, ac pedes sacros deosculatum, a Pontifice vero ad manus et oris osculum admissum.

Tradunt vero Acta Consistorialia in his primis Pontificatus auspiciis Julium de redintegrando Concilio, deque restituenda puritate morum, et Ecclesiastica disciplina in meliorem formam revocanda verba fecisse cum cardinalibus, necnon Tridentini cœtus Paulo adversi principem Paceum cardinalem sibi conciliasse, dedisseque illi annulum, ac pro titulo cardinalitio Ecclesiam S. Balbinæ contulisse, tum sex cardinales consultores elegisse, decanum, Tusculanum, Crescentium, Sfondratum, Cybum ac Polum, ut qua in sacerdotiorum collatione emendanda essent, scriptis consignarent. De provocanda etiam in opus Pauli III Constitutione edixisse, ut cardinales, qui plures metropolitanas vel cathedrales Ecclesias obtinerent, vel alias administrarent, retenta principe una quam vellent, aliarum jure cederent semestri flexu, administrationemque abitterent.

9. Mense Aprili Cæsareus orator Didacus Mendoza ardentissimo studio flagitavit a Julio, ut intermissum Tridentinum Concilium instauraret, cujus precibus flexus Julius, in sacro senatu exposuit quanti referret, pro divina tuenda gloria et asserenda fide Catholica illud Concilium redintegrare, atque etiam contrarias difficultates ostendit, quas magna consilii et

prudentiæ maturitate excuti voluit, ut refert Angelus Massarellus ¹, qui addit :

« XIX Aprilis, quoniam illustrissimus D. Didacus orator Cæsareæ majestatis maxime instabat apud summum Pontificem nomine majestatis suæ ut reduceret Concilium ad civitatem Tridentinam, prout hactenus sub Paulo III sua majestas multoties diversis argumentis idem postulaverat, Sanctitas sua, ne Cæsareæ majestati ac reipublicæ Christianæ deesset, neque etiam auctoritatem ipsius Concilii et sanctæ Sedis contemneret, id cum cardinalibus alias ad id deputatis consulere prius voluit, eisque difficultates aliquas, quæ sese in hac causa offerebant, patefacere, quas difficultates hodie ad ipsos reverendissimos dominos transmitti curavit, etc.

Mox subjicit ², prosecutionem Concilii omnino necessariam visam esse, cardinales vero, quos huic rei præfecerat, fuisse Transensem, Neapolitanum, Moronum, Cusentinum, Sfondratum, Polum et Marcellum fil. sanctæ Crucis.

Quod ad difficultates instaurandi Concilii Tridentini attinet, eas omnino graves extitisse constat ex veteri Ms. Vaticano ³, in quo eæ recensentur, quas cardinalis Moronus, qui in ea causa decretus fuerat, proposuit :

« Reverendissimi domini Moroni difficultates solvendæ pro Concilio Tridentino sūt ».

« Prosecutio Concilii videtur omnino necessaria ex pluribus causis satis notis. Hoc stante, quoniam conventus Germaniæ, et status tam Protestantium quam Catholicorum submiserunt se, ut dicitur, Concilio Tridentino, et causa potissimum Germaniæ agitur, videtur negari non posse quin Concilium ipsum Tridenti prosequi et celebrari debeat. Hoc præsupposito, nonnullæ difficultates occurrunt, quibus providendum est.

« Prima videtur esse, quomodo Tridentum reduci debeat sine læsione auctoritatis Sedis Apostolicæ et ipsius Concilii, attenta translatione jam facta, et pendentia litis ipsius translationis. Secunda difficultas est, quia dubitatur, quod Germani Protestantes non veniant, et si veniant, an et quomodo sint admittendi, et quod prælati etiam Catholici Germani non comparebunt, nisi per procuratores, quos Concilium nullo modo admittit.

« Eadem dubitatio est de prælati Gallie quod non sint venturi; et similiter de prælati Italia, cum sint pauperes, et experientia hoc ostenderit; consideratur igitur quid in his casibus agendum sit. Tertia difficultas est, quia videtur, quod Sedes Apostolica, cum sit adeo exhausta, non poterit sufferre expensas legatorum, neque subvenire prælati indigentibus,

¹ Ang. Mass. p. 350.

² Ang. Mass. in Diar. rer. Jul. III. p. 356. — ³ Ib. p. 368. —

³ Ext. in to. XII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 209.

neque alios sumptus necessarios facere. Quarta difficultas videtur esse propter loci angustiam, et aliarum rerum penuriam in civitate Tridenti, si conligerit in ea fieri magnum concursum praelatorum. Quinta difficultas est, ubi comparerent Protestantés, vel alii qui vellent retrahere, vel in dubium revocare jam decisa et definita per Concilium Tridentinum : quod videtur esse contra sacros canones et approbata Concilia. Sexta difficultas, nam si tractandum erit de reformatione generali, non solum proponetur reformatio clericorum, verum et laicorum etiam principum, et tunc posset contingere, quod tractandum esset de negotiis aliquibus tangentibus interesse Cæsareæ majestatis, et præjudicium aliorum, qui conqueri possent quod locus Tridenti esset ipsis suspectus et Cæsari nimis affectus. Ultima difficultas est, ubi in Concilio non fieret debitus progressus, et sic tempus incassum tereretur, quod non esset sine intolerabili jactura et magno dedecore Sanctæ Sedis, quid in eo casu agendum esset ».

10. Augebat has difficultates Henricus Gallie rex, qui in Cæsaris odium susceperat defendendum Bononiense Concilium, ac vehementer abhorrebat, ne illud Tridentum revocaretur, ex quo Germani intestina dissidia composituri religionis dissidiis compositis credebantur, ex quorum concordia imperii potentia refloresceret : politici ita privatisque commodis illusos opinabatur, res Gallicas majus incrementum suscepturas, si potentia Cæsaris Lutheranorum dissidiis implicita distineretur : eamque etiam ob causam, cum Julium Pontificem Cæsari adversaturum putaret ex gestis præteritis, illi ardentissimo studio armorum Gallicorum potentiam adversus ejus hostes obtulerat. At Julius susceptis Ecclesiæ gubernaculis, pacis consilia versabat animo, ejusque beneficio hæreses, quæ propter bella excreverant, excindere meditabatur, quare studia sua convertit ad Henricum regem flectendum, ut a bellicis consiliis et fovenda Lutheranorum perfidia ac perditione ad divinam gloriam amplificandam, religionemque Catholicam defendendam, ex qua illius ac regni salus pendebat, regia studia traduceret, in qua re administrum atque interpretem adhibuit Guisium cardinalem ¹, qui multa apud Henricum regem gratia florebat, ut eum ad conjungendam regiam operam pro Concilio Tridenti instaurando adduceret.

« Cardinali de Guisîa.

« Dilecte fili noster, salutem etc. Quam probe meminimus, quam diffuse et particulatim, quæve nostri in te amoris fiducia, longoque discursu, antequam a nobis discederes, tecum locuti fuerimus super materia Universalis Concilii, memoriaque etiam tenemus, qua

tu pietate et boni cardinalis officio, ea ipsa quæ tecum loquebamur, appenderes et admitteres, cupimus propterea, ut hæc etiam reliqua, quæ super eadem re venerabilis frater Antonius episcopus Tolonensis secum defert et tecum communicare a nobis justus est, plene ex eo cognoscas : utque in ea occasione, quam opportunam existimaveris, vel solus, vel ipso episcopo Tolonensi adjuncto, majestatem Christianissimi regis de his ipsis plenius edoceas et capacem reddas. Quo eadem majestas liquido intelligat, qualem honoris et dignitatis ejus in hoc rationem habeamus, et quod in hujusmodi negotio nec omittitur nec omittetur quicquam a nobis, quod nostræ pastoralis vigilantie, et in ipsum regem paternæ benevolentie convenire possit. Quemadmodum hæc plenius et uberius dicit circumspectioni tuæ idem Antonius episcopus nuntius, cujus verbis nunc et deinceps circumspectio tua fidem præstabit indubiam. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVI Junii MDL, anno I ».

11. De Tolonensi episcopo in Gallias misso ad Henricum Gallie regem meminit Massarellus, atque ex veteribus Monumentis ¹ peculiariter colligitur Julium, inter alias pactiones in conclavi a singulis cardinalibus sacramento confirmatas, se obstrinxisse ad Concilium, quod a Paulo ² ob molas de jure translationis lites intercisum fuerat, redintegrandum, partoque Pontificatu se amplissimis verbis promovendi Concilii cupidissimum demonstrasse, modo veteri ritu et instituto, modo pro asserenda orthodoxa fide, modo pro excindenda hæresi, modo pro tuenda Sedis Apostolicæ dignitate, modo pro constituenda publica re, alenda pace, et ipsius Cæsaris rebus adversus novatores constabiliendis celebraretur : porro Hurtadum Mendozium oratorem Cæsareum medio Aprili gravissima oratione apud Julium contendisse, ut Concilium Tridenti instauraretur, ac Julium ea de causa summorum virorum congregationem pro re provehenda instituisse : etenim jam versa erat rerum facies, et veteres litium causæ evanuerant. Paulo enim Pontifice transferendi Tridento Concilii ea causa maxima fuerat, concepta gravissima suspicio impediri Concilii libertatem in damnandis Lutheranorum hæresibus, ne exasperati ea damnatione consurgere in arma, tum ne, Pontifice affecte retalis ex humanis sublato, Tridentini cætus creandi Pontificis jus sibi arrogarent; jam vero evanuerat ea iniqua suspicio; cum (extincto Paulo) card. Pacechus, dimisso cœtu Tridentino, Romam se contulisset, ac reliqui presules Hispani Tridento discessissent, itaque si jam instauraretur Concilium sola auctoritate

¹ Sfortia Pallavic. card. I. xi. c. 8. Diar. Massarell. Eod. c. 8. Eod. cap.

² Brevia Jul. III. 1550. p. 279.

Apostolica, penitus scilicet extincta veteri lite, instauratum iri. Præterea internuntii Pontificii, qui apud Cæsarem in Germania agebant certiorum fecere Pontificem celebrandi Concilii extremam necessitatem urgere, non quidem, quod affulgerent spes Lutheranorum principum ab hæresi revocandorum, cum opibus Ecclesiasticis inescati prædæ avidissime inhiarent, tum quia populi morum licentia effusæ assueti, a severitate Catholica maxime abhorrebant; sed quia gravissimum impendebat discrimen, ne reliqui principes Catholici pravis hæreticorum principum exemplis incitati, præsentiumque rerum illecebra lactati a fide deficerent; Pontificiam etiam auctoritatem, quæ legibus a Cæsare in rebus fidei temere latis labefacta fuerat, (celebrato Concilio) confirmandam, anver-tenda quoque graviora pericula, ne Cæsar, intermisso Concilio, Pontificem ac senatum cardinalium inertia accusaret, atque Ecclesiasticam auctoritatem, supplendi tanti defectus obtenta specie, invaderet ac iniquas leges conderet, vel cum hæreticis fœdus exitiale pangeret: nec justè præteritis exemplis petiti deerant melius, nam Cæsar vigesima quarta Junii comitia Augustæ celebraturus summa contentione apud Julium institit, ut Concilium Tridenti indiceret; ut vero id rite fieret, Julius ad Cæsarem Sebastianum Pighium Manfredoniæ sive Syontinum archiepiscopum miserat prima die Julii, qui ipsum ad tuendum Romanæ Ecclesiæ jus et dignitatem certis legibus adstringeret.

12. *Scribit Julius multis principibus Germaniæ, etiam hæreticis, occasione Concilii.* — Jussus etiam est Pighius internuntius de eadem re agere cum Philippo, ejus nominis Secundo, Hispaniæ principe, et Mauritio duce Saxonie, ad quem extant hæc litteræ Pontificis¹ paterni in cum amoris indices.

« Mauritio duci Saxonie, etc. electori.

« Dilecte fili, nobilis vir. Mittimus venerabilem fratrem Sebastianum archiepiscopum Syontinum ad serenissimi Cæsaris majestatem nuntium nostrum ordinarium latorem præsentium, cui mandavimus, ut nobilitatem tuam, quam ut sacri Romani imperii principem electorem, multaque virtute, nobilitate et auctoritate fulgentem paternaliter diligimus et magni facimus, a nobis inviseret ac salutaret, nostrumque erga illam pecuniarum et paternum amorem ei declararet ac referret, tum in omnibus per eum et pro tempore tractandis tuo favore et gratia semper uteretur, etc. Datum Romæ XXI Junii MDC, anno 1550.

13. Conceptæ sunt iisdem verbis litteræ ad marchionem Brandeburgensem ac Fridericum comitem Palatinum Rheni electorem, Lutheranæ impietate inquinatos, tum ad Catho-

licos principes Henricum ducem Brunsvicensis exercitum ab impiis, ad quem, aliis autem litteris, hæc scripserat Pontifex: « Tuos sanctos labores, pericula, detrimenta atque incommoda, quæ pro Dei causa passus es, nunquam oblivisci poterimus »: ad Albertum ducem Bavarie, qui Willelmo duci parenti, strenuissimo religionis defensori, successerat, necnon ad Moguntinum, Coloniensem ac Treverensem archiepiscopos. Porro Cæsar ac Ferdinandus rex Bohemie, principesque Catholici propositas a Pontifice pro celebrando Concilio leges admiserit, missantibus contra hæreticis. Quod ad Brunsvicensem principem vexatum ab hæreticis attinet, referunt litteræ¹ ad cardinalem camerarium scriptæ VIII Septemb. MDC, etiam præsentem in Germania Cæsare, bellicos motus exortos inter Brunsvicenses cives Lutheranos, ac ducem Brunsvici Catholicum, atque Brunsvicensibus civitates liberas, studio asserendæ Lutheranæ hæreseos, inito armorum fœdere, sese conjunxisse, easque potissimum, quæ non modo federatæ sunt pro mutua difensionem suarum defensione, sed etiam pro tuenda nova religione, contractisque copiis equestribus ducem illum Catholicum accerimo bello appetiisse, qui ad Cæsarem per fugit, a quo militaris præco missus, qui utramque partem arma ponere jusserit, atque in comitiis imperii legibus disceptare. Cæterum in conventu Ordinum imperii electores laicos, Mauritium Saxonem, Brandeburgensem et comitem Palatinum non comparuisse, sed tantum procuratorum opera, qui præter Cæsareæ majestatis opinionem adversus Concilium inhonestam protestationem ediderint, induciarum tempus inter Romanorum regem et Turcam effluxisse, atque in dies ingentium adversus Hungariam apparatusum famam increbrescere.

14. *Aliqui cardines deputati ad sanctiorem morum disciplinam restituendam.* — Mense Julio Pontifex ad muniendam celebrando Concilio viam, in cardinalium senatu egit de condendis nonnullis decretis pro Ecclesiastica disciplina in sanctiorem formam redigenda, et narrat Acta Consistorialia, deputavitque sex cardines, qui huic reformationi incumbere, et ad tollendas corruptelas conclavis reverendissimos de Medicis et Maffeuo, ut notarent ea quæ sibi viderentur ad defugienda scandala et electionem Pontificis faciliem reddendam.

15. Accepto felici Germanorum responso, opera Pighii internuntii Pontifex illud ad internuntium apud Venetos agentem transmisit, ut de eo cum duce et senatu ageret, ut scribit Massarellus², subditque in consilium adhibitos fuisse a Pontifice nonnullos cardines pro

¹ Id. III lib. brev. p. 152. — ² Reg. post eand. Ep. p. 17. Pag. 214. Pag. 152. Pag. 335.

¹ Ext. in Ms. ead. Spalæ sig. num. 137. p. 127. — ² Ang. Mas. ser. in Par. Ms. arch. Vat. p. 373.

vinciæ consistentia extra Romanam curiam pro tempore vacantia, privilegia et indulta certis modo et forma concessa fuerunt, apud sanctissimum dominum Julium III Pontificem Maximum ad præsens regnautem pro similibus privilegiis et indultis instaremus, et a Sanctitate sua illa nobis, prout dicto genitori nostro concessa erant, nostra vita durante, pariter concedi peteremus, pro parte ejusdem sanctissimi homini nostri, tam nostris apud Sanctitatem suam agentibus, quam nobis per ejus nuntios fuerit significatum, ut cum in dicto regno Franciæ et Delphinatu, et Comitatu Viennensi et Valentiniensi ultra, et præter, et forsam contra tenorem concordatorum dudum inter dictum Franciscum regem genitorem nostrum et Leonem Decimum et Sedem Apostolicam predictos infortum, nonnulla in diminutionem et præjudicium Ecclesiasticæ libertatis et auctoritatis sanctæ Apostolicæ Sedis attentata esse et continuo attentari reperiuntur, pro nostra erga dictam Sanctam Sedem devotione, attentata hujusmodi impedire et prohibere, ac ut Sanctitas sua dictaque Sedes, juxta concordata predicta pleno suo jure et auctoritate uli fruique valeat, providere faceremus. Unde re omni particulari in scriptis nobis tradita, et ad notitiam nostram deducta tam ex juris debito, quam volentes et Sanctitatem suam dictamque Sedem Apostolicam non minori quam in privilegiis et indultis nobis concedendis predictis benevolam et gratam nobis esse speramus, gratitudine et benevolentia prosequi; in primis salubriter providendum duximus, prosequimur et plena nostra scientia et auctoritate regia tenore præsentium diximus, et declaravimus, ac dicimus, et declaramus nostram præcipue voluntatem et intentionem fuisse et esse non transgredi nec terminis nec sensum dictorum concordatorum. Itaque per præsentes declaramus nos omnino velle servare et servari per nostros officarios et subditos predicta concordata juxta illorum tenorem, juxta quem tenorem deinceps non intendimus nominare ad aliquod monasterium, quod sit caput Ordinis, neque ad dignitates in cathedralibus, aut collegiatis seu conventualibus, nec ad monasteria monialium, neque ad Ecclesias et monasteria apud Sedem vacantia. Ipsi autem concordatis et privilegiis, quæ illorum vigore concessa sunt, nec intendimus uli, seu illa habere locum in Britanniâ, neque in provincia Provinciæ, etsi dictus Britannia ducatus sit regni nostre coronæ unitus, sed tantum in dicto regno Franciæ et Delphinatu, ac eisdem concordatis nominatim expressis et specificatis; mandantes nostris dilectis et fidelibus consiliariis nostrum consilium privatum tenentibus, quatenus ipsi nostras præsentis declarationes et receptas, et admissas manteneant et observent aut custodiri et manteneri et observari, ac vocatis et adhibitis

advocatis et procuratoribus nostris fiscalibus in eorum authenticis et publicis libris registrari, scribi et observari faciant, eisque prædictum dominum nostrum papam, sanctamque Sedem Apostolicam, et ejus officarios, commissarios et deputatos plene et pacifice gaudere ac uti permittant, absque eo quod illis aliquam desuper molestiam, perturbationem ullumque impedimentum inferant. Et si quæ post prædictam approbationem et registratam contra præmissa facta sint vel fuerint, absque dilatione amoveant, eademque præmissa plene et integre expedita in pristinum et debitum statum restituant, seu restitui faciant, et ne qua fiat difficultas, aut contraventione, quæ in observatione aut interpretatione possent emergere, de plenitudine regni nostre potestatis atque auctoritatis commisitimus atque committimus per præsentes dictis nostris consiliariis, nostrum secretum et privatum consilium tenentibus, cognitionem omnimodam controversiarum, contentionum ac litium, quas super dictis observatione et interpretatione præsentium posthac contigerit exoriri, idque privative ad omnes alias nostras jurisdictiones, cujuscumque dignitatis et auctoritatis existant, quibus nos eadem regni potestatis plenitudine per præsentes, omnem cognitionem, judicium et decisionem dictarum controversiarum ac litium, prout dictum est, movendarum. Sic enim nobis fieri placet, in cuius rei testimonium præsentibus litteris nostrum sigillum apponendum jussimus. Dat. apud Sanctum Germanum die XXIX mensis Julii anno Domini M^o, regni nostri IV^o.

Assensu postulatis regiis Julius, easdemque pactiones instauratas a Pio IV ad preces Caroli IX Gallorum regis suo loco visuri sumus, sed ad institutum de reintegrando Tridentino Concilio sermonem redeamus.

48. *Protestantes Concilium admittunt, motu juxta sua placita celebratur.* — Cepta erant Augustana Comitia a Casare, in quibus sanctum est dissidia religionis componenda ex decretis Concilii Tridentini, cui celebrando strenne incumbendum esset; ita vero a Pighino intermunitio Apostolico cum Casare actum erat, ut Germanorum nomine Concilium postularetur, quod illius decreta excipienda colendaque magis adstringerentur: Casar quoque ad tuendam Romani Pontificis dignitatem adversus eos qui illam convellere niterentur, se devinxit. Casarei enim administri ingenue agnovere eversa Catholica religione everti quoque pontificum statum, ac necessario Christiana religionis supremum principem atque antistitem agnosendum esse, atque Casarem auctoritatem debilitatam fuisse, cum taxatoribus concionandi libertas impune permissa fuisset a quibus subornati

¹ Surin in Comm. hoc anno.

populi non Romani Pontificis modo, sed etiam Cæsaris jugum excussissent. Dum ita de Concilio Tridentino instaurando ageretur¹, Lutherani principes ac populi a prioribus postulatis partim clam, partim palam descevere; nam Mauritijs Saxonie princeps atque elector, qui a Cæsare, non ejurata Lutherana impietate, perperam in Saxonie principatum evectus fuerat, confirmata jam Cæsareis armis potentia, ab impijs novatoribus fasciatus in Augustensibus comitijs oratorum opera poposcit, ut in Concilio OEcumenico, in quo dogmatum lites erant dirimende, Pontifici legali non præsiderent, ac Protestantes in eodem ferendæ decretoriae sententiæ jure pollerent, atque his iudicijs Pontifex Romanus se submitteret; necnon decreta antea Tridenti in examen vocarentur, atque episcopi tridentis sacramenti, quæ Pontifici obstricti sunt, solverentur: his vero impijs postulatis perduellium Lutheranorum se signiferum demonstravit Saxo, justaque belli ab eo Cæsari movendi suspicio apud sapientes concitata est. Cæterum cum de hac impia contestatione publica Acta confici flagitasset ejus oratores, repulsam passi sunt, ac Germanorum communi nomine decretum conceptum est, quo Tridentinum Concilium a Julio Pontifice postulatum est, nec audita hæretica ducis Maurilii petita, quæ non alia erant, quam ut Catholici fierent Lutherani, atque in æternam damnationem cum iis prouerent; postulante itaque ardentiore studio Cæsare indictionem Concilii, Pontifex exente Octobri rem detulit ad cardinalium senatum, ut referunt Acta Consistorialia, quæ subdunt cardinales S. Crucis, Moronum et Polium vocant, excitos, ut Diploma, quod Bullam vocant, conficeretur, nonnullisque corruptelis tollendis circa electionem Pontificis opera daretur.

19. *Bulla re assumptionis Concilii.* — Inter hæc flagitavit Cæsar² ab internuntio Apostolico, ut concepti de Concilio redintegrando Diplomaticis rudimentum vel exemplum a Pontifice mittendum curaret, ut illud Germanis ostenderet, ac difficultates contrarias lævigaret. Itaque Pontifex Diploma integrum suisque numeris absolutum, in quo decreta jam antea in priore Concilio Tridentino sub Paulo III edita justa et firmissima esse sanciebat, misit ad Cæsarem, antequam illud promulgaret, visumque est illud Cæsaris senatoribus asperius in asserendo jure Pontifici, sensereque exacerbatum iri Lutheranos, si in ipso Diplomate de instaurando Concilio decretoria in ipsos sententia promulgetur, molliter potius pellicendos videri ad Concilium, in quo edoceri possint, non aliter quam interdum prudenter cedunt feris earum magi-

stri, dum eicurantur. At Pontifex constantissime respondit, omnia Protestantibus libere exponenda, quæ ad salutem ipsorum spectent; docere Christum, Pontificem esse caput visibile militantis Ecclesiæ, nec Sedem Apostolicam cavillis agere, sed puram veritatem exponere, nec lucernam ponendam sub modio, sed super candelastrum; Diploma Pontificium stylo consueto exaratum, nec mutari posse, cum ritu institutoque vetere, ac prædecessorum more compositum sit. Tumultuantibus Protestantibus ac recusantibus Concilium, si præsit illi Pontifex, ad eos demulcendos respondit Cæsar se accessurum ad Concilium, utque ordine fiant omnia temperaturum; cumque Concilium sit liberum et OEcumenicum, ac reliquæ nationes Christianæ pareant Pontifici, Germanorumque causa veniant ad Concilium, par non esse, atque abhorere a ratione, ut ipsi Germani a Concilio absint. Interea movere nonnullas lites Cæsarei administri pro actis Cæsareis adversus translationem suspensionemque defendendis: verum Julius iis spreto Pauli III Acta confirmavit, ac xiv Novembris Concilium Tridenti kalend. Maii anni proximi instaurandum, propagandumque indixit, de quo hæc in Ms. Vaticano³:

20. « Cum sanctissimus in Christo pater et dominus noster Dominus Julius divina providentia papa III, statim assumpto Pontificatu, cerneret Ecclesiam Dei innumeris afflictam esse calamitatibus, dissidijs atque ærumnis: hinc hæresibus in toto fere Christiano orbe jam misere serpentibus, illinc cleri populi que Christiani moribus corruptis abusibusque late grassantibus; et his malis nullo alio præstantiori antidoto, quam OEcumenici Concilii celebratione mederi posse considerans, ad eam statim omnem ejus curam atque meditationem adiecit. Verum quoniam Concilium ipsum jam fere per quadriennium varijs maximisque perturbacionibus vexatum fuerat, tum alijs ex causis, tum ea potissimum, quod ejus translatio, qua die xi Martii anno m^oxlviij ex Tridento ad civitatem Bononiensem facta fuit, Carolo V imperatori Augusto minime grata extiterat, et a quibusdam paucis prælatis, qui Tridenti remanserant, nulla licet subsistente ratione, improbaretur; ex quo non solum ipsius Concilii processus, qui eo tempore Bononiæ magna Patrum frequentia felicissime habebatur, impeditus fuit, sed multa etiam alia mala in orbe Christiano subsecuta sunt; Sanctitas sua, ut ab ijs turbulentijs ac dissensionibus Ecclesiam ipsam aliquando liberaret, et quieti ac paci publicæ (quantum in eo erat) consulere, ac præcipue, ut religionis nostræ controversiæ, quæ in Germania per tot annos incredibili cum animarum factura ac reliqui Christiani orbis scandalo vigerunt, tol-

¹ Ms. vetus card. sig. num. 45. Surlus in Comm. hoc anno, Natalis comes Jac. Aug. Thuan. l. vi. Sfortia Pallavic. c. 11. — ² Ms. Pii card. sig. num. 45.

³ Tom. vi. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 64.

lerentur, bonum, opportunum et expediens iudicavit ipsum Concilium ad civitatem Tridentinam reduci, cum id præsertim Cæsarea majestas et per litteras et per nuntios vehementissime a Sanctitate sua efflagitasset. Quare post diversas deliberationes dissensionesque hæc de re cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, tum particulariter, tum generaliter habitas, tandem ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, Ecclesiæque unitatem et tranquillitatem die xiii Novembris anno M^{DL}, Sanctitas sua reductionem prædictam in sacro senatu statuit atque decrevit in dicto die ad ipsum Concilium resumendum et prosequendum kalend. Maii anno Domini M^{DLI}, prout hæc omnia in litteris Sanctitatis suæ super hæc re publicatis latius continentur, quarum litterarum ¹ tenor sequitur :

21. « Julius, etc.

« Cum ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore non sine foetus Christiani orbis perturbatione et scandalo vignerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus nobis per suas litteras et nuntios significari fecit, ut sacrum OEcumenicum generale Concilium per felices recordationis Paulum III prædecessorem nostrum indictum, et per nos tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipsius prædecessoris nomine una cum duobus aliis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus ipsi Concilio præsentibus inceptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publicæ et solennes fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata et decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducerent. Nos ad quos et summus pro tempore Pontifices spectat generalia Concilia indicere et dirigere, ut Ecclesiæ pacem et Christianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sanè provincia retroactis temporibus in vera religione ac sacrorum Conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque Maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra vicariis, debita reverentia et obedientia nulli Christianorum provinctæ fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Christiani iustis piisque nostris in hac re votis amuant, faveant atque assistant, venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de jure, vel de consuetudine, vel privilegio Concilii Genera-

libus interesse debent, quosque idem prædecessor noster in suis indictionibus, et aliis quibuscumque desuper confectis et publicatis litteris Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi hortatur, requirimus et monemus, ut proximis futuris kal. Maii. quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur statu, resumendum et prosequendum prævia matura deliberatione, et ex certa nostra scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu statuimus, decrevimus et declaramus in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire, et se congregare, ac ipsius Concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos si per artem nostram valetudinemque et Sedis Apostolicæ necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce præsidebimus, quacumque ipsius Concilii translatione et suspensione, cæterisque contrariis quibuscumque, et præsertim illis, quæ idem prædecessor noster in suis litteris prædictis, quas cum omnibus et singulis in iis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et quatenus opus sit innovamus, voluit non obstore, irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ M^{DL}, XVIII kal. Decembris, Pontificatus nostri anno 1^o.

22. *In Germania et Belgio contusa hæreticorum tyrannis.* — Porro in Germania res Catholica reflorescere visa est ¹, contusa hæreticorum tyrannide, nam et Argentina Zuinglianismo infecte liber religionis usus restitutus est, licet sacrilegi novatores illum turbare non perhorruerunt, ut narrat Surius :

« Anno M^{DL}, ipso Purificationis die solemnè, Argentinensis clerus Missam in tribus templis rursus celebrat jam plusquam viginti annis intermissam. Ibi itidem Steidamus mire est factus, et caeremonias Ecclesiasticas haud secus atque Turca aliquis aut Scythia irridet. Eo autem die excitatus est Argentina tumultus, occasione quadam, et usque adeo res periculi plena fuit, ut inde usque ad Pentecostem rursus divina officia intermissa sint. Oderant clerum plerique urbis incolæ, nec alio quam idololatriæ loco habent plerasque omnes Catholicae Ecclesiæ caeremonias. Porro apostata Bucer identidem repetita incesta nuptia, horrenda in Eucharistiam et alia Sacramenta blasphemias, divina

¹ Id. in Act. Conc. Trid. prælixæ sess. XI.

¹ Sur. in Comm. hoc anno.

rum et humanarum rerum plusquam Babylonica confusio purum Evangelium videbantur. Hæc quidem faciunt, ut minorem apud nos admirationem habeant, quæ Antichristi temporibus futura creduntur. Habebit ille plurimos, qui ejus impietati consentiant; sed habent etiam horum temporum prodigiosi dogmatistæ, qui cupide illorum absurditates amplectantur, idque adeo, ut non desint qui scribere ausi fuerint, nec adorandum Deum nec præsidium ab eo expectandum, et hoc quidem dogma est Oelini. Quid vero deterius ex ipsa Antichristi schola prodire poterit? neque vero multo tolerabilior eorum doctrina est, qui Missam usque adeo execrantur, nec ferre possunt, ut in Eucharistia Christum adoremus ».

Internissus fuit usque ad Pentecostem sacerorum usus, donec a magistratibus adhibito forensi satellitio impiorum petulantia coercita est. Augustæ quoque Othonis cardinalis opera ¹, qui gravissimos labores in præterito adversus Lutheranos bello pertulerat, res Catholica restituta est pristino splendori, necnon Constantiæ, in qua Zuingliani jam ante tyrannidem excruciant sævissimam in Catholicos, et cleri in exilium pulsati opes et vectigalia invaserant: quæ cum victores Ecclesiastici jam repeterent, Pontifex, pacis studio episcopo et clero Constantiensi has litteras dedit ², ut cum civibus de juribus Ecclesiasticis honesta pactione convenirent:

23. « Venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo Constantiensi, Julius papa III.

« Venerabilis frater et dilecti filii, salutem. Cum sicut accepimus, licet alias civitatem Constantiensem, postquam illius populus, antea Zuinglianorum hæresi addictus, vos ipsa civitate expulerant, et Ecclesiasticam jurisdictionem et auctoritatem suppresserant, ac calices, ctenodia, et alias res ac ornatus Ecclesiæ pretiosiores diripiuerant, templaque et domos sacerdotales, cum certis eorum redditibus occupaverant, sub obedientia charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum et Hungariæ regis illustris in imperatorem electi redacta, ipse Ferdinandus rex primo curavit, ut expulso Zuinglianismo, et domus hujusmodi, necnon proventus Ecclesiastici vobis et dilectis filiis clero ejusdem civitatis libere restituerentur, et inde super hoc specialiter deputatos commissarios vobis plura ad plenam perpetuamque securitatem nobis constituendam et firmandam proponi fecerit, vosque ut ad residendum apud Ecclesiam vestram rediretis, religionemque et cultum divinum instauraretis, sacra administraretis, et pristinis vestris auctoritate, jurisdictione et privilegiis uteremini, hortatus fuerit, seque nobis obtulerit curaturum, ut omnes controversiæ,

quas cum eisdem populis habetis, immutabili compositione tollerentur, et interim vobis in dictam civitatem redeuntibus omnem personarum et rerum ac jurium vestrorum defensionem et mantentionem pollicitus fuerit, nihilominus vos non solum adhortationibus ipsius Ferdinandi regis adhærere neglexeritis, verum etiam cum dilecti filii Joannes ex comitibus de Lupfen canonicus et custos, ac tres alii canonici ipsius Ecclesiæ, cum nonnullis cappellanis se ad dictam Ecclesiam contulissent, et inibi sacra administrassent, et rem divinam curarent, vos calices et alia ad Missæ sacrificium necessaria, et per eos a vobis requisita eis mittere denegaveritis, et postremo eos distributionibus quotidianis privaveritis, ac cum vos coram certis probis viris, quos charissimus in Christo filius Carolus Romanorum imperator semper Augustus, ad tractandum inter eos et ipsos Constantienses amicabilem concordiam miserat, comparuissetis, eos inter vos recipere, et ad præmissa admittere recusaveritis: nos qui ex Apostolatus ministerio nobis desuper commisso illud in primis exquirimus, ut hæreses et damnatæ sectæ omnes exstirpentur, vetus Christiana et orthodoxa fides ac religio instaurentur et conserventur, attendentes, in quibus negotiis, præsertim Ecclesiasticis et spiritualibus, in quibus de salute animarum tractatur, occasionem rei bene gerendæ prætermitti non debere, et considerantes, quod cum templa et domus, ac proventus Ecclesiastici nobis, ut præfertur, restituta fuerint, quod reliquum est, ipso maxime Ferdinando rege intercedente, facile componi posse, et utile nequaquam fore, ut idem populus Constantiensis ex vestra duritia in ultimam desperationem adducatur, vos iis nostris admonendos, et in Domino hortandos censuimus, ut rebus jam, ut præfertur, pacatis, quod aliquando Dei pietate sperari vere poterat, ad ipsam Ecclesiam vestram revertamini, et apud eam resideatis, et circa divinum cultum vestro satisfaciatis officio, perennelisque eundem Constantiensem populum benignitate et mansuetudine, ac bonis exemplis vestris in vera religione confirmare, etsi id, nisi prius controversiis prædictis cognitis et terminatis, aliquibus justis pretextibus non esse faciendum censueritis, saltem dictum clerum et consistorium, et audientiam causarum ad forum Ecclesiasticum pertinentium, ad eandem civitatem remittere, ac dictos tres canonicos propterea a capitulo vestro non excludatis, et cum apud ipsam Ecclesiam Constantiensem resideant, et divinis officiis intersint, tanquam præsentibus ad distributiones quotidianas, earumque perceptionem, perinde ac si vobiscum residerent, admittatis, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXI Junii, Pontificatus anno I ».

24. In Saxonia Brunsvicum eodem tempore

¹ Jul. i. n. l. v. p. 347. — ² lb. p. 294.

ab Henrico duce oppugnatum est ¹, et vastatus ager, verum Cæsar hujusmodi causam ad se revocavit. Omnium porro Lutheranorum pertinacissimi Magdeburgenses, qui Cæsaris edictum, quo plures hæreses novatorum castigabantur, admittere detrectabant, bello urgeri ceperunt, proscripti a Cæsare, ac primum a Gregorio duce Magnopolensi gravibus damnis affecti fuere, atque insigni prælio deleti, quo tormenta et bellicum apparatus omnem amiserunt; obfirmabantur autem in pertinacia a perfidis conacionatoribus, quorum signifer Matthias Illyricus, edito libello Lutheranos omnes in arma adversus Cæsarem hæresim exsecrindere meditantem concitare annitebatur, nec de Cæsarea auctoritate asserenda, sed de fide suscepta defendenda agi contendebat, verum spreto illius gannitu, Mauritius Saxoniae dux et Brandenburgicus marchio cum Alberto patruelo et Henrico Brunsvicensi exercitum adversus Magdeburgenses eduxere, et quarta Octobris die urbs perduellis cincta est obsidione, qua in proximum annum extracta est, miserique Magdeburgenses pro tuncda impietate gravissimis cladibus attriti fuere, quantumvis se conferrent cum martyribus, et Christo bellum inferri mentirentur.

In Belgio ², Carolus Cæsar ad hæreseos progressus abruptendos gravissimam Bruxellis sanctionem edidit, qua in hæreticos acerbissime inquiri jussit, et scripta Lutheri, Zuinglii, Oecolampadii, Buceri et Calvinii flammis deleri. Cum vero percussis inde gravi terrore Angliæ emporium Antuerpiense disturbaretur, ad Mariæ reginæ preces, acerbitatem legis temperavit. Meditatus vero est, Belgicarum provinciarum imperio in filium Philippum transfuso, etiam in illum jura imperii in Augustanis comitiis derivare, quod quidem religionis commodo vertendum videbatur, pro Lutheranis ad officium redigendis. « Non dubium », inquit Surius, « quin Cæsar, qui secreti Philippi amplissimas ditiones et vires reipublicæ Christianæ in illo promovendo consulere voluerit, quandoquidem, et Turcæ vicini, et alii imperii hostes non nisi summa potentia arceri possent ». Obstulit Caroli Cæsaris consilium Ferdinandus, qui in suam stirpem imperium inferri maluit, ac Maximilianus, Caroli gener et nepos, accepta ejus consilii fama, ex Hispania in Germaniam ad illud discutiendum pervotavit, ac Ferdinandum, licet Mariæ regina interpretre, amplissima illi promissa offerrentur, in retinendi in stirpe sua imperii sententia confirmavit.

25. *Joannis de Vega in Africam expeditio faustissima.* — In Africa ³ sub auspiciis Cæsaris a

Joanne Vega, Siciliæ prælege, septuagesimo quarto obsidionis die expugnata est Leptis, alias dicta Aphrodisium sive Africa, urbs munificentissima, quam Dragutis archipyrata insecerat, suisque inde excursionibus Siciliam et maria infestabat. Capta sunt in ea urbe ac in servilitatem subducta octo Barbarorum millia; multa Christianæ pietatis exempla explicuit in ea expeditione Lainius, sancti Ignatii socius, in expiandis militum animis, ut refert Orlandinus, qui narrat Pontificias et Melitenses triremes classi Cæsareæ fuisse conjunctas, tum hæc addit: « Quarto idus Septembris expugnata urbs est, quadriduoque post, qui dies Dominicus, et Sanctæ Crucis Exaltationi sacer illuxit, caeremonia magna præcipuum e Mahometicis fanis, Deo vero Sancti Joannis-Baptistæ titulo dedicatum, et Maurorum quidam sacro fonte lustrati, quorum unus graviter saucius eodem die decessit ».

26. De parta hac victoria Angelus Massarellus hæc Monumentis suis commendat: cui addunt Acta Consistorialia ⁴ a Pontifice decretas fuisse solemnes in urbe supplicationes pro agendis Deo gratias:

« Romæ, die Veneris, in Octobris MDL, Sanctissimus dominus noster fecit verbum de victoria habita in Africa a Cæsareis militibus, et propterea jussit fieri supplicationes in Ecclesiis Urbis, et Missam in Basilica S. Petri per reverendiss. dominum Comostellanum celebrari, in qua Sanctitas sua et cæleri reverendissimi interessent ».

Hæc victoria in reditu fimestata est tristi clade ⁵, quam feda tempestas nocte inhorrescente intulit, aliquot triribus mersis, ac duabus onerariis dissolutis, totidem fractis.

Affectus est etiam domestico luctu prorex Joannes Vega amisso primogenito, ad quem extant hæc Pontificis litteræ ⁶:

« Joanni de Vega viceregi Siciliae.

« Responderamus pleni lætitia ad tuas litteras de capta Africa, quando tristem nuntium accepimus de obitu nati tui primogeniti, et cum non possimus pro nostra erga te benevolentia, sicut tuorum gaudiorum, ita et dolorum non esse participes, valde eo nuntio tristati sumus, etc. xii Octobris MDL, anno primo ».

27. Transmisit proximo ineunte anno ad Pontificem Joannes et Vega raptorum ex hoste spoliarum partem, nonnullaque vexilla parte victoriæ monumenta, de quibus actæ illi a Julio grates subjectis litteris ⁷:

« Dilecto filio nobili viro Joanni de Vega Viceregi Siciliae.

« Dilecte fili, etc. Quas nobis de Africa expugnata exuvias misisti, libenti animo accepi-

¹ Jac. Aug. Thuan. l. vi. Sur. in Comm. — La. Gouss. in Comm. Surius in Comm. Jac. Aug. Thuan. l. vi. Mem. l. vii. — ² Id. l. ii. brev. p. 399. Act. Consist. Sur. in Comm. Fazell. post Deod. Natl. Coness. In. Aug. Thuan. hist. l. vii. Ang. Mass. in Duc. M. arch. Vat. Orlandus. l. x.

³ Faz. l. i. — Fazell. post Deod. — Jul. III l. ii. brev. p. 399. — ⁴ Bul. an. 1561. sig. num. 288. p. 25.

mus, quasque nuntius tuus exposuit rationes, quamobrem nobis eas dono polissimum miseris, magna cum voluptate audivimus. Erunt hæc omnia cum tuæ erga nos, fili, benevolentia et pietatis, tum vero et pulcherrima de Christiani nominis hostibus victoria monumenta. Horum nos alia diligentia asservari, alia sacro et illustri loco ad summi Dei honorem attingi curabimus, ut qui ea spectabant commonefiant ad eas victorias magnos principes aspirare debere, quæ veram illis solidamque gloriam de sacrosanctæ religionis hostibus debellatis pariant. Tibi nos quidem de tam luculentis tamque piis muneribus ingentes habemus gratias, optamus vero præpotentis Dei ope ac favore freti speramus, non defuturum tibi in aliis, etiam huic similibus declarandæ denuo virtutis facultatem, et nova ex infidelium hostium manibus Deo divisque dona consecrandi. Nos interea, quibuscumque rebus poterimus, sedulo operam dabimus, ut et munera ipsa, et alia tua erga nos officia nobis quam gratissima fuisse intelligas. Dat. etc. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xvii Februarii mdi, anno 1.^o.

Præter Aphrodisium creptas etiam hosti fuisse alias duas arcas, Monasterium et Siagulem, easque Carvennæ regi socio restitutas, necnon secundo prælio in Meninge insula profligatos Barbaros refert Thuanus ¹. Verum hujus victoria gaudio graviore luctu cladibusque ingentibus confusa proximo anno videbimus.

28. *Absolvit Julius III a censuris omnes, qui sine consensu Apostolico decimus in Sicilia egerunt et alius exigere concedit.* — Ceterum cum in hujus belli apparatu instruendo, et Siculi regni arcibus reficiendis graviores sumptus profundendi fuissent, Cæsar a clero Siculo nummaria subsidia expressit; quod cum lege Ecclesiastica vetitum esset, Julius Cæsarem ² religione censurarum exsolvit, cum id publica rei Siculæ, imo totius Italiæ commodo cederet.

« Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit majestas tua quod cum anno a Nativitate Salvatoris Domini nostri Jesu Christi mdcxviii, magnates et alii laici regni Siciliæ ultra Pharum, ejus tu Catholicus rex existis, considerarent, ob plurima per te tam gesta adversus infideles et Christi hostes bella, tuum ærarium exhaustum existere, ac fortalitia et munitiones dicti regni reparatione indigere, ac volentes tuæ majestatis indigentia subvenire, et eidem reparationi providere tuæ majestati, quadam donativa servitia nuncupata in necessitatem, et certam pecunia-

rum summam in reparationem hujusmodi usus convertendam sub certis terminis et solutionibus tunc expressis, dummodo archiepiscopi, episcopi, archimandrite, et alia persona Ecclesiasticæ dicti regni pro certa rata in hoc contribuere, et dare statuerint, ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrite, et alia persona Ecclesiasticæ, eorum ratam, salvo in hoc nostro et Sedis Apostolicæ beneplacito, contribuere obfulerint, promittentes, quod quamprimum, si hujusmodi beneplacitum accessisset, dictam ratam majestati tuæ et tuis officialibus persolvere; cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tam ex eo, quod per diversas canonicas sanctiones, et postremo per felicis recordationis Leonem papam X prædecessorem nostrum in novissimo Lateranensi Concilio sub diversis censuris et pœnis prohibitum fuit, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis Ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus subventionem aliquam pecuniarum recipient, majestas tua dubitat, subventionem prædictam capiendo, censuras et pœnas prædictas incurrere, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, ut pro ejus conscientia quiete, præmissis nostram et hujus sanctæ Sedis auctoritatem interponere dignaremur: nos attendentes ex tuitione et defensione dicti regni a dictis infidelibus, non minus Ecclesiasticis quam secularibus personis commodum provenire, imo hoc etiam in hujus almæ Urbis et totius Italiæ commodo cedere, hujusmodi supplicationibus inclinati oblationi et provisioni per archiepiscopos, episcopos, archimandritas, et alias Ecclesiasticas personas, ut præfertur, factis, nostram et dictæ Sedis auctoritatem interponimus per presentes: et nihilominus archiepiscopis, episcopis, archimandritis, et aliis Ecclesiasticis personis prædictis, ut ratam hujusmodi per eos, ut prædicatur, oblatam et promissam pro annis præteritis tantum persolvere, tuæque majestatis vel tui officialis illam recipere, absque censurarum prædictarum incurso auctoritate Apostolica per easdem presentes concedimus et indulgemus, et si forsam ipsi archiepiscopi, episcopi, archimandrite et alia persona Ecclesiasticæ prædictæ dictam ratam persolverint, et tua majestas et tui officialis illam receperint, majestatem tuam, et ipsos, ac eorum quemlibet ab omnibus et singulis censuris et pœnis propterea quomodolibet incuris, dicta auctoritate similiter absolvimus: volumus autem, quod confessor, quem quilibet ex his, qui vigore presentium absolventur, elegerit, et penitentiam, quam adimplere teneatur, injungat etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xii Aprilis mdi, anno 1.^o.

29. *Pax inter regem Gallie et Edwardum Anglum: regina Scotiarum et comes Arania gratulatorias a Pontifice accipiunt litteras.* — Confe-

¹ Jac. Aug. Thuan. hist. l. vii. — ² Jul. III. l. ii. brev. an. 1.

cla est hoc anno pax inter Henricum Gallia, et Eduardum Anglia reges tuis legibus, ut ab Anglis Bononia et aliae arces in eo agro excitatae, una cum tormentis bellicis ac reliquo militari apparatu Gallo restituerentur, Gallus vero quadrangula aureorum millia duabus pensionibus Anglo persolveret. Promulgata ea pae kal. Aprilis reges equestris militiae suae insignia sibi mutuo dono contulerunt. Cumque ex Anglia praefectus castrorum S. Andreae rediret, a Belgis insidiis appellitus est, ex quo novi inter Gallos et Belgas belli tristitia initia eruperunt. Superioris autem foederis beneficio polita est regina Scotiae cum nonnullae etiam arces in limite Scotiae restituta fuerunt. In meliore autem statu erant collocatae Scotiae res virtute ac felicitate Henrici regis, qui Scotiam tuendam susceperat, ut Pontifex hisce litteris ¹ reginae Scotiae paulo ante erat gratulatus :

« Reginae Scotiae.

« Charissima, etc. Licet credamus jam notum esse tuae serenitati de obitu praedecessoris nostri, et assumptione nostra ad apicem summi Apostolatus, quam Dei benignitas octava hujus mensis per concordia fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, tamen nos etiam per litteras nostras tibi tanquam piecissimae reginae et charissimae in Christo filiae nostrae id significamus, teque nostrarum litterarum primitiis cum Apostolica benedictione salutandam duximus. Cum enim simus tuae serenitati privatim ac paterne affecti ex eo quod dilectis filiis nostris de Lotharingia et de Guisa patruo ac fratri cardinalibus, qui nobis plurimum faverunt, valde debemus, accedit etiam causa publica istius regni vestri, quod ob justitiam et religionem palitur, multaque a vicinis haereticis detrimenta sustinuit, ex quibus tanquam fidelium filiorum jaculis cum impense haec Sancta Sedes dolerit, nunc vicissim congaudet tuae serenitati, quod divina misericordia per ipsam opitulationem Christianissimi regis vestris rebus benigne aspirare jam coeperit, easque meliorem ac laetiozem in statum restituerit, sicut et in dies magis eas prosperaturum speramus, proinde hortamur serenitatem tuam in Domino, ut in sancta haec vigilia istius regni ab hostibus Dei ac suis tuendi, et in fide Catholica conservandi pie fortiterque perseveres, Deique operam contidas tibi clementer affuturam, cujus nos etiam misericordiam humiliter imploramus, ut serenitatem tuam uno cum serenissima tua nata, gubernatoreque regni, ad quem etiam scribimus, et cuncto isto Catholico regno conservare, prosperare, et suo sancto auxilio, protegere dignetur, ad custodiendam animarum vestrarum salutem, cultumque Catholicum no-

minis sancti sui. Dat. Romae apud S. Petrum, etc. die xy Februarii mli, anno i ».

30. Explicuit in defendendo contra haereticorum vires, atque insidias eximiam militarem virtutem Araniae comes Scotiae procurator, ad quem Pontificae extant subjectae litterae ¹ :

« Dilecto filio nobili viro comiti Araniae, regni Scotiae gubernatori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, etc. Licet non dubitemus tuae nobilitati jam esse cognitum de obitu praedecessoris nostri et assumptione nostra ad apicem Summi Apostolatus, quam Deus Omnipotens sua misericordia, nullis nostris meritis, octava hujus mensis per concordia omnium fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, nos tamen etiam ipsi nostris litteris tuae nobilitati eam significare volumus, ut tibi, et isti regno Catholico ex obitu ejusdem nostri praedecessoris contristatis, laetitia de creato successore praereremus, nostramque salutationem cum Apostolica benedictione impartiremur, quod sane omni amore ac benevolentia vobiscum facimus, tuam prudentiam, virtutem, vigilantiam in isto regno luendo sapienterque gubernando, populorum autem ipsius regni singularem pietatem et admirantes et in Domino collaudantes : Deo quoque ipsi maximas gratias agimus, quod quamvis vestram fidem et constantiam ad probationem interdum tentari affligique permiserit, ad postremum tamen vos resque vestras meliorem in statum restituit, in diesque magis, ut speramus, restituet, quo magis, fili, in tua virtute ac robore confirmari debes, Deoque gratias agere ac sperare illius operam vobis affuturam, quae vere ac sincere cum contentibus, firmamque in eo spem collocantibus nunquam deluit. Accedit etiam causa pietas, quod adversarii vestri fidem Catholicam oppugnant, vos defenditis, illi tunicam Domini nostri inconsulibilem scindunt, vos in vobis conservatis. Nos quidem ex pastoralis officio et paterna erga istud regnum propter justitiam patiens charitate, nunquam vobis, quacumque in re poterimus, defuturi sumus. Deum Patrem misericordiarum et totius consolationis suppliciter deprecantes, ut tibi fortissimo ejus athleta, simulque fidem Catholicam et istius regni salutem defendenti suae dexterae auxilio faveat, prosperaque cuncta concedat, ut de isto regno non solum in ditone et finibus suis, verum etiam, quod longe amplius est, in vera et orthodoxa religione, ex qua salus animarum provenit, serenissima reginae pupilla, ejusque destinato consorti Franciae Delphino, fideliter conservato laudem apud homines, gratitudinem ipsorum regum, omnemque gratiam nostram, ab ipso autem omnipotente Deo praemia aeterna, quae cuncta humana longe exsue-

¹ Bellan. l. II. Belleforest. l. VI. c. 70. Nae. Sand. l. i. c. 10. — Jul. III. l. b. brev. an. 2289. p. 27.

¹ Ibid. sig. mm. 2889. p. 22.

rant, consequaris. Dat. Romæ apud S. Petrum die xv Februarii mdl, suscepti Pontificatus anno primo ».

Claruit in Scotia religio, dum Gallie res florere, at versis rebus religio quoque eversa est.

31. *In Angliâ hæreses variæ disseminantur, et Catholicæ recedunt.* — Porro in Angliâ foedissimæ in dies hæreses exorta, adeo ut Zuingliani iudiciorum acerbiorum in eas distringere sint coacti, ne graviore turbas excitarent, ut refert Sanderus¹ his verbis : « Dum hæretici inter se armis ac odiis tumultuarentur, ac hæresis in dies hæresim, (ut filii ac seditio seditio-nem pareret, accidit, ut Zuinglianorum istorum patientiam, aliarum etiam sectarum inventores ac defensores exerceant. Inter cæteros Georgius quidam Parisius obstinatione incredibili Arianam hæresim in Angliâ fuebatur, atque in Angliâ disseminavit, quem Zuingliani contra suam fucam fictamque lenitatem, et contra falsissimam suam sententiam, qua alias asserere solent, hujusmodi homines ad fidem non esse cogendos, publice combusserunt. Exiit etiam hoc ipso tempore ex Cantiana provincia soror quædam ex Lutheri schola Joanna Buchera, quæ tantum profecerat, ut præter Calvinianam hæresim, quam secuta est, negaret una cum Valentino Christum ex Maria Virgine carnem sumpsisse, quem dicebat per illam non nisi velut per canalem transiisse : at cum videret doctrinam suam Zuinglianis non probari, addebat olim quoque creditum ab illis fuisse, cum Lutherani essent, quod Christi caro in Eucharistia sub specie panis et vini conlineretur, et Annam Ascuam, quæ id negabat, pro hæretica nuper ab ipsis habitam, et damnis publice traditam fuisse, nec se dubitare, quin ut nunc Zuingliani ipsi credunt, quod Anna tunc docuit, quam persequebantur, sic brevi etiam credituri sint, quod ipsa jam doceret. Combusta tamen est ipsorum jussu in campo Fabrorum Londini IV id. Maias ».

32. Eodem tempore uxorati sacerdotes hæretici, cum filios ut spurios tenui, uxores ut meretriculas patere ludibrio dolerent, ad regni comitia confugere, atque obtinere, ut regni Angliæ ordinum decreto eorum nulli legitimi censerentur. Cumque variis difficultatibus ac dissensionibus de religione ac modo vivendi, de potestate et regimine republicæ hæreticos implicitos animadverterent Catholicæ, collectis animis tueri orthodoxam fidem, ac disputationibus hæreticos læsere, eorum ignorantiam, mores dissolutissimos, impietatemque coarguere cœperunt. Inter alios Richardus Smithæus Petrum Martyrem Oxoniæ prægentem ad disceptandum provocavit, nec cum eo, utpote doctissimo, Petrus Martyr

hæresiarcha incertamen theologicum descendere ausus est. Redegerat ille vir impius in unum libellum plures calumnias adversus Eucharistiam, quas Stephanus episcopus Wintoniensis carcere Londinensis arcis clausus, paucis diebus confutavit, in scripto libro Marci Constantii nomine, ne agnitus gravius pateretur. Langdallus etiam doctor Kidlei contra Eucharistiam cavillationes dissolvit, Crispinus et Mormannus sacerdotes, atque alii plures cum sacris concionibus scriptisque fidem orthodoxam asserent, ærumas persecutionum, et carceres, et vincula fortiter tolerarunt, subdit Sanderus :

« Tempus me defecit, si omnes enumerarem, qui ob Catholicam fidem illis diebus ex Ecclesiis aut Collegiis sunt ejecti, aut aliis dignitatibus commodisque spoliati, graviora etiam carcerum ac vinculorum tormenta animose subierint : adeo jam incalere cœperat Dei Spiritus in Catholicorum præcordiis, ut si diuturna fuissent illa tempora, et crevisset persecutio, habuisset Angliâ sine dubio plurimos martyres et infinitos confessores. In dies enim augebatur, non solum credentium, verum etiam contentium numerus, et illi, qui ab initio viriliter parum resisterant, præcipue episcopi, modo eventu rerum inexpectato edocti, consilioque maturiori errorum suorum admoniti, penitentiam egerunt, et fortissimos se constanterissimosque in causa Dei tuenda præbuerunt. Hinc est, quod Edmundus Bonerus Londinensis, Stephanus Gardinerus Wintoniensis, Cuthertus Tonstallus Dunelmensis, Nicolaus Herthus Wigoniensis, alique tum episcopi non solum dignitatibus exuti, sed et carceribus mancipati his diebus fuerint. Sed nullo maximus cœpit esse numerus eorum, qui voluntarium exilium conscientie causa elegebant, quorum fere primus fuerat Joannes Storæus utriusque juris doctor, postea martyrium sub Elizabetha passus. Hic in publicis regni comitiis cum de fide perperam tractari cerneret, ausus est tandem cum Salomone exclamare : *Vae terra cujus rex puer est!* cujus verbi tanta fuit invidia, ut sibi deinde in Angliâ consistere non esset tutum ».

33. Addit auctor præstantium doctrina orthodoxorum loco feces et quisquillas hominum episcopatus, dignitatesque et doctorales cathedras invasisse, ac inter eos Milonis cujusdam Coverdali, qui in Germania hæresim diu hauserat, insanum facinus enarrat : hic cum Oxonienses Academicos Catholicæ doctrinæ addictos in impietatem traducere vellet, ita e suggestu disseruit : « De causa omnium maxima, hoc est, de Sacramento Eucharistie ait se dicturum. Itaque primum ubi eos ante omnia vehementer reprehendisset, qui in eum stomachati fuissent, quod vas commoditatis haberet (ita enim suam meretriculam appellabat) adjunxit merito sibi

¹ Sander. l. II, de Schism. Angl.

fidem in hac potissimum Eucharistiae controversia adhibendam esse. Propterea quod cum vidisset Catholicos transsubstantiationem credere, Lutheranos veri Corporis Christi impanationem docere, Zuinglium vero ejusdem corporis typum ac figuram, ac Calvinum efficaciam praeterea et energiam ponere: ipse prorsus neglecta omni auctoritate humana, omnique animi affectu et perturbatione deposita, nulli omnino parti addictus, veritatem ipsam sinceram et certam, non ex humana traditione, sed ex solis Scripturis divinis, quam per totos jam quatuordecim annos serio indagasset, compendio tradere. Haec ille cum magno conatu diceret sibi sapere, aliis delirare, doctoribus vero etiam insanire videbatur. Cum enim ipse profiteretur fidem se Catholicam in domo Dei praedicatam et certam, non ex humana traditione, sed ex solis Scripturis divinis, quam per totos jam quatuordecim annos serio indagasset, compendio tradere. Haec ille cum magno conatu diceret sibi sapere, aliis delirare, doctoribus vero etiam insanire videbatur. Cum enim ipse profiteretur fidem se Catholicam in domo Dei praedicatam et certam, non ex humana traditione, sed ex solis Scripturis divinis, quam per totos jam quatuordecim annos serio indagasset, compendio tradere. Haec ille cum magno conatu diceret sibi sapere, aliis delirare, doctoribus vero etiam insanire videbatur.

34. « Sed hujusmodi hominum ac spirituum feracissima erat haec aetas ¹, ruptis semel Ecclesiae septis, et laxatis ad omnem opinionum licentiam habenis. Jam in Anglia existerant (ut supra dictum est), Matthaeus Parisius, qui Christi divinitatem cum Ario negabat, et Joanna Bucera, quae una cum Valentino ejusdem Incarnationem ex B. Virgine impugnabat. Jam Lutherani, Zuingliani, Calviniani et Anabaptistae, omnes ex eadem radice et ab una schola parum ante procedentes, per Angliam, Germaniam aliasque Christiani orbis partes apparere, et inter se dimicare ceperunt. Jam Tolosa exiit (quae Galliae est praeclarissima Universitas: qui Joannis Baptistae se habere spiritum jactaret, alter Lutetiae, qui Sancti Petri genio se foveri affirmaret, tertius Basileae, qui se Mosis angelum possidere contenderet. Jam Lutheri coquus justum se Joannem praedicabat: jam Rodolphus a Mosham decanus Pataxianensis Lutheranismi et papatus mediatorem se a Deo demissum asserbat; jam denique David Georgius sartor per Hollandiam et Frisiam scribebat se verum esse Messiam, regem regum, ac Dei nepotem, et non ex carne, sed ex Spiritu sancto natum. Haec insaniae prodigia una cum haeresi in orbem proruperunt. Ostensa eodem tempore plura divina irae indicia tradit auctor, prodigiosos mulierum et animalium partus apparuisse, Tamesim ad decimum sextum kal. Januarii intra novem horas praeter omnem consuetudinem fluxisse et refluxisse, sandatorum pestiferum morbum intra septem dies octingentos Londini sustulisse, et alibi in-

numeratam hominum multitudinem praefecisse, nec ullam pestis naturam retulisse, idque datum prodigio, quo Deus Anglos admissi criminis deserta majorum fide admonuisse, nihil tamen perditis profuisset.

35. *Crescit et protegitur haeresis Calviniana in Gallia.* — De fanaticis hujusmodi hominibus a Sathana illudis meminit Genebrardus in Chronico ¹, ac refert illum, qui Tolosa Joannis Baptistae spiritu se regi jactabat, non impune scelus tulisse, sed flammis traditum fuisse. Caeterum non deluere, qui in Gallica regia haereticorum patrocinium susceperint, serpebat enim clam impietas, et cum jam ante jussu Francisci I regis adversus haereticos, qui plura Provinciae oppida maxime Caprariam et Merindolum infecerant, atque in jus vocati leges contumacissime temperant, imo de interceptiunda Massilia agitasse consilia ferebantur, regia copia immissae fuissent, a quibus viginti duo oppida exastata fuerant, ac de pluribus ab Oppeda dynasta Aquensis senatus principe supplicia sumpta fuerant, idem Oppeda regulus ob multa in ea expeditione crudeliter gesta, insontesque eadem cum soubibus pena militari licentia involutos apud Henricum in crimen accersitus, conjectusque in vincula est, cujus causam Pontifex subjectis litteris ² Henrico regi commendavit, ne ob districtam in haereticos severitatem vexari pateretur.

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Cum nuper intellexerimus dilectum filium nobilem virum Joannem Maynerii baronem loci Oppeda Cavallensis diocesis vasallum nostrum, et curiae tui Parliamenti Provinciae primum praesidentem, propterea quod tanquam clarae memoriae Francisci Francorum regis genitoris tui, tunc in humanis agentis, in partibus illis locumtenens, obsidioni et expugnationi, et direptioni loci de Capreriis (diocesis Comitatus nostri Venaysini pro exterminatione quorundam haereticorum, tam in eodem de Capreriis, quam aliis diocesis Provinciae locis tunc existentium, de mandato felicis recordationis Pauli Papae III praedecessoris nostri, et ordinatione tunc vicelegati nunc in civitate nostra Avenionensi, Apostolicae Sedis legati, factis, jussu praedicti Francisci regis, qui tunc ad hoc pro parte ipsius praedecessoris instantissime requisitus fuerat, interfuit et se egregie gessit, in carceribus jam dudum detineri, et eorum certis officialibus tui regni molestari. Nos attendentes, et Paulum praedecessorem et Franciscum regem praedictos, praemissa, tanquam ad honorem Dei et pro conservatione sua fidei Catholicae gesta permisisse, majestatem tuam

¹ Saul. L. I. de Schism. Genebr. l. IV. in Chron. an. 1750.

² Ibid. in Chron. hoc anno. — Jul. III. l. II. brev. p. 309.

regiam his nostris rogamus et hortamur, ut inuito ejusdem religionis, et ne si quæ adhuc in istis partibus supersint, hæreticorum reliquæ ex molestiis eidem Joanni illatis sibi gloriam comparent, officialibus tuis prædictis mandes, ne eundem Joannem occasione expeditionis loci de Capreitis hujusmodi, et quorumcumque in illa gestorum in persona, vel bonis quomodolibet molestare præsumant, quinimo eum statim liberum dimittant, rem et enim nobis, qui hoc summopere cupimus, gratissimam præstabis, plura super hoc referet noster apud te nuntius, cui plenam fidem adhibere poteris. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxviii Julii MDL, anno 1^o.

Agit de his fusc Jacobus Augustus Thuanus ¹ ac more suo hæreticorum causam tuetur, læsæque religionis vindices in invidiam adducit, refertque Guerinum solum, qui regiis copiis præfuerat, ac avaritiæ, libidini et immanitati fræna laxarat, capitali sententia damnatum fuisse. Cæterum Julius ² amplissimo Diplomate vi Maii consignato omnia privilegia Franciseo I jam ante concessa Henrico II asseruit, vicissimque Henricus Pontificum jus in Sabaudia et Pedemontio ab administris labefactum splendidi pristino restituit, corruptelas sustulit, ac Pontificia decreta in episcopatibus et monasteriis earum provinciarum conferendis infringi vetuit. Præclarum etiam hoc anno principis Catholicæ specimen edidit Antonius rex Navarræ, atque obsequia sua religiose addixit Julio III Pontifici, cui subjectis litteris actæ gratiæ ³:

36. « Regi Navarræ.

« Charissime, etc. Venerabilis frater noster cardinalis de Turnono litteras tuæ serenitatis nobis reddidit geminato ex officio nobis gratissimas. In uno benevolentia erga nos, quod plurimi, in altero observantia et devotio tua erga hanc Sanctam Sedem, quod multo pluris facimus, nobis repræsentata est. Cum enim regia humanitate et filiali amore hanc nostram ad Summi Apostolatus apicem assumptionem nobis esses gratulatus, quod privatim ad nos, deinde obedientiam nobis et huic Sanctæ Sedi pie et officiose præstitisti, quod publice ad nostram dignitatem pertinuit. Agimus igitur tuæ serenitati de gratulatione tua gratias, illamque divinæ clementiæ ac tuæ humanitati, potius quam nostris meritis acceptam referimus; obedientiam vero libenti ac paterno animo, tam nostro quam dictæ Sedis nomine, acceptamus, tuæ vicissim serenitati omnem paterni affectus nostri gratitudinem, quantum per Deum nobis licuerit, omni tempore benigne offerimus et pollicemur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. Die XI Augusti MDL, anno 1^o.

Obsidebant hujus regis et Joannæ reginæ ¹ aures hæretici, qui in Bœarnia, et aliis eorum principatibus Calvinianam hæresim, Lutheranae prolem infelicissimam, occulte disseminabant. Inter hos eminebant flagitio Russellus abbas Cleriacensis, idemque episcopus Oleronensis, Guillelmus etiam Peliceus episcopus Montipessulani, quæ urbs Antonio regi parebat, hæreseos peste infectus eam late spargebat (ut nonnulli tradunt), inque scelus pellexit etiam Guillelmum Rondeletium medica scientia clarum, qui Academiam Mompeliensem graviter corruptit, de quo in ejus Vita Laurentius Joubertus Calvinista refert, eum plurimum additum fuisse studio theologiæ, verius dixisset, dæmonologiæ, cum hæretici tantum pro dæmone adversus Deum deblaterent: additque illum clam domi aluisse multo tempore Franciscum Caparonem Dominicani Ordinis infamem apostatam, qui ob impietatem latebras querebat, virusque ad se venientibus instillabat.

37. *Providet Julius ne hæresis in Italia latius serpat, et condemnat judices sæculares se immiscerentes causis religionis.* — Non deerant quoque in Italia, qui hæresim clandestinis artibus attraherent, adeo ut eo flagitio etiam Mendicantium Ordinum professores, parochi eorumve vicarii se devincerent, cujus mali contagio cum Mutinæ latius pullularet, Julius ² Egidio episcopo mandata dedit, ut rescissis omnibus privilegiis concessis antea Religiosorum Ordinum professoribus, omnes de re Catholica male sentientes ab administratione Sacramentorum sacrisque habendis concionibus amoveret. Cumque Brixie eadem labe serperet, et improborum multitudine territus cardinalis Corneli vicarius Vincentius Nigusantius, Arbensis episcopus, munus abjicere meditaretur, illum Julius ³ in suscepto munere perstare, animadvertereque in hæreticos jussit, non enim illi magistratus Venetos in asserenda Orthodoxa religione, ut erant polliciti, unquam defuturos. Prætermittendæ vero hic non visæ sunt insignes litteræ Pontificis ad Venetos, quibus de mutua animorum studio-rumque conjunctione ita est gratulatus ⁴:

« Dilectis filiis nobilibus viris Francisco Donato duci ac senatui Venetiarum etc.

« Nos quidem nostros prædecessores, vestrosque majores sapientissime illud cogitasse atque egisse videmus, quod cæteris Italiæ partibus ab reliqua Italia quodammodo avulsis, et in aliorum potestatem præter admodum paucos redactis, hæc duæ regiones ac ditiones nostra vestraque, sicut ab eadem origine olim fluxerunt, et suis finibus alicubi confirmatæ sunt, ita in conservationem communis boni ac libertatis semper fore inter se consenserint, nec minus

¹ J. c. Aug. Thuan. l. vi. — ² Jul. lib. II. brev. p. 221. —

³ Ibid. p. 1530 et p. 320.

⁴ Raymou. Lam. Joubert. in Vit. Rondeletii. — ² Jul. l. II. brev. p. 310. — ³ Pag. 337. — ⁴ Ibid. sig. num. 2889. p. 9

ammis et benevolentia quam loco et propinquitate conjuncte fuerint, quod vero apud vos legum observantia, morum gravitas, justitiæ cultus tantopere vigent, singularisque in regendo prudentia vestra celebris apud omnes est, quod magna vestra liberalitate adaptum orbi Christiano habelis Palavii emporium bonis litteris addiscendis id, quod pariter hæc Sancta Sedes Bononiæ fecit et facit, merito augent inter nos amorem, morum, studiorum et voluntatum similitudo; illud quoque ad vestras tot laudes summe laudandum accedit, quod nobilitas Italiæ in vestram civitatem ab ejus initio confluit, et in Christi fide fundata nunquam hæreses, aut veteres, aut has recentiores admisit semper ipsa pia ac nobilis. Habet igitur, habuitque hæc Sancta Sedes multas ac justas causas suæ erga vos dilectionis, in qua nos quidem constanter permanebimus, nullique nostrorum prædecessorum in hoc cedemus etc. Datum Romæ die xii Februarii m*dc*, suscepti Pontificatus anno 1 ».

38. Violata non nihil postea est ea animorum consensio, cum Veneti polificis argutiis illius libertatem censorum fidei auctoritatemque infringere statuissent novo decreto, quo laicos judices illis adjunxere: quod Pontifex ob graviora mala inde emersura ferendum non censuit, ut refert Angelus Massarellus ¹:

« Die xxx mensis Decembris fuit congregatio reverendissimorum cardinalium deputatorum in causa fidei coram Pontifice super examinatione Bullæ, quam Sanctitas Sua editura est contra impediens libertatem Ecclesiasticam, et turbans jurisdictionem spirituales, et præsertim contra se intromittentes in cognitione hæresis, cum id multis in locis maxime invaluerit, præcipue autem apud Venetos, qui novissimo his diebus lege publica stauerunt, ut per eorum dominium nullus inquisitor, vel ordinarius cognoscat de dicto crimine absque assistentia et interventu deputatorum secularium per per eos constituendorum, quod mirum in modum Suae Sanctitati displicuit, idque nullo modo pati vult. Approbata fuit ab omnibus cardinalibus pia mens Suae Sanctitatis »: mox vero subijcit:

« Feria vi Hebdomada Sanctæ ² in Sacello lecta Bulla, quam Julius III edidit contra saculares intromittentes se cognitione hæresis ».

39. *Poloniam a labe hæretica purgare nititur Julius*. — Accensus eodem tenenda Catholicæ religionis ardore Julius Sigismundum Augustum regem Poloniae hortatus est ³, ne Lutheranos e Germania in Poloniam adire pateret, utque regnum ab hæreseos sue vendicaret, stimulus addidit:

« Regi Poloniæ.

« Charissime, etc. Prædecessorum merita

erga religionem et rempublicam Christianam maxima fuisse scimus, et tua etiam accessura confidimus, ex illa enim arbore prodiisti, quæ tot fortissimos et pietissimos reges, tumque in primis genitorem orbi Christiano protulit, cujus virtus et pietas inelyta et excellens in totius Christianitatis grata recordatione versatur, et semper versabilis, non minus quidem ob perpetuum Sedis Apostolicæ eolendæ ac fidei Catholicæ in suo regno conservandæ studium, quodque vicinas hæreses in suum regnum irrepere nunquam est passus, quam quod tot victorias ac triumphos ex vicinis hostibus retulit, cujus clarissimi et omnium sæculorum memoria digni genitoris tui pietatem et gloriam quin sequi velis non ambigimus, quin ut lute Sanctæ Sedi paternum atque avitum amorem et observantiam sis continuaturus, idque ut facias, tumque regnum ab hæresibus ex Germania profugis inviolatum Deo et tibi conserves, te, fili, plurimum in eodem Deo adhortamur. Dat. Romæ die xvii Februarii m*dc*, suscepti Pontificatus anno 1 ».

Perstabat quidem Sigismundus rex in pristino religionis cultu atque Pontificis Romani obsequio, certioresque reddidit Julium se oratoris opera obsequia sua veteri more et instituto Pontificæ majestati addicturum, verum nimia facilitate usus hæreticis aditum in Poloniam permisit, adeo ut nonnulli magnates impietate corrupti, in solemnibus Ordinum regni comitiis veterem animorum concordiam dissolvere perentiarint, deque immutandis sacrosanctis Ecclesiæ ritibus impia moliri consilia non perhorruerint, ad novos vero hoscumque motus pacandos Sigismundus rex hortatus est Julium, ut ad componenda religionis dissidia Concilium celebrandum curaret. Cui responsum est a Julio ⁴, se omnem operam pro celebrando Concilio navaturum, et legatum cardinalem, si res id exegerit, pro coercenda impietate decreturum.

40. « Sigismundo Augusto regi Poloniae.

« Charissime etc. Majestatis tuæ litteræ, quas secretarius tuus ternas nobis reddidit, varie nos affecere, ex enim quibus de eo nobis gratularis, quod ad summum Pontificatus fastigium evecti sumus, teque post celebrata tui regni comitia oratorem tuum ad præstandam nobis de more obedientiam missurum esse scribis, voluptati et gaudio nobis fuerunt, liquido enim ex eis litteris fere perspeximus id quod semper de tua serenitate et speravimus et expectavimus, te inelyta recordationis genitoris tuo omnium sæculorum memoria digno regi, haud minus in cultu et observantia Apostolicæ Sedis, cæterisque virtutibus, que quidem vera est laudatæ hæreditas, quam in regno et dominij successorum, contra vero ex alijs litteris,

¹ Ang. Mass. secr. Julii III. in Diar. p. 388. — ² An. 1551. Diar. Conc. Trid. M. arch. Vat. p. 399. — ³ Jul. III. l. i. brev. p. 1.

⁴ Jul. III. l. i. brev. p. 153.

per quas nonnullos majestatis tuæ ditioni atque imperio subjectos quædam de ritibus Catholicæ fidei et sanctæ Matris Ecclesiæ in tuo regno immutandis moliri significas, gravi sane molestia et sollicitudine, pro eo ac debuimus, affecti sumus, quam tamen eadem tuæ litteræ non parum minuerunt, quod in illis affirmas te in ea religione persistere omnino velle, in qua natus es, neque ab Ecclesiæ placitis unguem latum discedere, quæ verba, et piētissimo eodemque prudentissimo rege digna, plane certam atque exploratam spem nobis attulerunt, minime timendum esse, ne, te rege et moderatore tuorum et regni et dominiorum talem sensum et animum gerente, quidquam hæreticum aut schismaticum per tuos subditos suscitari possit, quorum ferme ea consuetudo semper est ut suorum regum ac principum mores sequantur. Quod vero pluribus verbis ac rationibus majestas tua persuadere nobis conatur, ut pro his ipsis quæ in tuo regno metuis et universalis Ecclesiæ bono Concilium prosequi velimus, non est, quod in eo nobis persuadendo valde tua serenitas laboret, siquidem ex quo Dei benignitate ad nos delatum est summi Apostolatus munus atque officium, nihil animo nostro magis fixum fuit, hodieque hæret, quam ut Concilium ipsum primo quoque tempore celebremus, et ad eum finem atque exitum, quem boni omnes optare debent, Deo præeunte et adjuvante perducamus, ut tandem sublata funditus omni de religione cultuque opinionum dissensione et errore sua Ecclesiæ Catholicæ restitatur concordia et unitas, præterea mittemus brevi ad majestatem tuam non modo nuntium, verum etiam S. R. E. cardinalem legatum nostrum talem, qualem te cupere ostendis, qui res et motus tui regni hujusmodi, nisi interim forte sedati conquieverint, ex serenitatis tuæ sententia ac votis componere studebit. Et paulo infra: « Te autem, fili charissime, ita peregrinatum esse cupimus, nos pro tuorum progenitorum, tuisque in nos et hanc Sanctam Sedem reverentia, pietate ac meritis, proque nostro vicissim paterno erga te amore, quantum cum Deo poterimus, libentissime semper honesta vota tua ad exauditionis gratiam admissores esse, sicut ex cardinalis Farnesii litteris plenius intelliges.

« Datum Romæ apud S. Petrum die xxiii Julii mdl. anno i ».

11. Intecerat maxime Pomerianam, ejusque diœcesim hæresis ob episcopi Pomesaniensis impietatem, qui episcopalis muneris oblitus, versusque in hostem, atque administrum Sathanae, partes hæreticorum efferre non perhorruit, ad quem reprimendum, aliosque ad officium religionis revocandos, Julius Culmensem episcopum amplissimis mandatis instruxit¹, ut

cenuram fidei in impios exerceret, redeuntesque ad officium Ecclesiæ conciliaret.

« Venerabili fratri Moderno, episcopo Culmensi, Julius papa III.

« Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Sigismundus Augustus Poloniae rex illustris, nobis nuper exponi fecit in civitate et diœcesi Pomesaniensi variæ hæreses et pravae circa Catholicam Christi fidem opiniones pullulent et vigeant, et ne majores in dies succedant, verisimiliter formidetur, et qui pro episcopo Pomesaniensi ad præsens se gerit, præmissis nedum non occurrat, sed quantum in eo est, faveat et adhiereat, idem Sigismundus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut pro exstirpatione dictarum hæresum prælato curam alicui ejusdem regni Poloniae prælato demandare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes pro nostri pastoralis officii debito inconvenientibus hujusmodi providere, fraternitatem tuam, de cujus prudentia, probitate, et in Deum pietate certam spem concipimus, et quem ad præmissa verbis et opere potentem esse intelleximus ad hæreses et pravas opiniones hujusmodi in civitate et diœcesi prædictis extirpandas inquisitorem, cum plena, libera et omnimoda facultate ad omnia, quæ ad officium inquisitionis hæreticæ pravitatis a Sede Apostolica specialiter deputati de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinent, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et procurandi Apostolica auctoritate tenore presentium ad nostrum beneplacitum constituimus et deputamus, curam super criminibus hæresim vel a fide Catholica apostasias vel alios errores sapientibus hujusmodi inquirendis, ac errantibus, seu qualitercumque in præmissis culpabiles debitis pœnis puniendi et mulctandi, necnon ad eos reversos, et eorum errores recognoscentes ad gremium Ecclesiæ redire sponte volentes, et ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes, ab omnibus et singulis eorum criminibus, excessibus et delictis, ac Ecclesiasticis seu temporalibus sententiis, censuris et pœnis propterea incursis in utroque foro, prævisa abjuratone, ac servatis de jure servandis, et liberandi ac aliorum Christi fidelium consortio aggregandi, et ad famam, et honores, et patriam, et bona restitendi, et reintegrandi plenam et liberam tibi etiam una cum Ecclesia Culmensi, præesse dignosceris, plenarie committendo in illo, qui dat gratias, et elargitur præmia confidentes, dirigente Domino actus tuos in Ecclesia, et ipsa civitate et diœcesi Pomesaniensi diligentia industriam hæreses, et pravae opinionis hujusmodi tollantur, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxv Julii mdl. anno i ».

12. Diffuderant etiam in alias regni Poloniae provincias hæreseos virus novarum rerum cupidi, suisque argutiis simplices irretiebant, ut

¹ Inl. III. ad. t. p. 306.

Poloniae episcopi conquesti sunt apud Julium, qui exaratis Encyclicis litteris ad Nicolaum archiepiscopum Gnesnensem regni Poloniae primate, ad Andream Wladislawiensem, Joannem Chelmensem, Samuelem Cracoviensem, Andream Plocensem, Benedictum Posnaniensem, Joannem Primisliensem, Stanislaum Culnensem episcopos, eos monuit, ferocientis malivim duplici remedio repressum iri, si ipsi regia fulli auctoritate animadverterent in haereticos¹: a se vero omnem operam pro celebrando Oecumenico Concilio adhibitum iri:

« Episcopis universis Poloniae.

« Venerabiles fratres. Quae ad nos scripsistis de imminentibus amplissimo Poloniae regno calamitatibus ob perniciosas de religione dissensiones ad eas sedandas cogitationum nostrarum cursum magnopere incitarunt. Non desinita itaque assidue meditari, qua ratione a tam pestifera labe cum universam Christianam rempublicam vindicemus, tum nobilissimi istius regni saluti ac tranquillitati consulamus, ac imminentibus quidem malis, de quibus ad nos scribitis duplex nobis omnino medendi ratio occurrit; prima namque est, ut vos, fratres, populos vestros assidue commonefaciatis, verum Dei cultum et Ecclesiae Catholicae instituta conservetis, perditorum vero atque impiorum quorundam conatus pro jure potestateque vestra coerceatis: ad haec in primis charissimi in Christo filii nostri regis, vestri optimi et religiosissimi principis fidem atque spem imploretis, in qua re quid est quod vos pluribus hortemur, cum potius incensum studium vestrum sit laudandum, quam diligentia excitanda? Alterum impendentis periculi remedium nostrae curae et sollicitudinis maxime proprium est, sacri Oecumenici Concilii celebratio, quod Tridentini inchoatum molesti quidam casus et Apostolicae Sedis vacatio interrupperant. Nobis vero, simul ac ad summum Apostolatus fastigium pervenimus, nihil illa cura fuit antiquius quam ut Concilium kal. Maii ad eandem civitatem reducendum, et inibi prosequendum curaremus, qua de re nostras plumbo obsignatas litteras ad serenissimum Caesarem in Germaniam perlalas fuisse vobis ex multorum litteris, et nuntiis innotuisse pulamus, et in praesentia ex oratore serenissimi regis, et ex dictarum litterarum exemplo authentico, quod ad vos propediem mittemus, cognoscere poteritis. Vos itaque, fratres, hortamur, ut ad dictam diem Tridenti adesse velitis; confidimus enim fore ut vestro et aliarum nationum et Christianorum principum summo consensu non modo Concilium amplius non differatur, sed praepotenti Deo favente per ipsum, cum ad optatum finem perductum fuerit, Christiana respicienda incolu-

mitatem et salutem certissimam consequetur. Datum Romae apud S. Petrum etc. die xx Decembris M^oL, anno 1^o ».

Quod ad oratorem a Sigismundo rege Poloniae missum ad Pontificem spectat, refert Masarellus illum regio nomine obsequia detulisse Pontifici, ac fecisse certiore de flagrantissimo studio religionis in Polonia asserenda. Adiditque nobilem virum D. Herculem Estensem ducem Ferrariae ultima Martii habita oratione in publico Consistorio Pontifici praestitisse solemnem obedientiam sponsonem, necnon Oclavii Farnesii ducis Parmae et Placentiae, ducis quoque Sabaudiae, ac ducis Florentiae, Genuensiumque oratores, diversis quidem diebus, eidem Pontifici obsequia devovisse.

43. *Fides in India propagatur opere Joannis regis Lusitani.* — Dum in Europae pluribus regnis ac provinciis fides orthodoxa defloresceret, atque improbi Christiani terrenis commodis delinuti a castris Ecclesiae ad Sathanae castra transfugerent, divina providentia in extremis Asiae oris Romanae Ecclesiae fidem amplificavit, atque ex lapidibus sive lapidum cultoribus filios Abrahae suscitavit, adeo ut, quae olim obeceatis Judaeis ac gentibus ad Deum conversis configere, eadem improbis Christianis in haereses varias lapsis, et Indis Japoniisque Ecclesiae aggregatis instaurata viderentur, et verba Apostoli de Judaeis dicta Lutheranis accommodari possint: *Illorum delicto salus est gentibus, delictum illorum divitia sunt mundi, et diminutio eorum divitia gentium*, quae cum consentiente piissima atque ardentissima Lusitanorum opera maxime fierent, de his ita Julius Joanni regi Lusitaniae gratulatus est¹:

« Regi Portugalliae.

« Te, fili in Christo charissime, inter ceteros Christianos reges impense diligimus et maximi facimus, non solum ob ineluctam erga Deum pietatem, atque erga hanc Sanctam Sedem observantiam, ceterasque virtutes tuas, quibus splendorem regii culminis exornas, sed etiam quod tuo tuorumque progenitorum beneficio et navigationibus, orbis terrarum antea ignotus, magna ex parte nunc cognitus, et quod plus est. Deo ac vobis per agnitionem Christiana veritatis acquisitus est, ut illud tandem expectatum videre nostris temporibus ceperimus, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*. Quod quoniam vestro ministerio Deus omnipotens fieri voluit, vos propterea in conspectu divinae majestatis gratos et acceptos filios fuisse agnosimus: vobisque ac ceteris, qui eidem Deo tale obsequium et illis populis in tenebris jacentibus tantum beneficium, nempe salutis aeternae, praestiterunt, una cum universa Christiana republica

¹ Jul. III. tom. I. p. 212.

1604. Jul. III. tom. I. p. 6.

valde debemus. Hortamur proinde serenitatem tuam in Domino, sicut in futurum certo contidimus, ut in Christiana religione et ditione propaganda, devotioneque hujus Sanctæ Sedis continuanda eodem animo ac pietate nostris temporibus sis, qui semper fuisti, et tui majores fuerunt, ut talem te gerenti tibi ac tuis Deus optimus Maximus, per quem reges regnant, ad terrenum hoc vestrum tot ac tantis terrarum et marium spatiis dilatum, tandem caeleste etiam regnum adjiciat, sicut suis fidelibus repromissit. Dat. Romæ die xii Februarii mdl. ».

44. Hoc anno, S. Xaverius, prædicata Cingonimæ Christi fide, illius latius apud alios Japonios disseminandæ cupidissimus Amangucium profectus est, ubi opprobria multa pertulit, factus instar Apostoli omnium peripsema, sed gloriosissima demum animarum spolia Christo retulit, ut ipse sociis Goensibus hoc anno significavit hisce litteris ¹:

« Societati Goam.

« Cosmo Turriano neophytis (scilicet Cingonimensibus) presidere jussu. Ego una cum Joanne Ferdinando Amanguci regis (ut captus est Japoniorum) sane opulenti sedem contendimus ». Et mox: « Itaque cum optimum factu statuissimus in comitis ac trivis bis in die concionari nostri illius libri capita pronuntiantes de Christi religione ad populum verba faciebamus, dynaste etiam nonnulli domum suam nos invitabant, ut commodius de nostra religione cognoscerent, atque ultro pollicebantur eam se sua meliorem, si censuissent, sine ulla dubitatione suscepturos. Ac multi nostros sermones de lege divina sane libenter audiebant, alii contra iniquis ferebant animis, ultro etiam quæ dicebantur irridebant. Ergo quoties per urbis vias ibamus, toties nos puerorum atque infimæ facis multitudo irridens, atque illudens ejusmodi vocibus prosequabatur: En qui divinam nos legem, ut salvi simus, suscipere jubent, propterea quod ab interitu vindicari nisi per omnium rerum effectorem, ejusque Filium non possumus; en qui plus una uxore habere nefas esse prædicant; consimili modo reliqua religionis nostræ capita inculcabant per ludum et jocum ». Addit deinde ut ob exiguos fructus ibi collectos perrexerit Meacum, urbem Japoniorum principem, mensesque duos graviora pericula et frigora perpessus posuerit; sed cum omnia bello flagrarent, nec audiri posset, Amangucium reversum regi litteras et munera a prorege et Goano episcopo reddidisse, tum de piis laboribus a se exantlatis subjicit: « Bis concionabamur in die, concionem semper excipiebat concertatio de religione bene longa, proinde perpetuo aut in sermonibus habendis, aut in quæstionibus profligandis

eram occupati. Concionibus sæpe intererant Bonzii multi, aliique e nobilitate ac plebe quamplurimi, semper fere domus erat hominibus referta, sic ut interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Percontationum tanta vis fuit, ut ex responsis plane, et legum suarum, Deorumque falsitatem, et Christianæ legis veritatem intelligerent. Post multorum dierum certamina et interrogationes demum victi manus dare, et ad Christi fidem se conferre ceperunt. Omnium autem principes extiterunt ii, qui in concertationibus percontationibusque acerrimos sese præbuerant adversarios ». Et infra: « Ac mensium duorum spatio facti sunt Christiani facile quingenti, atque hic numerus augetur in dies, ut magnopere letandum, Deoque gratulandum sit tam multos esse, qui Christi religionem amplectantur, quique Bonziorum fallacias, librorumque atque sectarum mysteria enuntiant. Anno mdl, Amangucio ».

45. Non disparem operam ¹ navabant in Indiis propagando Evangelio plures viri pietate spectatissimi et societate Jesu, e quibus Gaspar Barzæus quemdam Brachmanarum principem ab impia superstitione ad Christi signa traduxit non sine insigni miraculo, cum lapsa divinitus caelesti voce Christo nomen dare jussus fuerit, cujus exemplo plures Brachmanæ Ecclesie sunt aggregati:

« Ex ethnicis, quos sua Gaspar disputatione conjunctos ad Ecclesiam aggregavit, Joannes quidam fuit insigni duritia et austeritate vitæ, magnæque proinde opinionis in vulgus, sunt enim Jogues et Brachmanarum genere, qui sanctimoniam famam horrido in primis et aspero victu cultuque vulgo captant e veterum illa (ut apparet) Gymnosophistarum secta, quos, ut sanctus Hieronymus auctor est, Bardesanes vir Babylonius Samanæos vocabat. Hi suburbanum Armuziæ specum ac delubrum habebant; unde ad imbuendas variis erroribus hominum mentes interdum, et emendicandam stitem, cibosque prodibant: cumque propius ad muros accederent, haud urbem ingressi, tandem venatoris cornu caneant, suum significantes adventum donec ciborum aliquid quispiam afferret, cujus ex reliquiis nihil eis licebat in crastinum condere. Noctu sese in eandem latebram recipiebant, statisque horis signo dato, ad certas primum commentationes, tum ad suum venerandum Idolum (quod Pagodem Indorum vulgus appellat) evigilabant. Unus omnibus præerat neglecta semper barba et capillo, asperso cineribus corpore, obsitus pannis, ac seminudus, grandi macie torridus, qui cunctos in tantam sui adorationem asperitate vitæ traduxerat, ut qua pedes aqua lavisset, hanc Armuziæ rex ipse, religionis causa, potaret. Is ergo Gasparis

¹ S. Franc. Xaver. l. III. Ep. vii

¹ Orlandin. Hist. Soc. l. x.

colloquiis rationibusque paulatim in studium Christianæ religionis adductus, cum inter consilium mutandæ vitæ perplexus hæreret, triginta dierum spatium ad deliberandum sumpsit: cui Gaspar insuper auctor fuit, ut singulis diebus quina virgæ verbera totidem Christi plagas recolendo susciperet, certamque sibi lucem a Deo accuratis precibus imploraret, qui dum facit imperata, divinasque laudes nocte quadam apud se reputat, clara subito vox ad aures accidit: Quin tu quod tibi monstratur ad vitam iter ingrederis? una est ad salutem via, qua populus Christianus insistit. Simul vigilantiam magnificis sacrorum apparatus, et pretiosa vestis multiplici varietate distincta, quam ad rem divinam solemnem pompa ritique faciendam Christianorum usurpat Ecclesia, per visum objicitur. Quo ille vehementer incensus, admonitusque mane Gasparem baptismi gratia sine cunctatione convenit, et Christianæ captus humilitatis amore, ut regis vitaret aspectum atque congressum, quem audierat ad se visendi causa, ut solebat, accedere, de suo cænobio profugit. Hunc deinde aqua salutis exceptum, Paulique nomine nuncupatum Jogues alii rectoris auctoritatem, non sine ejusdem impulsu Spiritus sancti secuti sunt ».

46. *Confirmatur iterum a Julio III Societas Jesu.* — Confirmata est hoc anno novo Diplomate a Julio ¹ Societas Jesu, ita enim dictus est pius ille sacerdotum Ordo, quod singulari studio se obsequio Jesu Christi, atque Evangelio propagando addixerit, ac religiosæ vitæ formula Apostolica auctoritate corroborata, cujus præcipua pars a S. Ignatio subjectis verbis concepta erat:

« Quicumque in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suæ foribus intelligant, sed quoad vixerint memores sint, Societatem hanc universam, et singulos qui in ea profitentur, sub sanctissimi domini nostri Pauli papæ III, et aliorum Romanorum Pontificum successorum ejus, fidei obedientia Deo militare, et quamvis Evangelio doceamus et fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam capiti, ac Jesu Christi vicario subesse, ob devotionem tamen majorem ac obedientiam Sedis Apostolicæ, et majorem voluntatem nostrarum abnegationem, et certiorum Spiritus sancti directionem summo opere conducere judicavimus, singulos nos, et quicumque in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes jusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertiniens et ad quascumque provin-

cias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione, aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, sive nos ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus quas Indias vocant, sive ad quoscumque hæreticos, schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles mittendos censuerit, exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta consilium Dominicum possint consummare, hoc est, an Spiritus S. qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, se laturus sperent, et postquam, Domino inspirante, huic Jesu Christi militiæ nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, et tam grandis debili solutionem prompti esse debebunt ».

47. *Annus Jubilæi a Julio III indicitur: mira charitatis opera Romæ edita erga pauperes peregrinos.* — Cum ex veteri more Jubilæi celebritas instauranda esset, Julius III eam consecravil anno præsentis MCL, ut Acta Consistorialia testantur ¹.

« Die Lunæ XXIV, quo celebratur festum sancti Matthiæ Apostoli, Sanctitas sua aperuit portam Jubilæi. Eodemque die fuit facta congregatio cardinalium, in qua fuerunt deputati legati a latere ad aperiendas alias portas dicti Jubilæi, videlicet reverendissimus Tranensis decanus ad aperiendam portam Sancti-Joannis Lateranensis, reverendissimus dominus Portuensis ad aperiendam portam Sancti-Pauli, necnon reverendissimus D. camerarius ad aperiendam portam Sanctæ-Mariæ Majoris cum cæremoniiis solitis ». Sed quia non omnes Romanam accedere poterant, ideo Julius inter alios benigne imperatori et Philippo ejus filio principi Hispaniarum hoc supplicii prece petentibus, concessit ut etiam absentes cum aulicis ea peculiari gratia frui possent.

48. « Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem, etc. Tuæ majestatis, in hac parte nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinatus, tibi et dilecto filio nobili viro Philippo Hispaniarum principi tuo nato, necnon familiaribus tuis, ipsiusque Philippi, vere confessis et contritis, quod tu, ipseque Philippus unam vel duas, alii vero quatuor Ecclesias, seu unum, vel duo, aut quatuor respective Altaria diversarum Ecclesiarum in civitate, oppido, seu loco, in qua seu quo te vel ipsum Philippum residere, seu esse contigerit, per te vel ipsum Philippum eligendas seu eli-

¹ Bul. in Jul. III, const. 9.

¹ Ms. capit. Spadae tom. CXXXI. p. 19.

genda, et si dicta tua majestas infirmitate delecta fuerit, in domo residentia aliquam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, seu B. Mariæ Virginis ejus Matris imaginem devote visitando, et eadem majestas, et Philippus semel tantum, alii vero familiares, et curiales prædicti, per decem continuos sive interpolatos dies, quinque Orationem Dominicam et toties Salutationem Anglicam recitando, pro peccatorum suorum remissione et Catholicæ fidei exaltatione pie orando, Jubileum, ac omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones etiam plenarias, quod et quas consequeremini, et consequi posses, si quatuor Basilicas et Ecclesias almæ Urbis, et extra illius muros, ad id deputatas personaliter singulis quindecim diebus visitaretis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxix Novembris MDL, anno I ».

49. Hoc Jubilei anno Romæ emicuit pietas Sodalitatis Sanctissimæ Trinitatis, cujus munus est pauperes peregrinos, qui ex omnibus mundi partibus ad Urbem veniunt, pie excipere, eosque per aliquot dies alere. Hæc Sodalitas a Sancto Philippo Nerio Florentino ¹, cum adhuc in laicali habitu vitam degeret, et ab aliis piis viris anno MDXLVI decima sexta Augusti instituta fuit. Hoc igitur Jubilei anno mirifice horum virorum pietas eluxit, cum pauperes peregrinos, qui ad lucrandas indulgentias Romam venerant, reciperent, mensas eis ponerent, pedes lavarent, lectos sternerent, aliisque charitatis officiis eos prosequerentur, qua de causa fragrans pietatis odor non solum per Urbem, sed etiam in exteris provincias se diffudit; veraque sunt honori et gloriæ publica pietatis officia, quæ non solum Romani proceres, sed etiam præsules, cardinales, ipsique Summi Pontifices exhibuere: adeo ut nonnulli hæretica pravitate infecti, humilitate et charitate maxime purpuratorum Patrum corde emolliti hæreticam pertinaciam deposuerint.

50. *Pontifex memor præteritæ calamitatis solennes gratiarum actiones Deo præstat.* — Hoc anno a Julio auctus est cardinalium senatus, et primus ad purpuram evectus adolescens annorum septemdecim a Baldaino Pontificio fratre in filium cooptatus, quem duodecim millium aureorum proventus annuo auxit: Verum tanta ille beneficia in vitiorum irritamenta vertit, vitæque inquinatissimam duxit, ut de eo exactorando actum sit. Premundum hic silentio non est visum, Julium inclinate anno in Pontificiæ felicitatis culmine situm, præteritæ olim calamitatis memorem cum ab impiis Germanis una cum aliquot præsulibus circum furcas circumductus fuerat catena vinculus, solemnem

gratiarum actionem ac pompam Deo (qui ad inferos deducit et reducit) præstitisse, de qua hæc refert Massarellus: « In festo Sancti Andree, quoniam hæc dies festivitatis Sancti Andree est Summo Pontifici felix, in ea enim e manibus Germanorum militum, qui Urbem diriperunt, anno MXXXVII liberatus fuit, cum obses a Clemente VII una cum quinque militibus et toti exercitui Cesareo datus esset; voluit Sanctitas sua, ut celebraretur Missa sollemnis in Ecclesia S. Petri xxiv Decembris. Pontifex celebravit in sacello secreto, communicavitque omnes suos familiares, quibus absoluta communione concessit Indulgentiam Jubilei his verbis: Nos auctoritate Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, et nostra, ac etiam virtute Sacramenti per vos percepti, concedimus vobis omnibus, qui illud Sacramentum percepistis, plenariam Indulgentiam sanctissimi Jubilei ».

51. *Joannis a Deo conditoris Ordinis, ab Hospitalitate nuncupati, mors pretiosissima.* — Evolvit in Cælum hoc anno B. Joannes a Deo conditor sacrae familiæ ab hospitalitate nuncupate: hic consilio Joannis de Avila, celeberrimi in Hispania divini verbi præconis, Granatam profectus, xenodochium pro pauperibus, peregrinis ægrisque excipiendis extruxit ornavitque: in quo charitatis Christianæ demissionisque officio, quot et quantas difficultates laboresque pertulerit, incredibile dictu est. At non defuere illi præpotentis Numinis auxilia, cum inter alia Raphael archangelus certiore fecerit, se a Deo missum, ut in ministerio infirmorum illum adjuvaret, jussumque in Commentarios accurate referre quidquid in pauperum obsequium conferret, vel in eo conficeret. Cum aliquando ad mensam Tudensis episcopi, casu tunc Granatæ agentis, adhibitus pranderet, interrogatusque de nomine, respondisset sibi nomen Joannis inditum, hoc accepit ab episcopo oraculum, tu deinceps cognomen illud apud omnes retulit: quia vero propriis vestibus induebat pauperes, vel cum eorum laceris panniculis commutabat, non tantum misere et incommode, sed etiam indecore indutus, læta tamen facie, ac mira pietate delibutus incedebat, quem aliquando euntem conspiciens memoratus episcopus religiosa illum veste ornavit additis iis verbis: Quoniam nomen a me accepisti, etiam formam habitus a me accipe. Cum vero curandis ægris corporibus maximam operam ac diligentiam adhiberet, ardentior tamen procurandis excolendisque animabus industriam conferebat, divinaque adjutus ope, plures perditissimæ vitæ feminas, juvenesque profligatos, a vitis ad pietatem Christianam traduxit, cujus flagrantissimum in Deum et proximos amorem non ferens Dæmon, invidia furens illum exagitare aggress-

¹ Vita S. Philippi l. 1, c. 8.

sus est, modo elegantiore mulieris lascivientis forma se illi visendum objiciebat; utque ardentibus illius ad Deum preces, quas per integras ferme noctes perducebat, abrumperet, illum affligebat humi, ferina specie horrida appetebat rostro, conculcatumque pedibus circumagebat in luto; alias sublatum in aerem allidebat solo, alias diris verberibus tundebat, et quodam die exhaustus laboribus, ac prophetiæ dono et miraculis clarus, a Raphaelæ archangelo de morte illi imminente admonitus, felicisque æternitatis iter initurus, ab archiepiscopo Granatensi sanctissimo Eucharistiæ viatico refectus munilisque est pignore immortalitatis: quo tempore beatam Mariam Virginem, Joannem Evangelistam, et Raphaelæ archangelum se illi videntes præbuisse ipsemet Joannes familiari ami-

cissimo enarravit, ac Deiparam frontis illius sudorem abstersisse, additis his verbis: « Hæc est hora, qua meis famulis mihi devotis deesse nunquam soleo ». Quia vero nunquam charitas excidit, juxta Apostoli oraculum, quæ Joannes a Deo beneficia in homines vivus contulit, extinctus conferre etiam non destitit, tantaque miraculorum ad illius sepulchrum editorum gloria effulsit, ut iis permotus Urbanus VIII Summus Pontifex anno millesimo sexcentesimo trigesimo die vigesima prima Septembris, ad pias regum Catholicorum preces. Joannem a Deo solemnî ritu in beatorum numero descripserit: tandemque efflorescente magis in dies ejus sanctitatis fama, divinisque virtutibus editis confirmata: anno vero millesimo sexcentesimo octogesimo oclavo a Sacra Rituum Congregatione decretum editum est de eo inter sanctos referendo, cui Innocentius Undecimus feliciter Ecclesiæ gubernacula moderans anno sequenti annuit.

JULII III ANNUS 2. — CHRISTI 1551.

1. *Sancit Carolus V ut Germani et Protestantes se Concilio submittant, sed Henricus Gallicæ rex favet Protestantibus.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona, ostensæ sunt maximæ spes delendæ in Germania Lutheranæ superstitionis, veterisque Orthodoxæ religionis restituendæ, cum Cæsar in Augustanis conventibus pervicisset, ut ad tollenda vetera religionis dissidia Protestantes, indictis superiore anno a Julio Tridenti solemnibus episcoporum conventibus, eorumque decretis se submitterent, qua de re decima quarta Februarii hæc Cæsarea sanctio¹ promulgata est:

« Carolus etc.

« Inter alias sacri imperii prægnantes causas illum ardentem in novissimis comitiis propositum quidem et determinatum, nondum ta-

men executioni mandatum, nimirum, qui de religione, quique sine dubio præcipuus est, electoribus principibus, aliisque ordinibus, ac absentium consiliariis, lègatis ac nuntiis proponendum duximus, eosque admonendos nullam esse meliorem commodioremque viam aut modum, ut huic articulo extrema manus imponatur, quam Universale Christianorum Concilium, commemoratis etiam his, quæ in novissimis comitiis ad hujus promotionem cum sanctissimo papa egimus, in quam nostram sententiam, quoad Concilium attinet, ut scilicet in eo religionis controversiæ componerentur, et ad unanimum sensum perducerentur, electores, principes, aliique ordines ac absentium consiliarii, legati ac nuntii descenderunt. Nos itaque omni studio et diligentia nihil omisimus in his comitiis, et apud sanctissimum papam ulterius egimus tandemque hoc impetravimus, ut illius Sanctitas Concilii indictionem decerneret, qua

¹ Lett. apud Goldast. to. II. p. 349.

prælati rursus ad primam proximi mensis Maii diem comparituri, finemque Concilii expectaturi Tridentum convocarentur, quæ quidem indictio jam dudum expedita, et vulgata, et nobis transmissa est, eamque nos omnibus ordinibus imperii in hoc communi conciliorum conventu significare et proponere curavimus. Et quoniam sine dubio deprehenditur, quod qui hactenus in religione emergerunt errores et controversiæ, nulla commodiore, utiliore aut certiore ratione, quam per Universale Concilium tolli possint, summa quoque urgeusque necessitas expetat et postulet huiusmodi errores inter Christianos ad conservandam veram Christianorum fidem et pacem aboleri, absentium consilarii, legati et nuntii in nos novissime peractis comitiis, ob id Concilium acceptarunt approbaruntque, ac sese eidem submisissent, atque etiam denuo testati sunt, se idem Concilium cum obedientia expectaturos, quare par et æquum est, ut omnia secundum omnium in prioribus comitiis assensum, quo definitio et determinatio controversiæ religionis ad Concilium rejecta est, suo loco maneant et conquiescant, ideoque volumus serio ac summa sedulitate determinationi conciliorum novissime hic habitorum, declarationique ac oblationi nostræ erga omnes ordines clementer inhærere, omni opera ac studio id curare, ut omnia in præfato Concilio recte atque ordine proponantur. Nunc ergo Concilii indictione per universum Christianorum orbem proposita plane confidimus principes sui officii memores fore, et quantum in eis erit, indictioni Concilii obtemperaturos, illique satisfacturos, ac illud velut salutarem Christianorum institutum omnibus rationibus et modis opportunis adfuturos.

« Nostra quoque ea est mens, Christianaque voluntas, et propositum; quidquid nobis veluti patrono sacrosanctæ Ecclesiæ Conciliorumque defensori ratione muneris imperialis incumbentis facere par est et convenit, quando etiam id ipsum in novissimis comitiis ad statum imperii preces et vota obtulimus nos præstaturus, neque ab incepto destituros, volentes præterea ex imperatoria auctoritate et potestate, ut quotquot ad Concilium causa religionis componendæ, aut alias ob causas venturi sunt, id certum persuasumque habeant, sese libere et absque ullo obstaculo illuc venturos compariturosque, quo quisque, illud, quod ex secunda ac certa conscientia bonum necessariumque iudicabit, in medium adferat, tumque illinc ad suum domicilium libere ac tuto revertatur.

2. « Præterea in animo habemus intra limites sacri imperii, aut quantum fieri poterit, in proximo permanere, ut Concilium promoveamus juvemusque, quo ad bonum ratumque finem perducatur, atque ex eo huius salutaris instituti fructus et utilitas manifesta, ac re ipsa augmentum et incrementum totius Christiani-

tatis, maxime vero ad constantem pacem, tranquillitatem et concordiam Germanicæ nationis elucescat.

« Postulamus ob id, admonemus et hortamur electores, principes, aliosque status sacri imperii, præsertim proceres et prælatos status Ecclesiastici, atque etiam illos, apud quos religio innovata est, ut sese ad hanc sanctissimam papæ indictionem convocationemque, et ad futurum Concilium instruant, paratque ad illud se conferant, ne postea querelæ aut prætextus occasio relinquatur, quasi ex improvviso pressi, ac quod postulabat eorum necessitas in medium adferre aut proponere prohibiti sunt. Hoc profecto quantum possumus non admittimus, ut quidquam eorum, que in sæpeditis novissimis comitiis continentur, præfermittatur, quo etiam illi, apud quos innovata est religio, quive Confessioni Augustanæ adhæserunt, aut eorum legati ad dictum Concilium venire possint, atque illuc, ibi, ac illinc in suum usque domicilium tuti, et fide publica deducantur, et sint, quantumque necesse erit, audiantur, ut totum hoc negotium illiusque definitio pie ac Christiane, omnibus affectibus depositis, secundum sacras veterumque Scripturas et Traditiones proponatur, tractetur ac determinetur, Christianaque quædam ac utilis reformatio, tam Ecclesiasticorum quam secularium omnibus pravis traditionibus et abusibus, ut æquum est, abrogatis, componatur.

« Insuper ex electorum principum, statuumque ac absentium consiliariorum, legatorum, et nuntiorum in novissimis comitiis assensu et permisso, ad promovendam conservandamque pacem et tranquillitatem in sacro imperio, quo omnes status inter se Christiane, pie pacificaque consuetudine vivant et agant, determinationemque Concilii expectent, rationique consentaneam tolerabilemque resolutionem ac declarationem, quomodo interea quam determinabitur et definitur, Concilium, singula in religione observanda sint, clementer edidimus, ut eadem nostra declaratione et ordinatione in novissimis comitiis edita continetur ». Et infra :

« At quum omnis opera et labor in publica pace instauranda, renovanda et resarcienda frustra impendatur, neque possit in sacro imperio communis pax, tranquillitas et securitas conservari, nisi hæc, qui adversus saluberrimam publicæ pacis constitutionem agunt, serio occurratur, justaque animadversione coercantur; cumque inter cæteros huius publicæ pacis violatores, ac nobis, sacroque imperio inobedientes et rebelles, qui conati sunt etiam alios obediētes imperii status et ordines subditos re ipsa bellica manu opprimere, invadere ac perdere; consules, senatores et tribuni antiquæ civitatis Magdeburgensis præcipue inventi sunt, utpote, qui non solum sua perverciacæ rebellionē indurati

omnem effrænem libidinem in vivos et mortuos intra ipsam civitatem exercuerunt, quosdam suis facultatibus exuentes, verum etiam armata manu cruperunt, et vicinos ex mera temeritate et insolentia suam petulantiam exercuerunt ». Subdit: « Ut molliore via per tentati sint a sepeptemviris et principibus, excitique sint ad colloquium benevolam, sed ipsi in pertinacia obduruerunt, ad quam frangendam, obsidione eos premere constituerit, ac stipendia militi suppeditanda sanxerit, donec Magdeburgenses perdomiti essent, tum plures alias leges ad temperandam administrandamque publicam rem promulgaverit, ex consensu septemvirorum et procerum Catholicorum et Protestantium, qui miserant oratores, inter quos Fridericus comes Palatinus Rheni, dux Bavarie et imperii archidapifer Mauritius, Dux Saxonie elector, idemque Thuringie Lantgravius, Joachimus Brandenburgensis marchio, idemque Dux Stetinie et et Pomeranie eminebant. Consignata vero est sanctio hac loci et temporis nota: Dat. in nostri imperatoris Caroli et sacri imperii civitate Augusta, xiv Februarii a Nativitate Christi anno MDLI, imperii nostri xxxiii, aliorum vero regnorum xxxvi ».

3. Caruit optato successu hoc decretum, cum Cæsar exercitui suo non principem Catholicum, sed perfidissimum Lutheranum Mauritium Saxonem præfecisset; conjunxit se cum eo arcano fœdere Henricus Gallie rex, cum metueret, ne restituta Germaniæ veteri concordia, Carolus Cæsar virium magnitudine aucta Galliam opprimeret; itaque artes omnes instruxit, ut vetera in Germania dissidia aleret, atque Lutheranos ab instauranda cum Romana Ecclesia conjunctione avocaret, quod facinus adeo aperte patravit, ut etiam superioribus annis Romanæ aulæ proceribus, ac Paulo III persuadere niteretur, ne Tridenti Concilium OEcumenicum celebraretur, ne Germania a Cæsare pacata, ab eo universa Italia in Provinciam formam redigeretur. Ut vero Protestantes in suas partes traxerit, maximumque Cæsari periculum creaverit, dicitur inferius. De Cæsareo decreto in conventu Augustano recentissime promulgato Pontifex certior factus, religionis controversias non amplius in colloquiis futilibus, sed in Concilio OEcumenico agitandas dirimendasque cardinalium senatui exposuit, se pro eo congregando promovendoque muneri Pontificio non defuturum, necnon pro sanctiore disciplina Christiana constituenda operam collocaturum, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini.

4. *Julius creat legatos qui solemniter Tridentum ingrediuntur.* — Cum itaque Pontifex Germaniæ principes, qui novas hæreses amplexi erant, ad sacrosanctæ Synodi decreta excipienda, abjctendasque impias opiniones comparatos accipisset, habito quarto Martii senatu legatum

e latere Marcellum Crescentium cardinalem decrevit, illique duos episcopos Concilii etiam præsidis designatos adjunxit, quos amplissima auctoritate ad sustinendam muneris dignitatem instruxit, ut e subjectis litteris ¹, quarum præcipuam partem afferimus, patebit:

« Dilecto filio Marcello tit. S. Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis ad Concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano Pighino archiepiscopo Sypontino, ac Aloysio Lipomano episcopo Veronensi, nostro et ipsius Sedis, ac in dicto Concilio una cum eodem Marcello cardinali et legato nomine nostro ad præsidendum nuntii, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ac dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de jure vel consuetudine aut privilegio Concilii Generalibus interesse debent, hortati fuimus, requisivimus et monuimus, ut proxime futuris kal. Maii, quam diem ad ipsum Concilium, in eo quo reperitur statu resumendum, prævia matura deliberatione ex certa nostra scientia et de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu statuimus, decrevimus et declaravimus in ipsa civitate Tridentina, legitimo cessante impedimento, convenire, et se congregare, ac ipsius Concilii continuationi et prosecutioni, omni mora postposita, incumbere vellet, pront in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur, qui ætate nostra ingravescente, et aliis multipliciter impediti ad dictam civitatem ad præsens personaliter accedere, et ipsi Concilio juxta desiderium cordis nostri interesse nequimus: volentes resumptionem, continuationem et prosecutionem Concilii hujusmodi ex nostra absentia non impediri, te, fili Marcellæ cardinalis, fide ferventem, prudentiam, scientiam ac rerum usu conspicuum, nostrum et Apostolicæ Sedis ad Concilium hujusmodi legatum de latere, ac vos fratres, Sebastiane archiepiscopo et Aloysi episcopo, pietate et doctrina ac rerum experientia insignes, nostros et ipsius Sedis addictum Concilium una tecum, fili Marcellæ cardinalis et legatæ, nomine nostro præsidendum nuntios cum speciali et expresso mandato, necnon ratihabitionibus et aliis clausulis in similibus apponi solitis, de simili eorumdem fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus et deputamus, etc.

« Datum . . . Pontificatus anno n ».

5. Indixit etiam populo Christiano ², ut Deo sacras preces pro felici Concilii progressu funderet, gratuitamque noxarum veniam ex homo-

¹ Ext. in Act. Conc. Trid. — ² Lib. IV, brev. p. 278.

logeseon et Pœnitentiæ Sacramenta rite sumpturis proposuit.

Tardiorem porro fuisse Concilii progressum ex Cæsareo consilio refert Angelus Massarellus¹, additque, præsides Concilii Pontificio fultis mandato pridie kalend. Maii Tridentum ingressos, solemnique exceptos pompa :

« XXIV Aprilis reverendus dominus Hieronymus Dandinus episcopus Imolensis, reversus ab imperatore, retulit Tridenti animum majestatis suæ, ut in Concilii processu pedetentim incedatur, quousque alii prælati, præsertim Germani, veniant : item quod in rebus Parmensibus erit libenti animo auxilio Sanctitati suæ ». Non prævidit nimirum Cæsar Gallum Parmensi bello lacessitum se conjuncturum Lutheranis ad disturbandum Concilium, belloque inopino a Saxone proditore Cæsarem ipsum in extremum periculum adductum iri : de quibus agitur inferius : nunc pompæ ordinem quo legati Tridentum sint ingressi, describimus² :

6. « Die XXIX Aprilis ejusdem anni MDLI, reverendissimus et illustrissimus dominus Marcellus tit. S. Marcelli S. R. E. presbyter cardinalis, Crescentius vulgariter nuncupatus, patria Romanus, S. D. N. Julii papæ III et Sedis Apostolicæ de latere legatus, et reverendi domini Sebastianus Pighinus Regiensis archiepiscopus, Syrontinus, et Aloysius Lipomanus Venetus episcopus, Veronensis, Apostolici nuntii, sacri Concilii præsidentes, ingressi sunt civitatem Tridentinam hoc ordine : primo reverendissimus et illustrissimus dominus Christophorus Madrutius tit. S. Cæsarei in Palatio, necnon prælati omnes, qui tunc Tridenti erant tredecim, videlicet archiepiscopi, Turritanus, Antibarensis, Panormitanus, ac episcopi Castellimaris, Lancianensis, Alganensis, Syracusanus, Pacensis, Oscensis, Calagurritanus, Monopolitanus et Rossanensis iverunt eis obviam extra civitatem ad duo milliaria : in ipsoque congressu dominus Laurentius Flander secretarius ipsius cardinalis Tridentini habuit orationem, qua ostendebatur lætitia eorum in adventu ipsorum præsentium, quos maxima cum animi alacritate, tum obedientia et reverentia excipiebant, eisque obsequium erga sanctam Sedem Apostolicam, summum Pontificem ac etiam eos una cum civitate offerebant, ac Deo gratias agebant, qui tandem Ecclesiæ suæ misertus Concilium Tridentum cum omnium pace et tranquillitate reducere dignatus esset, piæque ac sanctæ mentem beatitudinis suæ, suis præconiis extolentes ». Cui quidem orationi³ nomine ipsorum legati et præsentium responsum congrue fuit a domino Antonio Floribello ipsius reverendissimi legati secretario. Postquam vero hinc inde

magnæ benevolentiæ ac humanitatis amplexus facti sunt, tunc prosecuti sunt iter : cumque pervenissent ad monasterium S. Crucis, quod extra Tridentum ad jactum lapidis situm est, ibi descenderunt, vestesque Pontificales acceperunt ; deinde, antequam equos ascenderent, Franciscus fiscalis imperatoris præsentavit ipsi reverendissimo legato litteras majestatis suæ Cæsareæ, quibus fidem verbis ejus nomine dicendis adhiberi expostulabat, postea locutus est, in hanc sententiam. Subjiciebatur oratio¹, qua pium Cæsaris animum, conceptasque spes de instaurandis collapsis rebus exposuit. Subduntque Acta :

« Reverendissimus autem legatus orationi suprascriptæ ea, qua decebat, gravitate respondit, Cæsari gratias agens, ejus Catholicam piæque mentem commendans, et se una cum præsidentibus nihil omissurum in rebus Concilii et religionis pro eorum posse dirigendis juvandisque promittens, sperareque cum bonitate Dei, tum prudentia et sanctissima voluntate Pontificis, ac etiam favore Cæsaris, et aliorum regum et principum Christianorum, ut tandem res ad optatum finem perduceretur, etc. »

Postea equos ascenderunt, ac civitatem ipsam solemniter ingressi sunt. Ibant primi reverendissimus legatus, et illustrissimus cardinalis Tridentinus : deinde duo præsidentes, post quos sequebantur alii prælati.

In ingressu civitatis receptus est legatus maxima cum lætitia et honore a toto clero et populo, a quo deductus est sub umbraculo ad Ecclesiam cathedralem, quæ est sub invocatione B. Vigiliï, apud quam omnes descenderunt oraveruntque, et solitas cæremonias peregerunt. Publicata post solemnem benedictionem indulgentia plenaria. Deinde usque ad hospitium legato præparatum sociales fuerunt : ubi reiteratis amplexibus, et humanitatis ac benevolentiæ verbis, unusquisque ad propria remeavit.

« Eadem die XXIX Aprilis applicuit Tridentum illustrissimus Dominus Franciscus a Tolentino orator et procurator Caroli V imperatoris Augusti, ut nomine suæ Cæsareæ majestatis in Concilio assistat ».

7. *Prima sessio Concilii sub Julio III.* — Congregatio prima Concilii Tridentini instaurati a Julio III post ingressum legati habita est ultimo Aprilis die, in qua post imploratum Spiritus sancti præsidium, « reverendissimus », inquit² Acta, « et illustrissimus dominus legatus allocutus est Patres in hanc sententiam, videlicet primo excusavit se, si non ea, qua opus erat, oratione cum eis ageret, tum ob brevitate[m] temporis, tum ob scientiam et experien-

¹ Angel. Massar. *Diar. Conc. Trid.* p. 402. Tom. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3197. p. 73. — ² Angel. Massar. in *Diar. Conc. Trid.* Ms. arch. Vat. p. 402. — ³ Ext. *ibid.* p. 74. ea Oratio.

¹ Ext. *ibid.* p. 7. — ² To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 73. Ang. Mass. in *Diar. Conc. Trid.* Ms. arch. Vat. p. 402.

tiam, quam ipsi Patres habent Concilii. Deinde exposuit causam sui adventus, missum videlicet a S. D. N. Julio III, ut Concilium die statuta kal. Maii juxta litteras suæ Sanctitatis una cum eis resumeret, excusavitque se, quod iam sero Tridentum advenisset, quia Bononiæ in negotiis suæ legationis detentus fuerat. Postea declaravit piam sanctamque mentem suæ beatitudinis in rebus Concilii promovendis, miseræque et afflictæ religioni nostræ succurrendo, ac etiam erga pacem, quietem et bonum universale totius reipublicæ Christianæ, summeque Sanctitatem suam esse affectam erga ipsos prælatos, qui Tridenti erant: cum jam diu eorum pietatem et doctrinam promovisset; excusavitque prælatos Italiae, cum adhuc ad Concilium non venissent, ob præsentis anni sterilitatem: sperare tamen brevi eos venturos esse. Post hæc: « Postremo ostendit multis de causis ac rationibus futuram sessionem non posse ad brevius tempus indici, quam ad proximas kal. Septembris ».

8. Cum rogatæ essent de ea re sententiæ, præsules Hispani in longius tempus non extrahendam secundam sessionem contendere: at Actorum scriptor tradit, justo dolore et lædæ affectos.

« Cum Tridenti jam Concilii causa per sex annos continuos permansissent, et eorum quatuor in perpetuo otio et potius dedecore, et conscientiarum suarum gravamine, cum non semel a Paulo III interpellati monitively fuissent, ut inde discederent, et alios Patres Concilii, qui Bononiæ, quo Concilium ipsum translatum fuerat, convenerant, sequerentur, qua de causa cito rem absolvi, et ad propria reverti cupientes, neque absentium, neque aliarum considerationum, quæ gravissimæ et magni momenti occurrerant, rationem habendam esse perpendebant ». At eos ab ea sententiâ revocatos prudenti oratione secundi præsidis refert Actorum scriptor: « Reverendissimus dominus archiepiscopus Syonlinus secundus præsidens eis ostendit, quo in statu res eo tempore se haberent, etc. Monuit etiam considerandum non esse ex usu pacis publicæ, ut Concilium cum solis Hispanis vel Italis celebraretur: sed requiratur in primis præsentia Germanorum, quorum causa Concilium Tridenti a sanctæ memoriæ Paulo III indictum, et a sanctissimo D. N. Julio III reductum fuerat; præsertim Lutheranorum, qui se Protestantes appellant, qui semper respicendi decreta Concilii occasione sumerent, si eis non expectatis, neque etiam auditis, decreta ipsa promulgarentur, etc. His addebatur, quod materiæ in ipsa sessione publicandæ, non essent adhuc discussæ, aut examinate et notabile tempus ad eas preparandas requirebatur, etc. His et aliis multis rationibus comprobavit, dictam futuram sessionem non posse ad brevius tempus indici, quam ad dictas

kal. Septembris, ut reverendissimus legatus proposuerat ».

Collectis demum omnibus suffragiis, legatus ex longe majoris partis consensione decrevit, secundam Sessionem ad kal. Septembris indicendam: proximo vero crastino matutino primam solemnem ritu celebrandam.

Kal. Maii in Ecclesia principe, S. Vigiliis nominis sacra, Tridentini præsides Concilii veteri instituto, ritoque solemnem post divina peracta mysteria Concilium inchoarunt, inchoatumque perducendum ad debitum finem promulgarunt, cujus Sessionis primæ Acta ita descripta habentur ab Angelo Massarello¹, qui Concilio a secretis erat:

« Prima Sessio Concilii Tridentini sub Julio papa III.

« Postquam per annos quatuor, mensem unum, et dies viginti, ab undecima videlicet Martii MDCXLVII, qua die Concilium Tridento ad civitatem Bononiensem translatum fuit, usque ad præsentem diem, Concilium partim Bononiæ per biennium promovendum, partim suspensum a sanctæ memoriæ Paulo III a Tridento abfuit; placuit tandem divinæ bonitati ut Tridentum reduceretur, et hodierna die Feria VI, prima Maii, anno Domini MDCLI, ad laudem et gloriam ipsius Omnipotentis Dei, et incrementum fidei, et religionis nostræ, sacrum ipsum generale et OEcumenicum Concilium Tridentinum resumptum fuit, et ejus prima Sessio sub sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Julio divina providentia papa III, presentibus in ea reverendissimo et illustrissimo domino Marcello tit. Sancti-Marcelli sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, Crescentio nuncupato, patria Romano, suæ Sanctitatis et sanctæ Apostolicæ Sedis de latere legato, ac reverendissimis dominis Sebastiano Pighino Regiensi archiepiscopo, Syonlino, et Moysio Lipomano Veneto episcopo, Veronensi, ipsius Sedis Apost. nuntiis, qui convenientes mane hora XII in Ecclesia Cathedrali Tridentina, quæ est sub invocatione B. Vigiliis, in loco ad Sessiones habendas sub Paulo III deputato, una cum reverendissimo domino Christophoro Tit. Sancti-Cæsarei in palatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali episcopo Tridentino, et administratore Brixinensi, necnon Don Francisco a Toledo oratore Cæsareo, ac prælati intrascriptis, præfatus reverendissimus dominus legatus celebravit Missam solemnem de Spiritu-Sancto, publicata Indulgentia plenaria, habuitque orationem reverendus sacræ theologiæ magister Sigismundus Diruta Ordinis Minorum Conventualis; caeremoniisque consuetis peractis, ac orationibus ad hoc institutis lectis, invocatoque auxilio Sancti-Spiritus, ac decantatis Litanis et Evan-

¹ Ang. Mass. in *Diar. Conc. Trid.* MS. arch. Vat. p. 403.

gelio Luc. cap. 10. *Designavit Dominus, et alios septuaginta duos.* sedentibus ipso reverendissimo legato ac præsidentibus in faldistoriis ante Altare majus, cæterisque aliis suis in pluvialibus et mitris, silentioque facto, ego Angelus Massarellus de Sancto-Severino Camerinnensis diocesis, sanctissimi domini nostri Julii papæ III, et sacri Concilii secretarius, legi clara voce Bullam suæ Sanctitatis super reductione Concilii ad civitatem Tridentinam, quæ est sub data Romæ apud Sanctum-Petrum die XIV Novembris anno Domini MLI, quæ incipit: *Ad tollenda religionis nostræ dissidia, etc.* Deinde legi Bullam ejusdem Sanctitatis suæ in personam ipsius reverendissimi legati et præsidentium sub data Romæ apud Sanctum-Petrum die IV Martii anno Domini MLI quæ incipit: *Ad prudentis Patris familiæ officium spectat, etc.* Postea reverendus dominus archiepiscopus Turritanus ascendit ambonem, et protulit alta voce infra-scripta verba, videlicet:

« Reverendissimi et illustrissimi DD. reverendique Patres, placetne vobis ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianæ, sacrum OEcumenicum et Generale Concilium Tridentinum juxta formam et tenorem litterarum sanctissimi Domini nostri resumii debere, et procedendum esse ad ulteriora? »

« Et statim ab omnibus unanimiter responsum fuit: Placet.

« Tunc præfatus reverendissimus legatus dixit infra-scripta verba, videlicet: Et ita Concilium ipsum resumimus, et ad ulteriora procedendum esse declaramus. Deinde iterum reverendus dominus archiepiscopus iterum interrogando Patres dixit hæc verba videlicet:

« Reverendissimi et illustrissimi domini, reverendique Patres, placetne vobis proxime futuram Sessionem habendam et celebrandam esse in futuris kal. Septembris? »

« Et ab omnibus similiter responsum est per verbum, Placet. Quo facto rogati sunt protonotarii et notarii ibidem præsentés, ut de omnibus in ea Sessione actis publica documenta conficerent, cantatoque Hymno, *Tu Deum laudamus*, [reverendissimus et illustrissimus legatus benedixit Patres signo Crucis, et Patres omnes deposuerunt paramenta et recesserunt]. »

Subjicitur Catalogus Patrum, qui interfuere huic Sessioni: fuisse illic cardinalis legatus, ac duo præsides nuntii, orator Cæsareus, archiepiscopi Turritanus, Antibarensis, Calaritanus; episcopi vero, Castelli-Maris, Lancianensis, Alagarensis, Syracusanus, Pacensis, Oscensis, Calagurritanus, Monopolitanus, Rossanensis, Verdunensis, tum alii plures theologi ac proceres.

Eadem die Romæ Julius Pontifex gratuitas pœnarum temporariarum debitarum condona-

tiones concedi anno Jubileo solitas proposuit iis, qui rite sacra exhomologesi expiati Eucharistiam susceperint, solemnes supplicationes instructo agmine religioso præsulum et cardinalium, cui præsens interfuit, indixit, ac pro Concilio feliciter promovendo preces a fidelibus fundi jussit. Non prætermittendum hic visum est, cum in hac Sessione duo præsules essent præsides Concilii, eos cum legato ante Altare majus sedisse, locumque honorificentiorum cardinalibus, qui non erant legati tenuisse, at in Congregationibus, eosdem cardinales digniorem iis locum obtinuisse.

9. *Episcopi sollicitantur a Pontifice ut ad Concilium accedant.* — Cum vero exiguus episcoporum numerus interfuisset primæ illi Sessioni, Pontifex episcopos sollicitavit litteris, ut ad Concilium Tridentinum se conferrent, quo argumento extant subjectæ ad Sedunensem episcopum litteræ¹, ut una cum finitimis præsulibus Tridentum properaret.

« Venerabili fratri Joanni Jordano episcopo Sedunensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum dilectum filium equitem Hieronymum Francum nuntium nostrum ad dilectos filios Helvetios Ecclesiasticæ libertatis defensores ea de causa mitteremus, ut ipsi in OEcumenico Concilio prosequendo, quod, Deo adjuvante, Tridenti kal. præsentis mensis Maii instaurari et celebrari cœptum fuit, omni sua ope et auxilio adesse, et prælatorum suorum probatissimum quemque excitare velint, ut ad kal. Septembris proxime futuras, qua die secunda Sessio celebranda erit, eidem Concilio intersint, ad tuam quoque fraternitatem, quam ob ejus singularem virtutem, et merita semper plurimum dileximus, scribendum duximus, ut non ipsa solum pro sui officii debito ad dictum Concilium statuta die se conferre, sed pro sua auctoritate, quam isthic non medioerem esse accepimus, cæteros circumvicinos antistites, ut idem faciant, nostro nomine cohortari et monere velit, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XXII Maii MLI, anno II ».

10. *Helvetios invitavit Julius dum obsistit Henricus Galliarum rex.* — Conceptæ iisdem verbis litteræ ad Diethelinum Helvetium abbatem Sancti-Galli transmissæ sunt: amantissimas quoque litteras² tredecim Helveticarum regionum proceribus, qui solemnes conventus erant inituri, conscripsit, quibus eos plurimis paterni amoris et officiorum notis hortatus est, ut præsules provinciæ suæ Tridenti kal. Septembris adesse permoverent:

« Helvetiis tredecim Cantonum ligæ superioris Alemaniæ, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in dieta congregandis.

¹ Jul. III. l. v. brev. sig. num. 2884. p. 211. — ² Jul. III. lib. brev. sig. num. 2883. p. 61.

« Dilecti filii, salutem, etc. Jam tum ab initio cum per summi Dei benignitatem ad Pontificatum assumpti fuimus, ut felicitis recordationis Julii II prædecessoris nostri, qui præcipuam quamdam et plane paternam erga vos olim charitatem præ se tulerat, nomen sumpsimus, sic etiam in vobis diligendis et complectendis exemplum nobis imitandum proposuimus, sed cum multe et graves de Christianæ reipublicæ statu curæ atque occupationes animum nostrum assidue oppressum et distractum tenuerint, non potuimus tam mature quam volumus per certum aliquem nuntium vobis salutem et benedictionem impertiri nostram, ac nostri erga vos animi propensionem declarare: non destitimus tamen interea perpetuam vestram erga hanc Sanctam Sedem observantiam et fidem memoria retinere, cujus rei minime obscura fuit significatio, quod et in hac alma Urbe personæ nostræ pedestre præsidium, et item in civitate Bononiensi, quæ status Ecclesiastici quasi alterum lumen est, nominatim Helvetiis vestris decrevimus, eos in primis dignos existimantes, quorum fidei et solertiæ duplex custodia tanti præsertim momenti committeretur, in præsentia vero ad vos scribens ea se nobis occasio obtulit, quod cum Œcumenicum Concilium in civitate Tridentina, Deo adjuvante, instaurari ac celebrari kalendis Maii præteritis cœptum fuerit, et vestra, fili, studia et auxilia ad tam pium et Christianæ religioni necessarium opus continuandum et prosequendum magno adjuvamento futura confidamus, vos cum quanto possumus pii animi affectu monendos et cohortandos censuimus, ut ad kal. mensis Septembris proxime futuras, quo die secunda Sessio celebranda erit, prælatorum vestrorum probatissimum quemque permoveatis se Tridentum conferre, ut ipsi Concilio interesse velit ». Et paulo intra: « Ut autem intelligatis, quantum nobis curæ sit, ut amplissimi Tridenti consensu auctoritate imminuentia sacrosanctæ Ecclesiæ pericula propulsentur, quod hactenus facere nequivimus, cum incerti essemus, quo die resurrendum esset, non multo post de intimis prælatis nostris mittimus aliquem, qui nomine nostro, quæ opus fuerit de Concilio vobiscum agat, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. XXII Maii MDLI, ANNO II ».

11. Obstrinxisse se antea diximus Helvetios ad amplectenda Concilii Œcumenici decreta in religionis dissidiis, maximaque spes illius nationis generosissima a Zuinglii erroribus in castra Ecclesiæ traducende attulerat. Verum non parum obstitit Henricus Gallia rex, cum vereretur ne ea ratione Helveti ab ipsis fœdere in partes Cæsaris transvolarent, ut refert accuratissime Jacobus Augustus Thuanus¹ regius

senator, et in suprema regni Gallici curia præses: « Jam antea, inquit, Pontifex X kal. Junii litteras peramanter scriptas ad Helvetios dederat, quibus revocata Julii II qui eos summa charitate amplexus erat, cujusque nomen ipse renovaverit, memoria, eodem se animo erga ipsos se esse ostendit, ascito ex ipsorum numero ad sui corporis custodiam satellitio, et Bononiæ nuper ex ipsis imposito præsidio: nunc hortati ipsos quoniam ad Concilii celebrationem conjunctio magni momenti futura sit, ut eos legatos ad kal. Septembris mittant, cætera plenius intellecturi ex Hieronymo Franchio legato suo, cujus fidem et diligentiam jam a multis annis exploratam habeant, et quem brevi aliquis ex intimis suis episcopis subsecuturus sit, qui de Concilio cum ipsis agat prolixius. Verum rex Morlæo Museo, suo apud Helvetios legato, negotium dederat, ut quoquo modo posset, ne legati ab iis Tridentum mitterentur, impediret. Is quod rem difficultatibus implicatam cerneret, Paulum Vergerium apostatam, olim episcopum Justinopolitanum, ex Rhætiis, quo Palavio nuper se contulerat, accersit, ejusque opera usus et monitis instructus ad Badensem conventum proficiscitur: ubi rationibus suis et argumentis perfecit, ut non solum iis, qui a Pontifice defecerant, sed etiam cæteris Helvetiorum pagis, quod vellet persuaderet; continuoque Thomam Platum Curiensem episcopum eo profectum revocant, quod a Vergerio admoniti intellexissent, agere Pontificem, ut auctoritatem suam per illum apud ipsos recuperaret ». Hæc Thuanus. At hæc quidem egit Henricus non hæreseos fovendæ studio, cum hoc anno in castro Briandeo acerbiissimo edicto hæreticos in Gallia proscriptis, sed ex artis politice impiis documentis. E Gallia excindi sapienter voluit hæreticos, ne regnum dissidiis confunderent, in Germania vero inivit cum iis fœdus, ut Cæsari motestiam et bella contlaret.

12. *Pontifex exautorat doctores Sorbonicos a fide deficientes.* — Serpebat vero clam in Gallia hæresis, atque ex ipsa Sorbonica Academia nonnulli novarum opinionum virus adeo hausere, ut etiam illud in concionibus apud populum effluerent, quorum sine forensi strepitu exautorandorum jus contulit Pontifex Sorbonico collegio¹, ac ne quem lapsum relapsumve illi aggregarent, vetuit.

« Dilectis filiis collegio magistrorum in theologia Universitatis studii generalis Parisiensis.

« Dilecti filii, salutem. Sinceritas fidei, quam semper in nostro et Apostolicæ Sedis conspectu libere præstitistis, nos inducunt ut ea vobis libenter impertiamur, per quæ damnata hære-

¹ Jac. Aug. Thuan. hist. l. VIII

¹ Jul. III. lib. tit. brev. sig. num. 2882. p. 40.

ses evellantur; hinc est, quod nos de vestra prudentia, et in Deum pietatis experientia plurimum confidentes, vobis, quod omnes et singulos licentiatos et magistros in theologia, qui in suis concionibus aliquas propositiones hereticas, aut scandalosas proposuerint, de societate vestra, et corpore facultatis theologiae hujusmodi, sine aliquo judiciario strepitu eiecere libere et licite valeatis, plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem concedimus, vobis nihilominus in virtute sanctae obedientiae districtius inhibentes, ne de caetero aliquem, qui de haeresi suspectus, aut infectus, seu in illam lapsus vel relapsus fuerit, aut de cujus honestis conversatione, fama et moribus prius non constiterit, ad gradus, aut licentiaturam, vel magisterii in theologia hujusmodi admittere praesumat, non obstantibus, etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum die vi Februarii MDLI, anno 1^o.

13. *Parmense bellum accenditur.* — Dum Julius comprimendae haeresi, ne latius serperet, ac revocandis in sinum Ecclesiae Zuinglianis ac Lutheranis operam daret, confudit infelicissime saera illius consilia inopina occasio; cum restituta Octavio Farnesio Parma pacatum iri opinatus esset Italiam, ex levissima belli scintilla conflatum est maximum incendium: nam Caesar, qui jam Placentiam occuparat, ad Parmam invadendam expugnandamque animum adiecerat, ratus eadem ratione Mediolanensi principatui Parmam restituendam esse a Julio, qua Leo X Francisco Gallorum regi Ducatu Mediolanensi polito Parmam Placentiamque restituerat: nec electi potuit Julii Pontificis precibus Caesar, ne Parmensem ditionem affectaret, multo vero minus, ut Placentiam illi restitueret: itaque Octavius, maximi animi juvenis, retinendae Parmae cupidissimus, in Henrici Gallorum regis clientelam se contulit, ut Gallicis armis Casarea arma propulsaret. Praefocandi in fomite hujus belli avidus Julius internuntii opera rogavit Casarem, ut Placentiam jure fiduciario traderet Octavio, Pontificio etiam nomine Parmam simili jure traditum iri, salvo et integro tum Pontificis, tum imperatoris controverso in utramque urbem jure. Non admisit Caesar hanc tuendae pacis Italicae legem, ex qua totius reipublicae Christianae concordiae ratio pendebat: quare Octavius, pro asserendo Parmensi principatu, praesidiarias Gallorum regis copias Parma excepit; ita inter Galliae regem et Casarem

accensae funestissimi belli et odiorum faces; nec enim Pontifex ullis monitis abducere potuit Octavium a Gallico fodere, nec etiam minis vel censuris intentatis ad officium revocare: eumque decreturus esset in cardinalium senatu arma conjungere cum Caesare pro eripienda Octavio Parma, praevidit bellum simile esse labyrintho, in quem facilis patet aditus, sed via ex eo emergendi ignoratur. Casareum ararium ob praeterita bella fore exinanitum, Pontificumque ferme esse exhaustum, Turcas a Gallo in Casarem concitari posse, vel etiam Lutheranos ad defectionem posse trahi, Conciliumque Tridentinum, ardente inter eos reges bello, odiisque inflammatis dissipari posse; nondum enim pacatas firmasque res Germaniae, quae internuntii opera significata sunt Caesari; necnon expositum est satius fore ut Concilium Tridentinum tantum kalend. Septembris aperiretur, propter maximam annonae difficultatem; necnon ut sciri posset, quid tandem in Concilio Gallicae nationis tum indicto decerneretur.

14. At Caesar¹ omnem operam defixit, ut Julium, qui se partibus Caesareis nimium addixerat, adversus Gallorum regem, qui praesidium Parmae imposuerat pro tuendo Octavio Farnesio, in belli societatem adigeret (1). Julius vero volvens animo plura graviora pericula ex eo bello impendere, atque impedimenta celebrando Concilio Tridentino conflare, sopiendae dissensionis studio Ascanium Corneum ad Galliae regem oratorem misit, ut eum a gerenda Octavii Farnesii clientela abduceret, eum regiae dignitatis non esset, perduellem juvenem adversus Pontificem supremum Parmae dominum armis defenderet; utque etiam indictionem Gallicanae Synodi admodum suspectam rescinderet, ac potius Galliarum episcopos ad Concilium Tridentinum mitteret², ad quod promovendum regia studia collocaret. At Henricus rex deserere Octavium abnuit, eumque in Parmae possessione tueri constituit; et ita actio concordiae, quam cardinalis Medices cum Octavio Pontificio nomine tractabat, abrupta est: Caesar vero Pontifici iracundia in Octavium inflammato validissima auxilia, ac ducenta aureorum millia pro bellico sumptu pollicitus est; necnon Parmam, cum expugnata fuisset, se Ecclesiae concessurum, quibus promissis Pontifex in suscepto gerendi belli Parmensis consilio firmatus est,

¹ Mass. in Diar. Conc. Trid. — ² Ext. de his lit. 1. v. brev.

(1) Ex iis quae inferius nunt. 24 ex Surio narrat annalista satis constare arbitror bellum hoc Parmense Julio tantummodo Pontifici imputandum esse. Imperatorem vero hac occasione nihil rei cum Gallo habuisse: quamquam postulanti Pontifici auxiliares copias indulisit. Hinc post aliquot menses novum accidit et improvisum Germanis nuntium de bello ab Henrico Gallorum rege indicto, ut ex Surio ibidem nunt. 24 relato discimus. Omnem vero instituti belli hujus Parmensis causam non in Pontificem quietem, sed in Didacum Mendozaem Casarem apud Pontificem oratorem refert Prosper Sanctaerucius coaevus auctor in Commentario de civilibus Galliae dissensionibus, vulgatae a Martene in Thesouro Monumentorum to. v. Hujus suasionibus, ait scriptor ille lib. 1 Julio « invito, ac volente imperatore bellum » susceptum est. Corrigendus est igitur annalista qui expeditionis hujus principes auctoresque Julium et Carolum imperatorem coostituunt.

ac supremum Ecclesiastici exercitus imperium militare Ferdinando Gonzagæ infensissimo Octavii hosti contulit die vi Junii; atque Angelum Medicem, qui postea in Pontificatu Pii IV nomen accepit, in eodem exercitu legatum cardinalem creavit. Quare effusa a Gallorum regis oratore et cardinalibus querelas gravissimas, Octavium non foveri ab Henrico rege, ut perduellem, sed ut filium Ecclesiæ obsequentem, quem Cæsarei Parmensi principatu deturbare moliebantur, contempsit, Gallicique regni odia contra se maximo Christianæ reipublicæ damno, conflavit. Conciliandæ tamen pacis avidus misso Parmam cardinale Sanctoignore Octavium patruæ pro Parma, quam sibi restitui flagitabat, Ducatum Camerini, ac Civitatis-Novæ ditionem, atque octo millia nummorum annua obtulit decima die Junii, consentiente cardinalium senatu: tum Alexandrum cardinalem Farnesium, ut fratrem ad has concordia leges inflecteret, misit. At ille non Parmam, sed ad ducem Urbini sororium se contulit, contractasque militum copias subsidio fratri misit: illusus ab Alexandro Pontifex Raynulinum cardinalem Farnesium Parmam proficisci jussit, ut fratrem Octavium ad Pontificis obsequium adduceret; at ille Urbinum, spreto mandato Pontificio, profectus, inde Venetias secessit: studuit Julius amantissimis litteris utrumque cardinalem, quibus de parto Pontificatu obstrictus erat, ad officium revocare, quo argumento inscriptæ sunt Alexandro cardinali subjectæ litteræ ¹:

15. « Dilecto filio nostro Alexandro Sancti-Laurentii in Damaso diacono cardinali, Farnesio nuncupato, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecellario, salutem, etc.

« Meminisse debes te licentiam a nobis discedendi ea ratione habuisse, ut Parmam ires, et Octavium fratrem tuum ab ejus inobedientia et contumacia ad gratiæ nostræ (quæ erga vos fratres cumulatissima semper fuit, critique si volueritis) gremium reducens, quod an feceris tu ipse scis: illud vero de quo hic vulgus omne prædicat, et rumor quotidie magis percrebrescit, quod scilicet, postquam in ducatum Urbini te reduxisti, ibi militum copias publice describas, atque ipsi Octavio rebeli contra edictum nostrum, necnon Horatio Farnesio, et aliis, qui apud Mirandulam sunt, et agrum civitatis nostræ Bononiæ hostiliter invaserunt et diriperent mittas, vix abduci possumus ut credamus. Quamobrem, ut nos molestia id quotidie de te audiendi, teque ea infamia simul liberemus, hortamur, requirimus et monemus te tibi que in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quantum receptis presentibus sine mora et omni excusatione semota, isthinc discedens ad nos redeas, ac nobis in regimine universalis Eccle-

sia, ut teneris, assistas, nos enim te redeuntem et fratres tuos inobedientes deserentem læti videbimus, amplectemur paterne, et ut filium, omnium per te hactenus commissorum et perpetratorum penitus obliti, amantissime tractabimus, quod Deo, mundo et tibi in verbo et fide veri Romani Pontificis spondemus et pollicemur. Dat. Romæ, etc. XVI Junii MDLI, anno II ».

Excusanti se Alexandro ¹, redeundi ad Urbem onus remisit, modo ad aliquam ditionis Ecclesiasticæ, vel Principatus Cosmi ducis Florentiæ urbem se conferret, sequæ in obsequio Sedis Apostolicæ contineret.

16. Cum vero metueret Julius, ne circa Urbem bellici tumultus excitarentur, cum Horatius Farnesius urbe Castro, ac plurimis oppidis in Patrimonio potiretur, contractis copiis Castrum expugnare decrevit, si Hieronymam ducissam Farnesiam ad deditonem non compelleret. At illa belli tristem exitum verita, eam concordiam iniit, facturam se deditonem, modo Castrum et alia oppida filiis ad obsequium Ecclesiæ reversis restituerentur. Laudavit Julius ² prudentiam ducissæ, quæ ut mater amantissima eam partem, qua filiis magis prodesset, elegisset, datisque litteris xxv Junii pollicitus est se acceptas a filiis ejus injurias voluntaria oblivione deleturum, et Castrum et alia oppida, cum ad obsequium officiumque rediissent, restitutum iri.

17. Interea Ferdinandus Gonzaga Mediolani præfectus exercitum adversus Parmam duxit, captisve Brisello et Nocero oppidis, multa Parmensibus intercluso comæatu damna intulit. Ex adversa parte Gallica Petrus Strozzius, et Cornelius Bentivolus Gallicis succineti copiis, Mirandula erumpentes Bononiensem agrum vastarunt, atque ingenti terrore Bononiam complevere, ad quam tuendam Pontificæ copia relicta Parma provolarunt.

18. *Cæsaris arma implorat Julius, unde acta dissidia inter Gallum et Pontificem.* — Illis pressus angustiis Julius, ac timens ne Romandiola et Ravenna in graviore tumultus connecte discrimen adirent, imperatoris opem imploravit ³, ac multa de Octavii defectione conquestus, rogavit, ut Galliæ regem per litteras, vel per oratorem permoveret, ne pro tuendo Octavio tam graves injurias Sedi Apostolicæ inferret.

« Imperatori.

« Charissime, etc. Novit ille, qui nihil ignorat, novit etiam majestas tua, cui omnia nostra tum de pace, tum de religione consilia nota semper esse volumus, quæ præcipue ratio et causa nos ad compeſcendum Octavii Farnesii obstinatam temeritatem impulerit, atque quot

¹ Jul. III. lib. brev. sig. num. 1883. p. 109.

² Lib. III. p. 333. — ³ Ex. I. v. brev. — ³ Jul. III. lib. brev. III. sig. num. 2882. p. 354. et I. IV. p. 164.

litteris, nuntiis, monitis, ac etiam oblationibus hominem beneficiorum ab hac Sancta Sede receptorum immemorem, nobis inobedientem et rebellem, ad sanioŕem mentem et ad nostram gratiam reducere enixi fuerimus, antequam ad ea remedia deveniremus, atque pro nostro et hujus Sedis honore inviti deveniremus, qua in re cum a majestate tua tanquam ad Ecclesie advocato brachium sæculare imploravissemus, quam sperabamus pietatem in ea invenimus, quippe quæ officii piētissimi imperatoris potius et justitiæ, quam illius humanæ necessitudinis rationem habere voluit. Cum vero sciremus ipsum Octavium non in suis, ac suorum viribus, sed in regis Francorum favore confidentem in tam pertinaci proposito damnabiliter perseverare, ipsum regem per litteras, per nuntium apud eum nostrum, per ejus apud nos oratores, per diversos viros graves, et nonnullos etiam sanctæ Romanæ Ecclesie cardinales, et tandem per nostrum nepotem ad illum missum, cum omni humilitate precali sumus, ut nostrum et hujus Sedis honorem posthabere nollet, velletque amicitiam nostram firmam et solidam, ipsiusque Octavii levitati anteponere, non posse nos ullo modo, sine pernicioso in perpetuum exemplo, quandoquidem hæc Sedes innumeros subditos eosque potentiores habet, feudatarii et subditi nostri inobedientiam et rebellionem dissimulare, proptereaque nulla nos vel juris vel facti remedia contra ipsum Octavium omisuros esse, qua in re neque ipsum regem, neque quemquam ex suis offendi putabamus.

19. « Dum autem tam frequentes et justas preces nostras exaudiri expectamus, ecce iniquitalis filii Horatius Farnesius, Petrus Strozzius, Aurelius Fregosius, et Cornelius Bentivolus, necnon supra cæteros iniquissimus Picus una cum aliis Pedemontani regii exercitus ex Gallis currentes veniunt, Parmam se primum conferunt et Octavium confirmant, collecta deinde apud Mirandulam, facinorosorum omnium asylum, multorum aliorum exulum et perditorum manu, inimicissimo et hostili animo in agrum civitatis nostræ Bononiæ erumpunt, oppida Ecclesie invadunt, admotis bellicis tormentis diruunt, homines liberos subditos nostros capiunt, spoliant, devinciunt, greges et armenta abducunt, magnam segetum et frumenti copiam asportant, omniaque ferro et igne vastant, et tandem præda onusti ad ipsum oppidum Mirandulæ se recipiunt, idemque non semel tantum, sed bis, ter et quater faciunt, nunquam ab hac sevitia temperati, sed malis pejora semper reddituri, nisi Ecclesiastici exercitus milites tot injuriis permoti, expeditionem Parmæ intermittere, et ad resistendum prædictorum exulum furori prope Mirandulam castra ponere coacti fuissent. Maxime vellemus ab horum factorum culpa regem ipsum excusare,

sed ex iis quæ nuper detecta sunt aliter sentire cogimur : misit enim ipse Horatius ad nos certum famulum suum cum litteris, in quibus scribebat, ut illi ipsi ejus familiari plenam fidem in referendis haberemus : is vero in suo sermone cum excusare vellet ea, quæ Horatius gesserat, jurejurando affirmavit, venisse ipsum in Italiam jussu regis, ab eo habuisse in mandatis, ut quidquid dominus de Thermes nuncupalus, qui regis tunc orator apud nos erat, ei injungeret, impigre faceret, illam agri Bononiensis invasionem et vastationem fuisse ipsi Horatio ab eodem Domino de Thermes injunctam ac demandatam. O rem indignam, et antehac inauditam ! non dubitamus majestatem tuam, cum hæc legerit, in tantam esse admirationem venturam, ut juxta dicta factum fuisse credere vix possit. Res tamen ita se habet, ut ex processu authentico præsentibus alligato, majestas tua clarius et latius cognoscere poterit : nos, fili charissime, in magna sumus animi anxietate constituti, detecta harum injuriarum origine, et valde dolemus, quod talis rex nulla in re a nobis laecessitus præter veterem prædecessorum suorum morem, qui innumeris honoribus ab hac Sancta Sede honestati eam semper defendero consueverunt, nostro tempore arma contra eam moverit, et nobiscum ita hostiliter agat, sed probitas et pietas majestatis tuæ, in qua omnes spes nostras collocavimus, nos consolatur et recreat : proinde ab ipsa majestate tua per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi petimus, ut de suæ summæ auctoritatis patrocinio nobis et eidem Sedi apud ipsum regem deesse nolit, eique per speciales nuntios vel litteras persuadere velit, ne tam graves injurias nobis suo nomine inferri ulterius patiarer, ostendens ei rem esse illa corona indignam, et quæ florentem ejus ætatem et virtutem non levi dedecore et infamia sit apud omnes maculatura. Speramus sane majestatis tuæ operam et exhortationem ejus ponderis apud eundem regem futuram, ut seipsum agnosceens, Octavii defectionem non foveat, miles, qui in Mirandula sunt, revocet, atque nobis et huic Sanctæ Sedi veteri suorum prædecessorum instituto et more adhaereat; quod si exhortationes et preces etiam majestatis tuæ non audierit, hortamur eam, ut nobis, et huic Sanctæ Sedi præsentis auxilio succurrens dilecto filio nobili viro Ferranti Gonzaga, tuæ majestatis in Italia locumtenenti, mandare velit, ut manu forti se statim dictis militibus in Mirandula existentibus opponat, curetque, ne ulterius Ecclesiasticæ ditiosis loca invadere, et majoribus quotidie damnis afficere valeat. Deum autem Optimum Maximum votis omnibus precamur, ut ipsum regem ad ea capienda consilia dirigat, quæ universæ Christianæ reipublicæ pacem, concordiam et salutem, ipsique regi et

nobis animi tranquillitatem et quietem parere possint. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum xxvii Julii MDLI, anno II ».

20. Non defuit Cæsar Julio Pontifici ¹, cui undecima Julii centum quinquaginta aureorum millia in militum stipendia submisit, cum antea mense Julio alia centum millia numerasset: auctusque viribus Julius Mirandulam, ex qua excursions in agrum Bononiensem factæ erant, obsidione cinxit; necnon Ferdinandus Gonzaga ad Parmam castra promovit: Galliæ vero rex cum frustra tentasset Julium flectere, ut Octavio conciliaretur, concepta in eum iracundia vetuit e Gallia pro expedienda sacerdotiorum collatione pecuniam transferri Romam, ne hosti ad bellum gerendum usui esset: tum in cardinalium senatu ² Pauli de Thermes oratoris opera questus est, Julium supremum imperii Christiani caput, communis parentis, iudicis integerrimi, ac veritatis vindicis munus, cum iniqui accusatoris et privati hostis officio commutare, regio nomini maculam aspergere, quasi defectionem ab Ecclesia meditaretur; cum tamen Christianissimi regis acceptum nomen piis operibus ornesset, translato Bononiam Concilio pro tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate adhæsisset, pro asserenda etiam re Catholica in Scotia et Gallia contra hæreticorum Anglorum impetus multa prælia conficisset, afflictam sibi criminis suspicionem, cum ad comprimendam serpentem hæresim monuisset litteris episcopos, ut suas dioceses Iustrarent, excinderent vitia, notarent corruptelas, quæ ad Concilium referri possent, significasse metropolitanis, ut episcopos desides in jus vocarent, Synodos Provinciales celebrarent, quarum usus sacris canonibus adeo commendatus intermissus erat, atque in Concilio nationali religionis splendor, et puritas morum restitueretur, nec se quidquam adversus Sedis Apostolicæ, et Concilii OEcumenici dignitatem meditatum, pro qua tuenda sanguinem profunderet paratissimus esset, ut antea a cardinale Lotharingio fuerat Pontificio internuntio significatum; tum addidit, aliena culpa in Italia concitari bella, fedusque ictum cum Octavio Parmensi in adversam partem accipi. Perpenderent porro Pontifex et cardinales, num ea sumpta clientela pro libertate Italica defendenda, ac ditione Ecclesiastica contra vim Cæsaris propugnanda, eorum odia promereretur. Parmam enim gravius esse momenti, qua occupata ab hoste, jugum Cæsareum imponeretur, nec vero externam militiam inductam in Parmensem urbem, nec adversus decus Pontificum gestum, suppeditata tantummodo pro Parma propugnanda stipendia, que nunquam repetenda forent. Cæterum se abjecturum Parmæ patrocinium, si Pontifex ad

Parmam suis armis defendendam se obstringat, Farnesiorumque damna sarciat, ac Cæsar pariter Placentiam Ecclesiæ restituat. Tum præmonuit, promotò Parmensi bello, Concilium disturbatum iri, contestatusque est graviora inde mala oboritura, quorum culpæ immunis foret; cæterum, quicumque casus acciderit, nunquam se ab Apostolicæ Sedis obsequio defecturum. Ad hæc Julius gesta ac dicta sua excusavit, constitisse enim ex regis litteris Avenionem ad cardinalem Armeniacum, necnon Romam transmissis ad episcopos Gallos Concilium nationale fuisse ab Henrico indictum; ex quo novandarum rerum ingentiumque discriminum suspicio apud pios quosque fuerat concitata, cum altare adversus altare erigi, Conciliumque adversus Concilium cogi videretur.

At Tridentini Patres ægerime accipere geri a Pontifice Parmense bellum, cum pax ad provehendas res Concilii pernecessaria esset, nec etiam liquebat, cur potius Julius adversus Gallum pro defensione Parmæ clientela bellum gereret, quam adversus Cæsarem pro invasa Placentia; gratiam namque Cæsaris secutus, illi se adversus Gallum conjunxit, quem postea suscepti male belli graviter pœnituit. Ardente autem Parmensi bello Henricus rex in cardinalium senatu oratoris opera iterum kal. Augusti contestatus est, se omnes rationes pro tuenda publica pace conquisivisse, verum se invito bellum accensum, quo Europa arsura, ac Concilium disturbandum esset, cujus auctoritatem mox elevare cepit, ac acerbe carpere, dicitans id tantum in eo spectari, ut Cæsari tantum, non vero toti reipublicæ Christianæ prodesset; proinde aequi acciperent Pontifex et cardinales, si episcopos e Gallia Tridentum nullos mitteret, cum ob belli incommoda, nec tutum, nec liberum iis foret Tridentum adire, atque adeo non futurum OEcumenicum, sed particulare, in quo Julius aliquibus principibus, nimirum Carolo ac Ferdinando ablandiretur, seque eorum voluntatibus accommodaret. Adeo irarum æstus abrupit Henricum regem, ut contemptus a Pontifice ad defectionem inclinare videretur, sed demum dicti acerbiter ita lenivit, se, licet Ecclesiæ Gallicanæ jura fueretur, nunquam ab Apostolicæ Sedis obsequio discessurum. Ad hæc Pontifex Henrico celebrandi Concilii causas exposuit, nec quorundam principum commodis in ea re morem geri, tum Gallorum episcopis liberi ac tuti commeatibus syngrapham obtulit, qui si defuerint, non tamen Concilii Tridentini dignitati detractum iri, quin vere OEcumenicum sit, tum Galliæ episcopos, ad quos Apologiam scripsit, hortatus est, ut precibus regem flecterent, ut pro celebrando Concilio Tridentum adire iis permitteret; sed incassum fuscæ preces.

21. *Parmensi obsidione soluta, Julius ad*

¹ Dur. Conc. Trid. Adian. I. VIII. ² Jac. Ang. Thuan. I. VIII.

pacem cum Gallo se convertit. — Infensus erat Henricus Julio, ejus animum duriorum cum emollire ad amplectenda pacis consilia non potuisset, frangere armis constituit, eductoque ex Pedemontio exercitu forti, factaque in Insubriam irruptione, plura oppida impetu cepit: quo adverso casu percussus Ferdinandus Gonzaga Parmensem obsidionem solvit, ut ad tuendam Insubriam procureret: ac tum Pontifex volvens animo, non modo Italiae imminenda mala, multorum ad pacem eum adhortantium principum precibus impulsus, necnon Venetorum, quos frustra, misso internuntio Achille Grassio, ad suas et Caesareas partes pellicere pertentavit, persuasione victus, ut communem omnium parentem se gereret, tum bellicis incommodis fatigatus, ad pacis consilia se convertit¹, atque ad imperatorem cardinalem Carpentensem, ad Henricum vero Galliae regem cardinalem Verallum legatos concordiae interpretes circiter medio Septembri decrevit, de quibus Henricum regem certiorum fecit hisce litteris exaratis², multis paterni amoris et benevolentiae notis aspersis:

22. « Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Eo die quo placuit Deo pro ejus providentia et Aponitate nos nullis nostris meritis ad summi Apostolatus apicem assumi, in animum nobis induimus, ut benevolentissimi parentis personam erga omnes Christianos principes indueremus, maxime vero erga tuam serenitatem, cui nos plurimum debere sciebamus: quamvis autem postea aliqua inter nos dissensio exorta fuerit, nunquam tamen paterni nostri erga tuam majestatem amoris obliti sumus; cum autem ob plurima atque magna tum Pontifici muneris, tum personae nostrae impedimenta, per nos ipsos sicut vellemus tuae majestati animum nostrum notum facere nequeamus, ut quanti eam faciamus ipsi tuae majestati, toti Galliae, atque universae Christianae reipublicae imotescat, et quid in corde semper gesserimus, testatum apud omnes sit, elegimus in nostro Consistorio secreto de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio dilectum filium nostrum Hieronymum fil. S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem, Verallum nuncupatum, virum dignitate, doctrina atque prudentia praecelsum, tuae majestatis studiosum, quem nunc Dei et nostra benedictione nostrum et hujus Sanctae Sedis legatum ad majestatem tuam mittimus. Is sane eidem tuae majestati omnia nostra consilia, atque cogitationes de communi pace, de religione instauranda, de tuae majestatis apud nos existimatione, atque tandem de Italia, et totius Christianae reipublicae tranquillitate apertissime explicabit. Hortamur igitur, atque

rogamus tuam serenitatem in Domino, ut pro sua suorumque majorum erga hanc Sanctam Sedem pietate et observantia ipsum Hieronymum cardinalem legatum honorifice excipere, atque benigne etiam eum ea fide audire velit, cum qua nos ipsos audiret, si eam alloqueremur: spondemus enim in verbo veri Romani Pontificis nos quaecumque ipse nostro nomine cum majestate tua aget, esse firmiter observaturos. Dat. Romae 1 Octob. MDLI, anno 11 ».

23. Hortatus etiam est Pontifex Catharinam reginam¹, ut pro eximio in Romanis Pontifices studio, et quae Leonis X et Clementis VII neptis exlisset, legati pia consilia ad Dei gloriam et religionis dignitatem spectantia proveheret apud regem:

« Charissimae in Christo filiae nostrae Catharinae, Francorum reginae Christianissimae.

« Quod nos in tuae majestatis opera ad pacificandam Christianorum rempublicam, ejusque salutem procurandam spem maximam habeamus, faciunt tum religio pietasque tua, tum, quod Christianissimi regis uxoris, et Christianissimae reginae titulo decoraris, ac praeterea duorum Summorum Pontificum Leonis X et Clementis VII, quos amoris gratia nominamus, neptis, dum viverent, tuisi, propterea mandavimus dilecto filio cardinali Verallo legato nostro, ut majestate tua paterna nobis salutata, super negotiis cum rege ipso viro tuo agendis ad publicum bonum pertinentibus, cum ipsa tua majestate nostro nomine loquatur. Hortamur proinde eandem tuam majestatem in Domino, ut ipsum cardinalem legatum, magnae dignitatis ac doctrinae virum, benigne audire, consilio dirigere, favore et gratia, qua plurimum apud ipsum regem potest, fovere et juvare velit, quod sicut singulari virtute et probitate majestatis tuae dignum, ita Deo acceptum, et nobis super quam dici possit, gratum erit. Datum Romae 1 Octob. MDLI, anno 11 ».

Exceptum magnificentissimi legatum Parisiis refert Jacobus Augustus Thuanus² his verbis:

« Hieronymus Verallus legatus Pontificis regem ad Fontem-Bellaqueum convenit idibus Decembris, et paulo post Lutetiae solenni pompa de more ab omnibus ordinibus regis jussu excipitur, ejus mandatis in senatu cum diplomate regio allatis, ac deliberatione habita, promulgatis, eadem conditiones appositae sunt, quae olim Ambrosii, Gaufferii, Pratensis, Farnesii, Sadoleti, et nuper S. Georgii cardinalium consimilibus mandatis: additumque insuper ne legatus per alios vicarios, sed tantum per se munus suum in Gallia exerceat, dignitates majores post Pontificales in cathedralibus, atque

¹ Acta Consist. — ² Jul. III. l. IV. sig. num. 1881. p. 244.

¹ Jul. III. l. IV. brev. sign. num. 2883. p. 245. — ² Jac. Aug. Thuan. l. VIII.

etiam in collegialibus, in quibus formula capitulis, quia propter servatur, in quemquam ne conlertat, nec canonicos, ne de collegiorum quidem consensu, spe in futurum gratiae obtinendae, creet, nihilque faciat, quod sanctis decretis, pactis, iuribus, privilegiis ac praerogativis regis, immunitatibus et libertatibus Ecclesiae Gallicanae, et publicarum regni scholarum edictis, constitutionibus regis, et senatusconsultis, ac nominatim edictis, quae *parvas datus*, quas vocant, et notarios Ecclesiasticos spectant, deroget aut praedictet, easque conditiones impletorum se, scheda manu propria subscripta, et in curiae acta referenda, regi cavere teneatur, id actum in senatu exeunte anno XVII kal. Januarii. Legatus cum rege pacis capita ex mandato Pontificio transiit, cum rex consentiret, ut Octavianus Farnesius Parmam restitueret Pontifici his legibus, primo ut aequa compensatio Octavio tribueretur: secundo ut regi certissime ac fidelissime se obstringeret, Parmam in potestatem Caesaris non esse redigendam, praefectum Parmae imponeret presidio militari instructum, qui nec Galliae nec Caesareae partium esset, sed nomine Sedis Apostolicae eam teneret: tertio, ut in dissidiis, quae inter Galliae regem et Caesarem intercederent, partes Caesareae non efficeret: cui responsum est a Julio, se nullis parciturum laboribus, ut pacem firmissimam inter Galliae regem Caesaremque conciliaret, itaque proximo ineunte anno pax inter Julium Pontificem et Henricum regem firmata est, ac relictus Caesari locus ut foederi accederet.

24. *Caesaris odio confirmata haeresis.* — Ad haec significanda Caesari cum cardinalis Carpenensis, febre quartana implicitus, ad imperatorem non se contulisset, Pontifex Cameracum ad Caesarem proficisci jussit, inclinante mense Decembris: ut cum, sublatis jam belli Parmensis causis, ad pacem cum Henrico rege sancendam incitaret. At Caesar acerbo animo pacis hujus nuntium excepit; graves enim iras conceperat adversus Henricum regem, qui plures in Insurbria arces Caesareae expugnarat, atque etiam novas res Mediolani erat molitus, tum in Belgico mari classem Caesarem dolo ac proditione oppresserat, praedamque ad quingenta millia aureorum ascendenti rapuerat; dumque lovet in eum odia, pacemque adeo necessariam pro Concilio ad felicem finem perducendo et extinguenda haeresi respuit, Henricus graviolem in eum odiorum malorumque molem effudit, ac probrata divini numinis causa, novam belli procellam contulavit in Germania; misso enim Joanne Fraxineo episcopo Bajonensi, tectus cum Mauritio Saxoniae duce, et... Marchione Grandeburgensi VII idus Octobris adversus Caesarem percussit, specie tuenda libertatis Germanicae, quod Carolus Caesar Protestantes ab impia superstitione ad pietatem, et obsequium

Romanae Ecclesiae, opera Tridentini Concilii revocare eniteretur, de quo haec Surius¹: «Augusti die xx, Ecclesiae Augustanae ministri Evangelici Caesaris voluntate intra diem tertium ex urbe decedere jubentur, nec usquam omnino concionari intra Caesaris ditiones. Intra Augustam velat Caesar Lutheri dogmata doceri. Eodem modo actum est cum Memmingensibus, et aliis Sueviae concionalioribus. Erat in iis quidam, cuius Dalila cum jam proxima esset partui, is sibi copiam fieri uxoris, ut ipsa vocabat, invisidit. Tum Atrebatensis episcopus cum primis eruditus, ad suos conversus ait, uxorem isle vocat, quae scortum est, et revera non nisi scorta, imo scortis pejores sunt, quae vel sacerdotibus vel monachis junguntur. Horum autem prolifigatio magnum omnibus ubique terrorem incussit, qui haud dubio idem sibi quoque formidarent, potuissentque haec ratione populus misere seductus in viam reduci, expulsis pravis et seditiosis doctoribus, cum ecce in tanta publica pacis et tranquillitatis expectatione Galliae rex Caesari bellum movet. Mauritius deinde cum Gallo foedus terit, eam gratiam pro maximis beneficiis Caesari rependens, Caesaremque vehementer et Gallus et Mauritius afflixerunt, tam inopinato nec usquam indicto bello: imo cum Caesari Mauritius omnem interim obsequentiam polliceretur, et Gallus videretur nullas belli justas causas habere. Quicumque autem hujus in Caesarem inexpectati belli auctores fuere, non diu postea supervixere, et plerique omnes in ipso aetatis flore dura morte periire. In Gallia Christianissimo rege mirum fuit, quod se eo quoque nomine scriberet bellum Caesari facere, ut Saxonem et Lantgravium, qui erant praecipui Lutheranae doctrinae patroni, in libertatem assereret, cum tamen ipse in sua dilectione Lutheranos, et aliarum sectarum homines severissime persequeretur».

25. Nec modo Henricus oratores ad Concilium Tridentinum regis Christianissimi more non decrevit, verum praesens, ne ad illud se conferrent, inhibuit. Defenderat antea Bononiense Concilium adversus Caesaris conatus, jam vero Tridentinum, quod illi Caesar impense haberet, insectatus est: adeo reges suis reguntur cupiditatibus, ut religionem iis servare, non religioni servire non raro velint. Exant porro in Synodi Actis² Caesareae litterae, quibus ille Julio ineunte oratores, ad sessionem kal. Septembris celebrandam decrevit, cum Germanicis turbis districtius Concilio interesse non posset.

26. «Cum beatissimus in Christo pater et DD. Julius III, divina providentia S. R. ac universalis Ecclesiae Pontifex Maximus D. N. R. sacrum Oecumenicum et Generale Concilium

¹ Surius in Comm. hoc anno. — ² Act. in Actis Conc. ex edit. Bma.

per Sanctifatis suæ prædecessorem felicis recordationis Paulum P. P. III indictum et incaputum, et aliquandiu ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore maxima totius orbis Christiani perturbatione vigerunt, denuo ad civitatem Tridentinam revocaverit, ac per litteras suæ Sanctifatis kal. Maias proxime præteritas convocaverit. Nos vero ob adversam valetudinem, cum qua aliquandiu, et jam continuo ferme conflictamur, tum aliis negotiis impediti, quum eidem Concilio, uti cupiebamus, personaliter interesse non possimus, ne tamen muneri nostro in rem ardua defuisse videamur, operæ pretium duximus mandatarios, procuratores nostros eo ablegare, ac proinde confisi de fide, probitate et rerum experientia, ac erga sacrosanctam religionem nostram orthodoxam zelo ac pietate venerabilium, devotorum, ac generositate nobilium fidelium nobis dilectorum Hugonis comitis a Montfort, domini Francisci a Toletoprioris monasterii Reconvalensis, et Guillelmi a Pictavia archidiaconi Campaniæ, consiliariorum nostrorum, eosdem tam ratione imperialis nostræ dignitatis, quam sustinemus, quam regnorum et provinciarum hæreditario jure nobis spectantium conjunctim et separatim fecimus, creavimus et constituimus, etc. Datum in civitate nostra imperiali Augusta Vindelicia die primo Julii MDLI, imperii nostri XXXIII, et regnorum nostrorum XXXVI ».

27. *Secunda Concilii sessio in qua leguntur litteræ Galli regis ad Concilium.*— Condicta die, prima Septembris, sessio duodecima eademque secunda Julio Pontifice celebrata est; solemnique ritu divina res peracta atque a Concilii præside sacra oratio habita, qua præsules ad diligentiam omnem pro asserenda Catholica re, hæresique delenda excitati fuere, ejus præcipua pars his sententiis ac verbis concepta fuit ¹:

« Maxima semper, ut vos minime præterit, patres, generalium Conciliorum vis maxima fuit atque auctoritas. Nec enim dubium est, quin eis, modo recte et ordine habeantur, Spiritus sanctus ipse præsideat, etenim si Dominus noster, ubicumque duo aut tres in nomine ejus fuerint congregati, in medio eorum se futurum confirmavit, quis eum, et sanctum ipsius Spiritum abesse putet ab hujusmodi plurimorum Patrum et sacerdotum conventu justo atque legitimo, qui, quemadmodum hic noster, propter causam fidei et religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique et tranquillitatem Ecclesiæ sit coactus. Itaque, talium Conciliorum scila non hominum magis quam Dei ipsius existimantur esse decreta. Horum exemplum nobis primis illis Ecclesiæ temporibus

Spiritus sancto pleni Apostoli prodiderunt. Ad hoc remedium majores nostri deinceps gravissimis Ecclesiæ temporibus confugerunt. Hoc Arianam illam sectam toto terrarum orbe diffusam, tam inveteratam, tantis studiis opibusque potentissimorum principum defensam, hoc Macedonii, Nestorii et Eutychetis hæresim, innumerabilesque alias sustulerunt. Hoc sæpe sacerdotum et populi vitam ac mores reformarunt. Hoc seditionibus et discordiis aliquando agitatum Ecclesiam in quietum et tranquillum statum redegerunt: quare magna spe, magno animo, Patres, tam piis actiones, et tam Christiano nomini salutares persequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc officium nostrum est, qui hænc ob causam ex tam distantibus, et tam remotis regionibus in hænc Urbem convenimus. Nam cum propter pravos et corruptos mores, Dei venerationem, cultum et charitatem ubique imminuta, tum vero hæresibus et impietate dogmatum, veritatem et sinceritatem fidei nusquam vere non contaminatam atque pollutam videamus, quis tam ingratus, ac tam inmemor divinorum munerum ac beneficiorum erit, qui non Dei benedicti cultum et gloriam non cæteris modo rebus anteponat, sed vitam et anima sua habeat chariorem ». Et infra: « Incredibile est, quibus piorum omnium votis expellitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rursus resilitum hoc fuerit instauratum Concilium. Persuasum iis est et recte persuasum, hoc unum esse remedium, quo Ecclesiæ navis jam diu hæresum et discordiarum procellis agitata atque quassata, et cum vi tempestatis, tum nautarum etiam negligentia prope obruta et periculo eripi et tuto in portu possit collocari, etc. »

LECTÆ sunt ab Angelo Massarello ¹ Concilii chartophylace, piæ quædam admonitiones de modo in Concilio agendi. Deinde publicatur decretum, in quo redditur ratio, quare in præsentis sessione nihil agatur de rebus fidei vel morum. Indicitur futura ad diem XI Octobris, et quod statim tractatur de Sacramento Eucharistiæ, et de impedimentis quæ restant circa commodiorem residentiam episcoporum.

Exhibetur mandatum procuræ Casareum ab illustrissimo domino comite a Montforti, qui etiam scripturam quandam, in qua suam comparitionem designabat, præsentavit, quod mandatum et scripturam ego legi, deinde respondi nomine Synodi, et ejus mandatum et comparitio admittitur.

Postea episcopus Viennensis orator regis Romanorum exhibuit etiam mandatum suum, quod similiter a me lectum fuit et admissum, et nomine Synodi responsum.

Postremo comparuit quidam nuntius Henrici regis Gallorum, qui litteras regias exhibuit.

¹ Acta Conc. Trid. Angel. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 117. Ext. in Acta Conc.

¹ Ang. Mass. in Diar. Ms. arch. Vat. p. 117.

Erat is Amiottus, Bellozanensis abbas, postea Anlissiodorensis episcopus, a quo allatae litterae conventui Tridentino inscriptae erant, honestiore Concilii nomine perperam praetermisso, quare plurimi Patres maxime Hispani oblectati sunt, ne publice legerentur, cum Gallus rex ea inscriptione auctoritatem Tridentini Concilii traducere videretur: lenivit illius nominis invidiam regius orator, cum diceret apud Latinos scriptores Concilium modo nomine conventus, modo consessus nomine designari, nec regium animum ulla in Concilium malevolentia suffusum, sed contestari tantum, moto a Caesare bello, Galliae episcopus ob justas causas Tridentum non accessuros. Facto porro in sacrario templi secessu, rogatisque optimalum sententiae decretum est, demulcendas esse comitate iras regias, non juris nimia acerbitate asperandas, atque adeo promotor¹ Concilii his verbis regium oratorem, affatus est: « Vir eruditissime, sacrosanctum Concilium censuit, legendas esse in Concilio litteras regis Christianissimi, cum putet ab illo conventus nomen in malam partem non accipi; sin vero in pravam interpretationem conventus nomen delorqueret, de ea re, ut irrita ac iniqua intercessit ». Regie vero litterae² in eam sententiam erant conceptae, ut civilis belli invidiam a se removeret, atque episcopos Gallos, si Tridentum non accederent, excusandos deprecaretur, sperare se aiebat, Patres ab omnium partium studio futuros exortes, eosque, ut arbitros honorarios admittere, orabatque, verba sua non quasi hostis externi excipit, sed tanquam Ecclesiae primogeniti, qui pro eo titulo asserendo nunquam divinae gratiae defuturus esset. Stare enim fixum animo virtutibus ac vestigiis majorum insistere, nec enim dum oppressos aere, injuriasque illatas propulsaret, a regii officii religione discedere, nec quidquam de pristino in Ecclesiam amore et observantia detracturum, atque omnia, quae decreta forent, modo ordine debito et jure fierent, excepturum spondebat: quas litteras cum Jacobus Augustus Thuanus mendacis haereticorum illusus, indigne perverterit, e Vaticanis Monumentis, in quibus autographa Actuum Concilii continentur, decerpenda visa sunt:

28. « Comparuit », inquit Acta, « quidam nuntius regis Gallorum, nomine Jacobus Amiott, Gallus, qui praesentavit sacrosanctae Synodo quasdam litteras nomine ipsius regis, una cum quadam scriptura, quam legendi sibi licentiam concedi petiit. Quae litterae, cum receptae fuissent a reverendissimo domino legato, et mihi secretario legenda traderent, earum inscrip-

tionem primo legi: in qua, cum non nominaretur haec sancta Synodus Concilium, sed conventus, Patres summopere commoti atque turbati sunt, asserentes alla voce se nullo modo eas litteras recipere velle, quia ad eos non dirigerentur, cum non diceretur in titulo, sive inscriptione dandas esse Patribus Concilii Tridentini, sed conventus. Tridenti autem non esse simplicem conventum, sed sacrosanctum OEcumenicum, et generale, legitimumque Concilium et verum.

« Tandem post multa hinc inde adducta et tractata, cum Patres concordare non possent, et major tumultus continuo excitaretur, visum est reverendissimo legato pro majori quiete et honore, ac minori populi adstantis scandalo, ut ea res secreto inter ipsos Patres solos ageretur. Quare recedentes Patres ipsi e loco sessionis, secesserunt in sacrarium ubi re ipsa mature examinata atque discussa, placuit omnibus ut litterae praedictae reciperentur et legerentur; et scriptura etiam, quam ipse nunquam legere velle proposuerat, audiretur, praemissa tamen prius protestatione infrascripta.

« Cum igitur Patres in locum sessionis reversi fuissent, promotor sacri Concilii protestationem ipsam nomine ipsius sacrae Synodi alta voce legit, quae est tenoris infrascripti, videlicet:

« Sacrosancta OEcumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, interpretando verba litterarum Christianissimi regis, ubi illum conventum appellat, in bonam partem, prout de tanto Christianissimo rege credendum est, ita ut de conventu hoc legitimo OEcumenicum et Generale Concilium faciente intelligatur, et protestando, si aliter litterae intelligerentur, non esse ad ipsam sanctam Synodum directas, passa est, quod litterae regis praedicti legantur, et protestatur legi sine aliquo ipsius praedicti. Et statim, suprascripta protestatione praemissa, ego secretarius praemissas litteras ipsas regis Gallorum legi: sunt autem tenoris qui sequitur³:

« Henricus, divino beneficio Francorum rex, sanctissimis in Christo et observandis summopere Patribus Tridentini consessus, salutem plurimam dicit.

29. « Hoc in primis visum est convenire, cum cuidam singulari observantiae nostrae, majorumque nostrorum in universalem Ecclesiam, tum egregio praeterito studio erga ordinem vestrum, Patres ornatissimi, quod apud nos minime dissimulandum duximus, quibus causis quam justis quamque necessariis non modo adducti vel impulsus, verum etiam coacti simus nullum episcopum, qui nostrae ditionis esse, Tridentum mittere ad eum conventum cele-

¹ Sorbia Pallavic. I. XI. c. 7. — ² Est. in lib. typis esse an. 1643.

³ Est. etiam in lib. edito anno 1643. de litteris Galliae regum ad Concilium Tri. p. 7. Ang. Mass. secr. Conc. in Actis Ms. sess. II. sub Julio III. Ms. arch. Vat. sig. 3191. p. 28.

⁴ 11 sup. sig. num. 1391. p. 29.

brandum, qui esset a beatissimo patre papa nostro Julio indictus nomine publici Concilii, eaque de causa praescribenda breviter ad vos omnia curavimus, et quae pro nobis exponenda, et quae vobis ista dignitate, ista gravitate hominibus diligenter et attente perpendenda videbantur: praesertim cum nobis dubium non esset, valde alienum a sapientia, prudentia, integritate vestra, sanctissimi Patres, factum aliquid nostrum, aut aliterius cujusvis temere condemnare, quod perspecta dijudicataque causa facillime probatur. *

« In iis itaque, quae pro causa nostra scripta partim sunt, quae partim communi omnium, partim quae praecipuo jure aut profitemur ultro, aut sperantur a nobis ac deprecamur, necessario quodam et explorato pane injuriae et contumeliae meli: cum a nonnullis, si quis a nobis retineatur humanitatis sensus aut benignitatis nimis vehementer ac praeter modum videamur oppugnari, quibus tamen ne repugnaremus quidem, si liceret nobis ab omni justitiae atque aequalitatis instituto et suscepto semel patrocinio recedere. Sed haec omnia, sanctissimi Patres, non secus ac honorarii arbitri comiter et benigne uti audiat, ab eoque recitari patiamini, cui has litteras ad vos nulla alia de re dedimus, vos vehementer oramus atque etiam obtestamur, eaque sic accipiat, obsecramus, non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profecta, sed veluti ab eo, qui hereditario nomine sumimus, aut sicuti loquimur, primus, et perhibemur esse, Ecclesiae Catholicae filius, quo quidem in domestico ornamento obtinendo et sustinendo, majorem nostrorum et virtutis et pietatis opinionem pollicemur vobis, Patres praestantissimi, idque adeo nobis sumere audemus, teli benignitate Domini nostri Jesu Christi recipimus, spondemus nos mirificam illam animi magnitudinem, vigilantiam, sollicitudinem, fortitudinem, religionem omni genere praestatos esse studiorum, officiorumque nostrorum; tantum abest, ut dum factam et illam ab aliis injuriam necessario cogimur repellere, aut traditam nobis a majoribus nostris Ecclesiae Catholicae charitatem deponere queramus, aut nostra sponse desinere prosequi quidquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit, quomodo, videlicet, ab illa pertractari, decerni, constitui par est, dum ne quid interea sine ro atque integro ab hereticorum vecordia principi immerenti atque innocenti, aut captiosum comparetur, aut conculciosum. Sit Dominus noster Jesus Christus, qui auctor est, custos etiam et conservator, Patres ornatissimi, salutis, incolunitatis, dignitatisque vestrae. Valete. Ex villa regia, quae Fontis-Bellae quae dicitur ante diem idus Augusti MDLI.

« HENRY ».

« A tergo autem: Sanctissimis et observandis

in primis in Christo patribus conventus Tridentini. Quibus litteris lectis, ipse nuntius regis Gallorum legil scripturam quandam, quae erat tenoris infrascripti :

30. « Haec sunt, sanctissimi patres, quae post susceptum primum agri Parmensis patrocinium a Christianissimo rege, exortam deinde ea de re gravissimam, sed injustissimam illam quidem quercimoniam, post oblatum postremo proximum hunc tumultum, et certissimum civilium armorum inlestinique belli terrorem ostentatum, rex Christianissimus imperavit, beatissimo patri pape nostro Julio, tum sacro cardinalium collegio profiteri denuntiarique, quae totidem fere verbis sunt deinde exposita. Cum facta quaedam sua, quae non modo reprehensione nulla, sed summa etiam laude digna essent, trahi tamen atque vocari in invidiam animadverteret, idque quorundam hominum iniqua interpretatione fieri, atque dissensionum semina jaci, quaeque materiam armorum, illud in primis seduloque curavisse, ut quoad integra res esset, et consilii et facti totius rationem illius sanctitati, collegioque accuratissime redderet, Paulus a Thermis orator suus, vir equestri dignitate clarissimus, idque eo consilio a se factum esse, ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa satisfactione revelleretur, atque ita imminutibus malis, si repudiata pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, et quoad ejus fieri posset tanto ante refutaret: itaque primum omnium illud proposuisse, id quod fecimus, ut ejus propugnationem susciperet, qui in fidem suam quasi in portum aliquem confugisset; se non videre, qua ratione a quocumque jure posset improbari: quippe cum id non magis communis cujusdam esset humanitatis ad incertos, et rerum et temporum casus, quam optimi, maximeque, ac vere regii animi, et liberalis officium, nec aequum esse se deteriori conditione haberi, quam ceteros, a se nihilominus nil astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil commodi alicujus sui causa gestum; sed unius Ecclesiae tantummodo habitam esse rationem pro perpetua quadam Francorum regum, ac majorum suorum consuetudine, qui illam non opibus solum suis exornarint, aut armis extulerint, sed corpora etiam sua gravissimis illis temporibus periculis omnibus opposuerint, idque (quod fieri) illius causa coeptum esse, his conditionibus esse testatissimum, quas ipse pacis concordiaeque constituende obtulisset, quae semper eo spectarunt, uti, qua de re agebatur, ea res ne Ecclesiae aliquando vel subriperetur, vel eriperetur, quam vellet perpetuo juris ejusdem ditionisque esse, idque unum tantopere contenderit: quae cum ejusmodi essent, neminem sane mentis existimare posse quidquam a se vel actum, vel susceptum, quod

non maximum generosissimumque regem dederet, et hoc loco, et hoc animo principem, qui se non modo abstinentissimum praestitisset, sed etiam maximis suis sumptibus, ac nonnullo rerum suarum dispendio Italiae pacem, otium libertatemque obtulisset, et omni suo studio, conatuque Ecclesiae dignitatem atque auctoritatem procurasset: se praeterea palam denuntiasset ac testatum esse, si beatissimi papae nostri Sanctitas hanc justam esse causam armorum decrevisset, ac proinde Italiam, atque adeo universam paene Europam bello implicuisset, ex quo Ecclesiae status convelleretur, tum mores, tum religio, tum fidei ipsius causa in ultimum discrimen adduceretur, maximo id quidem suo cum dolore futurum; sed sibi tamen nihil eorum merito imputatum iri, qui omnia ante fecisset, quominus illa acciderent, omnesque propterea conditiones, quae modo honestae, et illius temporis essent, non solum ferre, verum etiam accipere voluisset.

31. « Denique Concilii, quod nuper indictum esset, solutionem, quam, si ad arma iretur, necesse erat consequi, sibi minime assignari posse; orare etiam atque obtestari enixius summi nostri Pontificis sanctitatem, considerans etiam quanta ex bello semel sumpto damna atque incommoda reipublicae Christianae impenderent, eaque ne evenirent, quod pace tuenda facillimum erat, efficeret. Attamen cum haec tot ac tanta ipse pro se per supradictam illum oratorem suum egisset, monuisset, denuntiasset, hortatus esset, tantum abesse ut illis omnibus, quae summopere jure omni divino humanoque niterentur, ullo modo summi Christianorum Pontifex moveretur, ut cum pacem tranquillitatemque lueri deberet, controversias, dissidia, lites, si quae ipsis inter se principibus Christianis essent, vel minuere vel funditus tollere, otium atque securitatem omni ratione celebrando Concilio parare; Italiae tamen funestissimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare armorum dissidia, aditus ad Concilium omnes praeccludere maluisse videretur, eamque omnibus suspicionem inducere istam ipsam Concilii Tridentini indictionem, non communis universae Ecclesiae utilitatis gratia expetitam esse, sed factam potius coalitionem cum iis, quorum privatae rationibus ac commodis illie inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnante videri certe summi Pontificis nostri sanctitatem se excludere, ac fructu optatissimi Concilii privare voluisse; id rerum initia, progressus, exitus, consilium Sanctitatis ejus declarasse, cum illa de causa, nec hoc tempore, nec hoc auctore, aut bellum tam perniciosum tanto universae reipublicae periculo suscipi, aut tanta ejusdem reipublicae jactura et calamitate geri debuissent. Claros saepe numero et admirabili quadam animi ma-

gnitudine principes dissimulandis gravioribus injuriis pacem retinuisse, atque modo restinxisse initia communis incendii, nunc quasitam videri ultro et adornatam, a quo minime debuit, flammam istius perniciosissime ac luctuosissimae materiam.

32. « Constituendam fuisse aut revocandam magis exemplo Sanctitatis illius, Concilio jam indicto, veteris Ecclesiae severiorem disciplinam, ac speciem non labelactandam, aut deformandam eam, quae cum paucissimorum hominum religione nititur, tum pauciorum multo honestate ac moribus agnoscitur: nec spargenda Christianis principibus odiorum semina, nec obijciendam Petri Principis Apostolorum naviculam majoribus prope fluctibus, quam nunquam ulla majorum nostrorum memoria, obiecta sit, nec si ab eo Concilio, quod magnopere expetivisset interclusis itineribus arceri oportuisset, regem perpetuo suo sensu non modo nomine Christianissimum, cuius cum tanta majorum beneficia in Ecclesiam existant, ipsa in communi fidei atque religionis causa nec haerit unquam, nec offenderit, nec titubavit ullo modo, nec animo futurus sit unquam ab Ecclesiae Catholicae rationibus alieno: se facere non potuisse, quin apud illius Sanctitatem, apud sacrum cardinalium collegium dolorem suum exponeret, ac vere et ex animo conquereretur, illudque tum querendo, tum precando postularet, ne alienum existimarent, aut suo, aut majorum suorum more, quod deprecaretur, quoddam, hoc est, ut nunc loquimur, protestaretur ipse, quomodo quidem omnino protestatus est, sicut ab ipso sibi jure permissum esse non ignorabat, videlicet ne ipsi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato necesse esset Tridentum ad Concilium mittere suae ditionis episcopos, quippe quibus nec liber nec tutus eo pateret accessus, neve id ipsum Concilium, a quo excluderetur invitissimum, Generate totius Ecclesiae Catholicae aut haberetur aut appellaretur; quin potius privatim existimaretur Concilium, quod videretur illud quidem quasitum et expetitum non reformanda, restituendaeque disciplinae, nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam obsequendi, quorum privatae utilitatis magis quam publicae ratio initia esse videretur.

« Denique neque Concilii hujusmodi, eorumque decretis, aut ipse, aut populus Gallicus, aut ulli Gallicae Ecclesiae ministri in posterum tenerentur: imo vero se testari palam, ac denuntiare, ad eadem se remedia ac praesidia descensurum, si necesse videretur, quibus majores sui Francorum reges in re consimili causaque uti consuevissent; nec sibi quidquam antiquius fore, secundum fidei ac religionis integritatem, libertatem et incolumitatem Ecclesiae Gallicae; nihilominus hoc se profiteri: tamen

non hæc ita a se dici, quasi aut cogitare vel illo modo, aut haberet in animo meritam ac debitam a se Sanctæ Sedi Apostolicæ observantiam, et obediendi conditionem aut excutere, aut immigrire : contra operam daturum esse ut magis ac magis in dies se dignum præberet hoc Christianissimi regis cognomine : hoc maximi Ecclesiæ filii elogio animi hujus sui, ac studii propensionem ad felicitiora melioraque tempora reservari, cum scilicet hoc humano generi, ac præcipue reipublicæ Christianæ hoc sui ipsius, ac populi totius Galliæ votis Dei Optimi Maximi gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quæ essent parum modeste illata, motiones animi componerentur, et hoc modo pax ipsa conveniret. Se præterea supplicare cum ab ejus Sanctitate, tum ab ipso sacro collegio postulare, uti ne moleste ferant, si suam ipse professionem, instaurationem, denuntiationem, deprecationem in Acta referri peteret, sibi que Instrumenta his de rebus publice fieri, quibus quoties aut tempora, aut res suæ poposcissent, uti possent, ad superiorum omnium fidem, sibi que ne ad singula responderetur, rogare, ut his de rebus omnibus cæteros Christiani nominis principes, populos, civitates liceret certiores facere. Nunc itaque, sanctissimi patres, cum vobis promptum sit ac facile, nedum Christianissimi regis animum, et explicatam apertamque facti consilii que sui mentem perspicere, potestis statuere, ne hunc ordinis istius conventum ab illo sperni, nec auctoritatem gravitatemque magni fieri, sed præceptam potius hujus celebrandi facultatem, quod vos ita accepturos confidit, ornatissimi patres, ut nec de illius religione dubitare possitis, nec de animo erga vos, totamque Ecclesiasticam administrationem secus ac commodum est judicare. In quo vestro judicio adversus malevolorum et iniquorum hominum sermones salis sibi præsidii esse putat, satis adversus sugillatores argumenti, ut simul acquiescat et innocentiae suæ conscientia, et reconvalescentia officiorum suorum.

« HENRY ».

« Cujus quidem scripturæ lectione absoluta, statim promotor sacri Concilii interposuit infrascriptam protestationem, quam clara et alla voce legit sub lenore, qui sequitur :

« Sacrosancta Œcumenica et generalis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata intendens consulo et mature, ac causa cognitione adhibita, et publica Sessione, prout vos facere elegistis, necnon ipsius negotii qualitas requirit, vobis respondere, monet vos ut ad audiendam et recipiendam responsionem hujusmodi prima proxima futura Sessione, qua erit XIII mensis Octobris proxime venturi coram ipsa Synodo comparere omnino debeatis, dum Christianissimus rex vestre in suis litteris affirmat, in civitate Tridentina adesse Concilium,

acceptat admittitque libenter. Personam vero vestram pro legitima, et omnia alia per vos dicta non admittit, nisi si et in quantum de jure id facere tenetur ; protestans nihilominus nullum interea ipsi sacrosanctæ Synodo, ac prosecutioni ipsius Concilii, etiam per quæcumque per vos acta et gesta præjudicium generari : ac interim prohibet omnibus notariis, ut Instrumentum istius actus vobis aut alicui tradant, nisi una cum adjectione suæ responsionis, quam die supradicta vobis tradere parata est ; ac sine sui notarii subscriptione ; alias protestatur de nullitate ». Deinde cantato hymno consueto, benedicta sancta Synodo, Patres dimittuntur.

Interfuere illi Sessioni ¹ inter alios Moguntinus et Treverensis principes electores, idemque archiepiscopi.

33. Ex his refellens Jacobum Augustum Thuanum præsidem Parisiensem ², qui affinxit oratori regi hanc orationem hæretico veneno imbutam.

« Hoc est, Patres, quod præcipue regis Christianissimi animum urit, hoc est quod maxime ad suam et universæ Ecclesiæ injuriam pertinere arbitratur, quod eo tempore Concilium coegerit Pontifex, quo conjunctis cum Cæsare copiis ipsum bello oppugnat, ne videlicet Gallicæ Ecclesiæ præsules eo convenire possint, quorum salutaribus sententiis ac consiliis, tam in caput quam in membra diligentissime inquiratur, quæ corrupto usu in Ecclesiam irrepererunt emendatur, et emendatis iis quæ in doctrina ac moribus corrupta sunt, publica Ecclesiæ concordia sarciatur : hoc est, inquam, Patres, cujus causa me rex ad vos misit, non ut de injuria sibi facta conqueratur ». Et infra : « Verum sacra profanis misceri, ambitioni religionem, inexplebili aliena invadendi cupiditati pietatem, jus rapinis, fas violentiæ obtendi indignatur, et eo impudentiæ postremo inimicos suos devenisse, ut cum maxime fallunt, cum facum hominibus faciunt, tunc doctrinæ et morum in Ecclesia emendationem constituere videri velint ; itaque rex Christianissimus, et natu maximus Ecclesiæ filius, his enim titulis a majoribus acceptis merito gloriatur, qui videat secum tam implacate et inique agi cum dissimulationi amplius locus esse non possit, me suo nomine coram vobis, sicuti per suos legatos Romæ jam fecisse scitis, denunciare jussit, ob excitatum tam iniquum tamque alieno tempore bellum, non licere nec integrum esse dilationis suæ episcopos Tridentum mittere, neque habere hunc consensum pro Œcumenica et legitime congregata Synodo, sed magis, quod litterarum nuper traditarum inscriptio doceat, pro conventu quodam privato, qui non religio-

¹ Har. Cond. Trid. p. ult. — ² Jac. Aug. Thuan. hist. l. VII.

nis ac reipublicæ causa, verum in ambitiosorum quorundam compendium ex his turbis captantium gratiam sit constitutus; proinde illius decretis, nec se, nec regni sui ordines ullo pacto obligari, contra adhibendum ea remedia si opus fuerit, quibus majores sui in consimili causa usi fuerint». Fingit nimirum auctor ¹ Henricum defectionem interminatam a Pontifice, atque in eum moliturum, quæ Philippus Pulcher adversus Bonifacium VIII, quæ Carolus VI adversus Benedictum XIII Pseudopontificem, quæ Ludovicus XII adversus Julium II egissent. Verum auctor mendacii convincitur manifesti ex Actis Synodalibus. Nulla enim a Jacobo Amiotto regio oratore habita est oratio, sed tantummodo lectum est scriptum regium inclusum litteris, sigilloque insignatum, cujus seriem ipse penitus ignorabat, eaque de causa pudore suffundi visus est, cum ipsi traditum est, ut illud coram Patribus perlegeret, quo quidem scripto eadem penitus repetita fuere, quæ antea Romæ in cardinalium senatu præsentate Julio fuerant perorata; cum vero piis verbis se Apostolicam Sedem debito cultu et observantia prosequi Henricus rex profiteretur, nec tamen indicto a Pontifice Concilio se conjungeret, pugnantia inter se dicere existimatus est: porro Concilii promotor regio oratori edixit, ut responsum ad regias litteras, atque Apologiam in proxima Sessione dandam expectaret. At ille, ut erat jussu, responso non expectato, Tridento se proripuit, atque Henricus rex tertia Septembris die promulgavit, moto a Julio Pontifice bello, Concilium disturbari, Gallosque præsules Tridentum proficisci vetuit. Quodnam vero responsum a Patribus Henrico II Gallorum regi redditum sit, hic attexere visum est, licet illud in fine sequentis Sessionis, undecima Octobris, datum sit, ne eadem repelere subinde cogamur. Hæc vero narrantur in Actis.

33. *Responsio Concilii ad protestationem Henrici.* — Reverendus dominus episcopus Bituntinus legit e suggesto responsum ², quod sequitur:

« Responsum ad protestationem regis Francorum lectum in publica Sessione die vi Octobris 1551, et exhibitum ipsius regis oratori.

« Cum in proxima Sessione maximam hæc Sancta Synodus fertiliam voluptatemque cepisset, non solum propter auctoritatem ac Patrum frequentiam, adventum ampliorem Germaniæ præsulum, et eorundem principum, ac sacri Romani imperii electorum, verum etiam quia a piissimo imperatore, et ex Ungariæ et Bohemiæ regnis a serenissimo Romanorum rege legati viri ornatissimi cum litteris ac mandatis

venerant, quæ fuerunt ea ipsa in Sessione recitata; ac per eosdem dies ex litteris duorum clarissimorum regum Lusitaniæ et Poloniæ cognitum fuerat, illos quoque inclytos reges in animo habere legatos suos ad sacrosanctam hæc Synodum mittere: omnes tamen Patres, collaudato imperatoris et illorum regum officio, atque erga sanctam hæc Synodum reverentia, cum meritis Deo gratias egerint, quod post diuturnas tenebras maxima subito lux Christianæ reipublicæ fulsisset, tum minime dubium habuerunt, quin rex Christianissimus pro sua et majorum suorum dignitate, ac religionis studio, suos quoque legatos episcoposque missurus, et insigne quoddam religionis, pacis unitatisque Ecclesiasticæ signum declaraturus, namque cum omnibus gentibus notum sit, quam egregia Francorum regum merita in rempublicam Christianam extiterint; cumque hunc regem putandum sit, nec pietate erga Deum, neque studio fidei orthodoxæ, neque magnitudine animi quoquam illorum esse inferiorem, quis non existimavit firmum presidium huic sanctæ Synodo et Catholice Ecclesiæ in ejus virtute et auctoritate esse constitutum? Verum cum ipsius nuntius in conventum Patrum processisset, et litteræ ab eo allatæ, una cum scriptura quadam illis adjuncta, recitata fuissent, magno mox Synodus dolore et sollicitudine affecta est: quanquam enim modeste admodum scriptæ erant, nec parum reverentiæ, qua ille rex hunc sacrum conventum prosequitur, significationem habeant, tamen inde difficultatem videri objeci, unde auxilium expectabatur, quis non et vehementer admiraretur et magnopere doleret? Sed et si propter quosdam causas, opinionesque incommoatas regis animum offensum et exulceratum esse apparebat, non propterea tamen sancta Synodus spem de illo pristinum sibi abjiciendam putavit, optimorum enim consiliorum sibi et rectissimæ voluntatis conscientia præter spem, quam in Deo Sacrorum Conciliorum auctore et præside habet maximam, ipsum regem confidit, re pro sua prudentia melius secum perpensa, habiturum esse cum officii ac dignitatis suæ rationem, tum communis Ecclesiæ utilitatis ac salutis; nec plus apud eum auctoritatis et ponderis habitura esse minus recta fortasse quorundam consilia, quam sancta OEcumenicæ, illiusque amantissimæ Synodi hortationes atque monita. Quæ quidem libenter audire, et ejus auctoritate moveri Christianissimus rex debet, memor ejus, quod Dominus dixit: *Qui vos audit, me audit.*

« Ac primum illa, quam rex Christianissimus reticuit, omnino omittenda suspicio est, si qui sunt, qui existimant ab hoc sacro Concilio, non communi Ecclesiæ utilitati, sed privatis alicujus commodis et rationibus inserviri. Etenim quibus de rebus agendum sit, directe præ-

¹ Shorta Pall. Inst. Conc. Trid. I. tit. c. 17. — ² Ang. Mass. in act. miss. sess. III. Conc. Trid. sub Julio III. Ms. ar. 3. Vat. sig. num. 3191. p. 56. Ms. card. Pa sig. num. fo. 64. p. 308. Ext. etiam in alio Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 250.

scriptum est bonis litteris Summorum Pontificum, quarum alteris Concilium hoc a Paulo Tertio felicis recordationis hujus prædecessore indictum est; alteris ab hoc ipso Summo Pontifice Maximo in eandem hanc urbem restitutum. Res autem hæc sunt, extirpatio hæresum, reformatio morum, pax Ecclesiæ. Quæ tandem harum rerum, cum toti Ecclesiæ utilis ac necessaria est, tum ab omnibus piis principibus expectanda et summis studiis juvanda. Hæresis quidem longe lateque non per Germaniam modo, unde orta est, sed per reliquas etiam provincias omnes, non absque miserabili animarum interitu, et maxima divini cultus diminutione pervagatur, corroboratur ea pestis, et in dies latius serpit non sine novarum rerum periculo. Qui tanto malo obviam ire cupiunt, ii proprio e jusque commodo, ac non Dei Optimi Maximi honori, et animarum incolunitati inservire putandi sunt? Velus illa et sancta majorum nostrorum disciplina jam pridem negligitur, populorum mores depravati atque corrupti sunt, qui Ecclesiasticam disciplinam restituere, qui mores reformare, qui populos ad rectiorem vivendi rationem revocare conantur, privatim hi principi cuidam consultum voluit? Postremo principum discordiis, quis nescit quantas respublica Christiana calamitates acceperit, quibus hoc propositum est, cum Dei honori et animarum salutis prospexerunt, et disciplinam populi ac sacerdotum severioribus legibus astrinxerit, cum æternæ quoque Ecclesiæ paci consulere, et ad componendas regum controversias auctoritatem suam interponere, utrum ii videntur uni alicui obsequi et gratificari cupere, an cum principibus, tum eorum populis regnisque consulere? Non cadit profecto in hanc sacram Synodum hæc suspicio, aliena est atque abhorrens ab ejus fide, gravitate, constantia. Nec vero existimandum est Patres in ea congregatos, tam longe a sedibus et Ecclesiis suis, tanto suo et suarum rerum incommodo in hanc urbem convenisse, quo cuipiam principi fidem, et religionem, et animas suas addicerent. Illi vero, pro loco, pro munere, pro ministerio, ad quod a Deo vocati sunt, Principi principum Christo primum, deinde ejus Ecclesiæ deservierunt, neque præcipuum alicujus commodum spectant, sed communem Christiani populi utilitatem et salutem intuentur; quod cum principium ipsum jam indicare potuit, tum rerum exitus, Deo juvante, apertius declarabit. Quamobrem movere Christianissimum regem suspicio hæc minime debet, quominus sinat episcopos regni sui huc venire, neque cum huic sacro conventui, tantum in litteris suis tribuat, eumque perhonorifice semper appellet, hujusmodi quippiam debet suspicari.

35. « Quod vero ad eam controversiam attinet, quæ propter urbem Parmam exorta est;

non dubitat hæc Sancta Synodus, quin Pontifex Maximus totius sui facti et consilii sui rationem redditurus sit; ipsis quidem Patribus nihil potest esse optatius, quam ut res ad otium et concordiam deducatur, utcumque autem sit privatum illud negotium, nihil ad hoc publicum pertinet, neque ob eam controversiam Christianissimo regi recusandum censet hæc Synodus, quominus ad sacrosanctum ac Generale Concilium sinat regni sui episcopos venire, pluris enim a tam pio et orthodoxo rege universa Ecclesia facienda est, quam unus ab eo in fidem, et is alienus cliens et stipendiarius receptus: neque Christianissimum regem deceat, propter privatam offensionem, officium erga communem matrem deserere, et rem Christianæ reipublicæ maxime salutarem non adjuvare: nam quia accessus huc illis parum tutus esse videtur, propter bellicosos scilicet motus, hac excusatione minime uti licet nunc temporis, qui nec bello domi detinentur, et in locum quietum, et omni tumultu vacuum ad Concilium vocamus, et tuto illuc possunt pervenire.

« At illud fortasse metuunt, ne si forte aliqua de re actum fuerit, quæ illis minus probetur, parum illis libere quod senserint liceat dicere: quod nec illis verendum est: nonne regius nuntius, cum litteras a rege attulisset, illas quidem non nimis huic sanctæ Synodo jucundas, in Patrum consensum admissus est; et cum libere quidquid ei videretur, diceret, attente et patienter auditus est? An vero privato homini tanta libertate, ut permissum fuit, episcopis illo honore, illa dignitate præditis minus libere proferre quod senserint? illis vero libere loquendi potestas erit, et si venerint, omni honore et studio cum sua, tum regis causa ab omnibus Patribus excipientur, sin autem, quod credere difficile est, muneri atque officio suo defecerint, nequaquam propterea Concilium esse desinet, quod more exemploque aliorum Conciliorum Generalium indictum, et in Spiritu sancto legitime congregatum est, et huc tandem justis de causis restitutum, ubi ex compluribus provinciis episcoporum adventu et concursu quotidie fit frequentius, cujus acta atque decreta sanctæ Apostolicæ et universalis Ecclesiæ auctoritate nitentur: unus enim est Christus, una ejus sponsa, unum corpus, Catholica videlicet Ecclesia, quæ ut illa Domini nostri tunica inconsutilis fuit, ita ipsa singularis est atque unica.

36. « Quod vero testatur rex, atque denuntiat se, si necesse fuerit, ad eadem illa remedia descensurum, quibus majores sui aliquando usi fuerint, adduci non potest hæc sancta Synodus, ut eum ita sentire arbitretur, aut omnino ejusmodi proprium esse facturum: etenim quid tam alienum esset a Christianissimo rege, quam instituta quæ significat, vel ipsius causa

renovare, quæ gravissimis honestissimisque de causis, non sine maximo Francorum regum commodo, fuerunt jam pridem abrogata? Quæ porro tanta ejusmodi capiendi consilii necessitas unquam poterit existere? Nonne quodvis subire incommodum salius fuerit, quam tantam nobilissimo illi regno labem aspergere, tanto scandalo Deum Omnipotentem et Ecclesiam Catholicam offendere? quam alienum vero a prudentia Christianissimi regis esset, præter animæ et salutis æternæ periculum, omnibus seipsum commodis beneficiisque privare, tum a Sede Apostolica ante concessis, tum ab hoc ipso Pontifice Maximo tributis? Verum sancta hæc Synodus minime timet, ne rex tam turbulenter consilium atque inutile unquam capiat, nec plus dolori indulgeat, quam obtemperet rationi. Illud potius ab eo expectat, ut Dei honori, Ecclesiæ tranquillitati, animarum salutem consulat atque prospiciat, quibus quidem servire, easque vita ipsa potiores habere omnes debent, in primis tamen qui a Deo constituti sunt reges, atque principes, atque in altiore honoris et dignitatis gradu locati sunt, hoc in illum existant gratiores: sperandumque, quod tam opulentum regnum Dei munere rex adeptus, tantis præterea beneficiis affectus, etiam operam det, ut quam gratissimus in Deum videatur, ac eum charissimæ Christi Domini nostri sponsæ et sanctissimæ omnium nostrum parentis Ecclesiæ diuturnæ miseris calamitatibus moveant. Jam pridem vexatur, scinditur, laceratur, crescit in dies malum, et vehementius ingravescit, nulla res amplius dilationem ac moram patitur, cum tandem aliquando sancta hæc Synodus a Spiritu sancto excitata ad ejus salutem incumbere cœperit, numquid Christianissimus Francorum rex Henricus tam piorum et salutarium consiliorum expertus sustinebitur, non opem et fidem suam imploranti dexteram porriget, non fulcendis ejus ruinis manum admovebit? Nescio quam aliam occasionem expectabit, cum ille perpetuus Ecclesiæ adversarius aliud minime ipse tempus expectet; sed eam oppugnare, vexare et lacerare non desinat. Absit ut ille rex in tam gravi et necessario tempore desit Ecclesiæ! absit ut tantam quotidie fieri animarum jacturam negligat! Propria hæc quidem episcoporum cura, proprium hoc munus est, Ecclesiæ unitatem tueri et salutem animarum prospicere: verumtamen pii semper hoc reges principesque fecerunt, ut hujusmodi episcoporum conventibus auctoritate et studio adessent, sive civitatum suarum episcopos non ire ad eos solum sinerent, verum etiam hortarentur, legatos mitterent, pietatem denique in eo suam toti terrarum orbi declararent. Hoc idem facere Christianissimum illum regem, et huic sanctæ Synodo amabilem principem oportet, si officio ac muneris suo satisfacere, si se dignum illo eximio præbere cognoscere, si Galliarum Ecclesiis, quæ illi charissimæ sunt, studet consulere, si denique patrem suum vult pie memoriæ regem imitari. Etenim is pro sua præstanti pietate et unitatis Ecclesiæ studio, in hanc ipsam urbem ad Concilium leclissimos regni sui episcopos venire non solum non prohibuit, verum etiam una cum eis legatos viros ornatos misit. Et eo magis hoc facere debet, quia jam episcopi Galliarum a Pontifice per litteras de restituito hoc Concilio certiores facti, et ut venirent, ipso sciente et consentiente rege, admoniti fuerunt.

« Quæ cum ita sint, fratres illos suos hæc sancta Synodus amatissime ac studiosissime in Domino hortatur, ut ad ipsam in cursu tam piarum actionum adjuvandam, omnia omnia cunctatione, huc se conferant. Quod igitur eorum munus sit, quod officium, quid tanta Ecclesiæ necessitas ab eis postulet, ac pelius ellagitet, quid Deo, quid Ecclesiis, quid Summo Pontifici, quid universali Synodo præstare debeant, minime ignorant, ne recuset, a Pontifice Maximo evocati atque admoniti, a fratribus suis et universali hæc Synodo expectati, ad res sanctissimas salutaresque gerendas, ad instaurandam religionem, ad reformandos mores, ad pacem et unionem Ecclesiæ constituendam accedere. Regem vero Christianissimum eadem hæc sancta Synodus per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi obtestatur, ut animi sui offensionem ipsi Christo Redemptori nostro velit dimittere, et cæteris rebus omnibus Christianæ reipublicæ commoda anleponere. Interea eos ipsos principes, quos propter hujusmodi moderationem et magnitudinem animi, et ob dissimulatas interdum pacis retinendæ causa graves injurias laudet, imitetur superiores Francorum reges, ac majores suos, quos ob Ecclesiam non solum illorum opibus exornatam, verum etiam armis et corporum suorum oppositu defensam magnis merito laudibus extollit. Memoretur præclari illius sui cognominis, quod ab illis acceptum perpetuo bene de Christiana reipublica merendo non minus quam regnum ipsum tueri et conservare debet, in quo, si hujus Synodi spei opinionique responderit, et fidelissimis ejus amantissimisque consiliis, maximam ab omnibus laudem et æternam a Deo præmium moderationis et pietatis suæ consequetur. Deus, in cujus manu manus et corda sunt principum, regum animum ad hæc consilia dirigat, quæ et regi gloriosa futura sunt, et Christianæ reipublicæ salutaria.

« Super quo responso Patres omnes rogati etiam singulariter a me secretario, responderunt: Placet; a promotoreque requisitis protonotariis et multis ibi presentibus. Reliquæ vero ejus Sessionis Acta inferius recensebuntur ».

37. *Impius agendi modus principum Concilio detrahentium.* — Porro Henricus Galliae rex sua protestatione adversus Tridentinum Concilium illam Caroli V Cæsaris adversus Concilium Bononiense anulari visus est, hisque protestationibus ii reges arrogare visi sunt sibi eam auctoritatem, ut Concilium OEcumenicum fieri non posset, si ipsi dissentirent, Ecclesiamque subjicere vellent suae servituti. Quot vero et quanta mala ex hac contestatione manarint, lugeri satis non possunt. Confirmati sunt Lutherorum animi in pertinacia, adeo ut Saxoniae dux incautum Cæsarem intercipere molitus sit, Conciliumque anno proximo dissipavit, atque hæresis in Galliam irrepserit, nec crimen inultum Henricus tulit, cum in ipso atatis flore extinctus sit, ejus stirps ab hæreticis vexata brevi excisa sit, ut suis locis lugendum erit, atque hactenus de Henrici regis protestatione ac responso ei reddito.

In superiore porro Sessione secunda, nulla de fidei dogmatibus decreta promulgare, sed in diem xi Octobris proximam Sessionem tertiam indixere, cum Moguntini et Treverensis archiepiscoporum, qui accesserant, exemplo plures alios præsules venturos sperarent, et capita, de quibus agendum foret, proposuere ¹: « Sacrosancta (inquiunt) OEcumenica et generalis Tridentina Synodus, etc. cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere, et in specie de Baptismo et Confirmatione definitum fuerit, statuit, et decrevit de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, necnon quoad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem et commodiorem prælatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere, ac monet et hortatur omnes Patres, ut interim Domini nostri Jesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus Deus, corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, et sanctæ matris Ecclesiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur ».

38. *Accedentibus Tridentum septemviris prælati, spes concipitur melioris exitus.* — De Moguntini archiepiscopi ejusdemque septemviri ad cætus Tridentinis accessu factus certior Julius magnam cepit lætitiâ, concepta spe res Concilii optimos progressus habituras, eidemque principi subjectis litteris ² gratulatur est.

« Venerabili fratri archiepiscopo Moguntino, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magno cum gaudio accepimus fraternitatem tuam Tridentum pervenisse, ut indictum a nobis Concilii OEcumenici tempus obeas; speramus enim

ejusdem Dei summi clementia, perque tuam et aliorum Catholicorum antistitum prudentiam, consilium, gravitatem, Concilium ipsum optimos progressus habiturum, et tam universæ Dei Ecclesiæ statum, quam Germaniæ populos a calamitosis discordiis et seditionibus respiraturos. Te igitur, frater, pro ea, quæ dies noctesque animum nostrum exstimulat, Catholicam fidem, et Christianam rempublicam in pristinam incolumitatem et dignitatem restituendi cura magnopere hortamur, ut tam pium ac salutare opus constantia tua, ac recta rerum intelligentia adjuves, ac ea, quam sacri Romani imperii elector summam obtinens, auctoritate prosequere, hac enim maxime ratione ab unico et præpotenti Deo certissimum præmium, et ab hac Sancta Sede, et a nobis perpetuam tibi gratiam et favorem promereberis. Datum Romæ apud S. Petrum die vii Septemb. MDLI, anno ii ».

Accessisse quoque Tridentum ¹ Coloniensem et Treverensem archiepiscopos pro celebrando Concilio ex aliis Pontificis litteris constat.

De his meminif Angelus Massarellus ² his verbis :

« Ultima Augusti, congregatio generalis, ut de supra agendis decerneret. Primum autem admittuntur electores imperii, quibus datur locus supra omnes prælatos in sedibus ornatioribus paulo a prælatis disjunctis, e regione oratorum Cæsaris parte dextra aula, et sedilium legati et præsidentium. Decernitur deinde die crastino habendam Sessionem et futuram celebrandam ad diem xi Octobris sequentis ».

Accessit etiam inter alios Germaniæ præsules Viennensis episcopus, atque in Concilio doctrinæ magnum specimen explicuit, tum pro vindicanda ab impiorum calumniis argutiisque Sedis Apostolicæ dignitate volumen scripsit, de quo illi a Julio ³ gratiæ actæ fuerunt.

39. *Hæreticorum articuli contra Eucharistiam discutuntur in Concilio.* — Antequam celebraretur tertia Sessio discussi sunt hæreticorum articuli circa Eucharistiam, quos Angelus Massarellus ² subjectis verbis conceptos fuisse narrat :

« Cum in sequenti Sessione agendum sit de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, illustrissimi domini præsidentes juxta morem hactenus in Concilio observatum proposuerunt discutiendos atque examinandos a Sac. theologiæ professoribus articulos infrascriptos :

« I. In Eucharistia non esse revera Corpus et Sanguinem, neque divinitatem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum ut in signo.

« Illic error est Zuinglii, OEcolampadii et Sacramentariorum.

¹ Lib. v. brev. p. 272. — ² Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 417. — ³ Julii III. l. v. brev. sig. num. 2884. p. 38. — ⁴ Ang. Mass. Ms. arch. Vat. sig. num. 3161. p. 37. Post sess. II. sub Julio III. et in Diar. pag. ult.

¹ Acta Conc. sess. XII. — ² Julii III. lib. brev. v. sign. num. 2881. p. 92.

« II. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem, non autem sacramentaliter.

« Articulus iste est supradictorum hæreticorum, præsertim Oecolampadii in libello, quem fecit de Eucharistiæ Sacramento cap. xiii et in multis aliis locis : cum enim negent Christum esse veram in Eucharistia, asserunt non posse manducari Christum nisi per fidem, sacramentaliter autem accipi buccellam panis.

« III. In Eucharistia esse quidem Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transsubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis, et substantiæ panis et vini, ita ut verum sit dicere, hic panis est Corpus meum, et hoc vinum est Sanguis meus.

« Martinus Lutherus in suo testamento de altaris Sacramento sic ait : « Profiteor, quod in eo veraciter Corpus et Sanguis Christi in pane et vino corporaliter manducatur, et bibitur ». Et in assertionibus sic scribit : « Postquam vidi, quæ esset Ecclesia, quæ aliter determinasset, nempe Thomistica, id est, Aristotelica, audeor factus sum, et quid inter saxum et sacrum, hærebam. Tandem stabilivi conscientiam meam in sententia priori esse, videlicet, verum panem, verumque vinum, in quibus Christi vera Caro versusque Sanguis non aliter nec minus sit, quam ipsi sub accidentibus suis pronunt ». Idemque Lutherus, scribens ad regem Angliæ, sic inquit : « Impius et blasphemus est, qui dicit panem transsubstantiari ».

« IV. Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.

« Hic articulus, ut refert Roffensis, est Lutheri.

« V. Christum in Eucharistiam non esse adorandum, neque festis venerandum, neque in processionibus circumgestandum, neque ad infirmos detrendum, et ejus adoratores esse veros idololatrias.

« Lutherus ad Valdenses sic ait : « Dicimus illos non esse damnandos, nec de hæresi accusandos, qui Sacramentum Eucharistiæ non adorant, cum non sit præceptum, neque Christus in hoc ibi adsit : sed tamen ubique vides illam adorationem Sacramenti, nec esse sine periculo ubi fides et verbum non exercetur ; quare tutius forsitan fuerit cum Apostolis non adorare ». Idem alio in loco ad eundem ait : « Nullum festum magis odi, quam testum Corporis Christi », idemque docetur in confessione Augustana.

« VI. Non esse reservandam Eucharistiam in Sacratio, sed statim comedendam, et præsentibus dandam, et aliter facientes abuti hoc Sacramento, neque licere, ut quis seipsum communicet.

« Hæc habentur in libello reformationis ad Colonenses.

« VII. In hostiis, seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere Corpus Domini, sed tantum ibi esse dum sumitur, non autem ante vel post sumpcionem.

« Hic articulus est Lutheri in libello, ut refert Cochlaeus, contra eum edito.

« VIII. De jure divino esse, sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare, et propterea eos, qui cogunt populum altera specie uti ». In Confessione Augustana cap. de utraque specie sic habetur : « Hic mos sub utraque specie habet mandatum Domini (Matth. xvi). *Bibite ex hoc omnes*, ubi manifeste præcepit Christum, ut de poculo omnes bibant ». Item Lutherus de formula Missæ sic ait : « Si quo casu Concilium statuerit, minime omnium vellemus utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum Concilii vellemus, aut una tantum, aut neutra, aut nequaquam utraque potiri. Ac placet eos anathema habere, quicumque talis Concilii potiretur utraque, cum id habeamus de jure divino.

« IX. Non contineri sub altera specie quantum continetur sub utraque, neque tantum sumere communionem sub altera specie, quantum sub utraque. Joannes Eckius in disputationibus ait, laicis sub panis specie, ut ipsi loquuntur, aut cum pane utramque Sacramenti partem, et corpus et sanguinem porrigi. Nugæ sunt. Item Lutherus lib. disputationum mxxxv. « Quid si ego contra sentiam, me non tantum accipere sub altera, quantum sub utraque, quia non totam Christi institutionem, sed solum dimidiam accipio.

« X. Solam fidem esse sufficientem ad sumendam Eucharistiam, neque ad id confessionem esse necessariam, sed liberam, præsertim doctis : neque teneri homines ad communionem in Paschale. Lutherus lib. de captivitate Babyloica sic ait : « Verbum promissionis regnare debet in fide pura quæ est unica, et sola sufficiens præparatio ad Sacramenti sumptionem ». Item serm. de confessione part. iii inquit : « Fidele consilium meum est, ut homo Christianus tempore Quadragesimæ et Paschæ sit non confiteatur, nec ad Sacramentum eat ». Idem ipse Lutherus asserit in libello de Visitatione Saxonica cap. de Eucharistia.

10. *Modus præfatus theologis in sententiis dicendis.*

« Sententiæ per theologos dicendæ deducantur ex sacra Scriptura, traditionibus Apostolicis, sacris et approbatis Conciliis, ac constitutionibus et auctoritatibus summorum Pontificum, et sanctorum Patrum, et consensu Catholice Ecclesiæ. Utantur brevitate, et absti-

neant a superfluis et inutilibus questionibus, ac etiam protervis contentionibus. Ordo autem in sententiis dicendis erit talis, ut primo loco dicant missi a sanctissimo D. N., deinde missi ab oratore imperatoris, postea clerici sæculares juxta eorum promotionem, et postremo regulares juxta eorum ordinem ».

Concessa est iis a legato Apostolico, et præsidibus Concilii potestas legendorum librorum prohibitorum, confutandarum hæreseon, et asserenda veritatis studio. Octava vero die Septembris ceptæ sunt Congregationes theologorum, quæ consecutis aliis diebus octo perductæ sunt. In quibus sententiis circa memoratos articulos dixere primum missi a Pontifice Jacobus Laynes Societatis Jesu, Hispanus, Alfonsus Salmeron ejusdem Societatis. Dein missi a Cæsare Joannes Arze clericus sæcularis, Melchior Canus Ordinis Prædicatorum, Joannes de Orthegea Ordinis Minorum. Deinde alii. Consensere vero omnes ex memoratis articulis simpliciter dammandos esse, primum, tertium, quintum, sextum, septimum et octavum; alios vero dammandos cum aliqua declaratione, quam ad singulos eos articulos suis conceptam verbis expressere: quæ omnia postea in decem Congregationibus generalibus sunt expensa, et canones propositi, ut quinta Octobris in examen adducerentur.

41. *Sessio tertia: leguntur et laudantur litteræ Marchionis Brandenburgensis.* — Recurrente die undecima Octobris, celebrata est tertia Sessio, in qua solemnî ritu peracta re divina, et habita sacra concione, lectæ sunt litteræ Joachimi Marchionis Brandenburgensis ad Concilium Tridentinum, quibus redintegrandæ in Germania veteris concordiæ religionis asserendæ, ac disciplinæ instaurandæ cupidissimum se ostendit¹ Concilioque conjunxit:

« Nos Joachimus Dei gratia Marchio Brandenburgensis, sacri Romani imperii archicamerarius et elector, Stetinæ, Pomeraniæ, Casubiorum et Slavorum, necnon Crosnæ Silesinæ dux, Burggravivus Norimbergæ et Princeps Russiæ.

« Fatemur et notum facimus cunctis honorandissimis dominis et amicis nostris, cujuscumque status et conditionis sint, quod cum sacra Cæsarea majestas, dominus noster clementissimus, nobis significarit, quomodo sanctissimus in Christo pater et dominus D. Julius III, divina favente clementia, et sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ summus Pontifex, dominus noster gratiosissimus Concilium generale Tridentinum kal. Maii præteritis continuandum instituisset, paternaque omni patientia et charitate, quo tandem in nostra Germania jam dudum ortæ, multisque annis alitæ controversiæ religionis, hac via legitima componantur,

beataque pax Ecclesiæ Dei, et quies Germaniæ restituatur, promoturum suæ majestati promississet; suaque majestas non huic Œcumenico Concilio cum aliis principibus viris et statibus Christianitatis personaliter, vel saltem, si legitime impediremur, per nostros intimos consiliarios et viros bonos pacis publicæ tranquillitatisque sollicitos interessemus, clementer et gratiose admonerit requisiveritque, nobisque ab incunte nostri regiminis ætate nihil magis studii curæque fuerit, nihilque magis a Deo Optimo Maximo optemus cupiamusque, quam ut sanctissimum ejus nomen glorificetur, et unanimis Catholica et orthodoxa religio in nostra Germania restitatur, Ecclesiæque Dei ab omnibus malis et perversis dogmatibus repurgentur, et status publicus cum moribus reformetur, nosque cum variis et legitimis ex causis, adversaque corporis valetudine, et quominus personaliter interesse possemus, impediamur: quod propterea intimum et dilectum nobis consilium nobilem et doctum virum Christophorum de Straffen, Juris utriusque doctorem, secretariumque nostrum Joannem Hoffmannum cum pleno mandato et potestate in hoc Œcumenico Tridentino Concilio nostro nomine comparendi » et infra, « constituimus et ordinamus, etc. Datum Colonia ad Suevum, 1 die Augusti MDLI.

« Joachimus elector manu propria ».

42. Perlecto eo mandato Christophorus memoratus orator piam orationem subjectis conceptam verbis ad Patres habuit¹:

« Reverendissime et illustrissime cardinalis sanctissimi D. N. Julii divina providentia papæ III legatæ, reverendissime et illustrissime cardinalis et princeps Tridentine, reverendissimi et illustrissimi principes electores, clarissimi oratores, piissimi patres sacrosanctæ Synodi, domini observandissimi.

« Quemadmodum magna et incredibilis proculdubio lætitia in omnium piorum animos se effundere deberet, quia post turbulentissimas tempestates, quibus tot annos misere jactata est Christiana religio, tam inopinate spēs hæc tranquillitatis affulserit, et republicæ fideique Christianæ pristinum decus, auctoritas majestasque hac via legitima per Œcumenicum Concilium restitueretur, ita et illustrissimo principi, et DD. Joachimo Marchioni Brandenburgensi sacri Romani imperii archicamerario, et principi electori Mechliniæ, Pomeraniæ, Casubiorum, Slavorum, necnon Chrosnæ Silesinæ duci, Burggravio Nurimbergæ et Russiæ principi, domino meo generoso, nihil jucundius evenire potuit, quam quod nostræ religionis Christianæ tantis jam totque procellarum injuriis laceram navem ex imminente naufragio in tutum tandem portum vobis fidelissimis naucleris suo maxime

¹ Ubi sup. p. 43.

¹ Ut sup. sig. num. 3191. pag. Ms. card. Pii to. LXXIV. p. 307.

tempore perduci videret. Igitur suarum partium quoque esse et ad principem Christianum pertinere existimavit, si quantum in se esset, daret operam, ut omnium salutem Dei et religionis pretioso ejus sanguine asserta, necessaria hæc res ad optatum tandem finem deducatur. Cum ergo optimus, sacratissimus et invictissimus princeps et D. Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, dominus noster omnium clementissimus, ille domino meo D. Joachimo Marchioni Brandenburgensi, et principi electori significasset, quomodo S. D. N. Julius III divina providentia sacrosanctæ Romanæ Universalis Ecclesiæ summus Pontifex sacrum hoc Œcumenicum Concilium Tridentinum, jam olim a felicis recordationis Paulo III coeptum, primis kal. Maii præteritis Tridenti continuandum instituisset, suaque majestas illustrissimum principem electorem Brandenburgensem, et huic sacro Œcumenico Concilio cum cæteris principibus viris et statibus Christianitatis personaliter, vel saltem, si legitime impediretur, per suos consiliarios et oratores interesse, et sacram Synodum pro viribus promovere, fovere tuerique non gravaretur, admonisset requisivissetque, nihil quidem illustrissimus princeps elector maluisset, nihil antiquius nihilque dignius putavit, quam hoc pio et Christiano officio, piissimis Cæsareæ majestatis votis obsequi, et præsens Concilio interesse, impeditus tamen adversa corporis valetudine, turbulentissimoque rerum maxime istarum partium statu, quominus hoc ipsum per se prestare possit, nihilominus, ut devotissimum animum suum, propensamque voluntatem erga hanc sacrosanctam Œcumenicam Synodum testaretur, me cum collega meo huc delegavit, jussitque in primis sanctam Synodum suo nomine obsequiose et reverenter salutare, reverendissimis et illustrissimis dominationibus vestris sua obsequia deferre, rogareque, ut sancta Synodus suam illustrissimam dominationem excusatam habere dignetur. Neque vero dubitare debet sancta Synodus me cum collega meo omnia pro conservanda ampliandaque sancti Concilii auctoritate, progressuque et incremento sacrosanctæ Christianæ religionis, pacis, tranquillitatisque publicæ pertinere videbantur, diligentemque pro viribus facturum, promoturumque, principemque electorem illustrissimum omnia, quæ sancte et sincere, ut principem Christianum et obedientiæ filium Ecclesiæ Catholice decet, observaturum, defensorumque, ut hæc omnia ex authentico ejus mandato sacra Synodus perspicere potest. Reliquum est, ut illustrissimum principem electorem, meque cum collega reverendissimis et sanctissimis dominationibus vestris commendem ».

Commendata est a Patribus Joachimi Mar-

chionis Brandenburgensis, qui se ad excipienda Concilii decreta submiserat, pietas, reddito illi responso :

« Responsio sanctæ Synodi ad eosdem oratores.

« Dici non potest, ornatissimi viri, quantum lætitiæ huic sanctæ Synodo vester adventus attulerit, quantaque animi voluptate audierit ea quæ a vobis relata sunt. De proproso illustrissimi principis vestri erga ipsam Synodum animo, præsertim de filiali et humili submissione, et de proposito acceptandi et observandi ea quæ a sancta Synodo decerni continget, sperat enim Dei bonitate futurum, ut clarissimus vester princeps, sicuti ea verbo a vobis exponi voluit, ita facto et opere comprobabit, quare et personas vestras benevole et amanter amplectitur, et mandatum per vos exhibitum, quantum de jure debet, admittit.

43. *Concilii decretum et canones circa Eucharistiam.* — Dato eo responso, promulgata fuere in eo Patrum consensu plura decreta de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quæ ob rerum in iis contentarum majestatem, assertamque nitide fidei veritatem contra hæreses, quæ impiæ ignorantie tenebris tot populos immerserant, suis concepta verbis adducenda visa sunt :

Decretum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

« Sacrosancta, Œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ legato et nuntiis, etsi in eum finem, non absque peculiari Spiritus sancti ductu et gubernatione, convenerit, ut veram et antiquam de fide et Sacramentis doctrinam exponeret, ut hæresibus omnibus et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagitatur, et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret; hoc præsertim jam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania execrabiliū errorum et schismatum, quæ inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctæ Eucharistiæ supereminavit, quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tanquam Symbolum reliquit ejus unitatis et charitatis qua Christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta Synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, et ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta, retinuit, et ad finem usque sæculi conservabit; omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter crede-

re, docere aut prædicare audeant, quam ut est hoc præsentî decreto explicatum atque definitum.

44. *De reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

« Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam et si verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus. Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis viniq; benedictionem, se suum ipsius corpus illis præberet ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper et memori animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnosceris.

45. *De ratione institutionis hujus sanctissimi Sacramenti.*

« Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris, voluit effundi, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*: et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præserve-

mur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis; adeoque Symbolum unius illius corpus, cuius ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, aretissima fidei, spei et charitatis connexionione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

46. *De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.*

« Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem, verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat, et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem, quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit.

47. *De transsubstantiatione.*

« Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, que conversio convenienter et proprie a sanctissima Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.

De cultu ac veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

« Nullus itaque dubitandi locus relinqui-

tur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto patriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum dicit: *et adorent eum omnes Angeli Dei*; quem Magi precipitentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. Declarat præterea sancta Synodus pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Equissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plene divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus representatur: atque si quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere; ut ejus adversarii conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

48. *De asservando sacra Eucharistiæ Sacramento et ad infirmos deferendo.*

« Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnovit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis Eucharistiam percipiat.

« Si non decet ad sacras ulla functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cælestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id recipiendum accedat; præsertim, cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Quare commu-

nicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: *Probet se ipsum homo*. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse; ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illi copia confessoris: quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

49. *De usu admirabilis hujus Sacramenti.*

« Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt; tertio porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. Denum autem paterno affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordie symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis et Sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerent, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis; ejus vigore confortati, ex hujus misera peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes, jam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quæ ab illis hæreses cavere vitarique debeant.

50. DE SACROSANCTO EUCHARISTIE
SACRAMENTO.

CANON I.

« Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac profunde totum Christum : sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi ; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini ; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri ; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur ; non autem ante, vel post ; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire ; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu patriæ etiam externo adorandum : atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum ; neque in processione secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololâtras ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, non licere sacram Eucha-

ristiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendum ; aut non ficere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctissimæ matris Ecclesiæ ; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ; anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, vel etiam publice disputando defendere præsumperit, eo ipso excommunicatus existat ».

51. Dirimendæ superarent quatuor aliæ controversiæ ad Eucharistiam spectantes. « An necessarium sit ad salutem et divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant, et non minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque specie communicat ? et an erraverit sancta mater Ecclesia laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie dumtaxat communicando ? et an parvuli etiam communicandi sint ? » Verum cum in iis discutendis controversiis Protestantes audiri vellent, Concilium, dissolvendi schismatis et hæreseos extinguendæ percupidum, tuti et liberi commectus syngrapham iis transmisit, ac vigesimum quintum diem Januarii indixit, quo de iis ageretur.

52. *Decretum de reformatione circa causas Ecclesiasticas.* — In eadem decima tertia Sessione promulgatum est decretum de instauranda disciplina Ecclesiastica, ac in primis jussi præsules virtutum præluere exemplo, ac

severitatem in delinquentes distringere benignitate temperatam, tum ad provocationum diffugia intercludenda hæc sancita sunt :

« In causis visitationis et correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, necnon criminalibus ab episcopo, seu illius in spiritualibus vicario generali ante diffinitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur, nec episcopus, seu vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivola deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per diffinitivam sententiam reparari, vel ab ipsa diffinitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistent ».

De sacerdotibus, qui ob immania crimina sacerdotali jure exauctorandi sunt, constitutum, ut cum episcoporum numerus sacris canonibus definitus commode cogi non possit, vel abbates mithrati totidem, vel alii scientia conspicui Ecclesiastici una cum episcopo, vel ejus vicario intersint; de causis demum episcoporum hæc promulgata: causæ episcoporum cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.

53. *Discutiuntur articuli hæreticorum de Sacramentis Penitentiae et Extremæ-Uctionis.* — Celebrata superiori Sessione ¹, cum juxta ejus decretum de Sacramentis Penitentiae et Extremæ-Uctionis agendum esset, illustrissimi dominus legatus et præsidentes die xv Octobris exhibuerunt theologis discutendos articulos infrascriptos :

« I. Penitentiam non esse proprie Sacramentum ad reconciliationem pro lapsis post Baptismum a Christo institutum; nec recte a Patribus secundam tabulam post naufragium appellari: sed Baptismum vere esse ipsum Sacramentum Penitentiae.

« Iste articulus asseritur a Calvino in sua institutione cap. xxix, item a Melancthone.

« II. Non esse tres Penitentiae partes, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem; sed duas tantum, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolute, qua credit quis per Christum esse remissa peccata.

« Asseritur iste articulus a Melancthone disputatione de partibus Penitentiae. Item in Confessione Augustana Artic. xii. Item in Apologia et Locis communibus; et Calvino capite ix numero 4, item Brentius et Lutherus.

« III. Contritionem, qua paratur per discus-

sionem, collectionem et detestationem peccatorum non preparare ad gratiam Dei, nec remittere peccata, sed potius efficere hominem magis peccatorem, canque Contritionem dolorem esse exactum et non liberum.

« Hic articulus est Melancthone in disputatione de summa doctrina Penitentiae; item Lutheri Sermone de Penitentia.

« IV. Confessionem sacramentalem secretam juris divini non esse, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus factam fuisse mentionem, sed publicæ tantum penitentiae.

« Articulus iste asseritur a Melancthone in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Confessione; item a Calvino cap. ix. num. 19, 20, 21, 23, 27, 29. Item a Lutero, ut citatur a censura Parisiensi.

« V. Enumerationem peccatorum in Confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam, et tantum hac ætate utilem ad erudiendum penitentem et consolandum: et olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam. Nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, ut puta, occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta: sed neque ullas circumstantias peccatorum, quas homines otiosi excogitarunt, velleque omnia confiteri, esse, nihil relinquere divinæ misericordiae ignoscendum, imo, neque licere confiteri venialia.

« Iste articulus est Lutheri in visitatione Saxonica cap. de Confessione. Item ejusdem in disputatione habita anno mxxx, et citatur a censura Parisiensi. Item lib. de Ratione contitendi. Item de Captivitate Babylonica. Item Melancthon in Locis communibus. Item Calvinus in Institutione sua. Item Bucerus in Reformatione pro Colonensibus.

« VI. Confessionem omnium peccatorum, quam Ecclesia faciendam præcipit, esse impossibilem, traditionemque humanam a piis abolendam, neque contitendum esse semper Quadragesima.

« Assertio hæc est Lutheri in Libro de Captivitate Babylonica; item in suo Testamento; item in Assertionibus; item Calvini cap. ix, n. 28. Item Melancthonis in locis communibus.

« VII. Absolutionem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata contenti, modo credat se esse absolutum, etiamsi non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; imo etiam sine confessione peccatoris sacerdotem cum absolvere posse.

« Hic articulus asseritur a Lutero in suis Assertionibus. Item Melancthon in Apologia et Catechismo. Item a Lutero in responsione ad

¹ Acta Ms. Conc. Trid. post sess. III. sub Julio III. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 80. Et aliud Ms. sig. num. 3209.

ejus condemnationem factam a Leone papa X. Item a Calvino cap. ix, num. 25.

« VIII. Sacerdotes non habent potestatem ligandi et solvendi, nisi Spiritus sancti gratia et claritate sint præditi, et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christianis esse dictum: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo*, etc. Quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctam acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem.

« Auctor hujus articuli est Lutherus in Responsione ad condemnationem factam a Leone X. item in Captivitate Babylonica.

« IX. Absolutionis ministrum, etiamsi contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere a culpa et coram Deo. Ideo casuum reservationem non impedire absolutionem, nec episcopos habere jus eos sibi reservandi, nisi quoad externam potestatem.

« Articulus iste est Lutheri in Disputatione habita MXXVII, et Melanthonis in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Confessione et Satisfactione.

« X. Totam pœnam et culpam simul remitti semper a Deo, Satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, ideoque satisfactiones canonicas quondam exempli causa, vel disciplinæ, vel probandi fideles causa, fuisse a Patribus institutas, et in Concilio Nicæno exortas, nunquam autem ad remissionem pœnæ.

« Illic articulus est Lutheri, ut citatur a censura Parisiensi. Item idem de Visitatione Saxonica cap. de Justificatione. Item Melanthonis in Apologia Confessionis Augustanæ. Item Calvini capite ix, num. 50.

« XI. Optimam pœnitentiam esse novam vitam, pœnisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri, sed neque voluntarie susceptis, et jejuniis, orationibus, elemosynis et aliis bonis operibus non præceptis a Deo, quæ supererogationes censentur.

« Hæc assertio est Lutheri in sermone de Pœnitentia, et Melanthonis in Confess. Augustana. Item ejusdem in Locis communibus cap. de Satisfactione, ac etiam Calvini cap ix, num. 44, 48, 49.

« XII. Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et vero Dei cultu, atque ipsam beneficium mortis Christi obscurantes, et fictiones esse, quod virtute clavium æterna supplicia in pœnas temporales convertantur, cum illorum non sit munus pœnas imponere, sed absolvere.

« Articulus iste assertitur a Melanthone in Apologia Confess. Augustanæ, et ejusdem in Locis communibus cap. de Satisfactione, item

in disput. de Partibus Pœnitentiæ: item a Calvino cap. ix num. 43, 39 et 42.

54. DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

« I. Extremam-Uncionem non esse Sacramentum novæ legis a Christo institutum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum.

« Hic articulus est Lutheri in Lib. De Captivitate Babylonica. et Melanthonis in Apolog. Confess. August. cap. de numero et usu Sacramentorum. Item assertitur a Calvino et Bucero.

« II. Extremam-Uncionem non conferre gratiam neque remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur; atque adeo cum primitiva Ecclesia cessasse, sicut et gratiam curationum.

« Articulus iste est Melanthonis in Locis communibus, et in Apologia Confessionis Augustanæ, de numero et usu Sacramentorum, et etiam Calvini.

« III. Extremæ-Uncionis ritum et usum non servari ab Ecclesia Romana juxta beati Jacobi Apostoli sententiam; ideoque eum mutandum esse, posseque a Christianis absque peccato contemni.

« Hæc assertio est Lutheri in suo Testamento, et Calvini cap. 19. disserentis de Extrema-Uncione, et Melanthonis in Locis communibus.

« IV. Extremæ-Uncionis ministrum non esse solum sacerdotem, presbyterosque Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos ad infirmum unguendum hortatur, non esse sacerdotes ab ipso ordinatos, sed ætate seniores in qualibet communitate.

« Assertio hæc repetitur a Melanthone in locis communibus, et Apol. Augustan. et Calvino cap. xix.

« Sententiæ per theologos dicendæ deducuntur ex sacra Scriptura, traditionibus Apostolicis, sacris et approbatis Conciliis, summorum Pontificum et sanctorum Patrum constitutionibus et auctoritatibus, ac consensu Ecclesiæ Catholicae. Sint breves, ne vagentur per inutiles questiones, fugiantque protervas contentiones ».

55. Habita est xx Octobris ¹ theologorum Congregatio, in qua illi articuli excussi sunt, tum in aliis Congregationibus consequentibus decem diebus coactis, at primo loco missi a Pontifice Laynes ac Salmeron societatis Jesu, secundo missi a Cæsare, tertio Lovanienses missi a Maria regina Hungariæ vidua, quarto missi ab Augustano et Tridentino cardinalibus, quinto missi ab imperii electoribus, sexto cle-

¹ Ms. sig. num. 3181. p. 83.

rici sæculares, qui sunt apud præsules, octavo regulares sententias ¹ dixere.

Communi vero eorum consensu adnotationes quedam in eos articulos conscriptæ fuere, quæ omnia adducta sunt in Congregationibus prælatorum ², qui septem dierum flexu bis in die convenerunt.

Decima sexta Novembris proposita est prima formula doctrinæ de Sacramentis Pœnitentiæ, et Extremæ-Uctionis in prælatorum ad id constitutorum Congregatione, expensive iterum duodecim articuli Lutheranorum circa Sacramentum Pœnitentiæ, et quatuor circa Sacramentum Extremæ-Uctionis, qui postea in publica Sessione damnati fuere.

56. *Sessio quarta: declarationes et canones de Pœnitentiâ et Extremâ-Uctione.* — Quarta Sessio ³ sub Julio III Pontifice celebrata est die vigesima quinta Novembris, in qua de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Uctionis, ac disciplina collapsa restituenda actum est, ac in primis necessitas et institutio Sacramenti Pœnitentiæ divinis oraculis demonstrata. *Nisi pœnitentiâ egeritis, omnes simul peribitis.* Et rursus: *Quorum remisistis peccata remittentur eis, etc.* tum plura addita de iis, in quibus Baptismus et Pœnitentiâ differant, ac demum fuit ita pronuntiatum: « Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus ». Sauxere Patres tertio capite, formam Sacramenti Pœnitentiæ consistere in iis verbis a piaculario sacerdote prolatis, *ego te absolvo*; et quibus pie conjunguntur piæ preces ab Ecclesia institutæ, quæ tamen non conflant ipsam formæ essentialiam: materiam vero Sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ ad perfectam peccatorum expiationem ex institutione exiguntur; effectum vero ejusdem Sacramenti esse reconciliationem cum Deo, et internam pacem, sacram Iulitiam, qua Spiritus sanctus piâs mentes perfundere solet.

De Contritione pronuntiatum est capite quarto contra Lutheranum dogma, eam non esse tantummodo abstinentiam a crimine, sed etiam commissi eriminis dolorem atque odium, et vite sanctioris inchoandæ firmam voluntatem ex vaticinio Ezechielis: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Addidere etiam si aliquando perfectus contritionis actus eliciatur sine usu Sacramenti, includi in eo actu necessario votum Sacramenti. Declaravit etiam Synodus, attritionem imperfectam, quæ ex peccati turpitudine, et terrore inferni, vel pœnarum metu concipitur, non esse

hypocrisim nefariam, sed Dei donum atque afflatum Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis in attrito, sed illum comparantis ad divinam gratiam in Sacramento consequendam. Vindicavit etiam Catholicos scriptores a calumnia ipsis afficta, quasi doceant sine prævio Spiritus sancti motu gratiam suscipientibus Sacramentum conferri, eosdemque hæreticos falso et impie jactare, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam promulgavit.

57. De Confessione decretum est capite quinto integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino præceptam esse ac necessariam; cum Christus celos consensurus sacerdotes sui vice præsidet ac iudices constituerit, quibus a lapsis fidelibus lethalia peccata deferantur, ut de iis vel remittendis vel retinendis sententiam decretoriam proferant; cum stet, hoc iudicium causa incognita exerceri non posse, nec aequitatem juris in pœna infligenda servari, si in genere tantum, ac non in specie et numero deferantur: proptereaque accurate ac diligenter discutendos esse conscientie sinus, atque omnia peccata lethalia occulta, etiam animo et cupidine tantum concepta, contra duo ultima Decalogi præcepta, quæ sæpius magis lethali ac periculoso vulnere quam manifesto animas conficiunt, nec dignoscuntur facile, ac difficiliter in memoriam revocantur.

58. De venialibus noxis sancitum est, eas pie exprimi posse piaculario sacerdoti, non tamen necessario, quia aliis piis operibus deleri possunt: verum lethalia crimina, quæ memoriæ occurrunt, etiam sola mente concepta, quia filios iræ et Dei inimicos homines constituunt, cum verecunda confessione promenda, veniamque a Deo demisse poscendam: Si qui vero aliqua silentio premant, divina misericordia indignos reddi: si quæ vero diligenti adhibito examine et memoria exciderint, ut eadem confessione inclusa a divina misericordia remitti: pro quibus orabat Propheta, *ab occultis meis munda me.* Damnati deinde sunt, qui arcanam sacramentum Confessionem, quæ semper in Ecclesiæ Dei continuo usu viguit, ut humanum commentum traducere non perhorrescent, morem autem a Concilio Lateranensi tantum inductum fuisse, ut Quadragesimali tempore, pro celebrando rite Paschate, peccata sacramentali confessione expiantur.

De ministro hujus Sacramenti cap. vi promulgatum est, solis episcopis et sacerdotibus jus remittendi, vel retinendi peccata collatum a Christo, atque ab iis rite consecratis iudiciali sententiam ferri.

Addidit Synodus cap. vii ⁴ absolutorium

¹ Ext. eorum sententia in Ms. Vat. sig. num. 3209, p. 187. Ms. sig. num. 3191. Ibid. p. 87. — ² Ms. arch. Vat. sig. num. 3209, p. 175. — ³ Ibid. c. 2.

⁴ Cone. Trid. sess. XIV, de doctr. pontif. c. 7.

sacerdotis sententiam non valere nisi erga eos, in quos obtineat jurisdictionis auctoritatem, vel ordinariam, vel subdelegatam, atque ad disciplinam Ecclesiasticam adstringendam velere more atque sanctorum Patrum instituto, atrociora crimina, maximeque illa, quibus anathema intentatum est a Pontifice summo, vel a præsulibus, eorum judicio reservari, ut veniæ difficultas a flagitio deterreat: « Magnopere, inquit, ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quedam et gravia crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolvantur. Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviore, suo poterunt particulari judicio reservare; neque dubitandum est quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc ipsum episcopis omnibus in sua quaque diocesi, in ædificationem tamen, et non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est ».

Adjecit tamen hanc exceptionem Synodus, in extremo vite discrimine traditam omnibus sacerdotibus potestatem absolvendi ab omnibus peccatis, censurisque Ecclesiasticis quibus fuerint peccatores illaqueati.

39. De satisfactione sancitum est, falsam esse, et a divinorum oraculorum veritate abhorrentem eam opinionem, quæ astruit culpam remitti non posse, nisi etiam omnis pœna illi debita condonetur: convinci enim eum errorem Genesios in, II Regum XII, et Num. 11 et 20 ac longe discrepantem esse rationem illius, qui in Baptismate culpæ et pœnarum remissionem liberam adipiscitur; et illius, qui sacro Baptismo Christo insitus, libere ac turpissime demonis servituti se addidit, atque ex anima Spiritum sanctum dispulit: atque adeo placandam divinam justitiam pœnitentiæ operibus: tum additur: « Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre ». Ex quibus constat imperata a sacerdotibus satisfactio, vim meritum et satisfactionis Christi non obscurari, nec imminui, ut ganniant novatores.

Docuit eadem sancta Synodus cap. IX tantam esse divinæ clementiæ erga nos munificentiam, ut non tantum pœnis sacerdotis arbitrio

impositis, vel sponte susceptis ad vindicanda peccata, sed etiam temporariis pœnis divinitus indictis æquo animo toleratis, per Christum apud Deum Patrem satisfacere possimus.

In eadem Sessione de Sacramento Extremæ-Uctionis definitum est a sancta Synodo, illud esse Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino institutum, atque apud Marcum cap. VI, vers. 14 insinuatum, cum de Apostolis dictum: *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* A Jacobo vero Apostolo fidelibus commendatum ac promulgatum, cum ait: *Informatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ,* quibus verbis administri hujus Sacramenti designantur, nimirum episcopi vel sacerdotes rite consecrati. Tum subditur, *et orent super eum;* qua voce indicatur forma, quæ per hæc verba exprimitur: *Per hanc sanctam unctionem etc. Ungentes eum oleo in nomine Domini,* in quo dicto significatur materia Sacramenti, nimirum oleum ab episcopo sacra prece lustratum. *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit infirmum, et si in peccato fuerit, dimittentur ei,* his verbis explicatur res, quæ confertur, sive effectus, qui comparatur per hoc Sacramentum, nimirum gratia Spiritus sancti, « cujus unctio (ut loquitur Concilium) delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægrofi animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, ac morbi incommoda et labores levius fert, et tentationibus demonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expenderit, consequitur ».

Concludit ultimo cap. Concilium: si æger suscepto Extremæ-Uctionis Sacramento pristina valetudini fuerit restitutus, contracto alio lethali morbo, eodem Sacramento muniri posse: tum damnat calumnias adversus hoc Sacramentum effusas ab hæreticis: « Nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei aut promissionem gratiæ habentem, et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt ritum et usum, quem S. R. E. in hujus Sacramenti administratione observat; Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque adeo in alium commutandum esse; denique, qui hanc Extremam-Uctionem a fidelibus sine peccato contenti posse affirmant; hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis ». Denique, qui contra superiorem doctrinam impie sentiant, anathemate defixi sunt a Concilio subjectis verbis:

DE SANCTISSIMO PŒNITENTIE SACRAMENTO.

CANON I.

« Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*: non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorsit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientie agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, eam Contritionem, que paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fedtatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vite, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis negaverit Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secreta confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia

Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri Confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere: aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; quorum remisistis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam po-

litiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, Satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, vel jejuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

CANON XV.

« Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

CANON I.

« Si quis dixerit, Extremam-Unionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, sacram infirmorum Unionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curatio; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Extremæ-Unionis ritum et usum, quem observat S. Romana Ecclesia

repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli; ideoque cum mutari posse, atque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate: ob idque proprium Extremæ-Unionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

« Promulgatum deinde decretum fuit de emendandis vitiis, moribusque ad sanctiorem vitam revocandis; atque in primis sanctum, ut episcopi, clerici, ac maxime, quibus animarum cura demandata est, vitæ sanctitate ac scientia sint ornat, ne eorum munus in contemplum adducatur, et iis possit illud Propheticum exprobari, *sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem*: utque subditi superioribus debitum obsequium deferant, ne ad alliorem gradum, vel ordines, vel dignitatem promoveri possint, si a prælatis ob occultum etiam crimen munere pristino sint interdicti.

« De episcopis, qui clero carent, ac titulos in partibus infidelium sitos gerunt, ne sine ordinarii episcopi potestate accepta sacros ordines conferre possint, nec etiam in Ecclesiis vel monasteriis nullius dioceseos, vel exemptis, nisi episcoporum suorum, aut prælatorum litteras commendatitias promovendi ostenderint.

« Ut episcopus quoscumque subditos suos, maxime sacris initiatos, sine præcedente examine, ac minus idoneos a munere sacerdotali obeundo submovere possit. Omnes Ecclesiarum prælati vitiis subditorum castigandis incumbere jussi, rescisso quocumque privilegio reis concessio; sublataque litterarum conservatoriarum, quibus certi iudices ad cognoscendam eorum causam constituebantur, corruptelæ, exceptæ tamen causæ mercedis, et miserorum hominum, necnon xenodochiis, Academiis, collegiis doctorum, et scholarium pristina jura asserta.

« Monachi et clerici vestium decus et honestatem ipsis consentaneam tenere jussi, ac laicalem cultum deponere; ac si ab episcopo moniti non paruerint, muneribus suis ac dignitatibus pelli atque exauctorari jussi.

« Sancitum etiam, ut qui meditato consilio aut structis insidiis homicidium patrarit, ad sacros ordines promoveri non possit, nec ullius sacerdotii stipendiis potiri; qui vero casu, non ex meditato consilio, aut vim vi repellendo, hominem occiderit, proposito casu loci ordinario, aut ex causa metropolitano, aut viciniore episcopo, probata re lege Ecclesiastica, solvi possit.

« Constitutum etiam, ut episcopi animadvertendi in alienos subditos etiam atrocium

criminum reos jus auctoritatemque sibi non arrogent.

« Decretum quoque, ne unius diocæseos Ecclesiæ in alterius diocæseos terminos vel jura transferantur: ne etiam sacerdotia regularium laicis, sed ejusdem Ordinis religiosis conferantur.

« Ad coercendos etiam regulares, qui ex uno Ordine in alium traducti evadunt gyrovagi, pronuntiatum est, ut ab alio prelato excipi non possint, nisi ut in ipso Ordine, ad quem transferuntur sub imperio superioris in claustris perpetuo maneat, nec aliquod sacerdotium Parochiale laicum gerere possit.

« De jure patronatus Ecclesiastici nonnulla etiam definita; promulgatumque in proximo consensu habendo vigesima Januarii recurrentis anni proximi de sacrificio Missæ sacrosancto, et de Sacramento Ordinis actum iri.

60. *Articuli hæreticorum de Sacramento Missæ.* — « Post Sessionem IV^a sub Julio III Pontifice Maximo articuli de sacrificio Missæ et Sacramento Ordinis propositi examinandi theologis, an sint hæretici et per sanctam Synodum damnandi.

« I. Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in Cruce peracti, vocari autem a Patribus translato nomine sacrificium, et vere et proprie non esse, sed tantum Testamentum, et promissionem remissionis peccatorum.

« Illic articulus asseritur a Luthero in captivitate Babylonica, et habetur in Apologia Augustana.

« II. Missam non esse ex Evangelio, neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus; neque eam esse opus bonum aut meritorium, imo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam.

« Assertio hæc habetur in Apologia Augustana, et apud Calvinum et Melancthonem.

« III. Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto, si quis credat Dei Filium demum a sacerdotibus in Missis Deo Patri offerri: Christumque pro nobis mystice immolari, et offerri non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari. Et Christus illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, non ordinasse, ut Apostoli offerrent Corpus et Sanguinem ejus in sacrificio Missæ.

« Urbanus Regius contra Eckium, Luther. de Captiv. Babylonica, Bucerus de Reformatione.

« IV. Canonem Missæ erroribus et seductionibus secatere, abrogandum esse, fugiendum non secus ac pessimam abominationem.

« Habetur in Apologia, et apud Zuinglium, et Bullingerum, Melancthonem in libro contra privatam Missam.

« V. Missam nec vivis nec mortuis, ut sacrificium prodesse, et impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus.

« Melancthon in Locis communibus. Calvinus de Cæna Domini et in Apologia, et Lutherus de Captivitate Babylonica.

« VI. Sicut nemo pro alio communicat, vel pro alio absolvitur; sic nec in Missa sacerdos pro alio sacrificium offerre potest.

« Habetur in Apologia Augustana.

« VII. Missas privatas, in quibus scilicet solus sacerdos, et non alii communicant, ante Gregorium Magnum non fuisse, et illicitas esse atque abrogandas, ac cum Christi institutione pugnare, et representare magis excommunicationem, quam communionem a Christo institutam.

« Apologia Augustana et Calvinus de Cæna Domini.

« VIII. Vinum materiam non esse hujus Sacrificii, neque aquam miscendam cum vino in Calice, idque esse contra Christi institutionem.

« Bucerus in Apologia contra Antididagma.

« IX. Ecclesiæ Romanæ ritum, quo secreto et submissa voce verba consecrationis proferruntur, damnandum esse; Missamque non nisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debere, imposturamque esse certas certis Missis sanctis attribuire.

« Asseritur a Calvino in libr. de Cæna Domini.

« X. In celebratione Missarum omnes ceremonias, vestes et externa signa, irritamenta impietatis esse magis, quam officia pietatis, et sicut Missa Christi simplicissima fuit, ita quanto Missæ illi primæ omnium Missæ vicinior et similior sit, tanto magis esse Christianam.

« Lutherus de Captivitate Babylonica.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

« I. Ordinem non esse Sacramentum, sed ritum quemdam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum, imo, quod Ordo Sacramentum sit, figmentum esse humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis.

« Lutherus de Captivitate Babylonica tit. de Ordine. Bucerus lib. Reformation. Calvinus lib. Institutionum, et Melancthon in Locis communibus.

« II. Ordinem non esse unum Sacramentum, nec intimos et modicos Ordines velut gradus quosdam tendere in sacerdotii Ordinem.

« Calvinus in sua Institutione cap. de Ordine Ecclesiastico.

« III. Nullam esse hierarchiam Ecclesiasticam, sed omnes Christianos ex æquo esse sacer-

dotes, et ad usum seu executionem opus esse vocatione magistratus et consensu populi, et qui sacerdos semel sit, laicum rursus fieri posse.

« Lutherus de Captivitate Babylonica, et Calvinus in suis Institutionibus.

« IV. Non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, neque potestatem aliquam spiritualem, sive ad consecrandum Corpus et Sanguinem Domini, sive ad offerendum, sive ad absolvendum coram Deo a peccatis, sed officium tantum et ministerium prædicandi Evangelium, et eos qui non prædicant prorsus non esse sacerdotes.

« Bucerus super Joann. cap. vi, Lutherus de Captivitate Babylonica, Calvinus in Institutionibus.

« V. Unctionem non solum non requiri in Ordinum traditione, sed esse perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias caeremonias, et per ordinationem non conferri Spiritum sanctum, proinde impertinenter episcopos cum ordinant, dicere, *Accipite Spiritum Sanctum*.

« Calvinus c. xviii suarum Institutionum.

« VI. Episcopos jure divino non esse institutos, neque presbyteris superiores, neque habere jus ordinandi, aut si habent, illis esse commune cum presbyteris, ordinationesque ab ipsis factas sine plebis consensu irritas esse.

« Lutherus de Captivitate Babylonica, Calvinus libro Institutionum, Bucerus libr. Reformationis.

« Qui articuli discussi sunt in Congregationibus theologorum habitis mane et a prandio diebus vii, viii, ix, x, xi, xii Decembris ».

Decima tertia die Decembris ¹, necnon decima quarta, et decima sexta alii theologi veritatem Catholicam contra hæreticorum articulos adversus Sacramentum Ordinis confirmarunt. Die vero decima quinta ejusdem mensis inveniunt Acta :

« Legatus, præses ac Patres omnes, Maximilianum et Mariam, regem et reginam Bohemiam, qui ex Hispaniis venientes Tridentum die xiii applicuerant, domi visitant, ipseque legatus eadem die a dicto rege domi etiam visitatur. XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIV, celebratisque festivitibus Nativitatis Domini, die xxix Decembris discussio ipsa absolvitur ».

61. *Insigne prodigium in Germania: vinculo sacramenti inique præstiti Brunsvicenses absolvuntur.* — In Germania insigne prodigium plures hoc anno terruit; simulachrum enim Christi in Cruce confixi stupendo sudore quatuor horarum spatio diffuxit, quo miraculo visa est Lutheranorum obfirmata in hæresi pernicia ac impietas damnari, ut refert Surius ² his verbis :

« Mensis Martii die xiv in oppido Bernburgensi sub concionem statua Christi in Cruce pendens magno et stupendo miraculo ad quatuor horas largiter sudavit. Erant qui sudorem illum subinde abstergerent, sed rursus magna copia manavit. Multæ hac nostra ætate dum regnant passim hæreses, statuis et imaginibus injuriæ et contumeliæ petulantè illatæ sunt, nec adhuc cessatur, licet non desint id genus prodigia, quibus possunt importuni homines absterri. Videntur sibi valde Evangelicæ, si ab hominum oculis Imagines Christi et Sanctorum removeant, nec pudet eos Judæorum et Turcarum, aliorumque Mahometanorum imitari væcordiam et impietatem, sed hac quoque ratione via sternitur Antichristo ».

Exposuere Pontifici Henricus et Carolus Brunsvicenses, iidemque Luneburgenses duces se insigni Lutheranorum perduellium prodicione captos, atque a Philippo Lantgravio in vincula abductos, cumque Carolus Cæsar victoriam de Lutheranis imperii perduellibus reportasset, atque Lantgravium perduellionis reus proscriptus jussus esset Brunsvici principes pristinae libertati restituere, Lutheranos contra Cæsarea edicta mala fraude usos antequam vinculis eos exsolverent, iniquis pactationibus impie constrinxisse, ne Lutheranæ unquam sectæ obstitent, ne monasteria, et sacerdotia, vel Ecclesias a Lutheranis repeterent, et sacra vœtigalia blasphemis hæreseos buccinatoribus permitterent, tum Brunsvici, tum Goslariæ: quæ pacta conventa dolo et impie extorta Pontifex pronuntiavit, ac sacramenti inique præstiti religione Brunsvicenses duces liberavit, qua de re litteræ xvii die Februarii hujus anni consignatæ.

62. *Osiandri novum dogma de justificatione.*

— Inducta est hoc anno inter Lutheranos nova hæresis auctore Andrea Osiandro, qui dum divina oracula pro libito distortet, commentus est justum eadem justitia fieri justum, qua Deus essentialiter justus est, de cujus impio delirio hoc refert Surius ¹: « Anno m^olvi, in Prussia, Andreas Osiander novum de Justificatione dogma e suo cerebro fabricat, videlicet, hominem Christianum eadem prorsus justitia, qua Deus essentialiter justus est, justum esse oportere, hanc vero justitiam homini inseri, etc. Contra hunc, licet aliqui strenuus esset Lutheri propugnator, multi Evangelicæ aliquot principum et civitatum Lutheranorum præcones acriter scripserunt, sed ita, ut et illi Osiandro, et illis rursus Osiander multas execrandas hæreses impingat. In primis autem Wittembergenses, et in his Melanethonem perstringit, sic illi fratres Evangelicæ non contenti turbare Ecclesiam Dei, etiam se mutuo lacerare et perturbare non desinunt, et quamvis tam multos haberet Osiand-

¹ Tu sup. p. 117. et seqq. — ² Sur. in Comm.

¹ Surius in Comm. hoc anno.

der contradictores Evangelicos, tamen in suam sententiam pertrahere potuit Albertum Prussiae principem, qui ejus adversarios, et in his Joachimum Merlinum insignem Evangelicum e suis finibus exegit. Quis non rideat apud infaustos istos rerum novatores Evangelii sui doctrinam toties in novas mutari formas, easque tam diversas, atque inter se mire discrepantes? Sed dolendum maxime est, dum isti ita in rebus gravissimis ludunt, miseræ plebi tam miserabiliter, ac nimium exitiabiliter illudi.

63. *Bucerii mors et variae opiniones: Mauritius Saxoniae dux Caesari infidus.* — Addit idem auctor¹ Bucerum haeresiarcham, qui toties conciliandæ inter Catholicos et Lutheranos concordiae promotæ a Cæsare obsisterat, metuque Caesaris in Angliam diffugerat, ne pertinaciæ et impietatis suæ justas daret pœnas, ad divinum tribunal hoc anno raptum, de ejus lascivia et impietate hæc tradit historia.

« Die xxvii Februarii periit in Anglia Martinus Bucerus monachus apostata, et qui contra omnium sæculorum et Christianarum gentium morem, cum esset sacerdos, ad tertias usque nuptias progressus est. Audivi ego ex quodam gravi longeque doctissimo viro fuisse eum Judæum, et cum quandoque puerum quemdam necicio ex qua femina sustulisset, eum circumcidisse. Utrum autem hæc prorsus certa sint non possum affirmare, præsertim quod ille quoque, qui hæc referebat, se ab aliis accepisse diceret». Fluctuasse Bucerus in fide, ac postquam a vera excidisset, variarum opinionum fluctibus contrariis mire exagitatum fuisse, scribit Sanderus² his verbis :

« Post ejus obitum, regnante regina Maria, illustris dominus Baro Pagettus, Catholicorum tunc regum consiliarius dignissimus, testificatus est se presentem, ac ejus apud Duxacum ducem Northumbriae interpretem fuisse, cum eidem duci suam de reali Corporis Christi in sacramento præsentiam interroganti, ingenue responderit, nullum merito dubitare posse, qui non dubitet de fide Evangelistarum, non tamen is ego (subjecti) qui certo ea omnia credenda existimem, quæ in Novo Testamento de Christo et ejus Actis scribuntur, quanquam nec hæcenus aperte negare libuerit. Atque ista homini, quem sciebat non multum de ulla religione esse sollicitum, libere dixit. Caterum scripture ac libera professione Lutheranismum ad Anglicanae sectæ normam aliquantulum modificatum et temperatum usque ad mortem tenuit ».

Redactis sub jugum Magdeburgensibus offensum esse Lutheranis terrorem ingentem, quorum plures concionatores ex urbibus pulsati sunt, quod seditioem faces accenderent, populosque in perviciam confinerent, narrat Surlus :

« Augusti die xxvi, Ecclesiae Augustanae ministri Evangelici Caesaris voluntate intra diem tertium ex urbe discedere jubentur, nec usquam omnino concionari intra Caesaris ditiones. Intra Augustam vetat Caesar Lutheri dogmata doceri. Eodem modo actum est cum Memmingensibus, et aliis Sueviæ concionatoribus. Erat in iis quidam, ejus Dalila jam proxima esset partui. Is petit sibi copiam fieri uxoris, ut ipse vocabat, invisendæ. Tum Atrebatensis episcopus cum primis eruditus ad suos conversus, uxorem iste vocat, ait, quæ scortum est. Et revera nonnisi scorta, imo scortis peiores sunt, quæ vel sacerdotibus vel monachis junguntur. Horum autem profligatio magnum omnibus ubique terrorem incussit, qui haud dubio idem sibi quoque formidarent, potuissentque hæc ratione facile populus misere seductus in viam reduci, expulsis pravis et seditiosis doctoribus, cum ecce in tanta publicæ pacis et tranquillitatis expectatione Gallia rex Caesari bellum movet. Mauritius deinde cum Gallo foedus ferit, eam gratiam pro maximis beneficiis Caesari rependens ».

Ita cum Germaniæ ad orthodoxæ religionis cultum ab impia Lutheri superstitione revocandæ spes arderet, repente majores tumultus exorti, Christianam rem in grave discrimen adduxere : perdomiti diuturno bello Magdeburgenses a Mauricio duce Saxoniae, qui Cæsareo exercitu cum summo imperio præerat, deditioem Mense Novembri nuncuparunt his legibus, quas Surlus¹ refert : « Supplices a Cæsare veniam petant, in Austriacam et Burgundicam familiam nihil faciant, cameræ se submittant, Augustano decreto postremo pareant, aureorum quinquaginta millia persolvant in usum fisci pro belli sumpto, tormenta majora duodecim Caesari tradant, et quædam alia duræ satis conditiones adjunctæ ».

Nocuit Caesari hoc bellum per se non administrasse : Lutheranus enim Saxo permisit victis, ut in Lutheranis cæno hærerent, qui de impia et delira superstitione defensa adversus Caesarem inane gloriolam aucupati sunt, quasi nefanda eorum pertinaciæ cum Martyrum constantia conferenda esset, nec defuere impij scriptores, qui ipsorum perfidiæ fallacibus verbis fuerint lenocinati, quos graviter refellit Surlus : « Nemo sana mentis dixerit eos laudem vel gloriam mereri, qui ob pertinaciæ et rebellionem proscripti a Cæsare suo exemplo alios quoque ad rebellandum invitent ».

64. *Ecclesiastici septemviri retinentur in Concilio a Pontifice.* — Porro Mauritius princeps cum præsidarias Magdeburgensium copias ex urbe eductas suo exercitui conjunxisset, parti triumphî gloria etatior nova moliri in Caesarem

¹ Surlus in Comm. — ² Sander, de Schism. Angl. l. II. p. 273.

¹ Surlus, in Comm. hoc anno, Jac. Aug. Thuan. l. VIII. Natal. Gess. Ludov. Guicci.

cœpit, ad quam defectionem Lutherani concionatores sectæ suæ confirmandæ propagandæque cupidissimi eum variis artibus adversus Cæsarem incitarunt; is vero cum turmas in hyberna duxisset, eæ per Thuringiam et finitima loca dispersæ militari licentia grassari, et varias excursiones agere cœperunt, gravioraque mala Catholicis prædandi cupidine intulerunt, quæ cum Moguntino et Treverensi archiepiscopis relata essent, ii de Tridento ad sua tuenda deserendo cogitarunt, Pontificemque de tota re certiores fecerunt. At Julius ¹ cum eos motus prudentia atque auctoritate Cæsaris sopitum iri præfideret, coitionesque in Cæsarem conflatas ignoraret, eos præsales ut præstant Tridenti hortatus est, ne ex eorum, et aliorum præsulum discessu Concilium dissolveretur, eximiaque asserendæ suo splendori Germaniæ contra novatorum fraudes consilia evanescerent. Summeret interea animos, Cæsareo imperio eos tumultus compositum iri.

« Venerabilibus fratribus Moguntino et Treverensi archiepiscopis, sacri Romani imperii principibus electoribus.

« Venerabiles fratres, salutem, etc. Magnam nuper nobis molestiam attulerunt litteræ dilecti filii Marcelli cardinalis Crescentii legati nostri et venerabilium fratrum prælatorum sacre OEcumenico Concilio præsentium, per quas certiores facti sumus novos quosdam motus in finitimis fraternitatum vestrarum Ecclesiarum locis, concitatos, ex quibus jam et aliæ Ecclesiæ detrimentis et calamitatibus non mediocribus affectæ fuerint, et ipsis Moguntinæ et Treverensi grave imminere periculum, in tanta tamen ac tam inopinata re, ea nobis occurrit consolatio, quod cum clarissimus in Christo filius noster Carolus imperator Augustus unus omnium tam nostra quam Patrum memoria maximus et potentissimus hanc causam non solum communem, sed etiam propriam existimare debeat, ejus opibus, consilio, et auctoritate facile hujusmodi tumultus sedari et extingui posse speramus, ad quam curam eum omnes cogitationes suas conversurum minime dubitamus, cum et nobilissimæ illius regionis incoluntati consulat, tum ut a suo ipsius imperio hanc tam seditiosarum factionum pestem arceat, quod illi haud quidem difficile fore arbitramur, cum illam nefariam tumultuariorum militum manum, nulla certa ratione subnixam, furere ausam intelligamus, quare per se ipsam dilapsuram, et ejus omnes conatus brevi in irritum casuros facile ut credamus adducimur; vos quidem, fratres, cum ex iisdem litteris acceperimus in animo habuisse isthinc discedere, ut Ecclesiis vestris opem ferretis, talem divina juvante clementia earum seditionum exitum

fore speramus, ut ipsi etiam speretis magnopere hortamur, et quoniam Concilium OEcumenicum vestra in primis presentia et auctoritate prosperos adhuc habuit progressus, pro singulari prudentia ac pietate vestra cogitetis volumus ne ipsius Concilii, tam exoptati omnibus nationibus, et ab ipsa præcipue Germania efflagitati, et in quo orthodoxæ religionis, atque Otii, et tranquillitatis universæ reipublicæ Christianæ stabilindæ spes certissima reposita esse debet, causam deseratis. Neque enim dubitandum est quin ex vestro discessu, tam sanctum, tam salutare, tam necessarium opus quodammodo titubare incipiat, cum vester adventus ei tantum attulerit adjumentum, atque ut eo libentius permaneat, et Concilii ipsius Acta securiore animo prosequamini, illud sciatis volumus ad omnem periculi metum funditus tollendum quid facere debeamus monentis, neque ante unquam desimus in presentia nihil a nobis prætermitti neque officii, neque sedulitatis, quo inter Christianos principes pax et gratia reconcilietur, quam immensa præpotentis Dei benignitate ac misericordia, cum in ejus manu sint ipsa regum corda et consilia, brevi successuram confidimus. Quamobrem, si, ut nobis persuademus, fraternitates vestræ publicam Christi Redemptoris nostri, et Catholicæ religionis causam quibuscumque privatis vestris rationibus, quibus etiam absentes, ipso præsertim Cæsare adjuvante, prospicere poteritis, potius duxeritis, præterquam quod et ipsius Dei gratiam promerebimini, nobis etiam, qui vos paterne diligimus, vestrumque honorem quantum cum Deo poterimus augere cupimus, plurimum satisfaciatis. Hæc erant, quæ pro summa nostra in vos charitate vobis scribenda habuimus, nam illud ut vos admoveamus, supervacaneum ducimus, ne scilicet quicumque rerum eventus fuerit, aliquid de discessu vestro, inconsulto Cæsare, et contra ipsius sanctæ Synodi sententiam pernicioso aliorum exemplo statutis, reliqua cum ex ejusdem dilecti filii nostri cardinalis Crescentii legati, tum vero ex Petri Camajani, intimi cubicularii nostri, quem etiam hac ipsa de causa ad Cæsarem mittimus, sermone plenius fraternitates vestræ cognoscent. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxiv Decembris MDCI, anno II ».

63. Majus constantiæ specimen explicabat archiepiscopus Coloniensis, qui cum divina humanis præferret, censuit insistendum celebrando Concilio spretis bellicis tumultibus, cum nil antiquius esse deberet orthodoxæ religionis restituendæ, et pravorum dogmatum corruptelarumque, quæ in clero irrepserant, delendarum sollicitudine : cujus fortitudinem ac pia consilia Julius ¹ his litteris commendavit :

¹ Julii III. lib. brev. IV. sig. num. 2882. p. 272.

¹ Julii III. l. IV. sig. num. 1882. p. 297.

« Venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magno cum gaudio accepimus ex litteris dilecti filii Crescentii legati nostri, et venerabilium fratrum praelatorum sacro OEcumenico Concilio presidentium, fraternitatem tuam turbulentis tumultuariorum militum motibus a prosecutione ipsius Concilii, quod tua in primis præsencia et auctoritate optimos jam progressus habuit, minime discedendum decrevisse, publicamque Dei et Catholicæ religionis causam privatis suis rationibus potiorē duxisse, qua in sententia etsi pro tua summa singularique prudentia et pietate permansurum omnino confidimus, tamen te majori, quo possumus, animi nostri affectu hortamur in Domino, ut quod hactenus de eodem Concilio promovendo, et ab eo non recedendo pie et sancte cepisti consilium, in eo ut laudabiliter pergas ac persistas, nam præterquam quod hujus facti constantia divinam gratiam promeraberis, nobis etiam qui te paterne diligimus, tumque honorem quantum cum Deo poterimus augere cupimus, plurimum satisfacies, reliqua cum ex dicti cardinalis et legati, tum vero ex dilecti filii Petri Camajani cubicularii nostri intimi, quem de dedita opera ad serenissimum Cæsarem mittimus, sermone uberius fraternitas tua cognoscat. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die xxiv Decembris MDLI, anno n. »

66. *E. cardescente iterum bello inter Carolum et Henricum regem, Turcæ victores erant.* — Aucti sunt in dies tumultus, adeo ut proximo vere ii tres archiepiscopi electores discedere Tridento coacti fuerint, et Concilium dissolutum sit ob conjurationem ab Henrico rege et principibus Lutheranis adversus Cæsarem conflatum, bellumque difficillius inter Gallum et Carolum V incanduit, cujus causam et culpam vicissim illi a se in æmulum transtulerunt, ut memorat Augustus Thuanus ¹ his verbis :

« Alter in alterum culpam rejiciebat, nam Cæsariani ultro nos Octavii tutelam suscepisse criminabantur, non tam supplicis defendendi, quam belli in Italia, atque adeo inter Christianos excitandi causa, ob id ipsum sollicitasse imperii ordines et principes, ut a Casare delicerent, neque in Concilium, quod ipsorum rogatu Cæsar ad sacriendam Ecclesiæ concordiam coegisset (id est cogendum curasset) consentirent missis legatis, qui contestarentur, et illud pro irrito illos habituros denuntiarent. Addebant et nuper Brissacum, ut belli occasionem quæreret in Subalpina regione, cœnobium, quod Barge pagi a Cæsarianis custoditi ditionis est, occupasse, et festinato opere nunc munire, et quod nos summa invidia onerabat, imper

etiam cum Turca in Christiani nominis perniciem fœdus inisse. Sed nostri antiquiores et justiores multo causas adducebant, Cæsarem videlicet, cum Aquitania seditionibus arderet, misso Barano cum Anglis egisse, ut Burdigalensium tumultuantium tutelam suscipere, et jus, quod in Aquitania armis amiserant, jure recuperarent, pace ante biennium cum Anglis facta, Santandreano e Britannia redeuntis insidias tetendisse, et quasdam e nostris naves per Belgas interceptisse, Helvetios quominus cum rege fœdus renovaret sollicitasse. Sebastianum Vogelspergum quod regi militasset prius tormentis cruciatum Augustæ in imperii comitiis, non sine regis ignominia securi percussisse : cum de interceptis in Belgio quorundam negotiatorum navibus apud Mariam Pannoniæ regionem querimonia institueretur, legatum eo regis nomine missum, jure gentium violato, in carcerem conjunctum, et perverso ordine bona nostrorum Antucipiæ fisco adjudicata fuisse, postremo Cæsarem Carolo Marillaco Venetorum (in Britannia, scilicet minori) episcopo apud ipsum oratori injuriose interminatam, fore ut, si res ad arma deveniret, regem ad minimi ex suis conditionem redigeret ».

De Lutheranorum, qui instar maniacorum in Cæsarem consurrexerent, quod mania ipsorum mederi, eosque opera Concilii ad cultum veræ religionis traducere niteretur, bello, dicitur proximo anno, nunc de Turcarum in Christianos grassationibus agendum est.

67. Adhæsit quidem Gallo regi maxima invidiæ fax, quod Turcam ad invadendam Cæsaream ditionem concitasse crederetur, Angelus enim Massarellus in Diario Concilii Tridentini hæc tradit : « XVII Julii, ex litteris nuntii Apostolici apud Venetos habetur classem Turcicam, quæ nonaginta tribus tremibus, viginti navibus, et triginta myoparonibus constat, intrasse jam Mare-Adriaticum, jamque ad damnum Cæsaris et Pontificis sollicitatam, ductam et alitam a rege Gallorum, quod certe valde mirum est, cum ipsi Gallorum reges semper fuerint defensores Pontificum et Ecclesiæ, ob quæ meruerunt nomen illud Christianissimum, nunc autem videntur contra Pontificem arma sumere, Turcas ad vastandas Christianorum ditiones deducere ». Verum ut res fuerit, Turca in omnes occasiones invadendi Christiani imperii provehendarumque rerum suarum occasione amplissimæ erant, accenso jam inter Christianos acerrimo isto civili bello. Prefectus est a Solymano classi barbaricæ Sinamus, qui expositulavit de violatis superiore anno a Casare induciis in Africa atque Aphrodisium, Singulum et Monasterium sibi restituenda exegit, cui respon-

¹ Hist. Turc. in Solyman. Sur. in Comm. hoc anno. Lud. Guice, Fazellus Ang. Thuan. l. vii. Quar. Conc. Trid. p. 317.

¹ Lud. Anc. Thuan. l. viii.

sum est, prius a Dragute archipirata inducias fuisse violatas; at ille primum in Messanae conspectum se dedit, dein ad Catanam deluxit, Augustamque oppidum supra Syracusas diripuit incenditque, moxque Melitam insulam tenuit, metuensque Casaream classem, reductis in naves tormentis Coreyram insulam longissime distante mox terrore oppressit, Sinuesanus enim praefectus metu fractus deditionem nuncupavit, ac sex millia capitum Christianorum supra quingenta servituti Turcicae mancipata sunt. Admisit tunc miserandum facinus Siculus, qui uxorem ac filias duas nobiles peremit, ne stuprarentur a Turcis, armatusque in medium Trancarum globum se conjecit, ac caesis aliquot hostibus caesus est. Elatus ea victoria Sinamus in Africam vela obvertit, ac Tripolim, quam Hierosolymitani equites tuebantur, adortus est. Praerat urbi Gaspar Valerius eques, Allobrox militari peritia conspicuus: aliquandiu virtute Barbaricos impetus elisit, demum succubuit, cum celtæ promptuarie magister proditor et apostata Cabillonensis docuisset Turcas, qua parte minus communita tormenta libranda essent. Contulit se ad castra Turcica Aramontius eques, Galli apud Turcam regis orator, ut Sinamum a Tripolitana obsidione precibus abduceret; sed illi a Sinamo responsum est, sacramento obstructis in Rhodia deditione nunquam arma in Turcas saluros, eos vero fidei defuisse, ac in Aphrodisii expugnatione subsidiaria arma Caesari tulisse, demum cum Hispani propugnandae Tripolis despondissent animos, deditionem fecere XVII kalendas Septembris conceptis certis legibus, quæ mox a Barbaro victoria insolescente violatae; spoliati enim omnibus fuere equites addictique servituti. Mauri vero milites ducenti crucidati, quod pro Christianis arma gestassent. Demum Aramontius ducentos religiosos equites Gallos liberavit, Hispanos, pretio soluto, catenis exsolvit. Verumtamen graviore querela in Aramontium fusæ, quod Tripolis dedendæ auctor fuerit, nec minores de summo equitum magistro jactatae, quod rogatus initio, ut Tripolitani auxilia submitteret, id facere detrectavit, ne Melitam praesidiis exueret: tantus vero terror offusus est equitum Hierosolymitanorum principi, ut cum Solymannum de exciendendo universo illo Equestri Ordine conjurasse opinaretur, transferendi Messanam vel Syracusas conventus illius Ordinis consilia iniverit, de quibus factus certior Julius, cum infelici bello Parmensi distractus nulla Melitensibus auxilia transmittere posset, summa auctoritate ejusdem Ordinis principem ad rem conficiendam instruxit subjectis litteris¹:

« Dilecto filio Joanni de Omedes Magi-

stro Hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani.

68. « Dilecte fili, salutem, etc. In hac Tripolis deditione, quam Turcæ obtinere de te, ac de istorum nobilium et religiosorum hominum conventu pro nostro officio anxii valde sumus; veremur enim, ne si ipsi Turcæ pluribus tum veteribus, tum recentibus victoriis elati, et instructissima classis viribus confisi ad vos expugnandos se convertant, voto impio suo, quod Deus pro sua pietate prohibeat, potiantur, quamobrem quanti momenti, discriminis et praedicti toti reipublicæ Christianæ foret, si tu et cæteri fratres tui in manus tam immanis hostis deveniretis considerantes, vobisque omnibus consultum iri putantes, si ipsam classem isthic omnino non expectantes, quando praesentium temporum sævilia aliter vos juvare non possumus, mittimus ad te dedita opera praesentium exhibitorum, volumusque, ac tibi in virtute sancte obedientiae mandamus, ut relictis ad tutelam et defensionem istius loci militibus, et iis vestri Ordinis, qui tibi praesertim ætatis robore ad obsistendum ipsi classi apti videbuntur, offerente se occasione tulo navigandi, una cum consiliariis et cæteris tui Ordinis isthic abeat, et vel Syracusas, vel Messanam vos conferatis, unde isti loco venirent pro temporibus et rerum necessitate, nobis vobisque servatis ac liberis, facilis erit. Nos vero interim dum hæc ad vos scribimus, et Neapolis et Sicilia vice-regibus significari fecimus, ut in locum illorum, qui isthic discedent, ad vos armatos milites mittant, quod eos facturos omnino speramus. Ne autem aliquis ex tuis se in hoc excusare possit, tibi ultra ordinariam, quam in istius Ordinis homines auctoritatem habes, quod nostra auctoritate tam illis, quos tecum ducere volueris, ut tecum veniant, quam illis, quos ad loci defensionem, et custodiam opportunos censueris, ut remaneant, sub excommunicationis latae sententiæ, ac suarum praceptoriarum, et quarumvis dignitatum, et beneficiorum, et officiorum, antianitatumque amissionis ipso facto per eos incurrenda, et sub quibus aliis tibi visis pœnis precipere et mandare possis, facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, non obstantibus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die xi Septembris MDLI, anno ii ».

69. *Excitati in Transylvania et Polonia motus.* — Non discedendum esse Melita ob graves causas postea visum est, ne Equester ille Ordo dissolveretur, gravissima vero damna a Turcica classe fuisse illata, ac plura oppida capta, vastata, incensaque, ac plura Christianorum miserorum millia in servitutum crudelissimam abducta, deplorat Pontifex aliis litteris exeunte Novembri exaratis, instructosque a Turca ingentes bellicos apparatus, ad gravius bellum proximo Vere inferendum. Cæterum in Transyl-

¹ Jul. III. l. iv. brev. sig. num. 2852. p. 218.

vaniam conversos impetus Turcicos visuri sumus, in qua etiam superiore anno concitati fuerant gravissimi motus, ad quos compescendos cum Georgius Martinus regis procurator in perduelles sine judiciario ordine animadversisset, contraxissetque censuras Ecclesiasticas, ab earum religione exsolvi flagitavit, subjecto casu proposito, quem reperit Pontifex¹ :

« Georgio episcopo Variadensi.

« In his periculis et tumultibus, in quibus ob varias Turcarum incursions, tu et istud regnum, in quo locumtenens es, proxime præterita Estate versati estis, cum quidam ejusdem regni factiosi homines arma contra communem hostem sumere nollent, magnamque seditionem eorum opera in maximam ejusdem regni cladem excitarent, ne malum id longius serperet, priusquam jure de illis statutum esset, capitis supplicio eos affici jussisti, ex quorum morte cum tua te conscientia urgeret, cum a celebratione Missarum, tum ab aliis episcopalibus officiis abstinuisti etc. Dat. Romæ xxv Februarii m̄dli, anno n̄ ».

Restitutus est a Julio pristina episcopalis muneris exercendi potestati, cum autem novi tumultus in Transylvania coorti essent, ille ad infringendam Turcarum tyrannidem vires suas cum Ferdinando rege conjungere decrevit, ad quod sequendum consilium mandandumque operi Pontifex² illum hortatus est :

« Fratri Georgio episcopo Variadensi.

70. « Venerabilis frater, salutem. Cum antea perspecta nobis esset tua in Catholica religione tuenda fides atque constantia, non mediocriter, quam de tua prudentia ac pietate opinionem semper habuimus, nuper confirmarunt litteræ et nuntii, ex quibus intelleximus te in turbulentiſſimo istius provincie tumultu cum charissimo in Christo filio nostro Romanorum rege omnes vires opesque tuas, ad optimam causam defendendam contulisse. Ac sane cum egregiam virtutem tuam et pietatem magnopere laudamus, tum vero etiam hortamur, ut quod a te consilium pie fortiterque susceptum est, id omni cura, labore, contentione prosequare, qua scilicet nobilissimam et opulentissimam Pannonici regni partem, quam quidem tua potissimum opera et consilio reliquam habemus, ab impendente hæreticorum atque infidelium tyrannide defendas ac tuare, idque tibi haud omnino difficile futurum arbitramur, adjunctis presertim ipsius regis Ferdinandi auspiciis et copiis; ejusmodi autem beneficium, si, quemadmodum speramus, in Christianam rempublicam contuleris, cum satis tuæ in Christum pietati et officio leceris, tum vero ab omnibus Christianis principibus, et a nobis in primis tantam eo nomine gratiam inieris, ut nihil sane eorum

quæ ad tua vel ornamenta vel commoda pertineant, ullo loco prætermisuri simus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xx Julii m̄dli, Pontificatus nostri anno n̄ ».

Detulit vero Isabella regina una cum filio puero demissa obsequia Julio Pontifici Augustini oratoris opera, ac vicissim Julius¹ illam ac puerum regem paternis officiis semper compleverum se spondit, eorumque fidem et observantiam in Apostolicam Sedem commendavit; suscepta vero consilia de Transylvania cum Germanis conjungendis in Turcas ita provexit Georgius, ut puerum regem Transylvaniae in tutelam Caesaris ac Ferdinandi contulerit, Turcicamque servituti funestæ non disparem abjecerit, ex quo Pontifex maxime recreatus Georgio subjectis litteris gratulatus est², cum rem Christianam ea ratione in Transylvania contra Turcicas insidias viresque assertam putaret, ac dignitati illius amplificandæ se operam daturum significavit :

71. « Venerabili fratri Georgio episcopo Variadensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magnum nobis gaudium attulit, quod ex aliquot nuntiis et nuper ex fraternitatis tuæ litteris cognovimus, in tuenda charissima in Christo filia nostra Isabella regina, ejusque illustri filio te valde rectum et salubre consilium cepisse, effectumque esse, divina adjuvante clementia, ut per tuam fidem ac prudentiam regnum istud, quod e truculenti hostis faucibus alia nulla ratione eripi posse videbatur, firmissimos et fidelissimos tutores serenissimum Caesarem, ejusque fratrem Ferdinandum Romanorum regem nactum fuerit, ex pulcherrimo itaque hoc tuæ fraternitatis facto perpetuam ipsius in Christianam rempublicam pietatem agnovimus, et ex tuis litteris officii erga nos ac observantia plenissimis quanto animi affectu et devotione hanc sanctam Sedem colas, facile perspeximus, ut pergas autem in isto regno, tam contra hæreticorum perversitatem, quam infidelium hostium insidias et conatus Orthodoxam religionem et Catholicam fidem tueri, fraternitatem tuam ut cohortemur nihil esse nobis necesse ducimus, cum virtute et constantia tua freti nihil dubitemus novis te semper meritis cætera accumulaturum; illud certe nobis erit præcipue curæ, ut cum primum res aut tempus nobis facultatem dederit augendæ et amplificandæ dignitatis, non minorem quam de tua rationem habitam intellegas. Datum Romæ apud S. Petrum die x Octobris m̄dli, anno n̄ ».

72. Ornavit paulo post Georgium, ut de re Christiana optime meritum, Pontifex cardinalitia purpura, Ferdinando rege cum honorem ipsi

¹ Jul. III, lib. brev. sig. num. 2883, p. 35. — ² Ib. p. 118.

¹ Lib. IV, brev. p. 233. — ² Julii III, lib. IV, brev. sign. num. 2884, p. 253.

deprecante a Pontifice, qua de re hæc memorant Acta ¹ Consistorialia :

« XII Octobris fuit consistorium, in quo Sanctitas Sua ob religionis zelum, et singularem doctrinam, et quamplurimas alias virtutum doctes, quibus frater Georgius episcopus Waradiensis insignitus erat, sperans illum Sedi Apostolicæ quamplurimis de causis fore maxime proficuum, eundem Georgium episcopum absentem in S. R. E. presbyterum cardinalem de fratrum consilio creavit, etc.

« XVI Octobris MDLI fuit consistorium, in quo fuit decretum, ut mitterentur per unum ex Sanctitatis Suae camerariis, et biretum et pileus rubeus reverendissimo domino Georgio cardinali noviter creato cum indulto, si ei videbitur, utendi vestibus rubeis et pavonatis, et aliis indumentis, quibus cæteri cardinales, qui tempore suæ assumptionis ad cardinalatum presbyteri, seu clerici seculares erant, utuntur, dummodo tamen habitum suum regularem subitus deferat.

« Romæ die XVI Novembris MDLI, fuerunt lectæ litteræ reverendissimi domini Georgii cardinalis Transylvaniæ date in castris, quibus significabat res versari in maximo discrimine, diemque fatalem publici conflictus adversus Turcas de proximo imminere. Et propterea supplicabat Sanctitati Suae, ut procuraret pacem fieri inter principes Christianos, unde Sanctitas sua decrevit, ut celebraretur Missa in Basilica S. Petri die Dedicacionis diætæ Basilicæ pro pace et conservatione Christianitatis ab infidelibus, cum indulgentiis et remissionibus solitis ».

73. Dum in Turcas apparat arma Georgius, ab æmulis contrucidatus est, ita repente meliorum rerum spes in contrarios eventus conversæ fuere, nam Ferdinandus non tueri pupillum regem Transylvanum, sed in regni possessionem, exuto pupillo, induci affectabat, cujus immodicæ cupiditatis vitio Hungariam in Turcicam servitutem prolapsam jam ante vidimus, cumque vivo ac spirante Georgio cardinale votorum compos fieri non posset, Ferdinandi duces, qui Georgii potentiam ferre non poterant, circumventum calumniis, quasi Georgius Transylvaniam sibi subjicere, oppressoque pupillo in Turcarum clientelam transvolare niteretur, aspernatusque pileum cardinalitium, regium diadema affectaret, illum insidiarum ignarum exeunte anno XIV kal. Januarii ingeminatis vocibus Jesum inelamantem, carnificesque suos fratres appellantem inhumanissime obruncarunt, ex cujus cæde, cum Ferdinandus res suas augere putaret, magis attrivit, nec enim Transylvaniæ regno potiri potuit, sed Transylvaniam illud pupillo asseruere : tum vero hæreses, quas

Georgius, dum vixit, in Transylvania exlinxerat, pullulare et grassari ceperunt, totaque regio, sublato illius defensore, Turcicis excursionibus evastata fuit. Ut vero Ferdinandus ab hoc scelere se purgare curaverit proximo anno dicitur. Cæterum non prætermittendum videtur, versum prodigio, divinaque ascriptum justitiæ, quod in ea arce, quam in eversi monasterii ruinis magnis molibus extruxerat communiaratis, cæsus sit, cum eam calamitatem pulsus inique abbas illi imprecatus esset, vel prædixisset.

In Polonia cum Sigismundi Augusti regis facilitate hæretici sua venena diffudissent, mox in eo regno tumultus coorti sunt, ad quos comprimendos a Pontifice episcopus Cameriniensis internumtus fuit decretus. Sopite vero hæreses flammæ, dein vehementius in eo regno exarsere, ut dicitur inferius.

74. *Auctus cardinalium numerus.* — Auctum est affecto anno cardinalium collegium, addictis ad eam dignitatem pluribus viris amplissimis, quorum nomina ac titulos referunt Acta Consistorialia ¹ :

« Romæ die Veneris XX Novembris MDLI fuit consistorium, in quo Sanctitas sua de reverendissimorum DD. meorum consilio et unanimi consensu creavit et assumpsit in S. R. E. presbyteros et diaconum cardinales infrascriptos : R. P. D. Christophorum episcopum Massiliensem, R. P. D. Fulvium de la Corgna, R. P. D. Michaelem archiepiscopum Matheranensem, R. P. D. Joannem Riccium archiepiscopum Syontinum, R. P. D. Joannem Mercurium archiepiscopum Messanensem, R. P. D. Jacobum Puteum archiepiscopum Barensen, R. P. D. Alexandrum Campegius episcopum Bononiensem, R. P. D. Petrum episcopum Fanensem, R. P. D. Fabium Mignanehum episcopum Grossetanum, R. P. D. Joannem episcopum Tropiensem Pogiun, R. P. D. Joannem Baptistam Cicadam episcopum Albinganensem, R. P. D. Hieronymum Bandinum episcopum Imolensem presbyteros, R. P. D. Aloysium Cornelium, magnum commendatorem Cypri.

« Romæ die Sabbati XXVIII Novemb. MDLI, fuit consistorium publicum propter cardinales noviter creatos, in quo recensuit Sua Sanctitas merita uniuscujusque illorum cum pluribus devotis monitionibus, quibus peractis, et in similibus servari solitis observatis, illos ad pedes, manus et osculum benigne accepit, ac coram eo genibus flexis constitutis imposuit galerum rubeum super singula capita eorum, dicens verba solita.

« IV Decembris eis aperuit os, id est, contulit fandi auctoritatem, et annulis pretiosis et litulis eosdem donavit ; tradidit nimirum Ecclesiam S. Praxedis Christophoro de Monte : Eccle-

¹ Lib. VI, sig. num. 2885, p. 106. Panvin. in Julio III. Acta Cons. Ms. card. Spade sil. num. 131, p. 73.

¹ Acta Cons. Ms. card. Spade sig. num. 131, p. 73.

siam B. Mariæ in Via Fulvio Corneo, Ecclesiam S. Barbaræ, quam in tit. Presbyt. card. erexit, Joanni Andrea Mercurio card. Messanensi, Ecclesiam S. Lucie in Silice Alexandro Campegio, Ecclesiam S. Clementis Joanni Baptistæ Cicadae, Ecclesiam S. Matthæi Hieronymo Dandino, Ecclesiam S. Theodori Aloysio Cornelio, Ecclesiam S. Anastasiæ Joanni Poggio ».

His addunt Acta¹ proximo anno de Sebastiano Pighino archiepiscopo Sypontino.

« Romæ die Lunæ xxx Maii MDCII. Cum alias Sanctitas sua de reverendissimorum consilio et assensu Sebastianum Pighinum archiepiscopum Sypontinum, tunc absentem, in S. R. E. cardinalem creasset, et ex certis causis illius publicatione in penes se retinisset, eundem Sebastianum archiepiscopum presbyterum cardinalem fore et esse pronuntiavit ».

75. *Urbs graviore annona laborat.* — Afflictum fuisse incunte anno populum Romanum graviore annona, debilibusque vocibus et flagitate a Julio, ut ea levaretur, subventumque illi fuisse refert Angelus Massarellus, nam constituto prætio jussit frumentum adhibita vi vendi ab iis, qui illud conditum tenebant.

76. *Instaurata Academia Ingolstadiensis.* — Confirmata sunt hoc anno a Julio Tertio Coloniensis Ecclesiæ privilegia, quæ a pluribus Cæsaribus nimirum a Friderico II, ab Alberto rege, a Carolo IV, a Friderico III, ac demum a Carolo V illi collata fuerunt, cui Pontificiæ Diplomati hæc temporis nota adscripta est: « Dat. Romæ xiv Maii MDCI, anno II ».

Instaurata est eodem anno Ingolstadiensis Academia ab Alberto duce Baviaræ, ut in ea sacerdotes theologicos scientiis ad discutiendas of-fusæ ab hæreticis tenebras excoherentur, cujus sancti consilium Pontifex his litteris² commendavit:

« Alberto duci Baviaræ.

« Nihil ad honorem Dei aptius, ad reipublicæ salutem commodius, ad tuæ nobilitatis gloriam a te fieri potest præclarior, quam quod in locis tuis doctorum et Catholicorum virorum quasi seminarium fiat, ex quibus lapsa religio, et diminutus in Germania sacerdotum numerus reparari possit, etc. Dat. Romæ xv Februarii MDCI, anno I ».

Collata sunt ad constituenda doctorum stipendia triennales decumæ sacerdotum ejus provinciæ, inductique sunt viri pietate et eruditione præstantissimi Claudius Jaius, Alphonsus Salmeron socii sancti Iguatii, ac Petrus Canisius³, ut Theologiam docerent.

77. *Franciscus Xaverius miraculo duobus simul in locis visus.* — In extrema Indiarum Orientalium ora S. Xaverius legatus Apostolicus

qui Indiarum Apostoli nomen promeruit, cum, Ecclesia Japonica constituta, fidem Sinensibus inferre cogitaret, reversurus in Indiam pro Apostolica ac expeditione instruenda cum Burgenensis regis legato, qui proregi Indiæ ferebat dona, conscendit navem Novembris mense, hujus sæculi quinquagesimo primo. Ex Japonia Matthæum et Bernardum indigenas a se baptizatos secum deduxit, simul specimen gentis Japonicæ, simul idoneos majestatis Christianæ spectatores. Romam deinde missurus in eo itinere onerariam navim undis pæne obrutam suis precibus servavit et quod majus, scapham tempestate abreptam divinitus ad onerariam reduci impetravit, ita simul et in oneraria et in scapha a vectoribus cerneretur, quam rem miram, et pæne fidem excedentem ita narrat Tursellinus⁴. « Mendes Pintus Lusitanus honestus et gravis, comes Francisci peregrinationis ex Japonia in Sinas, et periculi socius fuit, is auctor est, reduces illos in onerariam receptos, cum vellet nauta scapham inanem jam ac reliquam submovere, inhibuisse clamantes, ut manum prius Xaverio porrigeret, qui adhuc in scapha resideret. Respondenti nautæ Xaverium in navi esse ac fuisse ante ipsorum reditum, certatim illos affirmasse, nimirum quandiu ipsos in scapha tempestas agitasset infesto vagantes mari Franciscum adfuisse, cunctosque solantem, et ad spem salutis excitantem scaphæ cursum ad onerariam direxisse, tum demum intellectum est Francisci pro iis supplicantis speciem eis præsto fuisse, quod et de sancto Nicolao Myrensi episcopo memoria proditum est, ut appareret, cujus ope a præsentī exitio servati forent. Res omnium vectorum nautarumque sermonibus celebrabatur ». De piis sanctissimisque viri Apostolici laboribus et pio exitu proximo anno agemus, nunc ab eo ad alium sanctitate conspicuum virum beatum Gundisalvum Ordinis Prædicatorum digredimur.

78. *Gundisalvum Dominicannum inter beatos Julius III reponit.* — Inclarescebat ejus gloria insignibus miraculis apud Lusitanos, quæ regem Joannem permovere, ut Pontificem postularet de sacra actione judiciaria de illius sanctissimæ vite gestis cœlestibusque virtutibus editis instituenda, cujus precibus assensus Julius², ac internumtio Pontifici eam Provinciam demandavit, tum permisit, ut in Lusitania recurrente beati Gundisalvi obitus die, sacra ejus memoria horariis precibus, atque in divinis mysteriis recoleretur, atque Ecclesiam, in qua ejus reliquæ erant condita, lustraturis, gratuitam noxarum veniam certis legibus condonavit.

« Venerabili fratri Pompeio episcopo Scl-

¹ Cf. sup. num. 433, p. 83 — ² Jul. III. l. IV. h. c. v. sign. num. 2852, p. 11 — ³ Nyon. Oxford. Inst. Soc. Jesu l. IX. num. 54

⁴ Horatus Tursellin. in Vita S. Franc. Xaver. l. V. c. 2. — ² Jul. III. lib. brev. p. 86.

monensi, nostro et Apostolicæ Sedis in regno Portugalliæ nuntio, Julius papa III.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ et Algarbiorum rex illustris nobis nuper exponi fecit, beatus Gundisalvus olim presbyter, et deinde Ordinis Prædicatorum professor in istis regnis unde oriundus exigit, ob crebra miracula, quæ misericors Deus et Dominus noster Jesus Christus ejus, ut pie creditur, intercessione, tam in vita quam post obitum ipsius beati Gundisalvi operari dignatus est, et in dies operari dignatur, in maxima Christi fidelium veneratione et devotione habeatur, et ipse rex in honorem prædicti beati Gundisalvi in loco, ubi ejus corpus requiescit, unam insignem domum dicti Ordinis construxerit, et dotaverit, prout ad Ecclesiam domus hujusmodi devotionis causa Christi fidelium multitudo in dies confluat, prædictus Joannes rex nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi quod in singulis ipsorum regnorum Ecclesiis, tam sæcularibus quam regularibus in die obitus dicti beati Gundisalvi in ejus memoriam et honorem Officium et Missa de eo libere celebrari possent, concedere, ac omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, seu firmum statutis a jure temporibus confitendi propositum habentibus, qui Ecclesiam hujusmodi dicta die, a primis ejus Vesperis usque ad occasum solis inclusive, devote visitaverint, et inibiter Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam pro felici statu Universalis Ecclesiæ, et regum dictorum regnorum conservatione recitaverint, viginti annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxari de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur et si voluissemus pro dicti regis de hac sancta Sede optime meriti desiderio statim satisfacere, tamen in re tanti momenti maturius procedendum esse censentes, tibi per presentes committimus et mandamus, quatenus tam super dicta vita et obitu dicti beati Gundisalvi, quam miraculis et aliis præmissis, servata forma sacrorum canonum, te diligenter informes, et processum desuper conficias, illumque tuo sigillo obsignatum ad nos transmittas, ex iis enim, quæ reperiis, consilium capiemus, ut secundum Deum ipsi regi in præmissis satisfacere valeamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxiv Aprilis MDLI, anno II ».

79. *Rex Lusitanæ obedientiam Julio præstat.* — Complectebatur singulari cultu et observantia Lusitanæ rex Apostolicam Sedem, ac Julio oratoris opera solemnî ritu obsequium detulit, cujus pietatem in eo præstando, tum in Concilio Tridentino provehendo amantissimis litteris commendavit.

Efflagitante eodem rege, constitutam fuisse, auctoritate Pontificia, episcopalem Sedem S. Sal-

vatoris in Brasilia, cujus incolæ ferarum more saginæ humanæ assueti ab immanitate ferina, et dæmonum cultu sensim traducebantur ad Christum, referunt Acta Consistorialia, adduntque eam a Funchalensis sedis imperio divulsam.

80. *Comiti Lumensi episcopum postulanti annuit Pontifex.* — Constituta quidem antea fuerat Funchalensis Ecclesia in insula Madeira quæ una est ex Fortunatis insulis in Atlantico Oceano, metropolis earum insularum ac aliarum Indiarum Occidentalium; sed cum perperum esset Brasiliam, ac alias Americæ regiones longissimo marium intervallo dissitas, Funchalensis Ecclesia jure metropolitico exuta est, ac Olyssipponensis archiepiscopatu subesse jussa, ut narrat superiora Acta.

81. Expetiit hoc anno Lumensis populus sub infidelium servitute ingemiscens, ac multis pressus angustiis, necnon episcopi solatio destitutus, a Pontifice præsullem, qui ipsos Christiana pietate erudiret, quorum piis postulatis assensit Julius ¹ ac subjectis litteris eos ad constantiam in Christiana fide, adversaque omnia fortiter toleranda excitavit :

« Dilectis filiis comiti Gregorio Lumensi et comiti Paulo Volconith, eorumque natis civitatibus Lumensis, ac universo populo.

« Dilecti filii, etc. In summo dolore, quem ex litteris cepimus, quibus status vestri calamitatem exponentes suppliciter postulatis pastorem et episcopum vobis dari, illud nobis magnæ consolationis fuit, quod cum omni genere miseræ, quam secum gravis sub infideli principe servitus afferre solet, sitis oppressi, nullum tamen magis deploratis, quam quod pastoris et episcopi solatio jam pridem sitis orbi; quæ quidem vestra postulatio, cum lecta fuisset in secreto nostro consistorio coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, cum omnium animos commiseratione commovit, tum vero sic nostrum gaudio etiam implevit, ut statim mente precati sumus id quod Deus exemplum paternæ et pastoralis affectionis nobis præbens populo suo obedientiam promittenti dixit : *Quis det populo talem mentem, ut timeat me, et custodiat mandata mea, ut bene sit illis et eorum filiis in perpetuum.* Hoc quidem divino exemplo admoniti, audita vestra postulatione vobis precati sumus, et statim de consensu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum pastorem et episcopum vobis designavimus hunc ipsam fratrem Danielem, quem vos nominatim postulatis, in quo quidem cum vestris precibus sit a nobis satisfactum, reliquum est, ut vos in Domino hortemur, ut fructum tam pii desiderii capiat, quod quidem fiet, si tunc cum ad vos desideratus pastor advenerit, magis quam antea cauto

¹ Jul. III. lib. brev. v. sig. num. 2883. p. 169.

ambulaveritis, cum non solum ab infidelibus, sed a falsis fratribus, et hæreticis, qui sub specie pietatis vos seducere, et in errores secum trahere conantur, vobis ex litteris vestris timendum esse perspexerimus, horum quidem insidias pastoris vestri doctrinam sequentes facile effugietis, ab illorum autem vi et timore, qui prorsus a nostra religione sunt alieni, sic facile (divina gratia adjuvante) liberi eritis, ut etiam eosdem Domino lucrifacere sperare possitis, id autem assequemini conversationem inter gentes bonam habentes; ut in eo quod detrahant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus non considerantes, glorificent Deum in die visitationis; eadem enim regia et tuta erit vobis via ad effugiendam aciem gladii ejus, qui in vos a Deo vitæ et necis potestatem habet, et ad reliqua omnia gravis servitutis onera vel tollenda, vel mitiganda, quod ut sperare possitis, magna exempla vobis divina misericordia dedit eorum, qui primi et qui deinceps multis sæculis Domini nostri Jesu Christi fidem sunt professi, quorum nulli cum non dissimilem vobis servitutis conditionem essent sortiti, et gravioribus malis premerentur, fide et patientia sunt consecuti, non solum ut sibi et posteris jugum servitutis levius redderent, sed ut eos quibus ante serviebant, sibi, ut fratres amore conjunctos, et ut filios patribus subjectos et obedienter efficerent: quare qui in genere miseriæ et servitutis illis similes estis, ut in tam gloriosis fructibus per fidem et patientiam, et bonam et laudabilem totius vitæ conversationem reportandis similes esse omni studio contendere vultis, vos magnopere in Domino hortamur, quidquid vero sit, in quo pro pastoralis nostri officio, et cura universi gregis divina misericordia nobis commendati vobis auxilio et consolationi esse possimus, id vobis in visceribus Domini nostri Jesu Christi promptum semper paratumque fore pollicemur. Datum Romæ, etc. xxiv Decembris mdi, anno ii ».

82. In quibusdam Hispaniæ provinciis jus Ecclesiasticum ad quosdam certos limites sapienter redactum. — In nonnullis Hispaniæ provinciis, Catalonia, Rossillione, et Ceritania gravissime oborta sunt controversiæ inter Ecclesiastici Ordinis viros et regios magistratus, cum nonnulli dignitatis sacræ, quam gerebant, immemores, in vitiorum cæno demersi, sub libertatis Ecclesiasticæ clypeo improbitatem tectam esse vellent, magistratus corruptelæ morum odio incitati, auctoritatisque suæ latius proferenda occasionem aucupati, liberius in sacri Ordinis viros grassarentur, eosque in servitutem redigere, justitiæ exercenda fallaci specimine niterentur, de quibus jam olim orta controversiæ cum certis legibus et pactionibus a legato Apostolico, et Petro rege Aragonum fuisse composita, easdem pactiones iterum Ju-

lius¹ Apostolica auctoritate confirmavit, ne jus Ecclesiasticum obsolesceret, neve scelere libere habenæ laxarentur.

« Charissimo in Christo filio Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem. Exponi nuper fecit majestas tua, quod alias cum super correctione et punitione clericorum delinquentium principatus Cataloniae et Comitatum Rossillonis et Ceritaniæ, quorum tua majestas princeps et comes existit, inter Ecclesiasticas et sæculares curias dictorum principatus et comitatum diversæ contentiones et lites exortæ fuissent, bonæ memoriæ Eleonora regina Aragonum, et Bertrandus sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, de Cuenca nuncupatus, tunc in partibus illis Sedis Apostolicæ legatus de latere, pro sedandis contentionibus et litibus prædictis ad infrascriptam deveniunt concordiam, cujus tenor sequitur et est talis: In Christi nomine. Pateat cunctis quod cum inter illustrissimum dominum Petrum Dei gratia regem Aragonum, Valentiam, Majoricarum, Sardiniam et Corsicæ, comitemque Barchinonæ, Roncilionis et Ceritaniæ ex una parte, et reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum divina providentia Tarraconæ archiepiscopum, et nonnullos alios prælatos, et clerum provincie Tarraconæ ex altera, quæstiones et controversiæ suscitatae fuissent ratione quorundam gravaminum, quæ dicti archiepiscopus, prælati et clerum asserebant eis per dictum dominum regem et officiales suos fore illata, quæ gravamina in scriptis dicto domino regi oblata fuerunt sub hac forma. Primo, quod curia regia inceperit facere processus occupationis temporalitatis contra prælatos Vicensem et Gerundensem episcopos, et abbatem Sancti-Benedicti de Bagnis, et alios quoscumque contra libertatem Ecclesiæ et justitiæ, sumpta occasione, quia prælati nolunt revocare processus Ecclesiasticos contra clericos justissime factos. Secundo, quod facit fieri processus pacis et treguæ contra clericos, etiam in sacris constitutos, et contra prælatos, in contemptum sanctæ matris Ecclesiæ, et domini nostri pape, et specialiter contra dominum archiepiscopum Tarraconæ, eo quia deliberaverat vicecancellarium regium in constitutione sacerorum Conciliorum Tarraconæ edita, contra invasores et usurpatores jurisdictionis dicti domini archiepiscopi et suæ Ecclesiæ Tarraconæ incidisse pomas. Tertio, quia facit servari processus non emissi contra clerum et castra, et loca eorum sita contra laicos, et ex hoc sequitur interdictum, quod diruntur castra et loca Ecclesiarum contra Deum et justitiæ, et Ecclesiæ libertatem, cum clerici et eorum loca non sint de foro judicium sæcula-

¹ Ibid. p. 38.

rium, cum etiam non comprehendatur sub statutis pacis et treguæ, et soni emissi, nec ad ipsos jure dictorum statutorum possit fieri nec debeat extensio. Quarto, quia notorie citantur prælati et ipsorum officiales ad instantiam laicorum, ut compareant in audientia regia, ubi comminantur, ut revocent processus Ecclesiasticos juste et rite factos, quod nisi fecerint, contra eos proceditur, tanquam contra usurpantes jurisdictionem et regalias regias, et ubi dictam revocationem processuum obtinere non valent, dicta curia regia mandat suis, quod cum sint suspecti domino regi, excant dicti prælati et clerici, seu eorum Officiales intra certum tempus de regno; alias, quod contra eos, ut suspectos domino regi procedetur in personis et bonis, quod est contra jus et Ecclesiæ libertatem. Verum cum dictæ partes super prædictis quam plurimum contendissent, et non possent super eis amicabiliter convenire, tandem sanctissimus et beatissimus in Christo pater et dominus D. Gregorius divina Dei providentia papa XI, tunc præsidens, ut dictis quæstionibus et controversiis finis amicabilis poneretur, serenissimæ dominæ Eleonoræ reginæ et comitiisæ regnorum et comitatum prædictorum, et reverendo in Christo patri et domino Bertrando sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Apostolicæ Sedis nuntio per suas Bullas scripsit in hunc modum :

83. GREGORIUS, etc.

« Charissimæ in Christo filiæ Eleonoræ reginæ illustri, salutem.

« Paterna, sicut decuit, affectione, recepimus litteras quas misisti, lætati super earum serie, qua nobis significasti super concordia inter charissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem virum tuum et prælatos sui regni, de discordiis inter eos super certis libertatibus Ecclesiasticis exortis velle laborare, super quo tanto potius mereris commendari, quanto credimus scripta tua ex puro mentis animo processisse, et ideo Excellentiam tuam attente rogamus, quatenus ut Sion filia veritatis circumamicta varietatibus, quibus te Dominus insignivit, proficiens actu in bonum, prout laudabiliter inchoasti ad hujusmodi concordiam peragendam, sic, prout plene confidimus, studia tuæ benignitatis impendas, ac opem des et operam efficacem, quod jura Ecclesiarum et Ecclesiasticarum personarum serventur illæsa, devotionem tuam dignis in Domino laudibus attollamus, in hoc enim Deo gratum præstabis obsequium, et exinde magnificentius exaltabitur in gentibus nomen tuum. Datum Avionen V kal. Decembris, Pontificatus nostri anno I ».

84. Annexæ sunt his aliæ litteræ Gregorii XI ad Bertrandum S. R. E. presbyterum cardinalem A. S. N. datæ, quibus illi provincia deman-

data est, ut inter clerum Catalanum et regioes administratos ex constitutione Alphonsi Primi, Aragoniæ regis, assentiente Tarraconensi archiepiscopo Apostolicæ Sedis legato, editam concordiam redintegraret, quibus recensitis Julius Pontifex Carolo V imperatori, eidemque Aragonum regi de exercenda in reos clericos Aragonæ, et alios insularum Baleares ac Sardos justitiæ modo ac forma subjectis litteris hæc rescripsit :

« Cum autem, sicut eadem pelifio subjungebat, inter Ecclesiasticos et sæculares curias Majoricensem, Minoricensem et Sardinia insularum, quarum dicta majestas tua, ratione regni Aragonum, cujus rex Catholicus existis, et in temporalibus existis super correctione et punitione clericorum delinquentium, similes quotidie exoriantur discordiæ et dissensiones, et ob id clericorum insularum hujusmodi delinquendi inoleverit audacia, ut illi nedum horrenda perpetrare audeant scelera, verum etiam aliis perpetrandi occasionem præbeant, ex quo plurima proveniunt damna et scandala, quæ insularum prædictarum perturbant statum, iterum, si per ipsum concordia disposita, prout in ejusdem principatu et comitatu, ac Aragonum regno hætenus observata existit, in eisdem observaretur insulis, profecto scandalis præmissis obviamur, quare eadem majestas tua nobis humiliter supplicare fecit, quatenus tranquillo statui insularum hujusmodi, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem majestatis tue volis annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, per præsentem statuimus et ordinamus, quod omnia et singula in dicta concordia contenta dictos clericos delinquentes contentionem jurisdictionis inter Ecclesiasticos et sæculares iudices concernentia per Ecclesiasticas et sæculares curias insularum prædictarum, earumque officiales, solum in dictis principatu et comitatibus, et aliis regni Aragonum hujusmodi partibus observantur, et observari debeant in omnibus et per omnia, ac si dicta concordia inter curias insularum, illarumque officiales hujusmodi inita et facta, ipsæque insula in dicta concordia specialiter et expresse nominatæ fuissent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petram die xx Martii MDLI, anno II ».

Ejusdem Constitutionis beneficio potiri voluit Valentini regni sacerdotes Julius¹, de quo extant subjectæ litteræ :

« Venerabili fratri episcopi Fecensi, nunc et pro tempore existenti.

85. « Venerabilis frater, salutem. Dudum pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti,

¹ Jul. III. l. 1. tit. brev. p. 32.

qui etiam Valentiae rex et principatus Cataloniae ac comitatum Rossillonis et Ceretaniae comes existit, primo felicitis recordationis Clementi VII et deinde Paulo III Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et postea nobis exposito: quod in dictis principatu et comitatibus, adeo in clericis delinquendi inoleverat audacia, quod nedum ipsi horrenda perpetrare facinora, saevaque committere assassinia non expaverant, verum etiam aliis ad similia committenda delicta auxilium et consilium praestarent, ex quo principatus et comitatum praedictorum tranquillitas et quietus perturbabatur status. Dicti praedecessores et nos praedicti Caroli imperatoris supplicationibus inclinati certis Ecclesiasticis iudicibus, ut contra hujusmodi clericos facinorosos, etiam in sacris Ordinibus constitutos saeculares et quorumvis Ordinum regulares, exemptos et non exemptos, quos hujusmodi atrociorum criminum reos esse constisset, certis modis ibi expressis, etiam usque ad degradationem, et curiae seculari traditionem, ultimique supplicii poenam, absque alicujus irregularitatis et poenae incursum procedere valerent et possent, per eo-

rum et nostras litteras dederunt, et dedimus in mandatis, prout in singulis desuper in forma Brevis confectis litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus, prout in expressis plenius continentur. Et quia, sicut nobis pro parte dicti Caroli imperatoris et regis exhibita petitio continebat, etiam in praedicto regno Valentiae graviora et atrociora crimina, et delicta per clericos in sacris, etiam presbyteratus ordinibus constitutos, committuntur et perpetrantur, pro parte dicti Caroli imperatoris et regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras hujusmodi cum omnibus et singulis in eis contentis clericis ad praedictum Valentiae regnum extendere et ampliare, atque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; nos supplicationibus hujusmodi inclinati litteras praedictas cum omnibus et singulis in eis contentis clericis ad praedictum Valentiae regnum auctoritate Apostolica per praesentes extendimus et ampliamus, etc. Datum Romae apud Sanctum-Petrum die XX Martii MDLI, anno II ».

JULII III ANNUS 3. — CHRISTI 1552.

1. *Trevirensis ob valetudinis incommoda Tridento discedit, et Protestantium delegati conditiones iniquas ponunt in celebratione Concilii.* — Anno a Virgineo partu quinquagesimo secundo supra millesimum quingentesimum, Indictione decima, dissolutum est Concilium Tridentinum Lutheranorum perfidia, qui cum in Augustanis conventibus ad amplectenda Concilii Oecumenici toties expetiti, in dissidiis religionis decreta se obstrinxissent¹, dolerentque Carolum V Caesarem concionatores scholarumque moderatores Lutheranos ex multis urbibus depulisse, ut plebs ab orthodoxis doctoribus in viam salutis revocaretur, et juvenus a Catholicis ludimagistris pietate et disciplinis excoleretur, efferati in rabiem Mauritium Saxonem et

Albertum Brandenburgicum assiduis hortatibus impulerunt, ut ad Caesarem Germania depellendum, confirmandam Lutheranam impietatem disturbandumque Concilium conjurarent: imbecilliores erant eorum vires, quam ut tam arduum opus in opus perducere possent, sed nacti sunt Henricum Galliae regem, qui veteri in Caesarem imbutus odio, belloque Parmensi facessitus, cum ipsis fedus pepigerat, defensionem se libertatis Germanicae dixit; at ne Caesar adversus tot hostes communiere se posset necessariis praesidiis, hoc fedus occultissimum tenere, ac Mauritius maxime Caesarem fallaci obsequii et observantiae sponione externoque specimine delinivit, ut illum imparatum opprimeret, ac suos etiam oratores ad Concilium Tridentinum, ineunte anno, misit, non ut serio de religionis controversiis in Concilio ageret, sed

¹ Sur. in Comm. hoc anno.

ut Cæsari Concilioque illuderet, bellumque concordiae inani spe objecta pararet, adeo ut cum superiore anno tumultuantibus in Hassia et aliis provinciis Lutheranis, Moguntinus, Coloniensis et Trevirensis archiepiscopi, iidemque electores Cæsari XI kalendas Januarii significassent¹, decrevisse in suas ditiones se recipere ad eas ab hostium injuriis vindicandas, Cæsar scriptis III nonas Januarii litteris eos metum ponere jussit, militem fræna laxasse licentiæ ob non soluta stipendia, quibus persolutis, ad officium brevi redigendus sit, a Mauritio omne obsequiorum genus sibi deferri, ejus oratores OEnipontem accessisse, ac brevi Tridentum venturos, deterruitque ne Concilio abscederent, ne Lutheranis calumniarum fundendarum occasio, quasi toties promissum Concilium denegatum esset, præberetur. Hæere quidem Tridenti Cæsareis verbis confirmati Moguntinus et Coloniensis archiepiscopi, Joannes vero Trevirensis valetudinis incommodis pressus, a Julio discessionis veniam ineunte hoc anno petiit subjeclis litteris²:

2. « Sanctissime Pater, post pedum oscula beatorum. Optaveram pro summa illa mea quæ pius semper et humilis Sanctam Sedem Apostolicam et tuam beatitudinem prosecutus sum religione et observantia, sicut jam integros quinque menses huic sacrosancto Concilio interfui, ita posse ad exitum usque, qui felix faustusque sit, interesse perpetuo, quanquam non ignorem tenuitatem meam inter tot et tantos viros parum esse frugis, sed dura necessitatis lex, cui nemo resistere potest, me compellit, ut nolens potius quam volens curandæ valetudinis, imo vero vitæ tuendæ gratia hos fines deseram, et in aerem patrium me transferam: id vero, nisi tua beatitudine consentiente, facere nolui, quare præsentium exhibitori commisi, ut Sanctitatis tuæ pedes meo nomine exosculetur, illique polliceatur me omni tempore omnem operam meam, quanta est, aut esse potest, præstiturum, ut et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et tuæ beatitudinis auctoritas, quam Deus summam esse voluit, agnoscat et colatur. Dignetur Sanctitas tua meæ infirmitatis misereri, indulgere meis necessitatibus, boni consulere hunc meum discessum, amplecti pietatem meam, me meamque Ecclesiam denique in suæ ipsius sanctæ charitatis gremio clementer fovere. Suffragia mea pro hujus sacri Concilii decreto non deerunt unquam, relinquam enim viros doctos, qui vel meo nomine sententiam dicent, vel procuratorio consultabunt.

« Beatitudinis tuæ devotissimus servus Joannes archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii princeps elector ».

Indulsit Trevirensis archiepiscopi petitis Julius. Interea decreti a Mauritio principe oratores Tridentum accessere, quo jam ante Wilttembergici ducis et Argentinæ, aliarumque civitatum legati venerant, ac abalienati penitus a concordia animi illustria signa dedere, nec enim cardinale Crescentium legatum Pontificium, Conciliique præsidem adiere, ne in eo Pontificiæ potestatis culmen venerari viderentur, sed cum Cæsarem se pro supremo Ecclesiæ principe colere dicerent, ad quem tamen male perdendum conjurarent, Cæsares oratores convenere, iisque subdola impiæque postulata, dignaque obfirmatis in flagitio hæreticis proposuere. Primum causati sunt non esse Tridentinum Concilium OEcumenicum; non enim omnes Christianas nationes ad id confluisse, utque ad id veniret urseri; pertinere etiam ne Pontifex in Concilio præsidis auctoritatem exerceret, sed Concilio se submitteret; addidit, ut decreta fidei, quæ antea edita fuerant, irrita censerentur, ne Lutherani causæ præjudicatum esset, utque ea cum venissent Lutherani theologi in examen adducerentur: hæc fuit concordiae ratio, quæ admodum æqua Lutheranis visa est, ut nimirum conculcata fide Catholica, eversoque Pontifice, omnes Lutherani fierent, atque in Sathanæ potestatem transfugerent, et nonquam intermorituris suppliciis una cum ipsis se addicerent. Porro ut eorum hæresiarchæ Melancthon, Brentius et alii, quos appellabant theologos, ad Concilium Tridentinum accedere dignarentur, flagitarunt liberi comæatus syngrapham ampliorem formulam conceptam, decerptamque ex ea, quæ Bohemis olim a Basileensi Concilio tradita fuerat, ac poposcere, ut ii ferendæ decretoriæ sententiæ auctoritate una cum præsulibus pollerent, atque ut iudicium Concilii penitus eliderent, contendere, ut sacræ Scripturæ, sublato veteris Ecclesiæ usu, emortuæ scilicet membranæ, quæ fari non possunt, cum de vero verborum sensu ab omnibus hæreticis depravari solito disceptatur, iudicis loco essent, ut ipsis more suo liceret sacra prophanare, ut denique nihil in ipsorum doctrinæ contemptum opprobriumque decerneretur. Ex impiis impudentissimisque Lutheranorum postulatis constabat eos penitus in flagitio obfirmatos, legesque dare Concilio velle, non excipere, veruntamen dura eorum pectora mollire omni clementiæ significatione Patres Tridentini pertentarent, et Coloniensem archiepiscopum, Viennensem et Julium Flugium Neuburgensem episcopos doctrina et probitate conspicuos legatos, ut cum ipsis agerent, decrevere, qui quidem benignis verbis Lutheranos in rationis tramitem et gyrum aequitatis ducere conati sunt, ac docuere, non esse in potestate Concilii, ut omnes nationes Tridentum venirent, nec propterea si aliquæ desint, non esse OEcumenicum, neque

¹ Ang. Thuan. l. ix. — ² Est. apud Jul. III. lib. brev. sig. num. 2688. p. 41.

in ullo veterum Œcumenicorum Conciliorum omnes nationes Christianas convenisse, porro vere Œcumenicum esse ratione supremæ in omnes potestatis Pontificiæ, quæ congregatum est : non detrahendam Pontifici supremam præsidendi auctoritatem, quam in omnibus Conciliis semper obtinuerit, non congruere Concilii dignitati, ut decreta sua in dubium revocet, rescindatque ; sacram Scripturam utpote membranam emortuam iudicis munere fungi non posse, cum de vero Scripturæ sensu contenditur, non enim fandi usu pollere, quæ si sola sufficeret, leges pariter in republica sufficere, ac iudices et magistratus abigendos : ut enim ad magistratum legis interpretatio spectat, ita ad Concilium dubii et ancipitis Scripturæ sensus explanationem pertinere, illiusque sententiæ decretoriæ in iis controversiis, quæ subortæ sunt in Ecclesia, obtemperandum ; cumque inter cætera etiam adderent ducis Wilttembergensis oratores, ut de partis utriusque voluntate eligerentur ¹, qui de rebus controversis legitime cognoscerent, ne Pontificii episcopi et partes, et iudices agerent, quod maxime Lutheranos torquebat, edocti sunt, controversias fidei non a paucis, sed ab Œcumenico Concilio legitime dirimi posse, idque ut iudicem in Augustanis comitiis expetitur, quod vero partis et iudicis munere fungatur, id in omni supremo tribunali contingere.

Ea mente ipsos venire debuisse, ut audirentur, audirentque vicissim, ac si contra eorum opinionem, decretario in religionis dissidio de vero Scripturæ sensu, de veteris Ecclesiæ usu, de Patrum veterum consensu sententia feratur, quam nolint admittere, liberum ipsis futurum ut discedant.

3. *Proponitur formula doctrinæ de Sacrificio Missæ necnon de Sacramento Ordinis.* — Vigesima Januarii die, doctrinæ formula de Missæ Sacrificio a quinque archiepiscopis, et tredecim episcopis ad id designatis conscripta proposita est, quatuor distincta capitibus. In primo demonstratum est ex divinis oraculis verum et proprium Sacrificium a Christo Domino esse institutum ; secundo capite necessitas Sacrificii Missæ, et consensio cum Crucis Sacrificio ostensa ; in tertio fructus Sacrificii Missæ, et ejus applicatio illustrantur ; in quarto de ritibus et caeremoniis in celebranda Missa adhibitis descriptum, quæ ex Ms. Vaticano, Concilii Congregationum Acta continente ², delibanda visa sunt :

« Doctrina de Sacrificio Missæ proposita examinanda Patribus in Concilio Tridentino xx Januarii m^olvi, id est, non ultimo examine discussa, nec promulgata fuit, dissoluto ob hostilem irruptionem ducis Maurithi Concilio.

In Missa verum et proprium esse Sacrificium a Christo Domino institutum.

CAP. I.

« Ut semper in Ecclesia Dei creditum est, perveteris legis abrogationem factum non fuisse, ut Christiani omni lege carerent, sed ut sub nova potius et longe præstantiore lege viverent, qualem novum et tanto excellentius testamentum postulabat, ita sancta Synodus multis Scripturarum testimoniis adducta, et constanti veterum Patrum traditione confirmata, ac divino Spiritus Sancti magisterio instructa, nunquam in ipsa dubitatum fuisse declarat, novum sacerdotium Christianis simul cum nova lege suscepisse, nec veterum sacrificiorum abolitionem, omnem illis sacrificandi rationem sustulisse : quinimo novum et plane divinum Sacrificium Christianis sacerdotibus esse relictum, quod ipsi non tantum in gratiarum actionem, sed pro peccatis etiam quotidie offerrent.

« Missam igitur veram et propriam Sacrificii habere rationem illud in primis Dei Patris jusjurandum ostendit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hujus enim sacerdotii munere tunc Christus Dominus functus est, cum se suo Patri sub sensibilibus panis et vini signis in ultima Cæna obtulit, et per sacerdotes, qui ejus ministerio funguntur, usque ad iudicium offerre non cessat, sicut ipse Melchisedech panem et vinum in sacrificium Deo obtulerat.

« Confirmat deinde oblatio illa munda, quam Dominus per Malachiam, priori populo et ejus munere reprobato, suo nomini in omni loco sacrificandam et offerendam prædixit, quod nomen suum magnum futurum esset in gentibus. Nam adeo sane munda illa est, ut inquinari malitia offerentium nequeat : offertur enim per eam is, qui mentes hominum ab omni peccatorum pollutione mundare potest. Tam assidue etiam illa in omni loco, quam late vera Christi Redemptoris nostri fides extenditur, per Christianos sacerdotes offertur, ut merito a Daniele iuge Sacrificium sit appellata. Paulus quoque ad Corinthios scribens : *Videte, ait, Israel secundum carnem. Nunc qui edunt hostias participes sunt Altaris? Quid ergo dico quod Idolis immolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliquid? Sed quod quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum; non potestis Calicem Domini bibere, et Calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ Dæmoniorum.* Quibus verbis dum manifeste annumerat inter victimas Israelis, et immolatas Dæmoniis, Eucharistiam colligitur illam esse Sacrificium, erga quod ea semper veterum Patrum pietas et religio fuit, ut certatim præclaris et magnificentissimis elogiis augustissimam ejus dignitatem commendarent,

¹ Palavic. card. p. 1. l. xli. c. 10. — ² To. iv. de Conc. sign. num. 8191. p. 126. et to. ii. p. 92. et to. xviii. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3205. p. 127.

et suam erga ipsum reverentiam et devotionem declararent. Itaque appellatum id invenimus Sacrificium verum, incruentum, purum, summum, plenum, vivificum, singulare : rursus salutarem hostiam, holocaustum semper permanens, Sacrificium sacrosanctum, excedens omnes victimas, afferens horrorem, tremenda mysteria, aliis denique hujus generis nominibus honorificentissimis. Ad hæc, cum conslet rem externam mystica sacerdotis operatione consecratam et Deo oblatam, Sacrificium esse proprie dictum, nihil causæ dici potest, quia Eucharistia, quam sacerdotes Christi sacra benedictione, quæ verbis fit quibus Catholica Ecclesia utitur, tanquam forma Sacramenti conficiunt, atque Deo offerunt, verum et proprium Sacrificium dici debeat.

« Instituit autem Christus Dominus pro sua divina sapientia hoc sacrificium, cum in novissima Cœna verus ipse secundum ordinem Melchisedech sacerdos, panem et vinum in suum Corpus et Sanguinem convertens, se æterno suo Patri sub panis vniq̄ue speciebus obtulit, suisque se discipulis sub earundem rerum symbolis communicavit, præcipiens illis : *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis Ecclesia sancta Dei præceptum esse sacerdotibus intellexit, ut Sacrificium in Christi memoriam offerret. Proinde in sacro Canone Missæ eos dicere voluit : *Unde et memores nos, Domine, servi tui, offerimus præclaræ Majestati tuæ hostiam puram, etc.*

« Eo autem tempore cum novum ipse Dominus sacerdotium suis Apostolis contulit, tum partes illas, quæ ad perfectum et consummatum Missæ Sacrificium pertinent, consecrationem, videlicet, oblationem et communionem instituit, quemadmodum veteres Ecclesiæ Patres magno consensu tradunt. Nam quod nonnullos movere solet, Eucharistiam donum Dei esse, sumique solere, commemorationem denique et signum existere salutaris illius Sacrificii, quod semel a Christo Domino in Cruce peractum est, nihil id plane continet, quod veram Sacrificii rationem adimat Eucharistiæ : constat enim illum Judæorum immolantium Agnum typicum donum fuisse Dei et dici solitum, ipsunque a Judæis in memoriam exitus ab Ægypto immolari consuevisse. Nec vero quod Sanguis in Missa consecratus Sacramentum a Domino vocetur, ideo minus ad Sacrificium pertinet : Dominus siquidem Sanguinem suum Novum Testamentum eo sensu vocavit, quod pactum remissionis peccatorum, quæ Novo Testamento promittitur, per illum immolatum et in Eucharistia contentum non aliter sanciretur, quam sanguine vitulorum immolato vetus Testamentum dedicatum fuit.

« Cum igitur ex his, quæ dicta sunt, perspicuum evaserit, Missam sacrificium esse a Christo Domino institutum, et sua oblatione in Cœna

inchoatum, et per Apostolos sanctosque Dei ministros continue Deo oblatum, profecto turpissime hallucinantur, qui eam opus bonum esse negant, cum Missæ opus Christi ipsius præcipue sit in terris sanctificantis, non autem hominis, nisi ut exterius ministerium exhibentis, qui dum Christiane in charitate sacrificat, opus procul dubio meritorium et Deo gratum exercet.

4. De necessitate sacrificii Missæ¹, et quod Crucis sacrificio non derogat.

CAP. II.

« Quamvis unica illa communis hostia (si ejus vim atque virtutem consideremus) totius mundi peccata deleverit, quia tamen nemo unquam potest, ita divina lege ferente, ipsius oblationis fructum, remissionem scilicet peccatorum, et salutem percipere, nisi eum sibi vel ex sacramentorum vel sacrificiorum oratione applicaverit; ideo necessarium fuisse dicendum est, salutare hoc Eucharistiæ sacrificium nobis a Domino relinquere, ut eo ipso, præter reliqua Sacramenta, meritum passionis ejus non uni aut alteri tantum homini, sed universæ etiam Ecclesiæ prodesset; atque ut in ipsa perfectissima Christi lege sæpe visibile externumque sacrificium inveniretur, quo fideles Dei opem et auxilium implorent, atque a Deo impetrare possint : nam si ante Christi adventum per ea sacrificia, quæ futuram redemptionem præsignabant, Patrum per fidem in ipsum redemptorem spes excitabatur, qua quidem erecti utilitatem passionis ejus, veluti eam sibi ipsis vellent præveniendò applicare, in se traducere poterunt, multo quidem magis deceuit hoc Missæ sacrificium, quod non offerendum, sed oblatum in Cruce Dominum significat atque comprehendit, beneficium mortis ejus Christianis omnibus posse conferre. Eadem enim hostia, idem ipse Christus, qui in Cruce seipsum obtulit, in hoc sacrificio Patri offertur et immolatur, sola tamen diversa offerendi ratione : nam etsi vere Apostolus dixerit Dominum unica oblatione consummasse in æternum sanctificatos, ea tamen oblatio sanguinis effusione peracta est. Hæc vero hostia incruento modo singulis diebus consecratur, offertur et sumitur, ut convenienter illius memoria fiat, et particeps unusquisque effici valeat premii et fructuum, quos ipse redemptor noster sua illa in Cruce oblatione promeruit : ipse namque, ut Paulus ait, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; et consummatus factus fuit omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

« Itaque patet sacrificii hujus perenni oblatione, et maximum Deo tribui honorem, et Christi ejusque passionis memoriam conser-

¹ To. II, de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198, p. 93.

vari, ac propterea fateri unumquemque debere hoc ipso sacrificio oblationis in Cruce peractæ dignitati non detrahi: nam quemadmodum assidue atque perpetuæ Christi preces, quas ipse apud Patrem pro nobis in cælis existens fundere creditur, nihil potentissimæ orationi detrahunt, qua in Cruce cum lachrymis Patrem pro nobis oravit, et exauditum est pro sua reverentia: ita profecto confidendum est sacrificium Missæ incruento modo peractum, in quo seipsum Patri Christus offert, nihil cruento illi Crucis, etsi efficacissimo, derogare.

5. *De fructibus sanctissimi Missæ sacrificii¹,
et ejus applicatione.*

CAP. III.

« Quantus et quam varius ex venerando hoc Missæ sacrificio in Christianos fructus redundet, illi demum recte noverunt, qui commoda omnia, quæ universis legis sacrificiis deputabantur, diligenter enumerantes, ea videntur, in hoc uno et singulari sacrificio, cujus illa umbræ fuerunt, copiosius et abundantius, quam in illis omnibus esse comprehensa. Et certe, qui ferre animum velit per omnia sacrificia, quibus olim populus Dei utebatur, hos præcipuos institutionis eorum fines extitisse comperiet, susceptorum beneficiorum memoriam renovare, ac spem futurorum significando erigere (quæ duo Agno Paschali in primis efficiebantur) maximum Dei supra res omnes imperium commendare, hominesque cum primo et supremo suo Domino, commercio aliquo et consuetudine copulare, fœdera Dei confirmare, et promissionum ejus fide alte in mentibus hominum impressa omnes ad summas ipsius laudes excitare, et ut holocausto fieri solebat, largitori bonorum omnium gratias agere, operumque ejus et auxilium in futurum tempus implorare. Hoc enim hostia pacifica spectabat, admissorum delictorum ac seclerum remissionem impetrare, ipsosque homines Deo inimicos reconciliare; quod per ea præsertim sacrificia operabatur, quæ pro peccatis nominatim erant instituta: denique animos hominum sanctis actionibus et meditationibus occupare, et ne pravis ullis desideriis serviarent, quod omnium sacrificiorum munus erat, inhibere. Hæc autem omnia emolumenta, et si quæ alia magna et salubria fuerunt, quæ ex illis nullo unquam tempore sacrificiis perciperentur, declarat sancta Synodus uberius et præstantius quadam ratione per unum Missæ sacrificium sanctissimum a Christianis præstari, in qua illud idem, ut sæpe admonuimus, sacrificium offertur, quod a Domino in Cena fuit immolatum. Nam illud quidem primum

nemo nescit, memoriam beneficii redemptionis nostræ, et immensæ illius charitatis, quam Pater æternus in nos servos suos, cum adhuc inimici essemus, ostendit, gratissima commemoratione in Missa celebrari, dum ob oculos nobis in ea redemptoris nostri mors in illo mysterio tanquam in speculo proponitur. Negari etenim non potest vehementer per ipsam spem futuri æterni convivii in illis confirmari, qui panem sibi in ea Angelorum proponi non dubitant. Dominium vero Dei et summam ejus in nos providentiam, quam re profiteri evidentius potuissemus, quam credendo nos morte Filii ejus vivificatos per eundem in hoc sacrificio viventem sustentari?

« Commercium autem an esse aliud majus hominibus cum Deo posset, quam si per hanc divinissimam hostiam, quam Patri ut nostram offerimus, nobiscum præsens esset omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ut potiori ratione dicere possemus: *Quæ est alia geus tam incluta, quæ habeat Deos appropinquantes, sicut Deus noster adest nobis?* Constat porro fœdera non veteris, sed Novi Testamenti, non temporalis, sed æternæ hereditatis sacra hac oblatione tanquam arrabone confirmari. Neque enim, si nos Deus voluisset aliquando occidere, tale nobis unquam sacrificium dedisset, aut de nostris manibus accepisset. Cum maximum etiam fidei mysterium sit, de aliis fidei mysteriis nos certos confirmatosque reddidit. Quamobrem amore accensi singulare hoc holocaustum Deo offerimus, quod cum totum oblatum et incensum Deo fuerit, totum remanet edendum et esum rursus totum Deo incendendum. Jam vero, ut commodior nulla ratio iniri potuit ad agendas Deo gratias pro summo redemptionis nostræ mysterio, quam si Patri Filium suum unigenitum, in quo complacitum est ei, ejusque pro nobis effusum sanguinem exemplo Prophete instructi offerremus, dicentis: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Ita nulla certiore via uti possumus ad exponenda et impetranda quævis ab ipso dona, per quæ majores nostri non gratiam tantum et vitam æternam, sed quæcumque præterea vel animi, vel corporis usui essent, modo spiritui deservedint, postulabant: nulla enim dona a Patre luminum, sive per Sacramenta, sive quavis alia ratione descendunt, quæ non etiam ab eo per hoc salutare Missæ sacrificium impertiantur, atque impetrentur, cujus assidua celebratio non modo sanctam sacerdotibus, verum etiam cæteris fidelibus occupationem affert, dum eos, vel orationibus, laudibus et canticis, vel piis meditationibus, vel aliis utilibus fidei Christianæ actionibus maximo cum spiritus fructu detinet, ut ea de populo Christiano sublata necessum sit

¹ Teat. de Conc. Me. 1669. V. l. c. 1. tom. 3. 205. p. 220.

etiam nutare fidem, claudicare spem, refrigerare charitatem.

« Cæterum ex omnibus hujus sacræ oblationis fructibus ille est longe maximus quod per eam tanquam per propitiatorium et expiatorium sacrificium iratus Dominus placatur, et ad tantam nonnunquam misericordiam deflectitur, ut etiam ingentibus hominum criminibus propitiatur; Dominus enim dixit: *Hic est Calix Novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ille autem Sanguis in Cruce effusus, cum sit in Eucharistia contentus, et in mysterio fusus offeratur, fieri nequit, quin sacrificium hoc iis, pro quibus offertur, in remissionem peccatorum valere non debeat, præsertim cum sacrificia olim pro peccatis instituta fuerint, quæ hanc oblationem figurabant, nec Pontifex ex omnibus assumebatur ullus, qui sacrificia pro peccatis oblaturus non esset, et eo quidem pro gravioribus potius quam pro levioribus quod illa expiatione magis egeant.

« Illud quoque sancta Synodus affirmat, nunquam in Ecclesia Dei permissum fuisse ut hoc communionis sacrificium pro iis offerretur, qui non antea membra Corporis Christi per Baptismum essent effecti: « *Quis enim offerat* », inquit Augustinus, « *Corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi?* » Baptizatorum autem nomine vivos et mortuos intelligendos hic esse perpetua et constantissima Ecclesiastica traditio nos docet, quæ pro mortuis ab Apostolis erudita offerre consuevit, de cuius tam solemnem more velle dubitare insolentissimæ prorsus superbiæ est.

6. « Modus, quo hoc sacrificium est propitiatorium, et hæc delictorum remissio vivis et mortuis impenditur, superest explicandus. In primis, quod ad Deum attinet, acceptat ille suavissimum fidei sacrificium, respiciens ad illud, non quatenus incruentum est, quia sine sanguinis effusione non fit remissio, sed in quantum illud, quod in Cruce peractum fuit, repræsentat: nam eadem Hostia est cum illa quæ in Cruce oblata fuit, eam quoque commemorat, atque nobis applicat, quia qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc ipsam hostiam pia quadam solemnique Passionis recordatione et contemplatione in suo mysterio quasi rursus patitur: nam quoties ei hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis absolutionem nostram, Passionem illius reparamus; non quidem quod Missa applicata remissionem peccatorum mereatur, sed quia Pater in faciem Filii sui, qui ei presentatur respiciens, exoratur, ut peccata remittat ingentia.

« Quod ad suscipientem autem hujus Hostiæ fructum spectat; fide et erga hoc sacrificium speciali devotione opus est, ut remissionem peccatorum accipiat; nec tamen sic valet

hoc sacrificium ad mortalium delictorum expiationem et bonos motus mentis, ut Sacramentum excludat Pœnitentiæ, sine quo, actu vel voto suscepto, nullum peccatum mortale remittitur: impetratur enim per hoc sacrificium gratia qua de peccatis conterimur, et veram pœnitentiam agimus.

« Defunctis autem, qui in Christo quiescunt, valet ad reatus pœnarum expiationem, et ad æternæ gloriæ præmia citius consequenda, ex devotione, quam viventes ad hoc sacrificium habuerunt, et adhuc habere non desistunt. Hanc vero fructuum participationem particularis applicatio promovet, quæ per sacerdotem legitimum sacrificii dispensatorem secundum justitiæ et charitatis regulas ipsi Deo rata efficitur: nam si oratio specialiter applicata ei, pro quo funditur, utilis laud dubie est, et si sacrificia antiqua certis de causis quibusdam applicabantur, nulla ratio est, cur hoc de excellentissimo sacrificio negetur, quod cum omnibus antiquis successerit, omnium illorum virtutem eminenter continet.

7. De ritibus et cæremoniis, quæ in Missæ celebratione¹ adhibentur.

CAP. IV.

« Quoniam rudis hominum natura, quæ nihil absque sensuum anticipatione percipit, difficile contineri in officio, et crudiri in religione, ac ad pietatem et devotionem excitari absque sensibilibus cæremoniis et externis aliis adminiculis potest, noluit Deus Christianam religionem hoc tanto præsidio esse destitutam. Declarat igitur sancta Synodus Eucharisticas cæremonias, neque Scripturarum testimoniis, neque mysteriorum ratione carere. Quanquam autem non omnes peculiare ritus et cæremoniæ, quæ in Missæ celebratione adhibentur, in Scripturis expressæ inveniantur, nullas tamen absque Spiritus sancti instinctu in Ecclesiam introductas fuisse, et tam constanter et tam religiose tot sæculis observatas affirmat. Atque illæ quam sint necessariae populo in officio continendo, ipsi Ecclesiæ hostes declarant, qui postquam veteres et receptas cæremonias rejecerunt, novas excogitare et inducere coacti sunt. Nihil igitur in ritibus hujusmodi vel abrogandum est omnino, vel imminuendum, quare totum Missæ Canonem sancta Synodus asserit sanctissimè esse constitutum, nec quidquam continere quod pietatem et religionem non spiraret; quod si quæ forte sint obscuriora loca, et quæ explicationis lucem desiderant, qualia per multa in Scripturis reperiuntur, consultis orthodoxis Patribus, qui ea suis expositionibus

¹ Ang. Mass. in Actis Concil. Trid. post Sess. III. sub Julio III. Ms. Vat. sig. num. 3191. p. 1266. Et tom. XVIII. sign. num. 3205. p. 132.

illustrarunt, pie ac catholice intelligi debent. Ideo non nisi pernicioso et pravo consilio abrogari quidam Canonem Missæ suadent, vel tanquam erroribus, mendaciis et seductionibus scatentem impie traducunt. Propterea religiose et sapienter etiam observatur, ut Consecrationis verba et maxima pars canonis tacite et submissa voce a sacerdote recitentur. Hac enim ratione sanctitas et majestas hujus ineffabilis mysterii rectius servatur, et populus excitatur, ut de eo reverentius et majori cum devotione cogitet. Lingua enim latina, quæ in titulo Crucis Domini tanquam quoddam divinum instrumentum est consecrata, mysterium Missæ in Ecclesia Occidentali celebrandis maxime convenit: quæ cum tot gentes, magna sermonis diversitate distinctas et frequentissime inter se communicantes brevi terræ spatio complectitur, uno hoc profecto sermone, qui omnibus communis est, in peragendo hoc Communionis Sacrificio uti debuit, præsertim cum hac ratione pluribus incommodis obviam eatur, quæ tanta evulgatione, et tam varia translationum in mysteriis fidei diversitate nasci possent. Quod si quæ intersint, omnibus esse nota, ut Veteris et Novi Testamenti lectiones quæ in Missa recitantur: ea per Concionatores debent saltem diebus Festis populo declarari, quemadmodum in illis omnibus Ecclesiis fit, quarum pastores officiis suis non desunt.

« Quantum autem vestibus, luminaribus atque aliis externis rebus, quæ in Missæ cultu adhibentur, et ad eum peculiari consecratione per verbum Dei et orationem sanctificantur, moveri homines soleant, ut revocent animos a cogitatione rerum profanarum, et rem ibi sacram et divinam agi cum reverentia cogitent, nemo est qui nesciat. Est enim in his omnibus utilissima et sanctissima significatio, quam qui intelligunt vehementer excitantur, ut in vero spiritu Patrem adorent, et illam puritatem ac mentis elevationem, quoad ejus fieri possit, imitentur, quam Redemptor noster in illa novissimæ suæ Cænæ Missa habuit. Quæ ideo simplicissima fuit, et his externis signis et ornamentis caruit, quoniam nec ullis externis adminiculis, quibus excitaretur, ille indigebat, nec tempus quoque, aut locus, ut ea adhiberet, posebat. Ideo idem Spiritus, qui ad sacrificandum eo modo Christum impulit, Ecclesiam docuit decentes et piæ pro temporis ratione caeremonias addere.

« Porro Missæ, in quibus nullus præter sacerdotes celebrantes communicant, immerito ut private traducuntur et illicite: nam, cum Missa omnis commune Sacrificium sit, et a publico ministro celebretur, privata profecto Missa dici non potest, in qua pro universa Christi Ecclesia Sacrificium offertur. Publicæ igitur omnes Missæ sunt, et non absque maximo totius Ecclesiæ et multorum membrorum ejus fructu,

ubicumque illæ fiant, frequentantur. Nec profecto excommunicationis ullam faciem habent, cum populus, qui hujusmodi Sacrificio adstat, a sacerdote celebrante pacis osculum et benedictionem recipiat, atque etiam Communionem, si velit, accipere possit. Nec vere earum usus a Magno Gregorio primum fuit inductus; sed longe vetustissimus est, ut ex antiquorum Patrum scriptis patere potest, cum crebrius illis temporibus Missæ celebrarentur, quam fideles in eis communicarent.

« Quæ pro intercessionem aliquorum sanctorum, in eorum etiam memoriam ¹ et honorem particulari ratione celebrantur, cum sit certum, nec aliis, quam Deo Sacrificium in eis offerri, et sanctorum commemorationem duntaxat fieri, quam in illorum gloriam, et in Christi fidelium utilitatem cedere, semper in Dei Ecclesia creditum est.

« Jam vero quoniam controversia de aqua cum vino in hoc Sacrificio miscenda, jam pridem extincta, his denuo temporibus est excitata, declarat sancta Synodus, juxta Catholicæ Ecclesiæ fidem et sanctorum Patrum traditionem et consensum, aqua vino esse admiscendam, tum quod ita Christus Dominus fecisse traditur, tum quod illa fluxum nobis aquæ et sanguinis ex latere Domini nostri in Cruce pendentis significet, ac ipsius nostri cum populo conjunctionem repræsentet.

« Huic doctrinæ adjecti sunt Canones, quibus anathemate defixi sunt ii, qui pertinaciter contrarios errores tuerentur.

8. De Sacrificio Missæ propositi examinandi eodem die.

CANON I.

« Si quis dixerit, in Missa non esse Sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, aut vocari translato nomine Sacrificium, at vere et proprie non esse; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, Missam esse tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Missæ Sacrificium non esse ex Evangelio, nec a Christo institutum, sed inventum ab hominibus, neque illud offerre esse opus bonum aut meritorium, imo in eo committi manifestam et multiplicem idololatriam; anathema sit.

¹ Tom. IV. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 128. E. tom. XXIII. sig. num. 3205. p. 140.

CANON IV.

« Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto ab iis, qui Dei Filium a sacerdotibus in Missa Deo offerri credunt; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, Christum pro nobis mystice in Missa immolari, et offerri non aliud esse, quam nobis ad manducandum dari, aut illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, non ordinasse ut apostoli et alii sacerdotes offerant Corpus et Sanguinem ejus; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Canonem Missæ erroribus et seductionibus scatere, abrogandum esse fuendumque, non secus ac pessimam abominationem; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, Missam, nec vivis, nec mortuis prodesse, aut impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, neminem pro alio Sacrificium Missæ offerre posse, sicut nullus pro alio communicat vel absolvitur; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, Missas privatas, in quibus videlicet solus sacerdos, et non alii communicant, quæ diu ante Gregorium Magnum fuere in Ecclesia, illicitas esse atque abrogandas, et cum Christi instituto pugnare, aut representare magis excommunicationem, quam communionem a Christo institutam; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, vinum necessariam materiam non esse hujus Sacrificii, neque aquam esse miscendam cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo secreto et submissa voce verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, Missamque non nisi in lingua vulgari celebrari debere, ac imposturam esse certas Missas certis sanctis, sicuti Ecclesia intendit, attribuere; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritamenta impietatis

esse magis quam officia pietatis; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit, Missam minus Christianam esse, quia cum pluribus cæremoniis celebratur, quam fuerit a Christo celebrata; anathema sit ».

Fridericus Nausea ¹, episcopus Viennensis, cum diceret sententiam de superiori doctrina, hæc præfatus est: « Quod ad doctrinarum capita de sacrificio Missæ et Ordinis Sacramento pertinet, audeo equidem, non ut adulator, sed ut ipsissimæ veritatis amator et propugnator, coram palamque affirmare et asserere, quidquid earum est doctrinarum, tam mihi suis numeris omnibus undecumque absolutum videri, ut nec ipsum quidem Dionysium copiosius, nec Origenem sublimius, nec Tertullianum acutius, nec Cyprianum doctius, nec Gregorium disertius, nec Augustinum exquisitius, nec Ambrosium dulcius, nec Hieronymum gravius, nec Chrysostomum redundantius, nec Thomam dilucidius, nec Bernardum devotius, nec Scotum subtilius, nec alium quemquam, quibuscumque etiam vel animi vel ingenii dotibus præpollentem, perfectius et absolutius hoc ipsum concipere et concinnare quoquo modo potuisse crediderim. In his ipsis doctrinis videor mihi summa cum jucunditate audire, et docere quidquid unquam sancti Patres, aut de Ordinis Sacramento, aut de Missæ Sacrificio rite doctique scripserunt et docuerunt ».

9. Conscripta quoque est doctrina ² de Sacramento Ordinis, ac revocata ad examen XXI Januarii. In primo capite de necessitate et institutione Sacramenti Ordinis actum est. In secundo de visibili et externo Ecclesiæ sacerdotio. In tertio de ecclesiastica hierarchia, et episcopi ac presbyteri differentia; Canones etiam illi doctrinæ annexi excuti atque ad examen revocari cœpti sunt.

De Sacramento Ordinis ³ propositi examinandi eadem die, nimirum XXI Januarii.

CANON I.

« Si quis dixerit, Ordinem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, sed tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi et Sacramentorum, aut figmentum esse humanum, quod Ordo sit Sacramentum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, Ordinem non esse unum Sacramentum, aut infimos et medios Ordines ve-

¹ Tom. XVIII, p. 226. — ² Ms. arch. Val. sig. num. 3191. p. 1296, p. 181, 133. — ³ Tom. IV, de Concil. Ms. arch. Val. sig. num. 3141. p. 1356. To. VIII, sig. num. 3205, p. 111.

lut gradus quosdam non tendere in sacerdotium; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, aut omnes Christianos ex æquo esse sacerdotes, sed ad usum et executionem Ordinum opus esse vocatione magistratus secularis, vel consensu populi; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, Ordinationes ab episcopis factas sine plebis consensu irritas esse, aut eum qui semel est sacerdos, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, in Novo Testamento non esse sacerdotium visibile et externum, nec potestatem spirituales consecrandi, offerendi, a peccatis absolvendi, sed officium tantum et ministerium predicandi Evangelium, aut eos qui non predicant prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Unctionem non requiri in Sacramenti Ordinis traditione, imo esse perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias cæremonias; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, per Sacramentum Ordinis non conferri Spiritum sanctum; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, episcopos non esse jure divino institutos, nec presbyteris superiores, aut non habere jus ordinandi, vel id etiam presbyteris competere; anathema sit ».

10. *Oratores Protestantium postulant ut supersedeatur promulgationi decretorum predictorum donec admittantur in Concilium.* — Cum iis Canonibus et doctrinis hæreses suas confutari ¹ damnarique audissent Protestantium principum oratores, qui Tridentum accesserant, postulare ut differretur eorum promulgatio, donec eorum theologi argumenta sua explicuissent, quos ipsi venturos falso pollicebantur; ita ii Canones cum doctrina in Sessione publica approbati promulgatique non fuerunt; quare iterum de iis sub Pio IV, decennio post, Sessio celebrata est, quæ vigesima secunda numeratur.

Addunt Acta ² :

« Die XVIII Januarii, habita Congregatione

generali, significatur Patribus advenisse oratores Mauriti, ducis Saxonie, qui petunt sibi dari alium salvum conductum in ampliori forma, et hoc interim supersederi a publicatione et diffinitione materiæ jam discussarum : cum super eis cupiant, ut eorum theologi audiantur. Super quibus rogatis sententiis, licet Patres jure se timere assererent, ne deluderentur, idque solum peti, ut mora moræ, et difficultates difficultatibus adderentur, tamen visum est convenire, ut Ecclesia tanquam pia mater omnes semper benigne excipiat, gremiumque ad se redire profitentibus non claudat; præsertim vero, ut eis omnis amplius cunctandi occasio adimeretur, placuit omnibus, ut eorum petitionibus satisfaceret ».

11. Ob summam revocandorum ab errore Lutheranorum voluntatem non servata sunt monita Pontificia ¹ quibus legati Tridentum ituri præmuniti fuerant, ut antequam audirentur hæreticorum oratores, illi ad agnoscendam Concilii auctoritatem adigerentur, concepta enim erant de his subjecta mandata :

« Antequam quidquam cum hæreticis tractetur, aut disputetur, illud omnino servandum (quod et divini et humani juris est) ut primum convenient de judicio ac iudice, et confiteantur unam esse Ecclesiam Christi toto terrarum orbe diffusam, unumque esse ipsius Ecclesie caput Christi vicarium, ipsiusque Christi verbo constitutum, et quod Concilium Generale legitimum, id est, ab eodem ipso Ecclesie capite indictum ac probatum representet universam Ecclesiam; cujus quidem Concilii decretis, determinationibus ac declarationibus se subdere, subditosque esse volunt atque consentiunt.

« Quod si hæc inficerent, non debent quovis modo audiri super quoquam contententes, cum se declarent apertissime schismaticos et hæreticos : nam is qui dubitat, non habet principia fidei, et articulum Catholicæ Ecclesie convincitur non recipere; et ideo hoc casu cum illis agendum est, quasi cum schismaticis et hæreticis damnatis, non quasi cum paribus, paremque nobiscum causam habentibus, juxta illud Psal. XXV : *Non sedi cum Concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.*

« Si autem supradicta admiserint, audiantur et discutiantur eorum querelæ et propositiones cum omni mansuetudine et maturitate, et ad ipsum Caput Summum Pontificem ab eo deinceps cum approbatione Concilii determinanda deferantur.

12. « Non sunt hæc ab iis exacta, ut jure exigi debuerant, sed ne absterriti a Concilio abscederent, tanquam feræ cicurandi pelli-

¹ Ms. Vat. sig. num. 3181. — ² Aug. Mass. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 1266.

³ Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 267.

ciendique benignitate ad officium visi sunt, at eo præfractiores oratores Lutherani exambivere impia sua mandata in publico sacro consessu exponere, ut petulantè illuderent Synodo, sed admissi sunt tantummodo ad privatam Congregationem die vigesima quarta Januarii, in qua matutino tempore Wittembergici ducis oratores, quia prius venerant, auditi sunt, serotino vero Mauritanii, impiæque et insolentes eorum expostulationes pie et benigne refractæ fuerunt, ac non aliter quam medici furentes phreneticos blandis lenire verbis consueverunt, ita Patres tolerantiam Lutheranorum petulantiam, eorumque doctores audiendos sollicitandosque, ut Tridentum venirent, decreverunt, quo ignorantie caliginem ex eorum oculis detergerent, aberrantesque in salutis viam leniter traducerent.

« Die Dominica xxiv Januarii habita fuit Congregatio Generalis ¹, in qua proponitur adesse oratores Christophori ducis Wittembergensis, petereque ut a sancta Synodo audiantur, quod omnibus placuit, præmissa prius protestatione infrascripta: Hæc sacrosancta OEcumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ legato et nuntiis.

« Ne ob disceptationes (quæ tam de personis comparantibus, mandatisque et scripturis exhibendis, quam de loco ad sedendum personis assignando oriri possint) felix ipsius Concilii progressus retardetur, inhærens decreto in secunda Sessione promulgato, atque illud innovans, statuit, decernit, declarat, quod si forte contigerit, aliquos, qui ex dispositione juris aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non essent, vel per se ipsos vel per interpositas personas admitti, aut recipi, vel in loco non debito sedere, vel sententiam sub verbo, *Placet*, proferre, vel Congregationibus interesse, vel alios quoscumque actus facere Concilio durante, quodque si etiam contigerit, mandata, instrumenta, protestationes, et alia hujusmodi generis scripta, quæcumque, quæ ipsius Concilii honorem, jus ac potestatem quomodocumque læderent, seu lædere possent, recipi, aut admitti, propterea non præjudicetur, neque aliquo modo præjudicatum censeatur vel intelligatur præsentì Concilio, neque Conciliis OEcumenicis ac Generalibus in perpetuum celebrandis: cum omnis intentio hujus Concilii sit et eo tendat, ut pax et concordia, quæcumque ratione, licita tamen et congruenti, in Ecclesiam reducatur.

13. « Deinde intronissi sunt præfati oratores, qui stantes in calce aulæ, capitibus de-

tectis, junior Joannes Henricus Hoëcklin locutus est his verbis:

« Reverendissimi Patres, illustrissimi principes et domini observandissimi.

« Sacra Romana Cæsarea majestas dominus noster clementissimus hortatus est, pro summa clementia majestatis suæ, illustrissimum principem nostrum gratiosum ejus legatione in præsentia, vigore hujus mandati, quod hic exhibemus, fungimur, ut ad cætum reverendissimarum vestrarum paternitatum referat, si quid habet, quod ad publicam Catholicæ Ecclesiæ utilitatem, et ad conscientie tranquillitatem pertinere videatur; quare, ut jam dictus illustrissimus princeps dominus noster gratiosus testificetur pium suum affectum erga vestram Ecclesiam Christi, declaret obedientiam suam erga sacram Romanam Cæsaream majestatem, Dominus noster clementissimus curavit in scriptum conferri ea, quæ arbitratur ad constituendum veram pacem Ecclesiæ, tam in doctrina quam in ritibus Ecclesiasticis emendanda esse. Hoc scriptum offerimus, jussu et mandato illustrissimi principis nostri reverendissimi vestris paternitatibus, et speramus fore, ut vestræ reverendissimæ paternitates ex eo cognoscat illustrissimo principi nostro nec curam nec studium deesse, ut vera pax et concordia in Ecclesia Christi constituatur: quod si vero quid in hoc brevius vel obscurius, quam res tanta postulat, dictum fuerit, aut si alioquin opus esse videbitur, idem illustrissimus princeps noster theologos suos, qui id copiosius et magis perspicue explicant, necnon sacræ Scripturæ testimoniis defendant ac tueantur, debita eis præstita securitate, se missurum pollicetur et offert. Et cum hucusque dilata sit actio, princeps noster illustrissimus interea nobis aliquot gravamina transmisit, jussitque reverendissimis paternitatibus vestris illa exhiberi, ut videlicet eo facilius ad causæ tractationem perveniri possit; et ut theologi principis nostris eo citius luc amandentur. Cumque hæc ipsa gravamina sint hujusmodi, ut pro rei magnitudine prætermitti non possint, et necessario proponantur, illustrissimi principis nostri nomine, etiam atque etiam rogamus, ut reverendissimæ paternitates vestræ benigne illa suscipiant, simul atque responsum nobis commodum, quam primum fieri poterit, reddant.

« His dictis exhibuerunt scriptum quoddam, in quo eorum opinionem in rebus fidei et religionis contineri asserebant, ac ipsius ducis mandatum.

« In eo profitebatur Wittembergensis ¹ dux sæpius in comitiis imperii sancitum fuisse, ut omnia religionis dissidia tollerentur in OEcumenico, libero et Christiano Concilio, disciplina

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3291. p. 136. Ext. in Actis excus. in edit. Bini p. 316.

¹ Ext. ibid. p. 139.

Christiana in pristinum nitorem restitueretur, liberumque esset omnibus principibus ordinibusque imperii omnia sua incommoda et gravamina in deliberationem adducere, Cæsaremque edicto publico electores et alios principes ad id monuisse. Ne itaque muneri suo deesset, decretos a se oratores fuisse, ut Christianæ reipublicæ discordiæ sedarentur. Actum in oppido nostro Tubinga xx die mensis Septemb. MDLI.

« Christophorus dux Wittembergensis ».

14. Non Concilium, sed colloquium inane petunt Lutherani. — At cum placidis iis verbis pacis osculum Ecclesiæ libere Wittembergensis ipse dux videretur, mox impio alio scripto, tanquam pugione, instar Jobab Amasam amplectentis, illius viscera confodere ac dilaniare annis summam in hæresi pertinaciam professus est. Angelus enim Massarellus ¹ indigna oratorum ejus postulata perstringit his verbis :

« Petierunt tria, ut ipsi dicebant, gravamina explicari, illa autem sunt : Primum, ut constituantur iudices et arbitri, qui judicent de controversiis religionis, et ii non sint episcopi utriusque partis. Secundum, ut Concilium non ita continuetur, ut decreta in eo hactenus promulgata pro conclusis et ratis habeantur. Tertium, ut ipsa decreta in Tridentino Concilio promulgata, tanquam parte altera super eis non audita, retractentur et irrita fiant ».

Extant eadem suis concepta verbis in Congregationum generalium Actis ², sequentibus verbis :

« Gravamina seu condiciones, quibus oratores ducis Wittembergensis petunt Concilium celebrari.

« Illustrissimus princeps ac dominus D. Christophorus, dux Wittembergensis noster clementissimus, ordinavit ad Concilium Tridentinum quosdam suos theologos, qui oblatam confessionem auctoritate Sacræ Scripturæ et veræ Catholicæ Ecclesiæ consensu defendant ac tueantur, et si opus fuerit, copiosius explicent. Sed priusquam theologo suscipiant explicationem, petit illustrissimus princeps noster, de quibusdam gravaminibus suis sententiam Tridentino conventus audiri.

« Primum ergo gravamen est, quod ad audiendam theologorum explicationem non sint ordinati et constituti ex utriusque partis consensu idonei iudices aut arbitri, qui de præsenli controversia religionis legitime juxta Scripta Prophetica et Apostolica cognoscant. Etiam cum illustrissimus princeps noster intellexerit maximam partem doctrinæ suorum theologorum pugnare cum doctrina et sententia Pontificis Romani, et eorum episcoporum qui Romano Pontifici juramentis et aliis obligationibus sunt

addicti, nullo jure, nulla æquitate fieri potest, ut Pontifex et episcopi ejus in hac causa, in qua ipsi sunt pars, sive accusatores, sive rei, pro idoneis iudicibus seu arbitris cognoscantur. Petit igitur illustrissimus princeps noster se reddi certiorum, quinam sint futuri hujus rei iudices aut arbitri.

« Secundum gravamen est, quod conventus Tridentinus non videatur servari juxta recessus comitorum imperialium Augustanorum, in quibus decretum fuit, quod Concilium Tridentinum continuari, et omnia Christiane, honeste et congruente ordine tractari debeant. Hæc verba illustrissimus princeps noster nunquam intellegit aut intellexit aliter, quam quod Concilium Tridenti ante annum quadagesimum sextum, nimirum excurrentis sæculi, institutum non sit ita continuandum et prosequendum, ut decreta in eo facta pro conclusis et ratis habeantur : quæ enim hæc esset honestas ac congruentia, ea decreta pro ratis et sacrosanctis habenda imponere, quæ parte altera nondum audita sunt constituta? Sed quod omnia capita religionis nostræ, de quibus controvertitur, iterum tractari, et ni his audiendis et dijudicandis vere legitima et æquitate conveniens actio observari debeat. Quod cum hoc Tridentinum Concilium videatur hoc modo institutum, petit illustrissimus princeps noster, ut recessui comitorum imperialium hac in parte satisfiat.

« Tertium est, quod in Sessionibus non solum ejus Concilii, quod anno MDLVI Tridenti est institutum, verum etiam hujus Concilii, quod jam continuatur, decreta sint multa aliena a sacris litteris, et confirmati multi veteres errores, sicut illustrissimi principis theologi sese coram idoneis iudicibus et arbitris declaraturos recipiunt. Petit itaque illustrissimus princeps noster, ut talia decreta non habeantur pro conclusis et ratis, sed tantum pro discernendis et judicandis, donec idonei iudices aut arbitri ex utriusque partis consensu veræ Ecclesiæ cognitio fiat. Ut ergo illustrissimus princeps noster in hoc unum præcipue incumbat, ut vera et pia concordia in Ecclesia Dei constituatur, non dubitat æquum esse, ut jam his commemoratis gravaminibus leveltur et exoneretur, ac vicissim recipiat se ope et auxilio divinæ clementiæ nullum officium Christiano dignum et pio principe intermissurum, quo sperat se Deo Patri D. N. Jesu Christi fidem et obsequium suum probare, et incolumitatem et tranquillitatem veræ, sanctæ, et Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ juvare posse.

« Quibus omnibus responsum fuit his verbis : Sancta hæc Œcumenica Synodus audivit ea, quæ a vobis relata sunt, et cum deliberatione providebit.

« Eadem die xxiv Januarii, hora autem xxi, habita iterum Congregatione generali, in primis

¹ Ang. Mass. Sum. Conc. Trid. sub Jul. III. Ms. Vat. sig. num. 3190 p. 206. — ² Ext. in V. l. arch. Ms. Vat. sign. num. 3191 p. 2. 140.

proponuntur et approbantur decreta prorogationis, diffinitionis et publicationis decretorum, necnon salvi conductus Germanis ea forma, qua ipsi petierunt, dandi. Deinde proponitur iterum causa postulationis filii Electoris Brandeburgensis. Rogatisque sententiis majori parti Patrum placuit, ut hujusmodi confirmatio a Pontifice ob publicum bonum concederetur, cum dispensatione opportuna, dato ipsi postulato administratore, usque ad legitimam ætatem, et quousque appareat, quod in fide Catholica recte sentiat, quodque Tridentum ad Concilium veniat, ei se subiciat, et ejus decreta se recepturum et observaturum juret (1) ».

45. Postea introducuntur oratores Mauriti, ducis Saxonie electoris, videlicet, Wolfgangus Koler, capitaneus Thuringie, et Leonardus Badenhorn, utriusque juris doctor : quibus stantibus in calce aulae, doctor locutus est his verbis :

« Propositio oratorum Mauriti, ducis Saxonie electoris, in eorum comparatione.

« Quod bonum, felix ac faustum sit Christiana reipublica, reverendissimi, et amplissimi quarumcumque dignitatum ordinis et status viri, patres, ac domini debita reverentia observandi.

« Illustrissimus princeps Mauriti, dux Saxonie, sacri Romani imperii elector et archimareschallus, præsens Thuringie, et marchio Misnie, etc., dominus noster clementissimus, misit nos ad vestras reverendissimas et amplissimas dignitates et præstantias, et precatur primum a Deo optimo Maximo Patre Domini nostri Jesu Christi, ut Spiritum sanctum suum benigne largiri ac aspirare dignetur, quo omnia, quæ hic agitis acturique estis, ad sui sanctissimi nominis, et Christi Filii sui Domini ac Salvatoris nostri gloriam et honorem, et Ecclesie suæ pacem et incrementum, atque cunctorum Christi fidelium veram et æternam salutem tendant et dirigantur. Deinde notum vult esse universo huic ordini vestro, quod jam diu secum constituit, et animum suum ita declaravit, si quando, propitio Deo, contingeret universale, liberum et Christianum Concilium congregari, in quo controversiæ religionis nostræ sepositis affectibus, secundum sacram Scripturam tractari et adjudicari, omnes tuto admitti et audiri atque Christiana reformatio, tam in capite quam in membris institui deberet, quod ad tale Concilium suos quoque theologos, viros pios, doctos ac pacificos mittere vellet. Et quia putat hoc nomine congregatos nunc esse, in hoc convenisse hie vos omnes, ut eo, quo dictum modo est, procedatur, ideo convocatis suis theologis,

qui antecessorum suorum, et partim etiam suo tempore scribendo claruerunt, mandatum dedit, ut missis ex suo numero quibusdam, suæ doctrinæ confessionem in hoc casu nostro faciant, et eam sacram Scripturæ testimoniiis confirmant, atque in omnibus, quibus secundum sacram Scripturam possint, nobiscum communicent ac concordent; id quod illi se facturos prompti ac volentes in se receperunt.

« Quod vero hoc hæcenus factum non sit, et illi hic nondum comparuerint, causam hanc habet, quod princeps noster admonitus fuit ejusdam constitutionis Concilii Constantiensis, quæ habet, quod hæreticis et de hæresi suspectis nulla publica fides, nullusque salvus conductus, sive per imperatorem, sive per reges, seu per alios datus, quocumque vinculo ad servandum se adstrinxerint, servari debeat : quinimo si confisi aliqui super hujusmodi salvo conductu venerint, alias non venturi, a potestate Ecclesiastica possint, non obstante ejusmodi salvo conductu, nihilominus puniri. Et habetur tenor illius Constitutionis in XIX Sessione Concilii Constantiensis, cujus Constitutionis exemplar, si forte alias nunc ad manum non sit, jam dabimus. Et movit hæc Constitutio principis nostri animum eo magis, quo timore hujus etiam Bohemi tempore Basileensis Concilii accedere ad illud nequaquam voluerunt, nisi eis plena et perfecta securitas veniendi eo et ibi commorandi, atque inde redeundi in propria a Concilio daretur, cum derogatione dictæ Constitutionis Constantiensis expressa, et multis aliis clausulis. Unde et Concilium illud Basileense plenissimam securitatem salvi conductus illis concessit, cum memoratæ Constitutionis expressa derogatione, et multis aliis clausulis, ut est videre in quarta Sessione ejus Concilii, cujus formam priori subjecimus. Ejusmodi ergo salvum conductum petivit princeps noster dari etiam in quarta Sessione ejus Concilii, et aliis quos hic missurus esset, cum eorum ministris et familiaribus quos secum adducerent, et tuto huc venire, hic commorari ac redire hinc secure possint. Et spem certissimam conceperat fore, ut quod Basileensis Synodus Bohemis benignissime concesserat, id hic Tridenti Germanis non negaretur.

« Verum oblata est illi ante dies non multos quædam membranea schedula aperta sine sigillo, cum significatione hæc, quod per istam satis cautum suis esse deberet, cujus copiam etiam exhibebimus ; sed, quia multum discors hæc ab illa fuit, et cum Basileensi salvo conductu vester salvus conductus in plurimis articulis minime conveniebat, ob id grave et peri-

(1) Doctores Lutheranos ad Concilium non venisse certum est ; sed exploratum pariter reipsa quosdam et secta Lutheri theologos primarios iter Tridentum suscepisse. Etenim Enochus Windemannus, in Chronico Curie vulgato a Menkenio Rer. Germ. 10. III, narrat Dominica Epiphaniarum secunda Philippum Melauchtonem, Erasmus Sacerdium, Joannem Paulum Gaspareum Peucerum venisse Curiam, ut ad Concilium iter maturarent.

culosum judicatum est, non impetrato eo, qui petitur, et qualis Bohemis datus esset, salvo conductu, huc accedere, maxime enim cum ex proœmio et aliquot decretis hic Tridenti promulgatis, quæ typis excusa in publicum prodierunt, manifestum sit pro schismaticis et hæreticis hic haberi et culpari; cum nequaquam huc vocati, multo minus hic auditi fuerint, et nihilominus prompti sint doctrinam suam testimoniis sacræ Scripturæ corroborare. Quare petit princeps noster ex commemoratis causis, et se ac suos quominus hic hæctenus comparuerint, excusatos haberi, et qua rogavit forma, quaque Bohemis in Basileensi Concilio datus est salvus conductus, eadem nunc suis etiam dari, atque quamprimum sibi transmitti. Præterea cælior est redditus princeps noster, quamvis, ut dictum est, sui theologi neque vocati, neque auditi fuerint, et propter defectum pleni atque integri salvi conductus venire huc et comparere hic nondum potuerint: quod tamen nihilominus sine mora procedatur et concludatur, etiam in illis articulis religionis, qui controversiam habent, sicut videmus, quod nunc sessionem habere, et decreta super articulis in controversia positis publicare velitis; quod principi nostro præjudiciale, et tam divino quam humano, tum naturali, tum positivo juri contrarium existit: quæ jura omnia volunt, quod non audiri non debeant prægravari.

«Cum itaque velit princeps noster suos theologos huc mittere, doctrinæ suæ sessionem facturos, et eam sacræ Scripturæ testimoniis corroboraturos, quique in omnibus, quibus eum verbo Dei possint, et velint, et debeant vobiscum concordare, sed ex defectu salvi conductus id facere hæctenus impediantur, manifestum est culpam nullam illis attribui posse: unde rogamus nomine nostri illustrissimi principis, ut tractatio illa articulorum, qui controversiam habent, et præsens instituta Sessio decreto publico eo usque differantur et protrahantur, donec ipsius etiam theologi tuto huc adveniant, et ad plenum audiantur, qui jam nunc in itinere sunt, et ad LX millia Germanica huc processerunt, expectantes vestrum salvum conductum, ut eo accepto mox progrediantur, et, quamprimum fieri poterit, hic apud vos compareant, doctrinam suam, ejusque testimonia sacra edant, ac in lucem proferant.

«Tertium est, quod relatum fuit principi nostro, quod illa decreta, quæ superioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus et firmis conclusis habere, articulos, qui controversiam habent, et in quibus qui Augustanæ sunt confessionis dissentiant, non reassumere, neque audire suos super illis velitis.

«Cum vero illi declaratum sit, pleraque eorum decretorum etiam in præcipuis capitibus

religionis nostram justificationem concernentibus, errores non leves continere, qui per sacram Scripturam ostendi et declarari possunt, summe necessarium et ipse plerique alii semper judicarunt et adhuc judicant, ut sui etiam theologi super illis decretis audiantur, et sic in controversia positi articuli reassumantur. Quapropter oral princeps noster, ut illa decreta in articulis, qui controversiam habent, omnino reassumantur, et cum sui, tum alii Augustanæ confessionis theologi super illis plene audiantur, eorum rationes et argumenta ex sacris litteris expendantur, quod pium et Dei Verbo consentaneum fuerit admittatur, et suffragiis omnium nationum Christiani orbis laudetur recipiaturque.

«Ad hæc sunt ista decreta tunc tractata, quando paucissimi eorum, qui ad universale, liberum, et Christianum Concilium requiruntur, pauci prælati paucique legati statum Germaniæ præsentés fuerunt, ut patet ex catalogo nominum eorum, qui una cum illis decretis typis excusis in publicum prodit. Unde etiam pro decretis universalis Concilii illa decreta haberi aut vendicari nequaquam possunt, nam ad universale, liberum, et Christianum Concilium requiruntur universæ Christiani orbis nationes, ut omnes secure admittantur libereque audiantur, utque eorum rationes, causæ et argumenta secundum sacram Scripturam expendantur, dijudicenturque: alioquin ea, quæ habetur Congregatio, nomen universalis, et liberi, et Christiani Concilii minime meretur, et quod in ea decernitur pro decretis Oecumenici, liberi, et Christiani Concilii haberi et acceptari minime potest.

16. «Quarto loco referre et in memoriam revocare debemus vestris amplissimis dignitatibus et præstantiis, quod articuli controversiam habentes, fidem nostram Christianam, et aliqui eorum Pontificem præcipue concernunt: cum autem et jura et Concilia, tum Constansliense, tum Basileense expresse constituerint, quod in causis fidei, et quæ ipsum etiam Pontificem contingunt, Pontifex Concilio subjectus, et Concilium supra Pontificem sit et esse debeat, conveniens fuerit, illud hoc etiam in loco omnino ita servare, et ante omnia confirmare, sicut in Basileensi Synodo factum est, et in secunda sessione ejusdem habetur, ut quod per hoc prælati ac reliqui in Concilio, cujuscumque gradus ac ordinis fuerint, a suis juramentis, quibus Pontifici obstricti erant, quantum ad Concilium et causas in eo tractandas pertinet, liberi sint. Et censet princeps noster, quod hujusmodi liberatio, etiam sine expressa Pontificis relaxatione, sequatur clare ex conclusis Basileensis Concilii in multis locis, ubi ponitur quod etiam papalis eminentia et dignitas in talibus casibus Concilio subjecta sit. Si ergo subjecta est papalis eminentia Concilio, sequi-

tur quod personæ repræsentantes, ab ejus nexibus et ipsi præstitis juramentis quantum ad fidei articulos, et Christianam reformationem tam in capite quam in membris instituendam spectat, liberæ sunt, et etiamsi Pontifex nollet eis juramenta ea remittere, quantum vi et virtute prædictarum constitutionum Constantiensis et Basileensis Conciliorum jam liberæ sunt, eo quod ita declarari merito debeant: si enim liberum debet esse Concilium, in quo semoti affectibus de controversiis religionis, et Christiana reformatione capitis et membrorum tractari, atque omnia secundum sacram Scripturam fieri conveniat, necesse est, liberas esse personas quæ liberæ de his omnibus disserere et judicare debeant: liberæ autem, et sine affectibus nunquam erunt. . . Pontifici subjectæ, et ab ejus imperio, quantum ad causas in Concilio tractandas pertinet, non solutæ censi debeant.

« Rogat itaque summopere princeps noster prædictas Constitutiones Constantiensis et Basileensis Conciliorum, quod nimirum in fidei articulis, et qui Pontificem et ejus potentiam contingunt, Pontifex Concilio subjectus sit, ante omnia confirmari exemplo Basileensis Concilii, quod ab initio decretum Constantiensis Concilii in articulo, quod Universale Concilium supra Pontificem sit, ante omnia repetiit, approbavit, ratificavit, atque etiam de verbo ad verbum Actis illis inseruit, quemadmodum secundæ Sessionis ejus Concilii Acta manifestissime demonstrant. Et negare nunquam potest, quin et Pontifex, et reliquorum clericorum status ac vita magna ac gravi reformatione opus habeant: quanquam enim proxima ante centum et aliquot annos celebrata Concilia tempora certa præfinierunt, inter quæ semper generalia Concilia celebrari debuissent, quod præviderunt jam tunc absque dubio prudentiores ejus sæculi futuros ac secuturos hos abusus, quibus occurrendum in tempore esse rectissime judicarunt, tamen sequentium temporum Pontifices, neque eas neque alias bonas Patrum constitutiones, quas bona cum conscientia potuissent, et necessario debuissent observare, servarunt, et sic perniciosos hosce errores et abusus subrescere permiserunt, unde plurima, et infinita mala ac multiplicia schismata Christianum orbem invaserunt; exorta bella, odia, dissensiones, tumultus et latissima occasio data ac relicta est grassandi in populum Christianum misere sævissimo, crudelissimo nefandissimoque Christiani nominis hosti perpetuo; quis non videt? aut quis dubitat difficillimum fore hos abusus tollere, pie et Christiane emendare, atque corrigere, præ quibus ita prophanatum esse constat statum Ecclesiasticum, ut species, ut focus quidem religionis potius quam religio appareat? Quis emendabit, aut quomodo emendabit hæc Con-

cilium, si personæ Concilii ad nutum et voluntatem Pontificis vivere, ad ejus præscriptum agere omnia, ad ei obediendum, ad conservandum ejus honorem statumque et potentiam juramento debeant esse ac manere obligati? Declarandum ergo, et exprimendum hoc amplius fuerit, quod quicumque sunt in Concilio cardinales, archiepiscopi, episcopi, prælati, atque omnes omnino omnium ordinum et officiorum homines per talem constitutionem a suis juramentis Pontifici præstitis, quantum ad Concilii causas et ejus reformationem spectat, debeant esse liberi et soluti; et quod per ipsam illam Constitutionem liberi et soluti declarati esse debeant, ut ea confisi, in ejus libertate freti, liberius quid sentiant dicere, in mediumque consulere, ac suffragari liberæ secundum sacram Scripturam possint. Si vero etiam præterea a Pontifice hoc impetrari posset, quo sua dignitas pro honore Dei, et servanda Christiana reformatione, atque provehendis communibus commodis ultro relaxaret ac remitteret eis illa sua juramenta; hoc vero laudabile, rectum, integrum atque celebre fuerit, et apud idiotas hæc res singularem atque ingentem conciliatura favorem, plus fidei et fiduciam paritura, majorem obedientiam auctoritatemque datura Concilio, et omnibus quæ in eo decreta et conclusa fuerint, quod confiteri omnes necesse esset, vere liberum, et Christianum hoc esse Concilium, in quo liberi homines, liberæ linguæ et voces, libera suffragia essent; et non ad hujus aut illius nutum, aut voluntatem sententias dicere oporteret; sed ad Christum verbum, præscriptum tractare ac dijudicare omnia liceret. Certè hoc mirabilem assensum, ingenuum factum, et singularem auctoritatem Concilio ejusque reputationi daturum esset, et per hoc ita urget, et fieri adeo hæc petit princeps noster, quæ ordine enumeravimus, id non vitio sibi verti, neque in aliam, quam ipse facit, partem accipi etiam atque etiam orat: testem Deum habet, quod cuncta hæc fidelissimo et optimo animo, et affectu sincerissimo faciat, quo erga religionem et Christianam rempublicam afficitur, quodque ipsius causæ gravitas negotiique magnitudo hæc ita exigere, et requirere omnino videtur: neque dubitat, quin quicumque pii, prudentes et sapientes esis, quibus cordi et curæ est Christiana respublica, Christiani orbis calamitas et præsens rerum status, intellecturi ipsimet silis. Hæc summe necessaria esse et requiri omnino ad celebrandum vere liberum, et Christianum, atque Universale Concilium, in quo de communi salute omnium, de vera fide, vero Dei cultu, ac divini nominis sincera invocatione et veneratione tractari debet, de tollendis erroribus et abusibus, formandis moribus Christiani populi, et tam capitis quam membrorum emendatione, reparanda vera pace Eccle-

siaë, propaganda fide et regno Christi. Quare quo cuique hæc omnia sunt chariora, quo magis his quisque movetur et afficitur, quo proprius tangit quemque sua propria et suorum omnium, patriæ suæ et communis totius populi Christiani salus, pax et tranquillitas, quo magis amat et diligit quisque Deum, et Filii Dei gloriam propagare cupit, quo beatius et in hoc et in futuro sæculo vivere omnes desideramus, et majori studio, fide et diligentia in hæc quisque incumbet, et in commune consulere juretur: qua in re, et Deo omnipotenti, et toti orbi Christiano gratissimum ac vere bonum opus præstabit et vestræ vestrorumque, atque omnium salutem consulitis: quod ut fiat faxit Christus Jesus Dominus et Salvator noster, cui cum Deo Patre, et Spiritu sancto sit honor, laus et gloria in sæcula. Amen ».

17. *Instructio Pontificis circa petitiones Protestantium.* — Ad quæ omnia responsum fuit nomine sanctæ Synodi his verbis: « Sancta hæc OEcumenica Synodus audivit ea, quæ a præstantiis vestris relata sunt, et cum deliberatione omnia considerabit; ipsisque oratoribus recedentibus decernitur sequentem Sessionem indicendam esse ad diem xix mensis Martii, et in ea præter alia agendum esse de Sacramento Matrimonii ».

Consultus de impiis ac impudentissimis Protestantium postulatis Julius III Pontifex rescripit præsidibus gravissimo responso ea refellenda, atque internuntium arcanis mandatis instructum submitit, is erat Achilles Faliscorum episcopus, quem Antonio Granvellano gratia apud Cæsarem florentissimo commendavit his litteris ¹:

« Venerabili fratri Antonio episcopo Atrebatensi.

« Venerabilis frater, salutem. Cum desideremus sacri Concilii progressus ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, atque ad universæ reipublicæ Christianæ salutem et consolationem dirigi inconcussa cum serenissimo Cæsare amicitia atque conjunctione, mittimus ad ejus majestatem venerabilem fratrem Achillem episcopum Montis-Plasconensem unum ex sacri palatii nostri auditoribus locumtenentem et prælatum domesticum nostrum, nobis ob ejus doctrinam et virtutem valde charum, ut nonnulla ad hoc spectantia ejus majestati ex parte nostra exponat, quæ cum tuæ quoque fraternitatis de mandato nostro expositurus sit, fraternitatem tuam hortamur, ut ejus verbis plenam fidem præstare velit. Datum Romæ xx Februarii MDLII, ANNO III ».

18. Porro mandata arcana internuntio data subjunctis sententiis concepta fuere ²:

« Instructio circa petitiones Protestantium.

« Responderi ab internuntio decreto jussit Julius legato ac præsidibus Concilii, re in deliberationem adducta circa gravamina proposita ab oratore ducis Witlembergæ, atque alia prolata ore ab oratoribus ducis Saxonie, non modo utile et honestum, sed etiam necessarium, ut aliquod responsum iis detur, ne contemptos se dolent, atque aversionis occasionem capient, vel ne putent propositiones adeo absonas approbatas esse, vel ne putent aut metu aut imperitia servatum silentium, atque pravas suas opiniones apud populos hæresi contaminatos confirmant; utque constet apud posteros, qua ratione Concilium processerit adversus verba impudentissima, ac videri Concilium ad dandum responsum obstrictum esse, cum dixerit: Audivit omnia et cum deliberatione providebit, ac si non respondeatur, Concilium nimie moræ culpam subiturum, ac si ipsi responsum non curarent, culpam adhæsuram Concilio, non obstante progressu ad ulteriora.

« Etsi vero Pontifex respondendum iis censeat, non tamen ad singulas particulas dictorum vel scriptorum ab eis ob rationem allatam a legato, nimirum quod judex non respondet parti, ne ex iudice se partem constituat, ac ne infiniti progressus detur occasio, ac defugiatur causa dissidii.

« Visum itaque Pontifici respondendum esse circa eam partem, quæ ad jurisdictionem Concilii pertinet, quæ omni ratione conservanda, cum sit indubitatus judex in rebus fidei, et aliis expressis in litteris indictionis, quod confirmandum rationibus et usu in Ecclesia observato. Cujus consuetudinis possessionem tenet adhuc Concilium Tridentinum. In hac re Catholicos omnes censuros certum est, nec Protestantes adversus eam veritatem multum fari posse. Punctum itaque jurisdictionis et auctoritatis illustretur et confirmetur, responsumque ita temperetur, ut dum verum dicitur, paterna ostendatur charitas et cupiditas ardentissima eorum ad conjunctionem Ecclesie revocandorum, nec contumeliosus carpentur verbis, ne proterviendi occasio illis detur. Et quia legatus, ac presides, et alii Concilii Patres doctrina spectatissimi responsi condendi prudentia valent, propterea iis Pontificiam mentem patefieri sufficit, et proponi responsi formulam, cui ipsi addere vel detrudere possint, prout e re visum fuerit.

19. « Hoc peracto jussus est internuntius adire imperatorem, ac nomine Pontificio exponere illi proposita in Concilio gravamina ab oratoribus Protestantium, atque eorum impudentiam, impietatem iniquitatemque illustrare, et impugnare et refellere ea per singula capita argumentis divinis, naturalibus et humanis, ac ei significare, licet ea petita responso sint indi-

¹ Jul. III, l. III. brev. sig. num. 2888, p. 142. — ² Tom. XIII, de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200, p. 71.

gna ob eorum perversitatem, tamen visum Pontifici, ut iis pacifice respondeatur, responsique seriem illi aperire, ut agnoscat optimam mentem Pontificis pro ea Provincia ad gremium Ecclesie revocanda: obsecundasse eam votis Cæsareis, omnibus difficultatibus abruptis: Concilium traduxisse Tridentum magnis suis sumptibus et præsumptis laboribus, atque adeo maximum dolorem traxisse ex perspecto malo et iniquo animo Lutheranorum, qui in hoc principio ostenderint nullam bonam conversionis gerere voluntatem, sed in pravis opinionibus obdurescere, ac velle omne colloquium cum Concilio abrumperè, cum postulata adeo injusta obtinere non possint, aut perverso iudicio illusos sibi persuasisse posse adducere Concilium, ut iis morem gerat.

« Petentes commune Concilium ¹ hæretici, et schismatici repellendi sunt a Conciliis Universalibus, saltem, ut non habeant in eis votum, ut est auctoritas Gelasii Pontificis Canonice in c. *Cum quibus* 24 q. 3. Ubi Archidiaconus et Joann. de Turrecrem. et ad idem tendit auctoritas Bedæ in cap. *Omnis* 24 q. 1, item auctoritas Cypriani in cap. *Didicimus causa* et 9, quibus locis dicitur nullo modo communicandum esse Concilium cum hæreticis et schismaticis, quia sunt extra Ecclesiam, et adæquantur Gentilibus, ut dicit sanctus Cyprianus in cap. *Denique* 7. q. 1 ». Et infra: « Sed bene possunt admitti, ut possint interesse pro convincendis etiam pluries eorum erroribus, prout etiam interfuerunt in Concilio Lugdunensi et Florentino: dum tamen idonee promittant, se paratos stare determinationibus quæ fient in Concilio.

20. *Sessio quinta sub Julio III, salvus conductus concessus hæreticis; lis de præcedentia dirempta.* — « Celebrata vigesima quinta die Januarii Sessio quinta decima, eademque Julio tertio quinta, cui præter cæteros præsules, qui superiore anno adfuerant, novem alii præsules interfuere. Sacris vero operatus est episcopus Catanensis, orationemque habuit episcopus Majoricensis, cum vero Protestantes principes suos oratores miserint, qui de controversis fidei capitibus disceptarent, an necessaria sit ad salutem utraque sub specie communicatio, et an minus capiat qui unicam speciem accipit, et an Ecclesie decreto laicis sub unica panis specie communicatio, et an parvulis Eucharistia sit porrigenda? antequam decretoria de iis ferretur sententia, intermissa est actio concordie conciliandæ spe, ut docent Acta Synodalia.

« Cum (inquiunt) ex eo, quod proximis Sessionibus decretum fuit, ut sancta hæc et universalis Synodus per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quæ ad Sanctissimum Missæ Sacrificium et ad Sacramentum

Ordinis spectant, atque ut hodierna Sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggestisset, decreta de his rebus, et quatuor præterea articulos ad sanctissimam Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem delatos publicaret, atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum Concilium eos qui se Protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat, et ut libere ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam, sive salvum conductum concesserat; tamen cum illi nondum venerint, et eorum nomine supplicatum huic sanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierna die faciendâ fuerat, in sequentem Sessionem differatur, certa spe allata affuturos esse omnino nullo ante illam Sessionem, salvo conductu amplioris formæ accepto, eadem sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata iisdem legato et nuntiis præsidentibus, nihil magis optans, quam ex præstantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere, ac ejus quieti, paci otioque consulere parata, ipsos (si venerint) et humaniter excipere et benigne audire, confidensque eos non fidei Catholicæ perlinaciter oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos, et ut Evangelicæ veritatis studiosos decet, sanctæ matris Ecclesie decretis ac disciplinæ ad extremum esse acquieturos, sequentem Sessionem ad edenda et publicanda ea, quæ supra commemorata, in diem festum Sancti Josephi, qui erit die XIX Martii distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant non solum ad veniendum, verum etiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda, quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam, sive salvum conductum, ejus qui recitabitur tenoris et sententiæ, libenter dat et concedit. Interea vero de Matrimonii Sacramento agendum, et de eo præter superiorum decretorum publicationem definiendam esse eadem Sessione, statuit et decernit, et prosequendam esse materiam reformationis ».

21. Conceptæ præterea ampliori formula tui et liberi comæatus Syngraphæ Lutheranis oratoribus traditæ sunt, quibus concedebatur potestas libere ad civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia quæcumque ipsi liberit, ac articulos quoslibet, tam verbo quam scripto libere offerendi, proponendi, eosque Scripturis sacris et sanctorum Patrum verbis et sententiis et rationibus declarandi, astruendi et persuadendi, et si opus fuerit etiam ad objecta Concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint disputandi, Christiane aut charitative absque omni impedimento con-

¹ Tom. XIII. Conc. sig. num. 3200, p. 162.

ferendi, opprobriis, et convitiis, ac contumeliis penitus semotis, et signanter quod causæ controversæ secundum sacram Scripturam et Apostolicas Traditiones, probata Concilia, et Catholica Ecclesiæ consensus, et sanctorum Patrum auctoritatem tractentur. Contenderant illi, ut sacra Scriptura, quam in nefarios sensus pro libidine distorquebant, iudicis loco esset, sed delira ea postulata rejecta fuere a Patribus, cum surda ac muta membrana contrarios verborum sensus distinguere non possit. Cum vero Lutherani multa, vel in Congregationibus vel publicis consensibus contra religionis dignitatem dicturi facturive crederentur, ne ex paterna in eos indulgentia divinæ causæ Conciliari auctoritati præjudicaretur, subjecta sanctio¹ promulgata est:

22. « Hæc sacrosancta Synodus, etc. Ne ob disceptiones, quæ tam de personis comparantibus, mandatisque, et scripturis exhibendis, quam de loco personis assignando oriri possent, felix ipsius Concilii progressus retardetur, in hærens decreto in secunda Sessione promulgato, atque illud innovans statuit, decernit, declarat, quod si forte contigerit aliquis, qui ex dispositione juris, aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non essent, vel per se ipsos, vel per interpositas personas admitti aut recipi, vel in loco debito sedere, vel sententiam etiam sub verbo *Placet* proferre, vel congregationibus interesse, vel alios quoscunque actus facere, Concilio durante, quodque si etiam contigerit, mandata, instrumenta, protestationes, et alia cujusvis generis scripta quæcumque, quæ ipsius Concilii honorem, jus et potestatem quomodocunque læderent, seu lædere possent, recipi aut admitti, propterea non præjudicetur, neque ullo modo præjudicatum censeatur, vel intelligatur præsentis Concilio, neque Conciliis OEcumenicis generalibus in perpetuum celebrandis, cum omnis intentio hujus Concilii sit, et eo tendat, ut pax et concordia quacumque ratione, licita tamen et congruenti, in Ecclesia reducantur ».

Eo decreto sopite sunt controversiæ, quæ inter Lusitanos et Hungaros de honorificentioris loci obtinendi dignitate oriundæ erant, in eunte enim Martio pervenere Tridentum missi a Joanne rege Lusitaniæ oratores, de quibus excerptis hæc habent Acta²:

23. *Oratores Lusitani ad Concilium accedunt, et Joannis regis pietas commendatur.* — « Die quinta Martii applicuerunt Tridentum tres oratores serenissimi domini Joannis regis Portugalliæ, videlicet, dominus Jacobus Sylvius consiliarius regius, Jacobus Goveanus sacre Theologiæ professor, et Joannes Pæz juris utriusque doctor. Die XIX Martii habetur Con-

gregatio generalis, in qua illustrissimus legatus retulit Patribus advenisse oratores serenissimi domini Joannis regis Portugalliæ, eosque petere admitti et audiri a Synodo. Quod quidem omnibus placuit. Verum, cum oriretur questio de præcedentia circa locum inter eos et oratores regis Hungariæ, decretum fuit, ut pro eo actu daretur eis locus in medio aulae et regione præsidentium, in calce sedilium prælatorum. Intromissi exhibuerunt litteras infrascriptas:

« Joannes Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum rex citra et ultra mare, in Africa dominus Guinææ, navigationis, expeditionis, commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, sacrosancto OEcumenico Concilio Tridentino in Spiritu sancto legitime congregato Ecclesiam Universalem representanti, salutem dicit.

« Est tanto amplius, quod nobis Dei Optimi Maximi pietas spondet atque pollicetur ad bene sperandum, quam quod temporum asperitas objicit, opponitque ex adverso ad objiciendam spem animumque penitus deponendum, ut quanto obstructiores videntur omnes aditus ad sacri hujus Concilii conclusionem, si quis humanas rationes cogitatione complectatur, tanto faciliores exitus divina sapientia, quæ omnia fortiter attingit, sit inventura. Qua de re ipse spem concepimus maximam, et vos, patres amplissimi, ut in eam curam vehementius incumbatis; ut obsecrare obstarique non desinam, non vestræ prohibitis diffidentia, sed rei magnitudo, et mea in hoc sacrum Concilium observantia facit, quo ipse nunc mitto Jacobum Sylvium virum in primis nobilem, et propter singularem prudentiam in Patrum conscriptorum, qui mihi a consiliis esse possunt, numerum et dignitatem a me cooptatum, legatum meum, et cum eo Jacobum Goveanum sacrarum litterarum professorem, et Joannem Pæz Caesarei Pontificiique juris doctorem, legatorum meorum nomine et dignitate a me ad hanc obeundam legationem pariter exornatos, ut meo nomine omnes intersint, et apud vos agant illis de rebus, quas in mandatis habent, neque vero dubium esse mihi potest, quin meo in vos animo responderit benignitas, qua et legatos meos excipiendos, et res meas accipiendas a sacro Concilio spero. Iterum tamen atque iterum oro vos, ut suscipiat illos in vestrum patrocinium, humaniterque tractetis et omnibus illis in rebus, quas nostro nomine proponunt, non fidem modo habeatis, sed eam benevolentiam quam nostra in vos observantia pietasque postulat, adhibeatis, sacrosanctum OEcumenicum Concilium Ecclesiam Universalem legitime representans. Faxit Deus Optimus Maximus, ut feliciter sanctissimum opus prosecutionis et absolvatis, Patres amplissimi. Almerini, XIX Septembris MDLII.

« EL. REV.

« A tergo. Sacrosancto OEcumenico Conci-

¹ Acta Conc. — ² Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 160.

lio Tridentino in Spiritu sancto legitime congregato Ecclesiam universalem representanti ».

24. Responsum est Concilii nomine Lusitanis oratoribus humanissime, commendataque flagrantissima Joannis regis pietas in propaganda latius apud Indos religione Christiana, ac populi ab idolorum dæmonumque servitute ad Christi cultum traducendis.

« Responsum sanctæ Synodi in comparatione oratorum regis Portugalliæ.

« Serenissimi Portugalliæ regis Joannis litteræ, quæ recitatæ sunt, gravissimi et ornatissimi viri, cum declararint eximiam quandam regis vestri in Deum pietatem, insignem in republicam Christianam obedientiam, ac summam erga sacrum hoc OEcumenicum et Generale Concilium observantiam, Patribus maximam quidem, non tamen præter eorum expectationem, lætitiâ attulerunt, non enim ipsis modo, verum toti terrarum orbi notus atque testatus est regis vestri animus dignus ipso, et parente ejus clarissimo, et piissimo rege, ejus imitatione atque exemplo, Dei vero omnipotentis instinctu et numine, cum veram fidem orthodoxamque religionem in Orientis partibus instaurandam propagandamque curaverit. Non inistorem is tamen laudem hoc tempore meretur, qui in tam perturbato reipublicæ Christianæ statu, tantis dissidiis, tot hæresibus exortis, pia et salutaria hujus Synodi consilia adjuvare tenetur, quam in Barbaris, et idolorum cultui deditis nationibus ad veram religionem traducendis adeptus sit. Quamobrem hæc sacrosancta Synodus Deo quidem meritis agit gratias, quod tantum in ejus regis auctoritate, virtute ac animi magnitudine, Ecclesiæ suæ præsidium, calamitosis hisce temporibus constituerit: regis vero mandatum, quantum de jure potest, grate admodum et libenter admittit, vestram præsentiam, cum regis causa, tum etiam propter egregias vestras insignesque virtutes gratam semper habitura.

« Quo responso recitato, oratores ipsi a Congregatione discesserunt. Deinde cum ea dies deputata fuisset ad sessionem habendam, quæ tamen nullo modo ob multas rationes, sed præsertim ob tumultus bellicos, ob quos prælati absentes se excusabant, et præsentem recedebant, celebrari non poterat, proponitur ejus prorogatio, quæ cum ab omnibus approbaretur, prorogatur sessio ipsa ad proximas kal. Maias ».

25. *Sessio sexta : causæ et decretum suspensionis Concilii.* — Additur in Actis ¹ decretum prorogationis sessionis ob Mauritii ducis Saxonie et Alberti marchionis Brandeburgensis rebellionem, qui conflato cum Henrico Gallorum

rege fœdere in arma adversus Carolum Casarem consurrexerant.

« Sessionis vi prorogatio sub Julio III Pontifice Maximo.

« Adveniente die xix Martii, quæ pro Sessione habenda decreta fuerat, cum Sessio ipsa ob diversas causas celebrari non posset, præsertim ob absentiam Lutheranorum, qui jam in duabus proximis præteritis Sessionibus invitati fuerunt, ut ad Concilium venirent: et jamdiu antea, et toto tempore a præterita proxima, usque ad hanc diem expectati fuissent, neque adhuc nisi quidam pauci, nempe Wittembergenses et Argentinenses comparuissent, assererentque retineri ob tumultus bellicos in Germania ortos, cum scilicet Mauritius dux Saxonie elector, et Albertus marchio Brandeburgensis, electoris frater, cum quibusdam aliis ejusdem sortis hominibus seditiosis, et rerum novarum cupidis, ac publicæ quietis turbatoribus contra Casarem eorum dominum insurrexissent ac rebellavissent, inito fœdere cum Henrico Gallorum rege, et jam arma capere et bella movere cepissent; ob quas novitates et tumultus, tam Catholici quam Lutherani ipsi, cum adhuc res quo tandem tenderet, an videlicet alii principes vel civitates cum eisdem novatoribus adhæsisent, in suspense essent, omni æquitati et rationi consonum, statimque tunc præsentis temporis expedire visum est, ut pro eo tempore a progressu Concilii, donec earum rerum eventus dilucidius appareret, supersederetur, quare a sessione præterita usque ad hunc diem ab omnibus actibus conciliaribus cessatum fuit. Cæterum quoniam hodierna dies pro sessione ipsa (ut demonstratum est) deputata erat, et sessio ipsa cum haberi non posset, proroganda videbatur, et id in Ecclesia Cathedrali de more fieret; quod absque Concilii nota esse non potuisset, quasi sæpius in Ecclesiam absque publicatione decretorum inaniter iretur, convenientissimum multis rationibus videbatur, ut prorogatio ipsa in Congregatione ipsa generali decerneretur. Quapropter habita ea ipsa die xix Martii Congregatione omnium Patrum, postquam admissi fuerunt oratores serenissimi Joannis Portugalliæ regis, qui paulo ante Tridentum applicaverant, prorogatio ipsa communi consensu ad futuras kalend. Maias decreta fuit.

« Tonante belli Lutherani fragore, trepidatum est Tridenti, ne hostes ad opprimendos Patres conjurassent, territice plures Germani præsules ad suos principatus ab hostium tyrannide vindicandos discesserent, nonnullique alii temporum iniquitate permoti, cum jam Augusta a Lutheranis fuisset occupata, Concilium abrumpendum censuerunt, necnon Pontifex de his certior factus, missis ad Concilii præsides litteris, differendum in tempora commodiora decre-

¹ Angel. Mass. in Actis Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 123.

vit, atque ex eventu suspendendum, de quibus hæc Acta ¹ subjungunt :

« Causæ suspensionis Concilii.

« Rebus Concilii sic stantibus, bella in dies magis magisque in Germania sævire incipiunt, Mauritio duce Saxonie electore, cum nonnullis aliis principibus contra imperatorem arma sumente, et jam Augusta Vindelicorum occupata, OEnipontem, ubi Cæsar inermis erat, properabat. Quo ita perterriti sunt Patres, ut quotidie multi Tridento recederent, nulla etiam petita licentia, tanquam id sibi jure ex imminente notoque periculo liceret, nec longe aberat, ut Concilium dissolveretur. Quod ut primum summo Pontifici innotuit, consultius pro rerum et temporum conditione suspensionem faciendam censuit, eamque fecit die xv April. » De hac meminere Acta ² Consistorialia subjectis verbis :

« Romæ die Veneris sancto, xv April. MDLII, ante celebrationem divini officii fuit facta Congregatio generalis reverendissimorum, in qua sanctissimus dominus noster de eorumdem reverendissimorum consilio et assensu, Concilium Tridentinum inchoatum ad sanctitatis suæ beneplacitum suspendit, et suspensum esse voluit ». Editæ sunt de ea re Pontificiæ litteræ, quas subjectis verbis conceptas affert Angelus Massarellus :

« Dilecto filio Marcello fil. Sancti-Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis ad Concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano archiepiscopo Syoutino, et Aloysio episcopo Veronensi, nostri et ipsius Sedis ad in dicto Concilio una cum Marcello cardinale et legato nostro præsidendum nuntiis, et eorum cuilibet, etc.

« Cum intellexerimus nuper ex multorum fide dignorum litteris excitatos fuisse in Germania non leves armorum tumultus, et sacri Romani imperii electores, nonnullosque alios, tam Germanicæ quam aliarum nationum prælatos istinc discessisse, vosque et ceteros, qui remanserunt in magna etiam trepidatione et periculo constitutos; anxii profecto eramus, et molesti pleni verebamurque ne istud Concilium (quod magnos fructus, tum labefactatæ religioni, tum periclitanti Germaniæ aliquando allatum sperabamus) violenter fere, et cum magno Christianæ reipublicæ scandalo dissolveretur. Quamobrem communicato hodie negotio cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, atque mature discusso, nullum aliud præsentius, tutius et salutaris remedium instanti necessitati adhiberi posse judicavimus, quam dictum Conci-

lium, sive ejus prosecutionem ad aliquod tempus suspendere, minime dubitantes, Christianos principes, vosque et reliquos Concilii Patres id boni consultoris atque gratum habituros esse : quapropter motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu Concilium ipsum, ejusque prosecutionem ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus ». Et infra : « Et quoniam intentionis nostræ est, ut nihil interea omittatur, quod ad placandam Dei iram per morum emendationem et reformationem pertineat, idcirco volumus, ut vos, vel duo, aut unus vestrum reliquis absentibus vel impeditis, istos venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos ex parte nostra per Domini nostri misericordiam hortemini, ut eorum aliqui ex qualibet ratione, qui commode id facere poterunt, ad nos se conferre velint, quo eorum opera et consilio cum reformationem aggrediamur, quæ populo Christiano salutaris, et ipsi Concilio (cum divina opitulante gratia resumetur) grata esse possit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xv Aprilis MDLII, Pontificatus nostri anno III ».

Perlectæ non sunt publicæ a principibus Concilii litteræ, ne ea occasione controversia de Concilii Pontificisque auctoritate recrudesceret; quare Concilium interrumpi ab ipsis Concilii Patribus conjuncta Pontificis auctoritate satius visum est, ut tradunt eadem Acta :

« Præsidentes autem eas litteras in Concilio minime publicare voluerunt : nam cum animadvertent nonnullis ex Patribus haudquam æquum videri, ut suspensio a summo Pontifice absque Concilii consensu, vel consilio decerneretur, quieti et unioni consulentes, utque difficultates, quæ jam oriri cœperant, et imminere videbantur, submoverentur, nihilque referre existimantes suspensionem ipsam, vel a Pontifice solo, vel a Concilio, suæ Sanctitatis nihilominus auctoritate, quæ in ipsis præsidentibus erat, decerni; annuerunt, ut suspensio fieret, nulla habita mentione litterarum summi Pontificis.

26. « Die Dominica xxiv Aprilis in Ecclesia Cathedrali, cum ob gravissimam agritudinem illustrissimi legati in aula consueta fieri non posset, habetur congregatio generalis, in qua R. D. secundus præsidens proposuit Patribus difficultates, quæ Concilii celebrationem impedire videbantur, bella scilicet, cum in aliis locis, tum præcipue in Germania vigentia : præsertim vero inquires, cum Germani Protestantes, qui jamdiu expectati sunt, et ita benigne cum eis actum est, ut omnes eorum petitiones concessæ fuerint, non solum ad Concilium minime se venturos affirmant, sed illud publicè diversis modis detestantur, parvipendunt, illudunt.

¹ Ms. arch. Val. sign. num. 3191. p. 162. — ² Acta Cons. Ms. arch. sig. num. 131. p. 83.

Quare sibi videri statuit, et conditioni temporum convenire, ut suspensio Concilii fieret: rogatisque Patrum sententiis major pars proposita ab ipso presidente laudavit, Conciliumque ad biennium suspendendum censuit. Eligunturque ad decretum super ea re conficiendum RR. DD. Panormitanus, Granatensis, Calaritanus, Sancti-Marci, Cathaniensis, Sylvensis, Auriensis, qui convenientes die sequenti decretum ipsum condiderunt. Habitaque die xxvi Congregatione generali¹, illud examinandum proponitur; significaturque Patribus Pontificem cupere, ut suspensio Concilio aliqui Patres ex qualibet natione ad sanctitatem suam se conferrent, ut eorum opera et consilio in reformatione facienda uteretur: cumque super his sententiæ rogatæ fuissent, missio prælatorum ad Urbem a paucis approbatur².

27. XXVIII Aprilis Sessio sexta, quæ ultima fuit sub Julio III Pontifice, ob imminens a Lutheranis discrimen ante indictum tempus celebrata est, cum Mauritius Clusam arcem, quæ inexpugnabilis credebatur, impetu inopino expugnasset, ut narrant Acta²:

« Sessio VI. De suspensione concilii, et ejus causis.

« Decreta prorogatione Concilii suprascripta, etsi Patres ipsi parati essent omnes labores et incommoda libenter subire, ut saltem cunctando rem Germanicam in pristinam pietatem et religionem restituerent, bello tamen in dies magis magisque multis in locis, ac præcipue in ipsa Germania crudelius sæviente, omnis celebrandi Concilii spes adimebatur. Interea Mauritius dux Saxonie Augustæ civitatem occupat, ejusque viribus mirum in modum auctis, Cæsari atque Catholicis omnibus majorem quotidie timorem incutit; qua ex re prælatus præter id quod Tridenti absque fructu jam per multos dies otiosi permanerent, parum admodum tuti sibi in ea civitate amplius commorari posse videbantur, accedente præsertim fama, quæ omnes adjacentes regiones impleverat, Mauritium ipsum propediem propugnaculo quodam, quod inter Augustam et Oenipontem est, expugnato, Oenipontem ipsum properare ad imperatorem impetendum: quod ubi eveniret, nullus remansisset locus tutus ab Oeniponte Tridentum. Quo timore ita perterriti sunt prælatus, cæterique Conciliares omnes, ut quotidie multi Tridento discederent, nulla petita licentia, tanquam id sibi ex imminenti omnibus noto periculo jure liceret, ex qua quidem Patrum secessionem Concilium ita imminuebatur, ut propediem dissolutio indubie expectaretur, quod cum Patres qui Tridenti perseverabant, animadvertent, considerantes nihil Ecclesie Dei magis officere posse, quam disso-

lutionem ipsam, consultius, pro rerum et temporum opportunitate suspensionem faciendam censuerunt: quare xxviii mensis Aprilis ipsius anni MDLII, habita publica Sessione suspensionem ipsam decreverunt edito infrascripto decreto:

28. « Sacrosancta OEcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsentibus in ea reverendissimis dominis Sebastiano archiepiscopo Syontino, et Aloysio episcopo Veronensi Apostolicis nuntiis, tam eorum proprio, quam reverendissimi domini Marcelli tit. Sancti-Marcelli sanctæ Romanæ Ecclesie cardinalis Crescentii legati, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis nomine, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc Concilium OEcumenicum Tridentinum primo a Paulo III felices recordationis convocatum et collectum fuisse, deinde a sanctissimo domino nostro Julio III, efflagitante Carolo V augustissimo imperatore, ea præcipue de causa restitutum, ut religionem in multis orbis partibus, præsertim in Germania in diversas opiniones miserabiliter distractam in statum pristinum revocaret, abusus et mores Christianos corruptissimos emendaret, cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres nulla laborum suorum, periculorumque habita ratione e diversis regionibus alacriter confluisissent, resque strenue magno fidelium concursu feliciterque procederet, ac spes esset non levis illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in Concilium venturos, sic animatos, ut veris Ecclesie rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quædam rebus affulsisse videretur, caputque attollere inciperet profligata et afflicta respublica Christiana, ii repente tumultus et bella hostis generis humani versuta exarserunt, ut Concilium velut hæere ac cursum suum interrompere satis incommode cogeretur, spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur, tantumque aberat, ut sancta Synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes præter sui animi sententiam irritaret potius quam placaret. Cum igitur ipsa sancta Synodus omnia, et præcipue Germaniam armis ardere et discordiis videret, et omnes fere episcopos Germanos, præsertim principes electores suis consulturos Ecclesiis et Concilio abiisse, decrevit tantæ necessitati non reluctari, et ad meliora tempora rejicere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, sui omnibus prospecturi ad suas Ecclesias regredi valerent, ne diutius inutili otio utrobique conterantur, atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, hujus OEcumenici Concilii progressum per biennium suspendendum fore decrevit, prout præsentis decreto suspendit, ea tamen lege, ut si citius pacata res sit, ac tranquillitas pristina revertatur (quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio

Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 165. et aliud sig. num. 3212. p. 125. — ² Ang. Mass. in Actis Conc. Trij. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 125.

non longo forsàn spatio futurum) ipsius Concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censetur; sin autem (quod Deus avertat) peracto biennio, præstila legitima impedimenta non fuerint submota, cum primum cessaverit talis suspensio, eo ipso sublata intelligatur, ac suus vigor et robur Concilio sit restitutum, et esse intelligatur, sine alia nova Concilii convocazione, accedente ad hoc decretum consensu et auctoritate Sanctitatis suæ et sanctæ Sedis Apostolicæ. Interea tamen eadem sancta Synodus exhortatur omnes principes Christianos et omnes prælatos, ut observent, et respective, quoad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominis et Ecclesiis omnia et singula, quæ per hoc sacrum OEcumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta et decreta ».

Iis addit Angelus Massarellus ¹ : « Super quo decreto, rogatis Patrum sententiis, ab omnibus responsum est simpliciter per verbum *Placet*, exceptis infrascriptis, qui responderunt ut sequitur : R. D. archiepiscopus Turritanus legit ac exhibuit cedulam infrascriptam ² :

29. « Cum hoc sacrum OEcumenicum Concilium ante tot annos a toto Christiano orbe desideratum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad extirpandas hæreses, tollenda schismata, reformandos mores, pacemque inter Christianos principes componendam fuerit convocatum, neque post ejus convocacionem fuerit adhuc satisfactum, nêdum omnibus, sed ne plene alteri ex causis, propter quas convocatum est, præsertim reformationis necessariæ abusu, unde mala omnia, quibus vexatur Ecclesia, et orta esse, et confoveri apertum est; nos infrascripti archiepiscopus et episcopi, conscientiarum testimonio compulsi, huic decreto suspensionis Concilii cum omnibus in eo contentis tam primo quoad substantiam, quam quoad formam, contradicere decrevimus, prout de præsentibus contradicimus et repugnamus, tum quia causæ suspendendi, quæ in eo assignantur, bella scilicet et Germanici tumultus, quos brevi sedatos iri et componi vel in ipso decreto sperari dicitur, non usque adeo videntur urgere, ut sit propter eos a prosecutione Concilii cessandum, saltem in his, quæ ad reformationem attinent, quinimo ad sedandas principum discordias aptissima via est Concilii convocatio et continuatio; tum quia dicta suspensio magis dissolutionis, quam justæ, moderate aut necessariæ suspensionis spem præferre videtur: neque enim, etsi cætera difficultates non deerunt, quas timere nos docuit experientia, tam celebris prælatorum conventus tam diversis remotisque Provinciis haberi facile non poterit, nec deerunt

impugnatoribus Catholicæ Ecclesiæ occasiones ad serenda atendaque bella ac discordias, quibus hujus Concilii, cujus nomen apud eos tam est odiosum, reassumptionem impediunt, ac ludificent, quod nunc eos conari vanisque rationibus tentare vidimus; si præsertim viderint conatus hujusmodi prospere eis cedere, nosque eo adgesse, ut ab incepto cessaverimus, præterea urgeret nos ingens scandalum, certa que hæresis confirmatio, quam ex tali ac tam diuturna suspensione, necdum ipsis Ecclesiæ adversariis, sed Catholicis plerisque offensionem orituram esse manifestum est, cum Dominicam publicamque causam deseri non alia ratione, quam persecutionum metu, laborum impatientia, et (quod pejus est) causæ ipsius et divini auxilii desperatione opinabuntur, cum in tuto loco ab omni bellica injuria remotos esse viderint, ubi cum alias non minus periculosa bella gerentur, nihilominus ipsa Synodus fiducialiter in divino hoc opere perseverare debet, quod inficiari nec nos ipsi possumus.

« Cum itaque e manibus nostris eripiendæ sint animæ, quæ periturae sunt, per subtractionem hujus salubris remedii, aliisque de causis conscientias nostras moventibus, huic decreto non contradicere non possumus, imo etiam contradicimus, et quantum possumus absolute repugnamus. Ne tamen in omni consilio dissentienti rationem querere videamur, neve abhorere credamur a suavi rerum dispositione, cum et nos difficultatem temporum, recessumque prælatorum Germanicæ nationis fere omnium rationem aliquam habendam esse non improbemus, petimus, ut si quando viam, quam hactenus tenuit hæc sancta Synodus, Sessionem ad proximas kalendas Maii indictam ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque dicet, qui ita peremptorie interpellet, ut alia convocatio, declaratio aut intimatio minime sit expectanda, quo magis ad hunc locum Concilii omnes prælati convenire possint, addentesque nihilominus, quia, si infra dictum terminum prædicta impedimenta cessaverint, curet Sanctitas sua prælatos omnes ad prosecutionem Concilii advocare, quos interim ad proprias Ecclesias remeare, si libeat, licebit.

« Ultima vero decreti verba placerent, ubique, si absque his verbis, quantum ad eos de jure spectat, publicetur, quæ litium occasio videtur. Quæ quidem omnia ita et non aliter fieri debere protestamur: si secus fiat, nullum nobis nec sanctæ Synodo præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus decreti suspensionis publicationem, quam ob quemcumque alium actum, factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quascumque personas contra hujus OEcumenici Concilii auctoritatem et potestatem, Conciliorumque OEcumenicorum omnium. Petimus insuper ab

¹ Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 106 Anz. Miss. in Act. Conc. Trid. in sess. VI. sub Jul. III. — ² Ms. card. Pa. to. LXIV. p. 215.

hujus Synodi notario, ut hanc nostram schedulam contradictionis, attestationis et protestationis in Acta Synodi una cum decreto inserat, indeque ipsi, vel alii nobis unum vel plura authentica Instrumenta exhibeant. Cui schedulæ adjecta fuere hæc præsulium nomina :

« S. archiepiscopus Turritanus, Joannes episcopus Castellimaris, Joannes episcopus Lancianensis, M. episcopus Elnensis, Franciscus episcopus Pacensis, Joannes episcopus Tudenensis, Alvarus episcopus Venusinus, M. episcopus Guadicensis, Alvarus episcopus Pampelunensis, P. episcopus Astoricensis, Petrus episcopus Civitatensis; a quibus nihilominus (excepto Venusino) dantur etiam schedulæ, tenoris qui sequitur : Non placet decretum, sed sum in sententia reverendissimi archiepiscopi Turritani, cui me subscripsi et subscribo. Contradixit etiam episcopus Calagurritanus verbo tantum. Sunt igitur, qui contradixerunt duodecim, qui vero decretum approbaverunt quadraginta quinque : omnes enim Patres erant numero quinquaginta septem, ut inferius describuntur, quare R. D. secundus præsidens decretum ipsum approbatum et conclusum esse alta voce pronuntiavit, atque declaravit : de quo requisiti per D. promotorem protonotarii et notarii, ut publica documenta conferrent, omnes recesserunt ».

30. *Bellum movent in Carolum V Lutherani auxilio Hevrici II, Galliarum regis.* — Tantus mense Maio hostium terror invasit omnes, audita Clusæ expugnatione et fuga Cæsaris, ut non modo Tridentini Patres, sed etiam cives ipsi in fugam se conjecerint, ac legatus cardinalis Crescentius, aucto ex fugæ incommodis morbo, Veronæ extinctus sit, ut narrat Angelus Massarellus¹ :

« Suspensione facta, et licentia prælatis abeundi concessa, Patres quamplures statim Tridento recesserunt : nonnulli ob privata comoda per aliquot adhuc dies ibidem immorabantur. Quidam vero, eo quod æquo animo ipsam suspensionem non tulerant, ac propterea Tridento minime recedendum esse arbitrabantur, cum ecce (la Chiesa) oppidum (quod propugnaculum est inter Augustam et Ænipontem) a Mauritio occupatur, indeque cum suis copiis Ænipontem ipsum, ubi imperator erat, proficiscitur. Qua de re Cæsar ipse, cum inermis esset, ex eo loco recedere coactus est, iterque per Carinthiam habens, Villachi oppidum petit. Mauritius interea Æniponte politur, Tridentumque (ut qui nihil Concilii nomine infensus haberet) jamjam proficisci ferebatur. Qui timor ita omnes Tridenti commorantes invasit, ut una vel altera die nemo fere, neque ex Patribus, neque incolis in ea civitate permanserint; uno-

quoque rebus suis fuga vel ad altiores montes, vel densas sylvas aut maritima loca, seu finitimas civitates, confugiente. Reverendissimus autem et illustrissimus dominus cardinalis Crescentius, sacri Concilii legatus, etsi gravissima febris ac dissenteria, quibus jam a vigesima quinta die mensis Martii præteriti perpetuo laboraverat, defineretur, coactus est tamen et ipse Tridento recedere : quod fecit die Jovis vigesima sexta præsentis mensis Maii, secundoque flumine Veronam versus adnavigavit : quam civitatem die Veneris subsequentis mane circiter hora XII intravit. Ingravescente vero continue magis ejus morbo, tandem sicuti Altissimo placuit, die Sabbati XXIX dicti mensis Maii ejusdem anni MDLII in ea civitate obiit. Cujus corpus postea Romam delatum est, ac in templo Beatæ Mariæ de Rotunda, Pantheon dicto, honorifice tumulatur. Talis igitur fuit exitus Concilii Tridentini post ejus suspensionem, quæ facta fuit XXVII Aprilis MDLII, sub Julio III Pontifice Optimo maximo ».

Hæc Tridentini Concilii dissolutio innumerablem animarum clades attulit, nam hæresis latius propagata est, ejusque faces in Galliam illatæ ex Gallico cum hæreticis fœdere : infelicissime etiam Pontificis et Cæsaris arma circa Parmam distracta fuere, cum animadversa impudentissima Lutheranorum adversus Patres Concilii pervicacia, ad eos perdamandos conjungi debuissent, nimique in hæreticis positæ fiduciæ, jactatarumque adversus Gallorum regem minarum pœnas Cæsar dedit.

Agunt de hoc bello exitiali, quo religio Christiana maximum accepit vulnus, ac spes delendæ hæreseos, ac tot populorum ad salutis tramitem revocandorum excisæ sunt, omnium gentium historici, e quibus Sarius hæc refert :

« Anno MDLII, Germanicum in Cæsarem bellum suscipitur, Galliæ rege cum Mauritio et aliis quibusdam sese conjungente, et defensore Germanicæ libertatis se palam scribente ». Multis interjectis addit : « Scriptum istud Galliæ regis typis fuit excusum lingua populari, et in fronte præferebat pileum inter duos pugiones, subtilis erat titulus regis, qui se libertatis Germanicæ et principum captivorum vindicem appellabat : sunt qui dicant hoc symbolum repertum in antiquo Numismate, et ab illis, qui Julium Cæsarem occiderunt, usurpatum. Historici interdum scribunt servos ad pileum vocatos, hoc est, ad libertatem, cujus insigne est pileus. Jam ante dixi multos fuisse admiratos, quod ille rex, qui diceretur Christianissimus, eos principes ex Cæsaris Catholici manibus vi extorquere voluit, qui essent Lutheranorum præcipui patroni, cum tamen ipse in suo regno, hoc ipso fere tempore decretum severissimum in Lutheranos promulgasset ». Noluit scilicet regnum suum hæreticorum factionibus lace-

¹ Tom. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 209.

rari; dissidia vero in Germania alere voluit ad potentiam Cæsaris infringendam.

31. Ut vero Cæsar a Mauritio principe Albertoque, maximis beneficiis affectus, illusus sit, describit memoratus auctor: « Cæsar, nedom quidquam comperti habuit de Mauritii machinationibus, quippe qui omne studium Cæsari per litteras et legatos polliceretur et etiam legatos suos ad Concilium mitteret; Cæsari quoque persuaderet milites ob non soluta stipendia tumultuari, cum tamen ejus sacramento tenebantur. Hæc quidem in illo principe, quem Cæsar maximis auxisset honoribus et beneficiis, minime probantur. Nam et laudatissimi liberationis nihil opus erat tam pernicioso bello, quo Germaniæ plerique principes dirissime afflictæ, civitates magna damna perpassæ sunt. Norimberga in primis, cui Albertus Brandeburgicus, Mauritii socius, tantum damni dedit, quantum credi vix queat, et quo denique latius serpente, ipse Mauritius florente ætate extinctus est. Si accessisset ad Cæsarem, ut et se facturum dixerat, et Cæsar per litteras petebat, haud dubie illius animum flexisset, et landtgravium longe faciliori via liberasset. Sed non una landtgravii captivitas, verum multo magis, ut est verisimile, importuna Lutherianorum dogmatistarum instantia eum ad hoc bellum Cæsari præter omnem expectationem faciendum induxit.

« Cum Tridentum crebris nuntiis de bello fama allata esset, paulatim Concilii Patres domum abeunt, neque enim tutum erat cum armato milite de religione disceptare. Ita tot Cæsaris conatus, tot sumptus et labores eo importuno bello perierunt. Jam Mauritius cum exercitu progreditur, prius tamen ad ordines imperii scribit, facti sui rationem reddens. Cæsarem (non tamen nominatim) acerbè perstringit, et moderatissimo principi multa impingit, quæ in illum minime quadrant. Apparet illas litteras non a Mauritio, sed ab aliquo impuro apostata, vel Melancthone præsertim conscriptas, quod ad primam etiam partem attinet, ita altera agit de landtgravio, ubi rursus imputat Cæsari, licet oblique, studium arripiente monarchiæ ».

Conflatum itaque est gravissimum bellum adversus Cæsarem hinc a Gallorum rege, qui educto e Galliis florentissimo exercitu Tullum, Virodunum ac Melim, claras imperii urbes, invasit, Lotharingiæ, transmissis in Gallias puero duce, jura dedit. Melensium vero calamitatem plerique divinitus inflictam putavere, cum Lutherana pestis late cives corrupisset, quibus impii libri a Galliis crepti, atque incendio traditi fuerunt. Pertentavit Argentinam Gallia rex, sed cives, Metensium, qui se dediderant, exempto admoniti, ad vim repellendam se accinxere, Germanicæque libertatis simulatum vindicem Germanicæ urbes sub jugum mitten-

tem, retro signa vertere coegerunt, maxime cum Belgæ, duce Rossemia, in Galliam irrupissent, fœdamque Campaniæ inferrent vastitatem.

32. Parte alia Mauritius, Augusta subacta senatuque mutato, Ulmam tentavit frustra, obviisque urbibus in deditionem acceptis ad opprimendum incautum Cæsarem provolvit; inque montium faucibus arce munatissima, quæ inexpugnabilis credebatur, cui Freburgum nomen est, intercepta, inopino casu pastoris fugientis notosque sibi calles percurrentis indicio, tantum terrorem incussit Cæsari tam nefandæ conjurationis ignaro, ut OEniponte ubi periculi ignarus agebat, noctu præcipiti fuga cum paucis et suis imparatus se proripuerit, subduxeritque in Carniam, inque obviam Venetorum auxilia incurrens tantum pavorem concepit, ut ægre ex eo, de optima amicorum voluntate certior factus, se colligeret. His adversis attrita est admodum Cæsaris valetudo, ut scribit Surius: « Ita nec opinato a tam multis non uno loco hostiliter appeti, et jam prope in ipsas hostium manus incidere: tam est humane infirmitati molestum, ut non pauci etiam ex longe minoribus casibus legantur subito vel apoplexia vel alio morbo extincti, et est verisimile Carolo Cæsari hanc inopinatam persecutionem non paucos vitæ annos detraxisse, quamquam nec illi diu supervixerunt, qui in eum tam hostiliter incurrerunt ». Occupato OEniponte eadem die, qua discesserat Cæsar, Mauritius, cum intercipiendi Cæsaris spem amisisset, veritus ne a Cæsare, conquisitis undique auxiliis ac instructo exercitu everteretur, ad pacis consilia mentem flexit, ac primum a Ferdinando rege Lincii in colloquium pellectus est; cumque sine sociis pacisci posse negaret, extracta est concordia actio, indictique solennes conventus Passavii, in quibus Mauritius Cæsari conciliatis copiis in Hungariam adversus Turcas transmisit, scripulisque Gallo regi undecimo die Maii litteris Gallico fœderi abrenuntiavit, Lutheranos vero concionatores proscriptos a Cæsare Augustam revocavit, ita enim se libertatem Germaniæ reslituisse sibi persuasit. Sed, o miseram libertatem, quæ Sathaniæ mancipat hujus libertatis cupidus atque assertores! Narrat enim Surius, cum in Palaviensibus castris disquireretur, in quibus violata esset Germanica libertas, decretum fuisse, ut religionis causa nemini molestia fieret, donec lis omnis composita foret, ac landtgravium liberatum, Saxonemque e carcere a Cæsare dimissum fuisse.

33. Ingrata ac permolesta fuit ea concordia tum Henrico Galliæ regi, tum Alberto Brandeburgico, atque adeo ab iis repudiata; et quidem Albertus Brandeburgicus, cum jam ante a Wolfgango Theutonici Ordinis magistro post vexatam directionibus et variis cladibus ejus

ditionem insignem pecuniæ vim extorsisset, æque in Lutheranas urbes atque in episcopos avaritiam crudelitatemque exerevit. Norimbergensem agrum depopulationibus incendiisque atrocissime fœdavit, atque a civibus demum ducenta aureorum millia abrasit, abstraxitque tormenta sex bellica majora; Bambergensem et Wirzburgensem episcopos ad pacem ab eo redimendam adegit, Wormatiam Spiramque occupavit, Francfordiam Ulmamque fatigavit bello, Moguntium Trevirosque invasit, totque oppida delevit spoliavitque, ut vere Germaniæ flagellum crederetur. Cumque Lutherani ob pecunias Romam sacerdotiorum causa exportari solitas in Romanum Pontificem, ut Germaniæ spoliatorum declamare sint soliti, tot et tanta damna ab ipsis Lutheranis Germaniæ illata fuere violatæ religionis causa, ut eæ pecuniæ Romam exportari solitæ pro nihilo habendæ sint: denique Albertus spoliata Germania, cum de stipendio cum Galliæ rege disceptaret, a Cæsare illius arma in Gallum avertere meditante in gratiam admissus est; nec audite sunt a Germanis Lutheranis, Cæsaris et Concilii metu jam levatis Gallorum regis preces, quibus eos in fœderis sui fide continere confirmareque in rebellionem nitelatur.

34. Extant enim Henrici II regis Gallorum litteræ ad Germaniæ principes¹, quibus repetita veteris inter Gallos et Germanos amicitiae memoria, insinuat se præteritis mensibus postulatum fuisse a nonnullis principibus Germanis, ut eorum libertatem a vi et tyrannide Austriacæ familiæ vindicatam tueretur, ad quam asserendam, captosque principes liberandos arma ceperit, ac non exercitum modo, sed etiam vitam discriminibus objecerit, secundo successu, adeo ut principes liberati e carcere fuerint, ac præsidia Hispana ex urbibus Germaniæ deducta, gravioraque Cæsaris imperia conversa in amicas preces, nec jam novam rerum conversionem metuendam, cum imperator difficillimo implicitus morbo decumbat, jamque Gallicis armis Austriacum jugum e Germanorum cervicibus depulsum: tanti itaque beneficii ut memores sint rogat, nec patiantur quidquam in Ordinum comitiis adversus Galliam decerni. Imperatorem multa quidem agitare consilia adversus Gallos, ut vindictam repetat ab iis principibus, qui erga eos studium regium explicuerint, indeque asperatas ejus iras, quod præcisas spes exercendi in Germania liberi domini, vel saltem delect inducere jam non posse filium in successionem hæreditariam imperii, maximo tot principum antiquissimæ nobilitatis damno, abjectaque imperii adversus Turcicam vim defensione, belli molem in Galliæ regnum converterit, ipsos itaque tanquam præcipua imperii membra hortatur, ne

illius voluntatibus consentiant, neve ulla auxilia aut præsidia ipsi adversus Galliam decernant, ut alias in Spirensi conventu inique decreta fuere, unde innumera mala in Germaniam redundarint: moliri Cæsarem principum vires infringere, ut cum debilitati fuerint, eos in gyrum mandatorum suorum agat, nec posthac iidem principes in comitiis tueri sua jura, seque ab injuriis imperatoris vel administratorum ejus vindicare possint: sola pietate se permotum ad infringendam ejus vim ac tyrannidem: ab omni verisimilitudine alienum esse, quod prætexit: se tanquam imperii patrem huic bello accingere, ad Metim, Tullum ac Virodunum recuperanda, hæc enim aliena ab omni jure, cum eæ urbes olim Gallicæ fuerint dilionis, atque in fœdere cum principibus inito comprehensæ sint, ob dignissimos respectus, ac bonum publicum ipsius imperii, atque adversus vim Austriacæ domus, imo ne everlatur imperium, vel ne aliquo damno afficiatur; illum ad effundendum animi furorem et instabilem ambitionem satiandam has inimicitias suscepisse, ac Germania Turcicæ prædæ exposita minaces iras in Galliam convertere, nec tamen alium fructum, quam insignis pudoris, ac damni relaturum meminerint; itaque datæ fidei ab eorum oratoribus in castris regiis prope Visimburgum sint memores, nec hosti auxilia ulla conferant; certiozem vero se factum promissa ab iis auxilia Cæsari, atque consensisse ut per eorum terras in Galliam irrumperet, quod si permiserint, cum ditiones Galliæ finitimas teneant, ullionem ab iis repetendam intentat. « Dat. Rhemis XII Novembris MDLII ».

35. Porro Henricus Galliæ rex, specie tuendæ libertatis Germanicæ, Tullo, Viroduno ac Meti potius, ut diximus, rejectusque ab Argentinensibus, Luceburburgensem ditionem invaserat, atque Damvillerium, Yvodumque (capto in eo Mansfeldio comite) subegerat, a quo captas urbes imperii repetiturus. Cæsar vero pacalis Germaniæ turbis, permissaque Lutheranis impie sentiendi contra fidem licentia, florentissimo exercitu collecto, inmissisque in Galliam Belgicis copiis, atque Illidino expugnato, importuno maxime tempore vigesimo secundo Octobris Metim obsedit, medioque Novembri pervenit in castra, ac licet omni conatu et impressione irrumperere in urbem assidua tormentorum bellicorum diverberatione quassatam pertentaret, fracti sunt ejus impetus virtute Guisii ducis, cujus frater Aumalius initio in eruptione ab Alberto captus fuerat, sævientibusque in exercitu Germanico frigore morbisque epidemicis, exeunte Decembri, Cæsar obsidionem solvit, relicta sauciorum, frigoreque ac fame pereuntium misera multitudine, quæ sequi castra non poterat, quam Guisius exaggerata Christiana pietate præditus non confecit, sed refecit, refectamque

¹ Ms. card. Spade sig. num. 137. p. 202.

libertate donavit, cujus virtutem Surius ¹ his verbis commendat : « Guisius princeps, qui urbe aut vulneribus ne exercitum sequi possent, impeditos, usus est humanitate et liberalitate, benigne eos recipiens, et rebus omnibus necessariis adjuvans. Fuit sane hoc facinus Christiano principe dignum, et merita apud omnem posteritatem laude celebrandum. Certe idem ille princeps religionis Catholicæ fuit constantissimus propugnator, quæ res illi tandem mortem concivit ». Habitis a Guisio solemnibus supplicationibus, inquit Thuanus, « Postridie Lutherani libri per urbis domos diligenter conquiruntur, et Guisii jussu palam a carnifice cremantur ».

Exceptus est tot adversis Cæsar cum acerbis ageret cum Gallo, nec illius amicitiam ad excindendam hæresim pernecessariam cum aliquo rerum suarum damno, quod longe majore compendio resarcitum fuisset, compararet, affectateque in Galliam tyrannidis suspicionem non removeret, quanta autem infelix illa inter Cæsarem Gallumque æmulatio Christiano imperio mala invexerit nulla mens capere potest, nec oratio exprimere, cum inde disturbatum Concilium, hæresisque confirmata fuerit.

36. *Rex Lusitaniæ pro pace cum Octavio Farnesio scribit Julio, a quo responsum benevolentiae plenum accipit.* — Cum vero hæc ultima bella duxissent originem ex Octavii Farnesii ducis defectione, Lusitaniæ rex publicæ pacis et Christiani imperii quietis amplificationisque sollicitus, præsentiens imminetia mala, Pontificem ad redintegrandam cum Octavio et Gallorum rege, qui ejus clientelam arripuerat, concordiam sollicitavit. Cui respondit Julius alende pacis amore illius perturbatori ac perduelli Octavio motum bellum, imploratumque Cæsarem in eum auxilium : verum Octavium accersitis Gallicis copiis obduruisse in pertinacia, vexatumque ab his hostili populatione agrum Bononiensem : ac se Gallorum regis respectu benevolentiaque in eum insita propensione, Octavium, si redierit ad officium, Parmamque recepto Camerino Ecclesiæ restituerit, illum in gratiam admissurum ² :

37. « Regi Portugalliæ.

« Charissime, antequam Deus nos ad Pontificatum vocaret, et post nostram etiam ad illum vocationem, nihil æque ac studium, desiderium voremque publicæ pacis animo et mente revolvimus, nihilque magis abhorruimus, quam arma et bella; isque præcipue pacis amor effecit, ut ad continentium in officio Octavium Farnesium subditum nostrum nobis et huic sanctæ Sedi rebellantem, eaque molientem, quæ Italiæ tranquillitatem turbare poterant,

auxilium brachii sæcularis a charissimo in Christo filio nostro Carolo V imperatore semper Augusto imploraverimus : cum neque exhortationes, neque preces, neque minæ, quas prius adhibueramus, quidquam cum ipso Octavio profuissent; qua in re accidit (id quod minime fore expectabamus) ut charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus, nulla in re a nobis lacesitus, quinimo omnibus honoribus et favoribus a nobis auctus, Octavii defensionem susceperit, ejusque milites non semel tantum, sed sæpius agrum nostrum Bononiensem, et Romanæ Ecclesiæ loca hostiliter atque immaniter invaserint ac diripuerint. Hæc tuit, fili charissime, causa atque origo discordiarum et belli, in quo si ulli conquerendi ratio competit, nobis certe conquerendi, lamentandi, clamandi et ad cœlum usque voces extollendi competit. Tacuimus tamen, nec ullo modo hactenus conquesti sumus, credentes nos patientia regem ipsum vincere posse, clementissimumque Deum rogantes, ut eidem mentem immutaret ad meliora capienda consilia, quæ ipsi regi, ejus regno, nobis, universæ Italiæ, atque universæ reipublicæ Christianæ salutaria forent. Nondum placuit ipsi Deo, cujus incomprehensibilia sunt judicia et investigabiles viæ ejus, nos consolari, quo fit, ut majestatis tuæ de pace officii mirum in modum nobis placuerint; fatemur enim ingenue optare, nos cum omnibus hominibus, ac præsertim cum ipso rege, pacem habere : neque oblitus sumus aut unquam obliviscimur præclarissimorum suæ majestatis erga personam nostram meritum, sed in hoc uno pax versatur, ut Octavium nostræ mansuetudinis et clementiæ indulgentia, quam minime meritis est, quamque nihilominus ipsius Christianissimi regis intuitu clementer elargiemur, nobis obediat, sicut debet, atque accepta a nobis ampla Ducatus Camerini recompensa, quam sanctæ memoriæ Paulus III prædecessor noster ejus avus, ei forsitan non dedisset, nobis et huic sanctæ Sedi Parmam discordiarum causam et fomitem restituat, quocirca sicut majestati tuæ de iis, quæ jam pro pace reducenda fecit, gratias agimus, ita eam in Domino hortamur, ut ab ejus pio incepto non desistat; nam nos ad omnia, quæ ad ipsam pacem conficiendam spectent, paratissimos ac promptissimos inveniet, modo nostri et hujus sanctæ Sedis honoris ratio habeatur, etc. Dat. Romæ vi Januarii MDLII, anno II ».

38. *Induciæ inter Pontificem et regem Galliarum, opera cardinalis Turnonii.* — Secuta mox Germanicarum rerum conversione, ac Cæsare difficillimo implicito bello ac pæne oppresso, Pontifex ad pacis spectavit consilia, ac permissa etiam Octavio Parma, paciæ induciæ decrevit, de quo Joannes Baptista e Monte Gonzagam

¹ Sur. in Comm. Jac. Aug. Floren. l. XL — ² Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2857 p. 5.

belli Parmensis auctorem ac ducem certiores fecit, kal. Aprilis, eodemque mense misso a Gallo rege cardinale Turnonio, oratore atque interprete, sequestra pax sancita est, de qua meminere Acta ¹ Consistorialia his verbis: « Nuper Sanctitas sua fecit verbum de tractatu inter eum et reverendissimum de Turnone super suspensione armorum inter Sanctitatem suam, et serenissimum dominum Henricum Francorum regem Christianissimum ratione Mirandulæ et Parmæ, reddens illius rationem ». Constitutæ sunt eæ induciæ in duos annos, ut ex eo initio paci universæ via muniretur; dolebat enim Pontifex Parmensis belli occasione tot ac tantas hominum cædes patratas fuisse, perturbatumque Christianum imperium, quæ omnia Pontifex Gonzagæ his litteris adulo Aprili significavit ², monuitque, ut lapsa eodem mense Mirandulæ obsidionem solveret, in qua tumultuario certamine Joannes Baptista de Monte, nepos Pontificis, dum Cæsareas partes sequitur, vulneratus occubuit.

39. « Don Ferranti Gonzagæ.

« Dilecte fili, salutem. Tractavit nobiscum venerabilis frater noster Franciscus cardinalis de Turnono, charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis Christianissimi nomine, ut tam ratione Parmæ quam Mirandulæ ad certum tempus armorum suspensio, utpote pacis prævia, fiat, ita ut post ipsum tempus rex ipse Octavium Farnesium in sua libertate dimittere teneatur, etsi placuerit charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto in hac suspensione comprehendi nulla injuria nullumque damnus, tam ipsius imperatoris statibus quam nostris ex dictis locis Parmæ et Mirandulæ inferri queat; quæ quidem omnia et quæcumque alia inter nos et cardinalem ipsum tractata, ipsi Cæsari per nuntium apud ejus majestatem nostrum dedita opera significari fecimus, et nos huic dilecto filio nobili viro Didaco de Mendoza Cæsareo oratori explicavimus. Cum autem consideremus obsidionem Parmæ et Mirandulæ nullos alios hæcenus peperisse fructus, quam hominum cædes, vastationes ac rapinas, quas semper abhorruimus abhorremusque, neque alios inde effectus in futurum sperari posse, quodque finito suspensionis tempore, Octavius ipse, vel nobis omnino obediet, vel censuræ atque aliæ pœnæ contra eum prolatæ faciliorem executionem habere poterunt, hanc suspensionem armorum, quantum in nobis est, Deo duce, amplecti decrevimus, firma scilicet spe ducti, ut postea plena et generalis pax per ipsius Dei gratiam omnino subsequatur, pro qua reducenda nullum communis Patris officium omittemus, neque ullum præ-

terea laborem aut incommodum effugiemus: scripsimus itaque dilecto filio nobili viro Alexandro Vitellio, id quod etiam bonæ memoriae Joanni Baptistæ de Monte, nostro secundum carnem nepoti, scripseramus, tuæque nobilitati id significari mandaveramus, ut post præsentem mensem, pro quo milites solita stipendia jam receperant, ab obsidione Mirandulæ cum suis militibus discedat; licet autem putemus nobilitatem tuam hæc omnia non solum, et ipsius nepotis nostri, sed etiam aliorum litteris et nuntiis intellexisse, voluimus tamen nos quoque, ea ipsi tuæ nobilitati per proprium tabellarium significare, ut quæcumque futura sit ipsius imperatoris, quoad ejus comprehensionem, in hoc suspensionis tractatu deliberatio, possit tua nobilitas interim ea parere, quæ ejus majestatis rationibus, ac dominii, et exercitus securitati conducere existimabit. Datum Romæ, etc. xx Aprilis MDLII, anno III ».

40. Quod ad pacis leges inter Pontificem Gallumque constitutas attinet, referunt litteræ xxix Aprilis exaratae ¹, Pontificem pollicitum, Pontificem Cæsareumque exercitum a Parmæ et Mirandulæ obsidione remotum iri, nec biennii flexu in Parmensi Mirandulæve agro hostiles excursiones agendas, vicissimque Gallos spondisse, ex Parma Mirandulæ adversus Pontificem Cæsareumve nullas hostiles eruptiones factum iri; porro Gallorum regem debito cultu majorum more observantiaque Pontificem persecuturum, nec Romana Diplomata Pontificiæque in sacerdotiis conferendis decreta rescissurum aut impediturum; censuras atque judiciaria Acta confecta adversus Octavium, ejusque socios ad biennium revocatum iri, atque oppidum, cui Castrî nomen est, Farnesis restituendum a Pontifice, nec ex ea arce quippiam hostile adversus Romanum agrum, vel ditionem Cæsaream, vel Senas tentandum a Gallo. Si forte pactis conventis Cæsar assentiri nolle, Pontificem Cæsareis bellis non se impliciturum, ac si dierum sexdecim flexu pactas leges non admitteret, beneficio pacis tum in iis, quæ ad ipsum vel Senensem rem spectarent, exclusus censeretur. Quæ conventa Pontifex rata habuit his verbis: « Ego Julius Catholicæ Ecclesiæ episcopus promitto et assero, ut supra ».

Cardinalis vero Turnonius regio nomine hæc verba scribit: « Ego Franciscus de Turnonio cardinalis episcopus Sabinensis, nomine quo supra, promitto, juro et affirmo ».

Cæterum Cæsar adversarum rerum mole pressus damnavit Parmensem bellum assensitque induciis memoratis, de quo ² Joannes Jacobus Medicus xxix Maii Carolum Gonzagam certiores fecit.

¹ Acta Consist. sig. num. 324. p. 83. — ² Jul. III. lib. brev. v. sig. num. 2881. p. 124.

¹ Ext. I. III. Lit. princ. p. 123. — ² Ext. de eo Ital. I. III. lit. princ.

41. Conciliata felicibus hisce auspiciis pax inter Pontificem et Gallorum regem gravissima rerum mole exoneratus Julius, licet Henricus Galliae rex immanissimo facinore læsisset Ecclesiam; ut qui obstitisset, ex inito cum Lutheranis foedere, ne illi decretis Concilii Tridentini parere cogentur a Cæsare, tamen ne eum regem judiciaria acerbitate in graviora mala adduceret, ac potius ut eum lenitate ad officium alliceret, referatas ad eum pio officiorum genere hanc litteras dedit¹ oratorumque ad alendum mutuum amorem ad eum decrevit.

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Quemadmodum nihil nobis molestius erat tuæ majestatis nobiscum dissensione, ita nihil jucundius, aut optatius multa nostra reconciliatione nobis accidere potuit, quod quidem tuæ quoque majestati pro sua ac majorum suorum erga hanc sanctam Sedem et Summos Pontifices benevolentia atque observantia evenisse non dubitamus: quod ad nos attinet, daturi certe sumus operam, ut ex parte nostra hæc reconciliatio perpetua futura sit, sperantes majestatem tuam non commissuram, ut in ea re vincatur a nobis: nam memoria recolere debet, sicut et nos quoque recolimus, quantum semper honoris, existimationis ac commodi et huic sanctæ Sedi, et isti regis coronæ attulerit Summorum Pontificum et regum Christianissimorum concordia atque conjunctio: quamobrem Deum supplices oramus, ut eam, quam certe mundus dare non potest, pacem, quamque majestati tuæ, et nobis clementer concessit pro sua divina bonitate et gratia perpetuo conservet: interim vero, ut pro veteri hujus sanctæ Sedis consuetudine munium nostrum apud majestatem tuam permanentem habeamus, qui nostras et ipsius Sedis res et negotia apud eam tractet et agat: vicissimque de tuæ majestatis rebus et negotiis, quandoeumque acciderit, ad nos scribat, venerabilem fratrem Prosperum de Sancta-Cruce Romanum, episcopum Clisamensem, prælatum domesticum nostrum, et Rotæ nostræ auditorem, quem quidem ob ejus nobilitatem, doctrinam ac prudentiam amamus plurimum, in Dei nomine ad majestatem tuam mittendum duximus, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xv Julii mdu, anno ut ».

42. *Senenses tumultus.* — Conciliato sibi Gallorum rege Julius nisus est exortos in Italia tumultus componere, qui, Senensium civium inter se dissentientium occasione, in aperlum et exitiale bellum erumpbant²; ut dum alii Cæsarem, alii Gallicum exambium subsidium, Cæsareis Gallisque inter se certantibus, bellicis attriti calamitatibus amissa libertate in exter-

norum ceciderint servitute. Floruerunt Senæ opibus dum Cæsareas partes tuerentur. Sed cum nonnulli invidia perciti summos etiam prentarent honores, hinc mutuis inter eos livor et bellicus strepitus exarsit: ad pacandæ eos motus, suadente Cosmo Medice, Granveanus administrator Cæsareus Senas se contuli Hispano nomini addictos confirmavit, Gallie factionis studiosos vel suspectos civitate dispart, sanxitque ut præses Cæsareus Senis maeret, ad quem graviore causæ deferrentur. A cuius auctoritatem confirmandam præsidium ispanum Senis imposuit. At cum præfector Senensis collata fuisset Didacæ Mendozae, ille et Hispanum imperium in ea urbe asserebat munitissimam arcem extruxit, frænumque urbi injectit.

43. At Senenses ab Hispanorum militari licentia laccessiti, atque impatientes servituti, icto cum Gallis clandestino foedere eos Clusium exivere; ex quo oppido Senæ acto impetu ingressi, conjunctisque sibi Senensibus Hispanos oppressere atque ejecere x arce, quam mox solo adæquarunt.

De parta libertate Gallicis copiis Senenses Gallie regi maximas grates egerunt sed cum pulsus Hispanis foverent Gallos, suspicionem movere Cosmo Duci Florentiæ, ne a Gallis sibi aliquod periculum impenderet; atque adeo monuit Senenses, ut suam ita tuerentur libertatem, ut nec Gallis nec Hispanis se addiceret; Julius etiam Pontifex, cum metueret, ne Senensis discordiæ faces etiam ditonem Ecclesiasticam corripere (non enim passurus videatur imperator, ut Galli Senis imperitarent. decrevit legatum cardinalem ad Senenses mittere, ut eos in concordiam adduceret; atque ita bertalem suam asserent, ut nec Gallis nec Hispanis se subjicerent; habitoque cardinalium sanatu ferme medio Augusto Fabium Mignandum tit. S. Sylvestri presbyterum cardinalem a Senensem misit, instruxitque amplissimis mandatis.

De hac legatione decreta monui Florentinos Julius, ne Senenses civili bello a ritos vexarent, vel exules auxiliaribus armis juvarent, ac ne adjecto novo igne arderet Haec: totam enim controversiam amantissima ecordia, et firmissimi federis pactione, de quo colloquia Romæ inila sint, componendam.

Pontificis legatus se contulit Senas; sed qui gubernacula illius urbis capessiverant, metuentes sibi, ne ab adversariis ab amministrazione publicæ rei submoverentur, Gallico suffulti præsidio, legati consilia ac manata Pontificia disturbarunt: quare Julius legatum Romanam redire jussit, atque imperator a eos bello edomandos se comparavit. de quo proximo anno recurret sermo.

44. *Legati pro pace inter Carolum et Henricum electio.* — Convertit etiam studia va Julius

¹ Jul. III. l. vi. brev. sig. num. 2885. p. 191. — ² Adrian. l. v. et seq.

a redintegranda pace inter Carolum Quintum Cæsarem et Henricum Galliarum regem, quam suscepto infeliciter Parmensi bello turbaverat, eque decernendis ad eos legatis egisse in senatu cardinalitio referunt Acta¹ Consistorialia :

« Die Lunæ XI Julii MDLII, Sanctissimus Dominus noster fecit verbum de classe Turcarum, quæ descenderat in mare Tyrrhenum, et multis quotidie in Germania factis, necnon diis intestinis inter principes Christianos contractis, et quod propterea deliberaverat in primis mittere duos nuntios, unum videlicet ad Cæsarem majestatem, et alium ad regem Christianissimum pro pace concilianda, et postmodum, si opus esset, duos cardinales, et demum inhærendo vestigiis suorum prædecessorum ad eos se personaliter conferre, et principes ipsos ad pacem reducere ». Repetita sunt eadem studia², et curæ instauratæ mense Septembris, cum Cæsar omnes Germaniæ vires in Galliam effundere meditaretur.

« XXVII Septembris MDLII, Sanctissimus cepit vota reverendissimorum DD. de modo componenda pace inter Christianos principes, et conclusum est, ut Sanctitas sua epularet aliquos ex reverendissimis, qui ei assisterent, et viderent quando esset tempus opportunum vel mittendorum legatorum, vel alterarum scribandarum, et postea collegio eferrent, et ut Sanctitas sua tentaret omnia pro pace, ne taciturnitas pro negligentia habeatur ». Continentibus piorum omnium votis expetebatur pax eo ardentius, quo discordia et Turcas, et Lutheranos, instigante Gallo, in exitium Ecclesiæ armaverat, nec tanta unquam mala ex Parmensi bello oritura Julius unquam existimaverat; præviderat quidem, ineunte anno, Italiam Turcarum excursionibus vexandam, ad quas comprimendas se accinxerat, ac tria ordium sacri senatus capita adornandæ classi incumbere jusserat. Instructa ita est classis, cum Pontificio, tum Cæsareo sumptu duce Austria Genuensi ad retundendos impetus Turcarum³, qui juncti Gallis Neapolitanum regnum invasuri credebantur, ad Christianam classis paritatem comparata non est, cum tamen Turcica prædæ ex Neapolitani regni littore abactura Dragato ducē divisa fuisset; in eam divisam Austria incurere decrevit; sed cum de ejus adventu certiores facti essent Turcæ, Austriæ classem mediam hinc inde cinxere, adeo ut jacta de omnium salute alca, septem trirēibus, quibus Germani vehebantur, abjectis, fugam arripere coactus sit; his vero potitus Turcas Christianos captos, vinculis onustos miseræ addixit servituti, atque spoliis et præda varia auctus

est: Salernitanus vero princeps, qui Gallicæ classi dum imperio præerat, ac Gallicis Turcisque auxiliis fretus Neapolitanum, regnum invadere, et amicos vel instabiles animos ad defectionem sollicitare decreverat; cum frustra factionis socios perlentasset, re infecta classem Turcicam secutus Constantinopolim pervenit, ductisque ibi hybernæ classem in proximum annum ad vastandam Italiam a Solymano impetravit: ita Christianorum infelicissima dissensione Christiana res in exitium perducta est, paribus dissidiis in Hungaria inter Christianos flagrantibus; Christiana res in quoque regno magis afflictæ est, ut mox dicitur.

43. *Apologia Ferdinandi regis de cæso Georgio cardinale.* — Instituta est hoc anno judiciaria actio a Pontifice adversus Ferdinandum Hungariæ Bohemiarum regem, ipsiusque ministros, qui ipsius imperio Georgium cardinalem moderatorem Transylvaniæ, ex insidiis trucidarant.

Cædem jure factam contendit Ferdinandus rex, ac Lasco oratore ad Pontificem misso, multis criminibus cæsum oneravit, veluti Christiani imperii proditorem, ac Turcarum socium, quorum capita Julius ordinem judicarium servaturus ad internuntium misit, ut de eorum veritate inquireret, erantque concepta subjectis verbis⁴:

« Ad docendum clareque demonstrandum, quod quondam frater Georgius, dum vixit episcopus Waradiensis, erga serenissimam majestatem serenissimi domini Ferdinandi regis, cujus servitor erat, ipsiusque secretorum regis, in missum contra Turcas hostes pro defensione regni Hungariæ exercitum, et ipsum Hungariæ regnum, universamque exinde Christianitatem prodicionem et tradimentum moliebatur, præparabatque et duebat in favorem Turcarum Christianæ religionis hostium et eorum principis; quodque propterea, et ex aliis infra dicendis causis et rationibus, tanquam reipublice Christianæ proditor et publicus hostis impune occidi potuit et meruit, ad aliosque omnes meliores fines et effectus, quibus magis et melius dici et fieri potuit procurator, et eo nomine prædicti serenissimi regis, necnon et nobilium dominorum ipsius serenissimi regis in regno Hungariæ locumtenentis bellici, aliorumque qui in morte dicti fratris Georgii intervenerunt, aut mortis ejusdem quoquo modo participes et conscii fuerunt; dat, facit et exhibet articulos infrascriptos, super quibus instat et petit per vos reverendissimos dominos sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, quibus Sanctissimum Dominum nostrum dominum Julium divina providentia papam Tertium hujus negotii commissio delegata est etiam ad perpetuam rei memoriam ». Et paulo infra :

¹ Acta Consist. sign. num. 134. p. 86. — ² Acta Consist. sign. num. 134. p. 93. — ³ Natal. Comes l. v.

⁴ Jul. III. l. vi. brev. sig. num. 2885. p. 106.

« In primis quidem procurator prædictus ponit et probare intendit, quod prædictus quondam frater Georgius, dum vixit episcopus Waradiensis, vivente adhuc quondam rege Joanne, et deinde illo defuncto, donec ipse frater Georgius vixit, multa etiam magnæ importantiæ et enormia damna non solum Hungariæ et Bohemiæ regnis, sed universæ etiam Christianitati intulit, et quod per Turcas Christianæ religionis hostes illata fuerint, causam et occasionem præstitit, et inter alia licet post mortem dicti Joannis regis serenissima domina regina Isabella illius uxor bene pro sua et filii utilitate, ac etiam pro totius Christianitatis securitate consultata decrevisset, et vellet sedem regiam, arcem et civitatem Budensem concedere et consignare præfato serenissimo Ferdinando regi Romanorum, etc. tamen per dictum fratrem Georgium, et alios illi adhærentes id tacere impedita, et deinde civitatem et arcem prædictas principi Turcarum cedere, et ab eodem Turcarum principe Transylvaniam provinciam pro ipsius reginæ filio cum titulo Sangiacatus, et sub certo annuo censu magnæ quantitatis per testes exprimentæ prædicto Turcarum principi persolvendo accipere persuasa et compulsata fuit in magnam totius Christianitatis potentiæ imminutionem, magnumque damnum et detrimentum, sicque testes examinandi sciunt, sicque fuit, et est ubique, et præsertim in illis partibus publica vox et fama.

« Item, quod post prædicta, cum dictus frater Georgius, relicta civitate et arce Budensi, cum prædicta serenissima regina Isabella in Transylvaniam se contulisset, ibidem ipse frater Georgius suis artibus et fallaciis multifariam, decepta dicta regina, ejusdem provinciæ administrationem arripuisset, talem administrationem gerendi causa, multis et variis injuriis ac gravaminibus reginam prædictam et illustrem ejus filium affecit ». Et paulo infra :

36. « Item, quod cum successu temporis magis crevisset discordiæ et rixæ inter prædictam reginam Isabellam, et dictum fratrem Georgium, et ad illas sedandas magistratus principis Turcarum in civitate Budensi commorans, Bassa Budensis vulgariter nuncupatus, cum aliquot millibus scelestorum militum Turcarum Transylvaniam ingredi conaretur, fuit inde per prædictum fratrem Georgium armata manu occurrentem repulsus, ac re infecta retrahere coactus, quamobrem et aliis etiam de causis per testes, si opus erit, exprimentis, princeps Turcarum cepit odio habere dictum fratrem Georgium, et velle eum ab administratione dictæ provinciæ Transylvaniæ omnino removere, sicque fuit, et est verum, ac publica vox et fama.

« Item, quod inde dictus frater Georgius animadvertens se per ipsummet invito principe

Turcarum non posse dictam provinciam Transylvaniæ tueri, se in illius regimine conservare, et sic tali sua privata utilitate impulsus et coactus convertit se et confugit ad patrocinium prædicti serenissimi domini Ferdinandi regis, orando, ut sua regia majestas Transylvaniam ad manus suas reciperet, contentando filium regis Joannis ratione patrimonii, et ipsam reginam ratione suæ doli, et donationis propter nuptias, et cum dictus serenissimus dominus Ferdinandus rex ex antea vita cognosceret subdolum, et versipelle dicti fratris Georgii ingenium, noluit illius verbis fidem præstare, tandem ipse frater Georgius, iteratis litteris et nuntiis, sponte sua obtulit, promisit et juravit de cætero reginæ suæ majestati et Christianitati fideliter inservire, protestando insuper, quod si sua majestas illud facere negligeret, et exinde Christianitati damnum emergeret, quod illud sine sua culpa eveniret : quapropter præfatus serenissimus dominus Ferdinandus rex, victus precibus, et adhibita fide pollicitis dicti fratris Georgii, conclusit pactum et conventionem prædictam, ut quemadmodum cum dicto quondam rege Joanne tractatum, et eo defuncto, cum prædicta regina Isabella renovatum fuerat, Transylvaniam et cætera ad regnum Hungariæ pertinentia ipsi serenissimo domino Ferdinando regi restitui et dimitti deberent, ipsique regina Isabella et filius pro patrimonialibus bonis ac dote et donatione propter nuptias respective contentarentur, prout contentati fuerunt, assignato etiam filio dictæ reginæ Isabellæ ducatu Opoliensi in Silesia, quem obtinet, ipsoque serenissimo domino Ferdinando rege Transylvaniam assecuto, ipsoque per omnes illius provinciæ ordines in verum dominum agnito, et per illos fidelitatis juramento sibi præstito palam et publice, et sic fuit, et est verum, ac publica vox et fama.

47. « Item, quod præmissis peractis prædictus serenissimus dominus Ferdinandus rex ad magis demulcendum et continendum in officio pravum dicti fratris Georgii ingenium, ne denuo aliquas turbas in suæ majestatis et Christianæ reipublicæ detrimentum ordiretur et statueret, et sperans quod jam saltem in suo extremo senectutis termino constitutus, longa rerum experientia doctus, fidem servare didicisset, recepit illum ad suæ majestatis servitium, præfecitque eum officio Wayvodatus in Transylvaniam prius una cum nobili viro Andrea de Bathor, comitatum de Zatlmar, Zaboloch, et deinde cum ipse frater Georgius, prout erat homo ambitiosus et superbus, recusare vellet in officio collegam habere, solum eum dicto officio Wayvodatus præposuit, ac etiam thesaurarium Transylvaniæ fecit, stipendiumque propterea ipsi fratri Georgio constituit magis quam unquam alicui alteri dicta officia exercenti da-

tum fuisset, et præterea ad sanctissimum dominum nostrum dominum Julium divina providentia papam III diligentissime intercessit, ut sua beatitudo eundem fratrem Georgium in numerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium assumeret, cooptaret, prout assumpsit et cooptavit, prout de his omnibus et singulis testes examinandi notitiam habent, ac fuit et est publica vox et fama.

« Item, quod non attentis nec consideratis præmissis serenissimi, et quod ipse frater Georgius erat prædicti domini Ferdinandi regis officialis conductus et juratus, et tam multiplicibus beneficiis ornatus et auctus, et quod toties de præstanda in perpetuum fidelitate promissiones et juramenta fecerat, idem frater Georgius maligno et diabolico, ut verisimiliter credi potest, spiritu ductus, cum nefanda ejus opera et consilia infra dicenda a bono spiritu esse non possent, assumpsit propositum, fixitque intentionem, ut recuperaret gratiam principis Turcarum, et si pro illa recuperanda universum Hungariæ regnum, quinimo etiam omnes totius Christianitatis provinciæ in ejusdem principis Turcarum manibus, sive per vim, sive per traditionem, et per Christianorum exercitum eandem tradenda essent, et in tam malo et impio proposito usque ad mortem perseveravit; et pro ejus nefarii propositi implemento multa nefaria et enormia inferius magis particulariter exprimenda fecit et perpetravit, sicque fuit et erat in illis partibus communis opinio et reputatio, firma credulitas apud omnes etiam populares, ac publica vox et fama.

48. « Item, pro proxime præcedentis articuli clariori et magis particulari demonstratione ponit, et probare intendit, quod licet post conclusam conventionem prædictam, et juxta ipsius conventionis tenorem dicta regina Isabella cum illustri suo filio Cassoviam se contulisset, ut tam diu ibi manerent, donec prædictus dominus Ferdinandus rex eis dictum ducatum Opoliensem traderet, et licet etiam inter eos tractatum esset, quod tributum occasione Transylvaniæ nomine dicti filii regis Joannis pro tempore decurso Turcarum principi non aliter solveret, quam si ipse Turcarum princeps inducias cum prædicto serenissimo domino Ferdinando rege, etiam nomine et respectu Transylvaniæ prorogaret, et eandem Transylvaniam ipsi serenissimo domino Ferdinando regi quietam dimitteret, sicque dicti tributii oblatio quidem ex tunc modo prædicto, sed solutio non aliter, quam induciis prædictis firmatis facienda esset, ita quod per ipsum serenissimum dominum Ferdinandum regem prius dicto principi Turcarum sub die penultimo mensis Julii anni præteriti MDLI, de recepta ad sui obedientiam Transylvania, et aliis ut præfertur gestis significatum, et deinde dicto fratri Georgio per litte-

ras ex Collesuario septimo die mensis Augusti anni unii datas, ne dicto principi Turcarum, aut suis magistratibus diversimode, sed conformiter scriberet, ac cum eis de solutione tributi, ut præfertur, tractaret, mandatum fuisset, ipseque frater Georgius in suis litteris eidem serenissimo domino Ferdinando regi ad prædicta in hæc verba responderet; videlicet: Memor autem sum eorum, quæ de principe Turcarum majestati vestræ scripseram, eam igitur deinceps sententiam et in scribendo observabo, ut meæ quoque litteræ a majestatis vestræ litteris differere non videantur. His tamen omnibus non attentis, sed postergatis, idem frater Georgius maligno suo spiritu prædicto, ut verisimiliter existimari potest, persuasus et ductus ad eundem principem Turcarum omnino diversa, atque etiam contraria scripsit et nuntiavit, dicendo etiam contra rei gestæ veritatem, quod Transylvania adhuc erat in manibus et obedientia filii regis Joannis, et quod ipse filius regis Joannis eam dumtaxat ob causam profectus esset Cassoviam, ut unam ipsius serenissimi domini Ferdinandi regis filiam, principum more, fide sibi data in matrimonium esset copulaturus, supplicavitque eidem Turcarum principi, ut dictum filium regis Joannis solita sua benignitate et prosequi, et in eo tuendo suam erga illum gratiam ostendere vellet, promittendo, quod idem regis Joannis filius ipsi Turcarum principi non minus quam antea fidelis et per omnia obsequens servus foret, et infidelitatis accusando nobilem virum Petrovith, qui arces suæ custodiæ commissas serenissimo domino Ferdinando regi tradidisset, seque magnificiando et excusando, quod ipse Lippam, Solimos et Themesium nunquam possedisset, sed dictus Petrus, qui illas serenissimo regi Ferdinando tradiderat, et præterea per certos nuntios ad id destinatos, idem frater Georgius ad dictum principem Turcarum tributum prædictum occasione Transylvaniæ, nomine dicti filii regis Joannis et suo, nulla habita mentione seu ratione induciarum prædictarum, misit palam et publice, et sic fuit et est verum, ac publica vox et fama.

49. « Item, quod præmissa adeo et in tantum fuerunt et sunt vera, quod dictus Turcarum princeps ab eodem fratre Georgio, sicut præfertur, incitatus, suo magistratui Græciæ Beglerbegi nuncupato mandavit, ut cum suo exercitu versus Transylvaniam pergeret et que posset loca ex inferioribus Hungariæ regni partibus occuparet, eidemque fratri Georgio et regni Transylvaniæ statibus districte præcepit, ne dictam reginam Isabellam cum filio suo e regno Hungariæ emigrare paterentur, et casu quo jam egressi essent, eos citra moram reducerent. Et cum antea princeps Turcarum prædictus eundem fratrem Georgium ab omni gubernatione

tionem removeri jussisset, eumque (ut præfertur) odio prosequeretur, malis ipsius fratris Georgii prædicti delinitus, cum denuo administrationi regni præfecit, omnem eidem regni prædicti gubernationem committendo, præcipiendoque dictæ reginæ Isabelle, ne fratrem Georgium in regimine et administratione prædictorum impediret, seu quoquo modo turbaret, palam et publice, et sic fuit et est verum, ac publica vox et fama.

« Item quod ejusdem temporis spatio dictus frater Georgius inconsulto dicto serenissimo Ferdinando rege suos proprios nuntios, et cum suis propriis mandatis, iam ad prælatum Beglerbegum Græciæ, quam ad Portam ipsius principis Turcarum ablegavit, et misit ad effectum magis conciliandi sibi gratiam dicti principis Turcarum, illiusque Bassarum et Visiriorum, offerendo eis inter alia præfati serenissimi regis Ferdinandi milites in Hungaria et Transylvania existentes, aut exinde expellere, aut in ipsorum Turcarum manibus tradere velle palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod licet intellecto adventu dicti Beglerbegi cum suo exercitu versus inferiorem regni Hungariæ partem, serenissimus dominus Ferdinandus rex crebris litteris præfatum fratrem Georgium admonuisset, ac per nobilem et strenuum virum Joannem Baptistam Castaldum in illis partibus, et serenissimi domini Bohemici regis bellicum locumtenentem cohortari fecisset, ut ipse frater Georgius una cum eodem domino Joanne Baptista locumtenente, ea, quæ ad illarum partium regni defensionem pertinent, agenda et curanda fortiter suscipere, civitates aliquas præcipuas et passus in confinibus magis necessarios fortificaret, viris, armisque, et victualibus communiret, ad eamque rem subsidium et contributionem aliquam a regnicolis obtinere jureret, et cooperaretur; et licet ipse frater Georgius ad præmissa se bene affectum et præparatum fore ostenderet et polliceretur, tamen animo, ut hostes facilius et tutius procedere possent (proditorem se gerens) regnicolarum conventum convocare plus æquo distulit, et eo tandem convocato, licet ipsi regnicolæ pro certorum locorum communi contributionem decrevisset, ipse tamen frater Georgius clandestine suis prædictis et fraudibus decretas fortificationes et contributiones hujusmodi continuari et perfici variis modis impedivit et distulit; dumque hæc in Transylvania gerebantur, ejus dilationis et impedimentorum occasione captata, et per ipsius Georgii fratris litteras et nuntios sollicitatus Beglerbegus prædictus cum suo exercitu Danubium trajecit, pontemque navalem etiam Tybiseo fluvio injeceret paravit, ad occupan-

damque inferiorum Hungariæ regni partem læstinavit palam et publice, et sic fuit et est verum, et publica vox et fama.

« Item, quod allato nuntio adventus Beglerbeghi, licet capitanei et officiales dicti serenissimi domini Ferdinandi regis in illis partibus regni Hungariæ ad prohibendum Beglerbegi Tybisci transitum publicis edictis regnicolas ad arma et patriæ defensionem evocavissent, et prædicto fratri Georgio supremam potestatem in Transylvania habenti, ut ipse quoque in Transylvania similiter faceret, eisque quam gravissima posset subsidia mitteret, diligenter significassent, ipse tamen frater Georgius non solum diligentias prædictas facere, et subsidia prædicta mittere distulit, sed etiam proprios suos homines et nuntios ad easdem inferiores Hungariæ regni partes misit, qui nobilibus, tam Hungaris, quam Bascianis jam ad mandata nobilis Andrea de Bathor supremi illius regni capitanei, et aliorum regionum officialium partim insurrexerant et armati venerant, partim in prociñclum erant accessuri, omnibus artibus persuaderent, ne jussis capitanei et officialium prædictorum parerent, sed potius ipsi serenissimo domino Ferdinando regi supplicarent, quod etiam illarum partium gubernium et administrationem fratri Georgio concederet, et dicerent, non videri eis, quod per alium, quam per ipsum fratrem Georgium e manibus Turcarum liberari possent, sicutque testes super presentibus examinandi, qui etiam cum aliquibus ex subornatis hominibus, et nuntis prædictis allocuti fuerunt, sciunt et dicunt, fuitque et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod propter dilationes et fraudes prædictas dicti fratris Georgii, cum incolæ illarum partium viderent Beglerbegum cum universo exercitu instare, fratrem Georgium nulla subsidia misisse, pro majori parte ad Turcas hostes delecerunt, et Beglerbeghi castra secuti sunt, reliquaque oppida et arces, quæ in fide et obedientia prædicti serenissimi domini Ferdinandi regis perseverabant, ad similem defectionem sollicitaverunt, et præfatus Beglerbegus transacto Tybisco et arcibus Belz et Bekereke, arcibus ad ripam Tybisei sitis, ac etiam Lippa civitate expugnatis et occupatis, ejusdem fratris Georgii litteris et nuntis in dies confirmatus, Themesium quoque obsidere conatus est, spe sibi facta a Bascianis, qui, ut proxime dictum est, ad ipsum Beglerbegum delecerant, quod ipsum oppidum Themesium, et illius arcem opera consanguineorum et amicorum suorum in eis existentium ad manus ejus daturi essent palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

50. Objectum etiam est illum monitum, ut

Chyanadiensem arcem communiere, nullum praesidium submisisse, praefectum claves arcis Beglerbegi quatuor adhuc milliaribus dissito transmisisse, scilicet fratris Georgii imperio necnon ejusdem fraude exercitum, quem Andreas de Bathor coegerat, dissolutum, Lippam et alias arcas captas, obsesso vero Themesio jussu a Caesareo duce, ut cum copiis in Turcas consurgeret, vel copias submitteret, promissis defuisse, nec commeatibus instruxisse arcas, ut caperentur a Turcis, eumque Stortia Pallavicinus marchio, cum copiis a Ferdinando submissus se conjunxisset legato Caesareo ad Lippam obsidendam, in qua Beglerbegus lectissima quinque millia Turcarum duce Olomambego collocarat, ac Georgius cum copiis etiam accessisset, captaque impetu urbe, ac tribus millibus Turcarum caesis, reliqua duo millia in arcem confugissent, dieque sequenti deditionis verba nuncuparent, habito cum Georgii famulo colloquio mutasse consilium, ac noluisse deditionem facere, nisi cum omnibus fortunis incolumes dimitterentur; eumque tormentis bellicis arx quateretur, Georgium obsessis clam submisisse commeatu, exercitui vero Caesareo parce subministrasse, cum Olomambego elandestinum etiam colloquium inivisse, dedisse etiam operam, ut plures abirent ex castris, adessetque ob inopiam victuum legatum Caesareum, et marchionem, ut Turcas liberos dimitti paterentur. Georgium vero excivisse ad se Olomambegum, eumque magnis muneribus oneratum donasse, misisse internumtis saepius ad Turcas, vicissimque ab iis, quos Chiausos vocant, recepisse: pepigisse etiam cum Turcis, ut exercitum Caesareum expelleret, vel trucidandum objiceret, Transylvanos proceres sollicitasse, ne exercitum Caesareum hyberna agere in Transylvania paterentur, vel ut in pagis spargerentur, ut ita facile opprimi possent; magnum Turcarum numerum excivisse in Moldaviam et Transylvaniam, ut duorum Wayvodarum ope Caesareos contrucidaret, tum subditur:

51. « Item, quod inter alia ejus prodicionis et rebellionis opera dictus frater Georgius decreverat et statuerat se facere dominum Transylvaniae, tributarium principis Turcarum etiamsi ad talem effectum consequendum non solum Hungariae regnum, sed omnes totius Christianitatis provinciae Turcis tradende fuissent, a quo proposito etiam suis, et apud ipsum magnae auctoritatis viris dehortatus est, et quod tanquam bonus Christianus et religiosus haberet misericordiam Christianitatis, teneretque memoriam pactorum et juramentorum fidelitatis praefato serenissimo D. Ferdinando regi praestitorum, beneficiorumque ab ipso receptorum, et opinionis et spei quam universae Chri-

stianitati dederat, et etiam per litteras scripserat summo Pontifici Romano, imperatori Romano-rum, et aliis principibus Christianis de bona opera per eum donec viveret pro Christiana religione praestanda, persuasus dimoveri nunquam potuit, sed semper in suo malo proposito praedicto usque ad mortem perseveravit palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama ».

Interjectis nonnullis, quod inconsulto Ferdinando rege conventus ordinum indixisset, arcium praefectos a rege constitutos amovisset, ac plura perfidia et prodicionis argumenta dedisset, subditur: « Item, quod propter praemissa eo devotum erat, quod nisi dictus frater Georgius prudentia et strenuitate dicti domini Joannis Baptistae bellici locumtenentis, et aliorum qui sibi assisterunt, de medio ex improvise sublatus fuisset, prout sublatus fuit, brevi futurum erat, quod ejus fraudibus et dolo universa regna Hungariae et Transylvaniae praedictae in potestatem Turcarum devenissent, dictusque regius exercitus eisdem Turcis ab eisdem trucidandus proditus fuisset, sicque testes super praesentibus examinandi de praemissis bene informati sciunt palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod si delatum fuisset, dictum fratrem Georgium non ita subito, quemadmodum factum fuit, occidere, sed vel desuper dictum dominum nostrum papam consulere, vel ipsum fratrem Georgium captum, ut in judicio in Transylvania vel alibi sisteretur, et causa cognita, condemnaretur, id fieri quodammodo impossibile et omnino periculosissimum fuisset, nec omnino fieri potuisset, quin magni motus in perniciem Christianae religionis et illorum regnorum inde suscitarentur, tum propter ipsius fratris Georgii sequaces regnicolas, tum etiam propter suorum amicorum, tam Turcarum, quam Moldaviensis et Transalpinæ Wayvodarum, quibus concitatis, non dubitandum est, quin pro ipso fratre Georgio tanquam amico liberando magna fuissent per eum universae Christianitati damna illata, sicque quilibet de praemissis informatus, et similium rerum expertus diceret, arbitraretur et judicaret, prout communiter dicitur, arbitratur et judicatur, fuitque et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama, etc.

« Die... Aprilis MDCII, dom. Didacus Lasco serenissimi regis Romanorum apud S. D. N. orator, ac ad supra dictos articulos coram reverendissimis dominis cardinalibus supramemoratis dedit, et exhibuit, eosque admitti, et testes desuper producendos examinari petiit, et obtinuit omni meliori modo, etc. »

Quod ad Joannem Baptistam Castaldum

attinet, extant ejus litteræ xxii Julii exaratae ¹ ad Aseanium Centorium, quibus queritur, se ficut singulis diebus caput nulle periculis pro salute publica contra Turcas objiciat, censuris Ecclesiasticis a Pontifice deligi, atque virtute sua centum millia Turcarum, Moldavorum ac Tartarorum fugata fuisse gloriatur, verum post eam victoriam reductum fuisse in angustias addidit, atque Agrienses a Budensi Bassa graviora passos, Lippenses in discrimen adductos, Themisvarenses, et Carasambeanos opem efflictim deprecere, in Georgii vero memoriam pluribus invectus est, ac Georgium non Christianum, sed infidelem Cerberum vocat, qui Turcas in Hungariam exciverit. Ceterum post Georgii mortem Ferdinandi res admodum depresso in Hungaria fuerunt, quod Acta ² Consistorialia confirmant his verbis :

« Romæ die Veneris, prima Julii MDLII, fuerunt lectæ litteræ serenissimi domini Ferdinandi regis Hungariæ, quibus significabat expugnationem civitatis Vespriemiensis in Hungaria, et invasionem Transylvaniæ factas a Turcis petens suffragia a sua Sanctitate, et fuit commissum negotium sex reverendissimis Tranensi, Neapolitano, Sancti-Jacobi, Burgensi, Verallo et Camerario ».

52. *Georgii cardinalis occisores pœnas dant a Deo mœtati.* — Percrebuit fama inique illum oppressum a calumniatoribus thesauris illius inhiantibus, adeo ut quantum incrementi ex illius morte suis rebus accessurum arbitrabatur Ferdinandus, a ministris delusus, tantum detrimenti se accepisse (sed sero) senserit translato ad externos homines summo imperio, et publica administratione, a qua cum se provincie reguli remotos viderent, minus animi et constantie semper in dies ad propulsandum communem hostem adhibuerunt, et ingentibus propterea cladibus acceptis, mox revocato rege Joanne, Ferdinandi imperium aversati sunt. Certe percussores Georgii post ejus necem ad unum omnes pœnas dedisse scripserunt, ac Sfortiam quidem Pallavicinum diuturna, et morte peiore, apud Turcas captivitate mœtatum; Monimum vero in Subalpina regione ad Germani Fanum cervice abscissa periisse; Ferrarium denique Alexandria, quæ ipsi pacta erat, cardinalis Tridentini jussu, sexennio post securi percussus, postremo equitem Campegiom, hujus sæculi anno LXII, inter venandum in Ferdinandi ipsius conspectu apri fulmineo dente in Bohemia discerptum esse.

Ex Georgii cardinalis morte grave etiam aliud damnum passa est Transylvania, nam hæretici in eam irrepere, ac suarum opinionum virus simplicibus populis afflarunt, indeque maxima animarum strages secuta fuerunt.

53. *Repressi in Polonia hæretici.* — In Polonia grassari cœperat Lutherana hæresis ¹, ac sacerdotis objecta nuptiarum velitarum illecebria, populum vero communionis sub duplici specie lenocinio corruppebat : adeo ut in comitiis Petricoviensibus nonnulli proceres impiis argutiis hæreticorum fascinati superiore anno postulare impudenter ausi sint, ut sacerdotibus meretriculæ prætexto conjugii specioso nomine, et laicis utraque species permitterentur.

Non tulit Poloniae rex a novatoribus regnum lacerari, eosque regia auctoritate repressit, jusque ut novarum controversiarum auctores et satores eas ad Concilium Tridentinum, quod nondum dissolutum erat, referrent, cujus sapientissimum decretum commendavit Pontifex, utque episcopos ad compescendos turbamum seditionumque inventores regia vi fulciret admonuit ² :

« Regi Poloniae.

« Charissime, etc. Quæ nuper intelleximus a venerabilibus fratribus Craoviensi et Primisliensi episcopis, contra Conradum Crupek, et Stanislaum Oricovium pie et constanter acta fuisse, ea nobis cum grata acciderunt, tum vero illud gratissimum, majestatem tuam in primis ad eam rem omne studium suum ac præsidium contulisse : eam enim patriis et avitis inhærentem vestigiis, majora quotidie atque illustriora Catholice religionis, et suæ erga nos et hanc sanctam Sedem observantiæ signa data lætamur, quam quidem pro sua prudentia atque sapientia illud minime ignorare arbitramur, consuevisse semper novos ejusmodi in religione motus regnorum quoque statum simulque populorum quietem perturbare, cujus rei vel maxime testis est vicina Germania, quæ quantum diu religionem Catholicam sancte integreque coluit, florentissima extitit, ubi vero pestiferam Lutheri hæresim recepit, plurimas et gravissimas calamitates perpessa est. Accedit etiam in iis, quæ ad ipsam disciplinam Christianam pertinent, tanta opinionum varietas, ut quod quisque sequatur nemo prorsus teneat, sed omnes tanquam cæci, Ecclesia Catholica duce relicta, huc illuc turpissime errent. His tot ac tantis malis cum nullum ostenderetur magis præsens remedium, magisque a cunctis nationibus expetitum, quam universale Concilium, id a nobis primo quoque tempore adhibendum statutum : Tridentinum itaque illud, quæ in civitate superioribus annis celebrari coeptum fuerat, revocavimus, quod jam divina sane juvante gratia, et Spiritu sancto cooperante, satis frequens in dies progreditur. Ad ipsum igitur Concilium, sicut et majestatem tuam proximis

¹ Ex l. III. lib. princ. p. 161. — ² Acta Cons. sig. num. 134. p. 86.

¹ Neugebaver. l. VII. Florimund. Raym. de Orig. hæres. l. IV. — ² Jul. III. lib. brev. num. 288^o. p. 17.

comitiis prudenter fecisse audivimus, remittendos, atque omnino rejiciendos esse censemus eos, quos in isto regno religionis novanda cupidus, neque timor Domini, neque ulla sacrarum legum ratio queat in officio continere, ita ut effractis pudoris et continentiae septis, sacerdotum connubii et communionis sub utraque specie causam, de qua jamdiu Catholica Ecclesia decidit, ac statuit, quid sequendum foret, in dubium revocare, et toties divini et humani juris rationem pervertere conentur; quod nisi regni istius prelatos una cum oratore majestatis tuæ Tridentum jam appropinquare, aut certe in viam sese dedisse a dilecto filio Paulo archidiacono Ploccensi accepissemus, qui Tridentum missus ad nos venit, internuntium nostrum istuc omnino ad comitia Petricoviensia his de rebus misissemus; nunc vero majestatem tuam pro singulari nostra et paterna erga ipsum benevolentia, suaque item erga nos, Apostolicam hanc Sedem observantia et pietate, proque nobilissimi istius regni salute et incolumitate hortamur et rogamus, ut omnes cogitationes, opes, consilia ad ditionem suam ab hujusmodi peste terribili defendendam et conservandam conferat, utque ipsis Cracoviensi et Primisliensi episcopis, cæterisque regni sui prelati, qui ex canonicarum sanctionum præscripto in hæreticos homines, et pravorum dogmatum sectatores animadvertendum statuerint, ita favent, ut eorum sententiæ rate ac firmæ habeantur, quod quemadmodum majestatem tuam per se jam effecisse libenter cognovimus, sic illam, tam pium rectumque animi sensum perpetuo retinere, et valde cupimus et speramus, quod quidem ejusmodi est, ut majestati tuæ in primis gloriosum, nobilissimo isti regno salutare, nobis optatissimum, denique ipsi Deo optimo Maximo longe gratissimum futurum sit. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die xxviii Januarii anno MDLII, anno II ».

54. Explicuit flagrantissimum tuendæ incorruptæ orthodoxæ religionis studium Andreas episcopus Cracoviensis, atque Conradus Crupek novatorum signiferum justa severitate coercuit¹, cujus pium ardorem celebravit laudibus Pontifex, illumque est cohortatus, ut nefarios novatores, qui simplices suo veneno inficere moliebantur, depelleret, iustoque terrore percelleret.

« Andreæ episcopo Cracoviensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Non parum solatii calamitosis hisce temporibus nobis attulerunt fraternitatis tuæ litteræ, quas dilectus filius noster Bernardinus cardinalis Maffæus istius regni viceprotector nobis reddidit, ex iis enim liquido cognovimus, quam pro tui officii debito assidue cogitare, atque adeo laborare

studeas, ne oves gregis tibi crediti, non modo pravis hæresibus non indiciantur, verum etiam morbide effectæ ab reliquo ovili ejiciantur et expellantur, cujus quidem optime tuæ voluntatis et eximia pietatis præclarum et illustre exemplum contra Petrum Conradum Crupek proxime a te editum fuisse scribis, qua de re te magno opere in Deo domino commendamus, teque et item cæteros ejusdem regni prelatos, ut id in posterum omni exhibita diligentia curetis et efficiatis, vos majori quo possumus animi nostri affectu cohortamur et paterne monemus, quo impii et hæretici homines sentiant vos multo vigilare acrius ad Catholice Ecclesie præfatam et ipsius regni salutem, quam illi ad oppugnationem et perniciem, nam præterquam quod labor vester non erit inanis in Domino, nos quoque et hanc sanctam Sedem, quoties se occasio obtulerit, pro vestro hujusmodi studio atque officio gratos semper et memores estis habituri. Quod autem menses nostros (id est, quibus vacantium sacerdotiorum in eo episcopatu conferendorum jus spectabat ad Pontificem) si a nobis petis, id tibi libenter concessimus, quemadmodum idem cardinalis tibi latius significabit, ex cujus item litteris de instituta celebrandi Concilii ratione, ejusque felici progressu, et quanti judicium de hac re tuum fecerimus, cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die xxviii Januarii anno MDLII, anno II ».

55. Vindicavit etiam gregem suum ab impiorum grassatione Primisliensis episcopus clerumque suæ diœceseos in pietatis officio continuit, Stanislaumque Orichovium Sathana administrum judiciorum severitati subiecit: ut reliqui vero episcopi pari constantia incorruptam religionem contra impias hæreticorum molitiones assererent, eos Pontifex subjectis litteris excitavit ad tuendos sanctissimos ritus a majoribus acceptos, Conciliorumque veterum decreta servanda, tum mala quæ hæresis in Poloniam esset invectura, proposuit, denique ut ad Concilium Oecumenicum pari cum aliis episcopis studiorum animorumque conspiratione celebrandum Tridentum se conferret¹, provocavit:

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis principibus, baronibus, comitibus, capitaneis, cæterisque dominis et prelati regni Poloniæ in comitiis Petricoviensibus congregatis.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem, etc. Allatum superioribus diebus ad nos fuit, venerabiles fratres, Cracoviensem et Primisliensem episcopos pro sui officii debito die dicta Petro Conrado Crupek et Stanislaio Orichovio perniciosas hæreses concitare isthuc conantibus

¹ Jul. III. lib. brev. num. 2885. p. 20.

¹ Jul. III. lib. vi. brev. sig. num. 885. p. 16.

eos condemnasse, et a Christianorum cœlu omnino segregandos, et debitis pœnis molestandos decrevisse, quod egregium factum, cum valde nobis probatur, tum vere summa laude dignum, et isti inclyto regno magnopere salutare contigisse arbitramur: quid enim aliud facinorosi et impii ejusmodi homines agunt, quid conantur, quid moluntur, nisi ut disseminatis in Catholica religione dissensionibus et discordiis vos mutuis odiis irritatos intestinis contentionibus atque cœdibus opprimant ac conficiant, unde vobis hac peste et lethali morbo implicitis et defatigatis, ipsi postea diabolica fraude exultantes in omni vitiorum et libidinum genus libere et impune prorumpere possint: jam aperle et impudenter petunt sacerdotum conjugium et Calicis communionem, quod nempe est Ecclesie probatissimos ritus penitus convellere, Concilia divinitus celebrata abrogare, sanctissimorum Patrum decreta rescindere, canonicas sanctiones infirmare, omnia denique humana ac divina confundere et permiscere, qua præcipue ratione si audirentur [quod Deus prohibeat] nobilissimam istam provinciam ad certissimum exitium vocarent. Cur autem, si ut apud imperitum vulgus jactare audeant, æquam teneant causam, qua nihil absurdius, et ab ipsa veritate alienius esse potest, ad sacrosanctum OEcumenicum Concilium, quod ad hæreses potissimum extirpandas, ac pro totius Christiana: reipublice bono et tranquillitate Tridentum reduximus, ubi nunc, adjutore Deo, promovere cœptum est, non accedunt? ubi quid sectandum, quid vitandum, quid tandem tenendum et observandum plenissime intelligent. Quare, venerabiles fratres et dilecti filii, incumbite in hanc curam diligenter, ut carpistis, et nefandam istorum lemeritalem vestra diligentia ac virtute comprimitis, vos vestrosque omnes ab eorum fraudulentis insidiis sedulo conservate, neque permittite opulentissimum istud regnum hujusmodi veneno contabescere, quod ut omni cura, labore, sollicitudine efficiatis, vos per eum, qui in die illa tremenda nos omnes iudicaturus est, Dominum Redemptorem nostrum, de cujus causa in primis agitur, hortamur, oramus et obsecramus: habetis bonorum omnium ordines in hoc consentientes, habetis optimum et maximum Christianum regem, nullique majorum suorum præstantissimorum principum in tutela et conservanda Catholica fide secundum, quem pro sua singulari admirandaque probitate, prudentia ac pietate nobiscum Dei et orthodoxæ religionis patrocinium et tutelam una cum ipsius regni salute conjunctam libentissime, sicut antehac sæpissime fecit, et præclara jam sæpissime exempla dedit, quando cumque opus fuerit, suscepturum, alacriterque amplexurum, et sceleratam lemeritariorum hominum audaciam ac furorem acerrime vindicaturum non dubitamus. Dat. Romæ apud Sanctam-

Petrum die xxviii Januarii MDLII. An. II ».

56. *In Germania Zuingliani imposturæ et contradictionis convicti.* — In Germania hæretici non minus inter se, quam cum Catholicis dissensere, ac Joachimus Westphalus luculenter demonstravit, Zuinglianos manifestos esse impostores, de quibus hæc Surlus refert: « Magna omnino atque incredibilia hoc anno damna tulit Germania, idque ab ipsis Germanis, qui se Germaniæ libertatis vindices profiterentur, præterquam quod etiam tres Germaniæ episcopatus Gallus sibi vindicavit. Videbantur jam Evangelici præcones restituti, cum ecce Joachimus Westphalus Ecclesie Hamburgensis pastor, classicum canit, nec sinit pace gaudere Zuingliani Evangelii fratres. Libellum enim emisit hac inscriptione: *Farrago confusaneorum*, et inter se dissidentium opinionum de Cæna Domini ex Sacramentariorum libris congesta. Hoc telo præter spem Tigurini et reliqui ejus generis Symniste, in primis Calvinus percutitur: vult Joachimus hoc libello ostendere, Zuinglianos in variis et pugnantes inter se opiniones scissos esse, quæ sit propria nola seductorum. Certe ipse quoque Lutherus octo Zuinglianos sectas in brevi sua confessione enumerat. Hortatur quoque Joachimus doctiores, ut nocentissimum Zuinglianos errorem oppugnent, denique dicit esse digna Zuinglianos blasphemias, quæ potius magistratus sceptro quam stylo refutentur. Paulo ante Calvinus ostenderat, idem se cum Tigurinis de Cæna sentire, sed hoc Joachimus per simulationem factum dicit. Nemo quidem contra hoc Westphali scriptum quidquam hoc anno edidisse visus est ».

57. *Ferrariæ hæresis excisa.* — Infecerat multis jam ante annis Calvinus Ferrariam, dum clericum sacelli ducalis ageret, in obsequio aulico Renata ducissa, sparsaque impietatis semina in nonnullorum animis radices fixerant, adeo, ut aperta interdum hæreseos germina erumperent, ad quæ excindenda, licet variis temporibus navata esset opera, iterum ad fibras omnes evellendas fidei censores a Julio fuerunt constituti:

« Venerabili fratri Franzino Michaeli episcopo Casalensi, et dilecto filio Hieronymo de Lande Ordinis Prædicatorum, et Theologiae professori, commissariis nostris, salutem.

« Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Joannes Petrus episcopus Tusculanus, et dilecti filii nostri Rodolphus S. Mariæ Transtyberim, et Joannes S. Pancratii Compostellanus, et Marcellus S. Crucis in Hierusalem tit. presbyteri S. R. E. cardinales per universam Christianam rempublicam contra hæreticam pravitatem in-

dire non dubitavit, valere jussi, Deus homini ignoscat. Equidem ejus vicem doleo, longe enim graviores pœnas daturus est, quam ipse unquam putarit. VII kal. Jul. MDLII. Significavit idem Pereira aliis litteris nonnullos augendarum rerum suarum et compendii studio inflammatos¹, præclaram Sinensem legationem disturbare, sed eos contrario exitu rerum suarum incrementa corrupturos.

« Accepi (inquit) certos homines fuisse, qui cum nostri itineris impedimenta removere possent, sui compendii causa noluerunt, sed vehementer errant, qui deserto fonte bonorum omnium Deo, commoda atque utilitates ab hominibus petunt, verum istud præclarum est ulciscendorum inimicorum hominum genus, ut eis et celeste Numen placare, et benigne facere studeamus; nimirum Deus ipse vicem nostram ulciscetur, pœnasque ab eis repetet omnium opinione majores, quod ulinam secus eveniat ».

Dictis consensere exitus², nam cum postea idem præfectus Goani proregis contempsisset imperia, ut perduelli injectæ sunt cathenæ, vinculusque in Lusitaniam abductus, ubi bonis exultu æterno carceri addictus est, lepraque teterrima correptus, interiit. At ex freto Sinapuranco XIII kal. Augusti Gaspari Goani Collegii rectori hæc dedit imperia Xaverius: « Curabis diligenter, ut episcopus ad Malacensem vicarium excommunicationis formulam mittat, qua formulam præfecto Malacensi, itemque aliis, qui lam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publice ac nominatim sacris esse interdictum denuntietur. Velim autem in ea formula illud poni, me a Paulo III Pontifice Maximo legatum Apostolicum missum in Indiam cum Diplomatum iis, quæ ipse agnovit episcopus ».

Cum pervenisset ad Sinensis regni confinia S. Xaverius, Jacobum Pereiram³, qui a Lusitano rege ad Sinensium regem orator decretus fuerat, atque itinere interclusus, certiore fecit, se contemptis omnibus periculis penetrare decrevisse in Sinense regnum, si divina providentia permiserit, hæc vero meditantem, pacta cum Sinensi trajectionis mercede, implicitum morbo decubuisse.

61. « Nobili viro Jacobo Pereira.

« Sanciani portum a Cantone millia passuum circiter centum viginti, Deo favente, tenuimus, simul atque e navi descendimus, adiculam struendam curavi, ubi quotidie quoad in morbum incidi, rem Divinam feci ». Et infra: « Inventus est non sine Dei consilio, ut arbitror, mercator Cantoniensis sane honestus, quocum aureis ducentis decidi; is pollicetur transmissurum nos parva navicula, ubi præter liberos suos et vernaculos paucos nemo sit, ut si forte

urbis præfectus rem odoretur, nautarum indicio rescire non possit, quis me Cantonem adduxerit. Idem recepit se triduum aut quadrimum domi suæ nos cum nostris libellis ac sarcinulis asservaturum, tum summo mane ad urbis portam viamque deducturum, quæ recta ad Prætorium ferat. Mox ego præfectum conveniam scilicet, eique demonstrabo me eo consilio venisse, ut Sinarum regi divinam celestemque legem exponerem, a Goano episcopo ad regem proferturum litteras. Non sum nescius duo in hoc negotio inesse pericula, alterum ne Sina ille mercator accepta pecunia in deserta aliqua insula nos destituat, aut in mare deturbet rei occultanda gratia; alterum si Cantonem dececti erimus, ne præfectus urbis omnia in nos exempla et cruciatu edat, aut certe in perpetuum redigat servitutem ». Et infra: « Verum Christo Domino parebimus admonenti: *Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam, etc.* »

Implicitus eo lethali morbo Xaverius apud Indos Orientales legatus Apostolicus sacro subeundi martyrii ardore extabescens animam sanctissimam Cælo transfudit, obtinuitque suis precibus a Deo, ut aditus apud Sinas sibi negatus, sociis ad disseminandam apud amplissimas eas gentes Evangelium panderetur, cujus piam mortem describit his verbis Tursellinus⁴:

62. « Num agre lerebat, naturali se vulgare morle extingui in lectulo, omnibus expetitam votis martyrii palmam sibi pane in manibus infringi. Cæterum haud ignarus martyrii decus donum Dei esse gratuitum, quod sæpe negetur expetentibus, aliud agentibus offeratur, ad divina Providentia rationem animi composuit suum, tam insigni beneficio se indignum existimans, inde vis mali vehementior penitus insitam Francisci sanctimoniam declaravit, namque, ut in cæteris fere cum urgentur morbo, tum maxime viliosa se prodit natura; ita in Francisco tum præcipue solida atque egregia pietas emicabat. Quippe eadem propemodum faciebat moribundus, quæ sanus facere consueverat, nunc defixo in Cælum oculorum obtutu, læta fronte, ac vultu cum Christo Domino quasi adesset colloquens, nunc Psalmorum versus pie admodum usurpans, identidemque illas iterans voces; *Jesu Fili David, miserere mei, tu autem peccatorum meorum miserere; Mater Dei, memento mei*. Hisce aliisque ejusmodi vocibus bidualum extraxit: aderam jam illi suprema hora, igitur Christi Crucifixi effigiem manuteneus, intentisque oculis intuens, crebros edere gemitus, et subinde succlamare, *Jesu Deus cordis mei*, lacrymas precibus miscens, donec cum vox pariter ac vita defecit. Ita ad extremum usque spiritum fortissime cum

¹ Lul. xix. — ² Vit. S. Franc. Xaver. l. v. c. 6, Xaver. Ep. VIII.

³ Lul. IV. Ep. xv.

⁴ Tursell. in Vit. S. Franc. Xaver. l. v. c. 12.

morbo ac vita luclatus quarto nonas Decembris (qui dies sanctæ Bibianæ Virgini sacer est) *Jesum et Mariam* sapius inclamans, æquissimo animo obdormivit in Domino, atque ad eos ipsos, quos vivens in visceribus, moriens in ore semper habuerat, migravit in Cælum. Vultus adeo hilaris mansit ac lætus, ut species ipsa corporis animi beatitudinem indicaret. Decessit annos natus circiter LV, decennio jam expleto post suum in Indiam adventum, anno post Christum natum MCLII. Vir plane admirabilis cum veris virtutibus, tum vero incredibili animi magnitudine studioque convertendorum ethnicorum, nullum unquam laborem aut discrimen Dei causa recusavit, et Indorum finitimarumque Gentium convertendarum salute ac labore non contentus, omnem Orientem complexus est charitate illa, cui nimis angustus ad benemerendum orbis videbatur, itaque Evangelio ac Societate toto pæne Oriente disseminatis, in ipsa cura ac meditatione Cantonii portus petendi defunctus hujus vite fluctibus, æternæ felicitatis tenuit portum, Sinas præsentibus apud Deum precibus adjuturus ».

Vulgata ejus morte, Lusitani mercatores corpus vestibis sacerdotibus decenter indutum ligneo loculo includere, deinde placuit ad carnem exedendam adhiberi corpori vivam calcem, ut nuda ossa in Indiam deportarent. Lapsa jam quarto mense arca refossa est, inspeclumque corpus, quod excussa calce prorsus integrum repertum, ut recenter humatum videretur : « Nullus gravis odor, sed suavis, nulla labe, ne in naso quidem, qui primus mortuis effluere solet, color vivax, caro plane recens, vestimenta nulla ex parte tabefacta læsave, nec vigor quidem, qui ex spiritu animali constat, destituerat vultum ». Navarchus miraculo per-

motus, arcam, ut erat, cum calce in navim imposuit, ac e Sanciano portu mense Martio solvens, Malacam secundis ventis applicuit.

Allato per scapham præviam nuntio, universa civitas Malacensis obviam se effudit summa magnificentia funus curatura, præ cæteris Jacobus Pereira ¹ legatus luctu in gaudium verso, sumptus præstitit, ac in novo loculo sacrum corpus reposuit, moxque novo miraculo tanti viri sanctitas demonstrata : « Novi loculi brevitatis coegerat eos, qui operam dabant funeri Xaverii, corpus nonnihil comprimere atque inflectere, itaque ex humeris repente profluxit sanguis miram afflans odoris suavitatem, quæ res objecta oculis animisque, omnes qui aderant stupore ac miraculo altonitos defixit, quippe cum corpus, quod quintum jam mensem vacabat animo (adeo rarum pariter ac diuturnum miraculum fuit) non modo carnem, succum et colorem, sed etiam sanguinem eumque odoriferum refinere, ut ille odor non tam sanguinis videretur esse, quam sanctitatis. Quocirca cum sine loculo condi placuisset arca exemptum, non honorifice solum a Malacensibus humatum est, sed velut divinæ clementiæ pignus asservatum, nec vero sua illos frustrata spes est, iisdem diebus, haud dubia Dei ira tota urbe contagiosa grassabatur lues, quæ magnam civitatis partem depopulata terrore omnes percusserat ; subibat anxios religione animos Xaverii prædictio ex injuria iratiquæ Numinis causam non aliam esse credebant. Hæc lues ea, qua Xaverio parentatum est, die compressa, satis ostendit eundem jam placatum irarum cælestium veniam, pestique finem attulisse ».

¹ Eodem L. c. 11 et cap. 14.

JULII III ANNUS 4. — CHRISTI 1553.

1. *Maria regina Catholica in solium Anglicæ evecta, Pontifex tum per litteras, tum per legationem cardinalis Poli invigilat ut religio orthodoxa in pristinum statum restitatur.* — Anno 4

Virgineo partu millesimo quingentesimo tertio, Indictione undecima, restituit in Angliâ Catholica religio, extincto Eduardo VI Angliæ regis adolescente a pueritia imbuta capitali in Catho-

licos odio, haereseosque funesto propagatore, succedenteque in solium Maria sorore, Catholicam fidem profitente, superatissime nefariis insidiis proditorum, qui divino iudicio ad excindendam et terris Henrici VIII sobolem conjurarunt, quos ille caducarum rerum nimio amore irretitus in impietatem pellexerat: ut vero res gesta sit, narrat Sanderus¹. « Potius procuratione regni Angliæ Joannes Dudleius comes Varvicensis majora animo concipere cepit; erat enim tunc universa Anglia in sua potestate, præcipue rex a quo caetera pendebant: quem cum ille vel tabe quadam laborantem, vel ita in manu sua constitutum, ut ad ipsius nulum et arbitrium laborare posset, animadverteret, in illi cogitationem de occupando regno, quod hac ipsa ratione, quam nunc consecuturum se speravit. Erant Henrico Marchioni Dorcestriae, quem nuper Suffolciæ ducem factum esse meminimus, filiae tres ex uxore Franca, quæ filia fuerat Mariæ sororis Henrici regis Octavi nati minoris. Hæ tres ducis Suffolciensis filiae videbantur proximæ successioni regnandi jure, si Henrici liberi non obstarent, nam de Margaritæ majoris natu sobole, cum in Scotia esset, nullam Angliis habendam esse rationem Dudleius existimabat. Ineunt ergo consilium duo isti duces Suffolciensis et Northumbrius de collocandis in matrimonio his tribus filiabus, ac deinde de tollendis Henrici VIII liberis, qui tres etiam erant, ut sic ad has transiret successio: ut autem communicatione tanti boni plures colligantur ad scelus suscepti defensionem, statuitur, ut duorum potentissimorum comitum Pembrochiæ et Huntingtoniæ filii primogenitis duæ Suffolciensis ducis filiae nuptui tradantur; Jana vero ætate maxima, ad quam primo loco, Henrici liberis sublati, regni hereditatem cupiebant pervenire, Dudleii filio quarlogenito, cui Giffordi nomen fuit, in uxorem daretur, atque ita factum est, et omnia tria matrimonia eodem die insigni pompa Londini celebrata sunt.

« Statim vero post ægrotare cepit Eduardus, ac lenta labe consumi, quo perspecto, Dudleius diligentius incumbere negotio, ac primo quoque

tempore Mariam primogenitam Henrici ex Catharina filiam, quam solam timebat (nam de Elizabetha ex Anna Bolena parum curabat) Londinum advocare, ut in sua potestate esset, ac publica custodia sæpire statuit, sed præceler Eduardi mors consilium nonnihil impedit, Maria enim princeps cum Dudlei jussu Londinum properaret, ac jam civitati proxima esset, admonita a suis regem in extremis, ac periculum sibi Londini parari, deseruit inceptum iter, et ad arcem quandam suam minime munitam, quæ Framingham dicitur, omni celeritate se recepit, ubi vigesimo deinde die ab amicis quibusdam secretis, quos in aula habebat, certior facta, quod rex obiisset, quamquam adhuc divulgata res non esset, nec ipsa ignoraret, quantæ vires contra eam paratæ essent, omni tamen timore deposito, in Deo innocentiae protectore confisa, tubarum sonitu reginam se promulgavit.

2. « Mortuus est Eduardus pridie nonas Julii ætatis suæ anno decimo sexto (1), eodem prorsus die, quo pater ejus Thomam Morum integritatis et justitiæ caput capite ferendum ante aliquot annos, curaverat; ut omnes, qui recte rerum rationes expenderent, facile perspicerent Henricum tanti viri eadem morte primogeniti sui fuisse, nec tamen expiasset, quia penitentiam de peccato suo secundum Deum non egit. Eodem pertinet et ad eandem Dei justitiam referri debet, quod nullus plane ex Henrici liberis (quos ille ut multiplicaret ac perpetuaret, toties se uxores mutare fingebat) sobolem ullam ex se reliquerit, (licet omnes juventute florent) sed steriles anni transierint sine prole, aut germine, ne Patris tani impij propago radices ullas ageat. Northumbrius ac Suffolciensis duces nonnihil percussu præmatura Eduardi morte, quam diu celari vix posse sperabant, etsi omnia nondum rite disposita essent, progrediendum tamen rati, ad arcem Londinensem quamprimum se conferunt; ibi accepto clam universæ fere præcipue nobilitatis iurejurando in verba sua, ac Janæ ducis Suffolciensis filiae, quæ regina erat fulura, paulo post evocantur clanculum prælorem Londinensem, et sex præcipuos senatores, quorum etiam iusjurandum in eandem senten-

¹ Sander. l. II. in Eduardo. Surius in Comm. hoc anno.

(1) Ingens rerum mutatio hoc anno in Anglia facta est. Eduardus rex lento morbo sensim tabescens, cum de vita plane sibi desperandum intelligeret, committendum sibi censuit, ut quam in regnam innoxiv Zuingliana heresis se amoto adhuc persisteret; et cum consilio hinc suo plane repugnantem Mariam Henrici VIII ex Catharina filiam nancisceretur, elicto a se lato et ab amicis quoque habebat a sanctiori consilio confirmato cavet ne alia regni hæres quam Joanna Græci ducis Suffolciensis filia, quæ filio ducis Huntingtoniæ nupsisset, agnosceretur. Et vero pater Maria quam Henricus VIII Eduardo substituerat, plane aversabatur, plane aversabatur. Et rebus esse habentibus, Eduardus diem elandit extremam die et mense, quos indicat annalista; statimque die X Julii Joanna in regni solium conscendit. Nec interim Maria quievit; statim enim a fratris obitu, Norwici agens regnam se salutandam curavit, coegitque exeretum, qui in dies novorum militum accessione auctus post dies paucos novæ reginæ spem fecit firmorem. Successit provinciarum regi spontanea delectio, atque inter primas ipsi metropoli Londinum ad Mariam accessit. Acclamata est Londini die XIV Julii, quæ facile de Joanna regis insidibus evata in turrim Londinensem depulsa est. Metropolis exemplum statim urbes et provincia omnes secuta sunt, pacatunque regnum Maria cessit. Cum Maria ipsa pariter Catholica religio in Angliâ superiora obtinuit, nam et exules episcopus Catholicos revocavit, et concionatores hæreticos adiecit ad silentium, ac in ipsa urbe metropoli sacra Catholica quæ sub Eduardo cessaverat, restituit. Secundum hæc die XIV Septembris Gramernus Cantuariensis archiepiscopus hereticorum fautor precipuus in Londinensem turrim detraditur. Die prima Octobris, Maria ritu solemnem regiam coronam manu Garneri Londinensis episcopi accepit, tum supremo regi senatu, quem parlamentum vocant, coacto die X ejusdem mensis Henrici cum Catharina connubium ratum ac legitimum declaratum est, late ab Eduardo de religione leges abrogatæ, ac tandem sanctitati Catholicorum clericorum provisum.

tiam postularunt : et tandem interpositis aliis duobus diebus praedictam Janam edictis publicis reginam promulgant, quam rem populus indignissime se ferre inusitato quodam silentio commonstravit, nonnulli etiam apertius obmurmurare, quorum unus, cui Gilberto Polto nomen fuit, a domino suo proditus et accusatus, abscissis auriculis publice castigatus fuit. Accusator autem, qui Sanderus vocabatur, eodem ipso die per Thamesim vectus, submersa scapha submersus est; alii carceribus traditi sunt, eo quod scripto a ducibus proposito, contra Mariam subscribere recusassent, quorum fere primus ac praecipuus fuit Franciscus Inglesildus eques auratus, summæ fidei ac integritatis vir ». Et infra : « Northumbrius cum Londini omnia pro arbitrio constituisset, Janam reginam promulgasset, ac in arce Londinensi collocasset, optimatum syngraphas ac jusjurandum accepisset, populum confirmasset, magistratum officia distribuisset, et concionatores nonnullos delegisset, quorum primus fuit Ridlaeus pseudo-episcopus Londinensis, qui e suggestis tam Mariæ quam Elisabethæ causam impugnant, Janæ vero defenderent ac populo commendarent, quod illi sedulo pro consuetudine fecerunt, cum illorum institutum sit ad omnem humanum favorem se commodare, et id populo semper pro Dei verbo proponere, quod a potentioribus suæ sectæ praescriptum fuerit. His confectis, non aliud sibi jam obstare ratus, quam quod Maria in sua potestate non esset, ne procrastinatione sua populus ad illam confluere, omni celeritate delecto milite in eam ducit, Suffolciensi duce ad res Londini conservandas suo loco relicto. Cæterum Mariæ causa tam erat perspecta ac grata universæ plebi, et Northumbrii ambitio ita odiosa, ut ex omnibus undique partibus ad illam ingens fieret concursus, et minus quam decem dierum spatio supra triginta millia militum secum haberit, quibus omnibus lamen tanta erat abundantia rerum ad victum necessariarum, ut cervisie cadus uno Reali Hispanico, quatuor vero panes magni sexta Realis parte venierint. Nonnulli etiam ex optimatibus qui Londino abfuerunt, ad illam contuebant; quod cum senatores ac reliqui ex nobilitate Londini degentes intellexissent, quanquam Northumbrii postulat, cum praesens esset, refragari non auderent, eum tamen tunc cum exercitu egressum proditore declarant ac ducem Suffolciensem suo loco relicto una cum Jana filia regina paulo ante declarata in custodiam tradunt, Mariam honori et regno restitunt, et edictis publicis quidquid antea, vel a se, vel a Northumbrio Janæ nomine factum fuerat, rescindunt : ita completum est vaticinium piæ illius virginis, quam ab Henrico VIII affectam supplicio ob vaticinia vidimus ».

3. Inter has Anglicarum rerum conversiones Pontifex de Eduardi regis morte factus certior, incunte Augusto curas omnes pro restituenda Angliæ religione Catholica defixit : qua de re hæc referunt Acta Consistorialia ¹ :

« Romæ die Sabbathi apud S. Marcum, v Augusti MDLIII, fuit facta Congregatio coram Sanctitate sua, hora xx, super rebus Angliæ, et deputati legati et nuntii ad regnum Angliæ, cum significatum esset, populum filiam antiqui regis in eorum reginam elegeris, et fuit deputatus legatus ad principes Christianos, et præcipue ad ipsam reginam reverendissimus dominus Reginaldus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis Polus, cum facultatibus, et modo, et forma in Brevi expressis », eique commisit sedulam operam navare, seque vel ad Cæsarem, vel ad Gallorum regem, vel ad utrumque conferre ², prout gerenda rei spes illi affulgeret.

4. « Reginaldo cardinali Polo.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Allato nobis nuntio de obitu adolescentis Angliæ regis, (si rex is appellandus est, qui contra omnes divinas humanasque leges a patre susceptus, per vim et crudelitatem, pureque ac sancte religionis eversionem in Christianorum cervicibus populorum impius impositus erat tyrannus) auditoque gravi dissidio, quod inter illius regni proceres de successione regni subortum est, statim cogitare cepimus, num Deus aliquando calamitatum illius nobilis provinciae misertus occasionem nobis præbere vellet, per has procerum illorum contentiones atque discordias, pium religionis cultum et sanctarum legum observantiam populis illis restituendi. Itaque, advocato statim nobis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilio, multa contulimus inter nos, multa cogitavimus, sed illud omnium opportunissimum visum fuit, tuam in primis de omnibus illis rebus sententiam consiliumque exquirere, nam nulli magis ejus provincie status, hominumque illorum voluntates et studia, quam tibi uni sunt explorata, nec vero quisquam est, qui aut pietate in patriam, aut religione in Deum, aut in hanc sanctam Sedem fide atque observantia tibi sit anteponendus; quare circumspeditionem tuam hortamur in Domino, ut totius sui consilii nos quamprimum faciat participes, quid a nobis sperandum, quid tentandum, quid, aut per quos, aut quomodo agendum ac tractandum putet; ac si circumspectio tua existimet, personam suam, si propius ad illa loca accederet (quod plerisque videbatur), magnum momentum ad hoc quod cupimus conficiendum afferre posse, libere atque aperte nobiscum agat, nos enim eo hæc

¹ Acta Cons. Ms. card. Spæde sig. num. 135. p. 128. — ² Jul. III. l. vii. brev. sig. num. 2886. p. 271.

in re animo sumus, ut nec tibi id oneris, si non sit irritus labor, imponendum existimemus, nec si qua spes sit aliquid per nos ad religionis causam perfici posse, ulli labori, vel tuo vel nostro, ullius operæ aut impensæ parcendum putemus; quare hæc tota tua fuerit deliberatio; itemque an te ad Casarem, an ad Gallorum regem, an ad utrumque eorum a nobis legari magis expediat, de quibus omnibus, et de tua simul voluntate libere atque ingenue, ut supra diximus, sublato omni in respondendo pudore, qui in Dei et boni publici causa importunus esset, circumspectio tua certiores nos faciet, ut si qua sit occasio Deo inserviendi, et Christianam rempublicam juvandi, id pro nostri muneris officio diligenter exequi possimus. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum, die 11 Augusti MDLIII, anno IV ».

5. De legationis munere Polo demandato certiores reddidit Pontifex Henricum Galliarum regem, illumque hortatus est, ut regiam auctoritatem ac potentiam pro revocanda in pristinum splendorem Catholice religionis dignitate adhiberet, cum ex præclarissimo facinore immortalis gloriam apud Deum hominesque esse collecturus † :

« Henrico Francorum regi.

« Charissime in Christo filii noster, salitem, etc. Cum in his Angliæ motibus pius et misericors Dominus spem magnam nobis ostenderit illius nobilissimæ provincie, que tam diu per vim et crudelitatem a reliquo Christiani nominis corpore avulsa fuit, recuperandæ, et intra ejusdem Domini ovile reducendæ, nos tam piæ tamque optatæ causæ pro nostri officii munere deesse nolentes, statim dilectum filium nostrum Reginaldum Polum S. R. E. cardinalicæ legatum destinavimus, ut nostris salutaribus hortationibus atque consiliis saluberrimum hoc opus ad Dei laudem et gloriam, quantum cum illius auxilio fieri possit, promoveat atque adjuvet; cui piæ Deoque acceptissimæ causæ cum tua majestas propter locorum propinquitatem, summamque et auctoritatem et potentiam maxime omnium prodesse possit, propter autem suam eximiam in Deum pietatem in primis eam velle non dubitemus, idcirco et eidem Reginaldo cardinali ac legato mandavimus, ut tuam ad eam rem opem et auxilium ubi fuerit opus imploret, et has ad majestatem ipsam tuam dare volumus litteras, per quas eam in Domino plurimum hortemur ac rogemus, ut tanti publici boni occasionem pro sua parte non deserat, sed omnia agat atque efficiat, ut illa in primis Catholica natio, quæ quorundam impietate tandem a recta salutis vi aberrare coacta fuit, in veram nobiscum fidem et religio-

nem, Deique et sanctarum legum obedientiam redintegraret, atque ut positis tantisper privatarum rationum considerationibus, quæ præclaris interdum ac vere salutaribus consiliis impedimento esse solent, hanc majestas ipsa tua Dei esse causam cogitet, Dei in ea nomen et gloriam, Dei denique voluntatem agi consideret, ut tua majestas, quæ præter cæteros Christianos principes Christianissimi regis cognomine insignita est, in hac etiam parte Christianæ fidei tuendæ, ac propagandæ et celebratissimo cognomini, et suæ majorumque suorum virtuti respondeat. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die vi Augusti MDLIII ».

6. Perlatum est eodem tempore Mariam Angliæ reginam a populo senatque Anglo fuisse regis honoribus exceptam cultamque, ex quo felici nuntio ingenti lætitia delibutus Julius, majores spes de religione Catholica in Anglia instauranda concepit, ad quæ pia consilia in opus provocanda, amplissimis mandatis cardinalem Polum instruxit, utque Mariæ reginæ de honore regio divinitus illi collata gratularetur, Pontificiæque benevolentia effusa officia polliceretur, imperia dedit † :

« Reginaldo cardinali Polo legato.

« Dilecte filii noster, salutem, etc. Post nuntium nobis allatum de adolescentis Angliæ regis (si tamen rex appellandus est) morte, cum nos in assidua cura consultationeque versaremur una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, quid moliri agereve possemus, ut illi nobilissimo regno impia tandem tyrannide oppresso, verus Christianæ religionis cultus et sanctarum legum observatio restitueretur, tu nobis statim occurreres, cujus potissimum fidei, consilio, virtuti, totum hoc negotium committeremus, quemadmodum ex aliis nostris litteris ad te scriptis intelligere poteris, verum interea dextera Domini fecit virtutem, suaque illa admirabili atque nostris oculis incognita providentia, salutem illius provincie per se operata est, nam charissima in Christo filia nostra Maria Angliæ regina declarata, quæ semper in recta fide religioneque tuenda firmam sese atque constantem contra paternas ac fraternas injurias persisterat, nemini dubium esse potest, quin et illius regni salus ac tranquillitas Deo Optimo Maximo curæ sit, et piorum labores gemitusque ab illius bonitate opportuno tempore sint exauditi: itaque hujus tanti divini muneris statim cum eidem fratribus nostris gratulatione facta, gratisque eidem misericordi Deo, prout pro temporis angustia fieri potuit, persolutis, circumspeditionem tuam de ipsorum consilio atque unanimitate assensu nostrum et Sedis Apostolicæ legatum ad eandem Mariam Angliæ reginam deputavimus :

† Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 273.

† Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 274.

primum, ut ei nostro et Sedis Apostolicæ nomine de honore illi divinitus oblato gratuleris, nostrumque animum ad eam deferas, tum paternæ erga illam pietatis charitatisque plenum, tum secundarum omnium ipsius rerum atque illius regni cupidissimum, deinde ut perturbatum illic ac labefactatum puræ religionis cultum tua præstanti singularique virtute, pietate, sapientia, doctrina, auctoritate ad pristinam Patrum disciplinam revoces, in quo quid agere conveniat, tu quidem a nobis minime es admonendus, cui res illæ æque ac nobis ipsis cordi sunt, et magis quam cæteris omnibus notæ: illud quod nostrarum partium fuit, prompto et laeri animo fecimus, ut circumspectionem tuam amplissimis facultatibus a nobis atque ab hac Apostolica Sede muniremus, per quas in errore lapsos consolari, et in Dei gratiam ac sanctæ Catholicæ suæ Ecclesiæ communionem restituere possis, quemadmodum aliis nostris sub plumbo datis litteris, quas propediem ad te mittimus, latius explicabitur. Datum Romæ apud S. Marcum, die vi Augusti MDLIII, anno iv ».

7. Eadem die Julius reginæ Mariæ de superatis Dudiæ et Suffolciæ ducem et conjuratorem, qui illam vi opprimere nitentur, insidiis, regioque insigni secundo populorum applausu accepto gratulatus est, atque ad restituendam pristino splendori collapsam religionem cohortatus est¹:

« Mariæ Angliæ reginæ.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem, etc. Posteaquam renuntiatum nobis est post Eduardi adolescentis obitum cum multe potentium virorum fraude atque insidiis multa pericula saluti ac dignitati tuæ intenderentur, Omnipotentem Deum, qui te antea ab omni impietatis hæresumque contagione, quæ in ista Provincia fuerant excitata, illæsam immaculatamque præservarat, nunc tot laborum tuorum simulque tantarum calamitatum istius nobilissimi regni miserum, fecisse potentiam in brachio suo, majestatem tuam, manu sua illa excelsa a perditis perfidorum conatibus mirabiliter liberasse, teque maximis omnium illorum populorum ac consentientibus studiis et voluntatibus Angliæ reginam optimo jure declaratam, ac salutatam fuisse, novam sane quamdam, atque animo nostro insolitam in Domino lætitiæ cepimus, cum jam per complures annos in isto imprimis pio Catholicoque regno tam multe seditiones atque discordiæ, tantus pietatis ac veræ religionis, omniumque tam divinarum quam humanarum legum contemptus existerit, ut nihil fere conspiceretur, quod non summum dolorem ex perturbato isthæ Christianæ disciplinæ ordine, et ex animarum illarum, quas

Christus suo pretioso sanguine redemerat, amissione nobis afferret. In hoc ergo nostro ex tantis istius provincie incommodis micere, immensa Dei benignitate hic primus nobis lætus illuxit dies, qui te istius nobilissimæ potentissimæque provincie reginam tot manifestis divini erga te auxilii atque favoris indicis declaratam fuisse ad nos attulit, haud enim dubium esse potest, elementissimum Deum, istius regni incoluntatem et salutem in omnem partem respicere, cum talem illi reginam fide, pietate, æquitate, mansuetudine, auctoritateque præstantem, ea admirabili cura semper esse conservatam, isto etiam admirabili modo proposuerit, ille enim profecto te ex impiorum manibus voluit liberare, ut per eandem te fidelibus populis suis tamdiu per vim et savitiam a puræ et sanctæ suæ religionis cultu abscissis, verè Christiana libertas restituitur, ille tantas tibi opes potentiamque tribuit, ut eas maxime ad impietatem tollendam, et ad sui nominis laudem celebrandam convertas. Nos quidem qui pastoralis officii a Deo nobis injuncti munere, Christianorum populorum salutem vita ipsa nostra longe habemus clariorem, et qui nihil tam cupimus quam eos qui a recta salutis via aberraverint, quæ nimirum in Catholice atque Apostolicæ fidei consensu atque unitate sanctarumque legum observantia consistit, in semitam redire justitiæ, seque cum reliquo Christiano corpore, et cum illo divinitus attributo capite conjugere, omnem nostram operam, studium, consilium, auctoritatem, majestati tuæ ad istum optimum, ac deo acceptissimum finem libentissime studiosissimeque deferimus; elegimus autem, qui nostræ hujusmodi erga te voluntatis internuntius sit et interpres, dilectum filium nostrum Reginaldum Polm sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, quem tuæ majestati, tum propter illius eximias præstantissimasque virtutes, excellentemque pietatem, doctrinam, sapientiam, tum propter multas et magnas, quas tecum habet necessitudinis ac consanguinitatis causas, scimus esse probatissimum, qui idem superioribus temporibus pro Christianæ religionis veritate, et tuæ simul majestatis dignitate tuenda, in maximas gravissimasque ærumnas incidit, eum nos ad majestatem tuam nostrum et Sedis Apostolicæ legatum statim destinavimus, ut tibi de honore divinitus oblato, nostro nomine gratuletur, omniaque benevoli erga te atque universam istam nobilissimam nationem Patris munera pro nobis adimpleat. Nos illum talem virum, causamque eam, quam tecum acturus est, cum Dei causa sit, cui ipsa tam multa debes, majestati tuæ commendare supervacaneum ducimus, tantum Deum Optimum Maximum omnibus precibus oramus, ut ipse Reginaldus nostrorum suorumque rectissimorum consiliorum eos exitus habeat, qui et no-

¹ Jul. III. lib. VII. brev. sig. num. 2886. p. 273.

stra pietate et illius virtute, tua integritate, piaque et grata in Deum mente maxime sint digni, ut gaudium nostrum et spes, quam ex iis divinam in tuam majestatem benignitatis initiis maximam concepimus, speratos ex secundis eventibus rerum fructus proferat. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die VI Augusti MDLIII, anno IV ».

8. De felici hac rerum conversione, et Maria regina in Anglicum solium evecta conceptam lætitiâ Pontifex communicavit cum Cæsare, illumque rogavit, ut Reginaldum cardinalem legatum suis consiliis auxiliisque instrueret, ut ille in Anglia demandato sibi munere pro depellenda hæreseos tyrannide ac religione orthodoxa in præterita dignitatem adducenda perfungi posset¹ :

« Imperatori.

« Charissime in Christo fili noster, saltem, etc. Multis et gravibus nostrorum temporum incommodis, quæ nos assiduo dolore, Christianæque reipublicæ et fidei collabentis miseratione conficiunt, factus aliquando nobis per Dei bonitatem atque clementiam dies illuxit, qui videlicet nuntium nobis attulit post mortem Eduardi, qui se pro rege Angliæ gerebat, nobilissimum illud regnum ad clarissimam in Christo filiam nostram Mariam optimam præstantissimamque reginam consobrinam tuam, quæ semper in Dei et veræ religionis causa tuenda fidelissimam sese constantissimamque præstitit, tum jure et legibus, tum incredibili populorum illorum voluntate atque consensu fuisse delatum, in quo quidem admirando opere conficiendo, quo minus auxilii ex humanis opibus ac consiliis fuisse conspicitur, eo magis Omnipotentis Dei virtus providentiæque apparet, totamque hujus beneficii in Christianam reipublicam collati beneficii laudem et gloriam sibi soli vindicat, quod ipsum cum nobis ad singularem lætitiâ satis per se magnum atque amplum est, tum animum nostrum communium antea miseriarum desperatione jacentem, etiam quoad reliquas male affectæ Christianitatis partes ad magnam spem divinæ ejusdem salutis erexit, cum videamus id quod hominum viribus ac consiliis impossibile sit, excelsi Dei potestati, clementiæ, bonitati esse facillimum. Quod vero ad ipsam Mariam Angliæ reginam resque illius Provinciæ pertinet, nos tantum publicum bonum nostris studiis, hortationibus, consiliis, eaque, quæ a Deo Optimo Maximo attributa nobis est, potestate adjuvare volentes, dilectum filium nostrum Reginaldum Polum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad eam nostrum et Sedis Apostolicæ legatum destinavimus, hominem ea pietate, integritate sapientiæque præditum, eundemque ipsius reginæ ita studiosum atque ob-

servantem, ut is vere Angelus pacis, honorumque omnium mediator sit existimandus. Eum ad majestatem tuam primo accedentem, ut opem, consilium, auxiliumque tuum in tanta publica causa pro excelso, quem in Christiana republica oblines loco, ubi fuerit opus, impleret, benigne ut excipias, ejusque consilia ad Dei honorem, et gloriam, et ad universam illius provinciæ salutem, quæ in observatione rectæ religionis maxime consistit, spectantia, et tua sapientia dirigere, et auctoritate, opibus præstantique potentia adjuvare velis, tandem majestatem tuam plurimum in Domino hortamur, ab eaque toto animi affectu requirimus ac petimus, quanquam eam in istam rem ipsam, tum propter suam in Deum pietatem, tum propter Mariæ ipsius reginæ consanguinitatem satis per se promptam esse confidimus, ac propterea tecum gratulatione magis opus esse quam hortatione putamus; lamen gratissimum nobis erit, et tuo etiam nomini gloriosum, si in hanc optimam atque illi nobilissimæ provinciæ salutarem causam, ita toto animi ac consilii tui robore incubueris, ut omnes majestatem tuam, non plura in eo carni et sanguini, humanæve ulli affectioni dedisse, quam suæ eximia in Deum pietati et sanctæ illius religionis propagationi tribuisse intelligant. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die VI Augusti MDLIII, anno IV ».

9. Agebat tunc Venaci in Insubriæ finibus cardinalis Polus in percelebri cœnobio ac divinarum rerum contemplationi vacabat, cum Angliæ legationis obœndæ imperia a Pontifice accepit, is vero cum Angliæ regnum ob superiora schismata perturbatissimum arbitraretur, non se commovit antequam rerum Anglicarum conditio ipsi explorata esset; misso vero inter-nuntio humanissimis litteris reginæ Mariæ de consensu regni Anglici solio est gratulatus, tum illi significavit, quæ pro fide Catholica, tum ipsius reginæ causa esset perpressus, omniaque illi feliciâ comprecatus sacris adhortationibus accendit, ut omnem operam pro religione Catholica Angliæ restitenda explicaret, tum significavit sibi ea de causa legati Apostolici munus demandatum, rogavitque, ut vicissim sibi significaret quod tempus aucupandum præstolandumve, vel quæ ratio incunda foret, ut mandata Pontificiâ conficeret; sperare enim se ut redeuntibus ad Ecclesiæ obsequium Anglis pristina felicitas, una cum religione in eo regno retroresceret² :

10. « Mariæ reginæ Angliæ, etc.

« Benedicta manus Omnipotentis Dei, quæ non solum majestatem tuam in alto throno et in possessione regni collocavit, quod per multos annos ad eam spectabat, et ab omnibus bonis optabatur, atque inter sacras preces pete-

¹ Jul. III, l. VII, brev. sig. num. 2886, p. 281.

² Est. apud Natal. Conit. l. VII.

batur a divina clementia, sed etiam eo res deduxit, ut non modo res ipsa, verum etiam ratio ipsius rei conficiendæ omnes animos incredibili lætitia perfundat, et præcipue pium animum tuum, quia sine sanguine res peracta est prope, cum magna clades esset timenda, propter fraudes adversariorum, quæ non parvis viribus erant suffulta ad eam justissimam successione privandam; atque cum propter longum spatium sibi divinitus concessum ad suas insidias subtexendas, putarant se ad finem optatum cum scelere suscepti consilii pervenisse, sine novis auxiliis, sed solis viribus, quas Spiritus Dei excitavit in animis mortalium, effectum est, divina providentia, ut brevi momento temporis irriti ac delusi sint omnes mortalium apparatus, ita conversi sunt, qui humanæ militiæ militabant, ad protegendum honorem Dei, majestatis tuæ incolomitatem ac totius regni salutem. Si quis itaque miratur, cur tua majestas nullis externis viribus, paucis etiam subdilis audientibus ejus partes amplecti, potuerit regnum ita usurpatum adversus tantam hominum malitiam et potentiam recuperare; aut si quis rogaret, quomodo factum est istud? res ipsa respondere poterit: Spiritus sanctus supervenit in corda hominum, qui ea ratione tibi regnum restituere voluit, atque hoc uno exemplo non solum vestris populis, sed etiam universis Christianis, et Barbaris nationibus manifestum sit, quia nullum sit consilium, nec prudentia, nec fortitudo contra Dominum Deum, et quod Excelsus dominatur in regno hominum, et cui voluerit, et quando voluerit, dabit illud. Ejus divinæ providentiæ in rebus humanis credulitas præcipuum nostræ religionis fundamentum, si unquam in istud regnum introduci et confirmari debuit per ullam manifestam experientiam, hoc maxime tempore introduci necesse est, quo propter impiorum tam diuturnam auctoritatem, ita erat in animis hominum debilitata, et in eorum animis præsertim, qui prudentiores sapientioresque putabantur, ut penitus videretur extincta. Cum divinæ itaque bonitati placuit, ita evidentibus signis suam potentiam in tua majestate extollenda, tunc cum a suis inimicis et a multis aliis penitus oppressa putabatur, declarare: hoc est, cur maxime omnes boni et pii glorientur, et quod tibi magis gratum esse certo scio, quam regiam dignitatem; atque si ulla fœmina debuit Deum laudare his verbis suæ sanctissimæ Matris, cujus nomen refers, quibus ea usa est ad exprimendam lætitiâ propter divinam providentiam ad sui humanique generis salutem, cum Spiritu sancto repleta inquit, *Magnificat anima mea Dominum*, cum iis, quæ sequuntur, tua majestas justissima de causa eum Psalmum canere potest, cum in se ipsa sentiat, quod omnes vident, et ut divina bonitas *respexit*

humilitatem ancille suæ, fecit potentiam in brachio suo, statim deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, hoc dictum de divina providentia erga majestatem tuam, semper manifestius in administratione cognoscetur tua, cum incremento illo lætitiæ, quod desideratur ad honorem et laudem divinæ majestatis. Enimvero mea erga Deum et suam Ecclesiam, ac erga majestatem tuam pietas me cogit nunquam in hoc regni tui initio tibi in memoriam revocare: quod est, ut cum ita singulare beneficium a Deo acceperis, diligenter consideres, e quibus radicibus perturbationes rerum ad justitiam et ad veræ religionis cultum pertinentium pullularint: quippe cum illæ in dies in illo regno cum tanta ruina succreverint, tam publica quam privata, quanta non ignorantur. Atque si hoc ita feceris, percipies profecto principium et causam omnium malorum tunc pullulasse, cum perpetuus humani generis adversarius patri tuo persuasit impurum consilium, ut divortium fieret matris tuæ optimæ reginæ. Atque illi magnæ in Deum, in ipsam, in te, in seipsum injuriæ majus additum est scelus, quod a matre divortium fecit omnium Christianorum a sancta Catholica obedientia, et ab Apostolica reverentia. Ex hoc iniquo et impio semine tot pestiferi fructus nati sunt, ut ita regnum ubique corrumperint, ut nullum neque justitiæ, neque veræ religionis vestigium apparuerit, relegatæ enim sunt ambæ, quando reverentia et obedientia Ecclesiæ ejecta fuit, neque prius sunt reditura, quam divina obedientia in animum recepta sit eorum, qui rebus præferunt; hoc facile tua majestas illi servo suo potest credere, qui plurima et ista et majestatis vestræ causa passus est. Neque ullam defendendæ causæ tuæ rationem prætermisit, ubi aliquid extaret remedium, quo te tuis molestiis sublevarem, quod si mei labores eum finem consecuti non sunt, quem semper desideravi sapius vel vitam ipsam periculis exponens, certe nunc ea de re multo magis lætor, quam si ipse adjutor fuisset, cum apertissime cognoverim divinæ providentiæ in majestatem tuam propensam voluntatem. Nam profecto noluit Deus ulla humana te manu adjuvari, neque Pontificis, neque Cæsaris, neque ullius principis, quamvis nunquam cessavit Pontifex Cæsarem ad opem ferendam cohortari, neque mea defuit diligentia utriusque ad hoc pium opus sollicitandi sed divinitus res protracta est, donec statutum tempus a Deo adventarit, quo divina manu sublevareris. Interim usus est Deus eadem ratione, qua erga charissimos et dilectissimos uti consuevit, quos nutrit et educat in omni calamitatum acrumnarumque genere, ut gratiæ suæ semen altiores radices in corde tuo possit extendere, meliusque floreat, ac nobiliores fructus producat, cum visum fuerit in pristinam

felicitem revocare. Illud nunc omnes boni expectant, atque ego in primis, cui major occasio concessa est doles animi, quæ divinitus tibi concessa sunt, a teneris cognoscendi. Ea res me nullo etiam magis impellit, ut majestati tuæ id significarem, de re tanta, quanta est Ecclesie obedientia, me magis etiam sollicitum esse quam antea, qua mente sis erga religionem, et quo pacto affecta. Nam cum circiter trecenta millia passuum distem ab Urbe Roma, nuper ad me de rebus Britannicis est delatum, et per litteras summi Pontificis certior factus sum, te ad summum imperium esse provectam, et me electum legatum a sancta Sede Apostolica ad majestatem tuam, et ad Cæsarem, et ad Galliarum regem, ut tibi gratularer pro victoria Dei, in hac causa ipsius Dei. Sed quia quanti res sit intelligo, censui non inutile fore, si majestatis tuæ mentem, quo pacto Deus moverit, prius percunctatus fuero, cujus causa præsentem nuntium cum meis litteris mitto : neque istud quidem, quia de optima ista voluntate tua subdubitem, quoniam te semper gratam erga Deum fuisse cognovi, et acceptorum non immemorem, legumque divinarum observantissimam, inter quas obedientia Apostolicæ Sedis continetur, cui maxime omnium favere debes. Nam certe quidem majestatis tuæ pater nulla alia de causa Apostolicam obedientiam reliquit, nisi quia noluit Pontifex Romanus causæ tuæ favens, turpi et iniquo ejus desiderio assentiri. Sed quoniam tot annos tanta facta est mutatio tantaque malitia conata est evellere ex animis hominum, penitusque restringere hanc ipsam obedientiam et observantiam, mihi visum est non absurdum fore, si ex te ipsa percunctarer, quod tempus aut quæ ratio aptior commodiorque videretur ad ipsius vicarii Christi legatione perfundendum, idque ad istius regni beneficium et consolationem, cujus felicitas et quies semper magis oppressa fuit, ex quo sancta obedientia expugnari copta est, coactaque solum vertere. Decrevi igitur prius responsum expectare, quod ut expectationi meæ optime respondeat, ab omnipotente Deo suppliciter peto, omniumque piorum spei, quam habent de majestate tua conceptam, idque ad confirmationem et incrementum felicitatis tuæ et illius regni. Quod si mihi benignam audientiam concesseris, spero futurum Dei Optimi maximi beneficio, ut intelligas in hac ipsa obedientia Ecclesie consistere, et collocatum esse fundamentum et stabilimentum omnium bonorum ipsius regni. Sic igitur rogans omnipotentem Deum, ut pro sua infinita misericordia majestatem tuam fortunet in ipso imperio, in quo te collocavit, finem scribendi faciam. E cœnobio Megazeni Benaci, idibus Sextilis MDCIII.

II. « Dum responsum expectat cardinalis Polus, subsistitque in Italia », inquit Sande-

rus¹, « altera cum illa Anglicana etiam ad Cæsarem de pace inter ipsum et regem Gallorum concilianda decernitur legatio ». Revocarat nimirum e provincia Julius Verallum et Dandinum cardinales, cum omnes pii eorum conatus ob insitam veterum odiorum pertinaciam elusi fuissent : affulserat vero novæ spes sedanda discordiæ, cum beneficio illius pacis inter eos reges sciendæ, in Anglia Germanique instauranda religio videretur, porro internuntius, qui a cardinalate Polo ad Angliæ reginam missus fuerat humanissime acceptus est, ab eaque cardinali Polo de piis monitis actæ sunt gratiæ, ac summi in Sedem Apostolicam cultus, et amantissimi obsequii gravissimæ testificationes exhibite, verum cunctari jussit, donec pacatior foret temporis ratio, ac tum commode accersitum iri rescripsit², ut e subjectis litteris patebit :

« Optime sobrine Pole, in Christo observantissime. Accepi litteras tuas, quas tuus familiaris mihi reddidit, ex quibus intellexi perpetuam, optimam voluntatem erga hoc regnum, patriam tuam nimirum, et erga legitimos hæredes cum summa lætitiæ significatione ob ea quæ placuerunt divinæ clementiæ Omnipotentis Dei in ostendenda sua erga me vera justissima infinitaque misericordia, propter quam me tibi etiam non parum debere sentio, cum monita amantissima præterea in litteris addideris, quod si nullo naturæ vinculum inter nos intercederet, quod certe maximum intercedit, tamen vel una hac de causa maximas tibi deberem gratias, quod me tam amanter monueris, atque ego dabo operam pro viribus, ut monitis tuis satisfaciam, quippe cum neque unquam fuerim, nec sim, neque (ut divinæ misericordiæ confido) unquam futura sim Catholicæ adhortationi in tuis litteris contentæ adversaria. Quod attinet ad meam obedientiam et debitam observantiam erga sponsam Christi, et matrem divinam suam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam harum litterarum lator poterit te commode docere : is enim poterit explanare, quanta sit animi mei molestia, præterea quod non possim animi mei sententiam in hac re prorsus patefacere, sed cum primum data erit facultas sinceritatis animi mei erga divinum cultum explicandæ, obedientiæque, quid sentiam, exsequenda, faciam te primum per litteras certiore. Quod spectat ad coronationem, idem nuntius omnia plane explicare poterit, multaque alia quibus illum adesse volui, cum mirificæ Omnipotentis Dei misericordia confidam futurum, ut hæc comitia omnia statuta abrogent, unde omnium calamitatum hujusce regni semina pullularunt ; spero autem futurum, ut delictorum veniam a Summi Pontificis clementia obtineam : cui te rogo, ut meo nomine humillime gratias agas

¹ Sander. l. II. — ² Ext. apud Natal. Comit.

pro sua multiplici in me bonitate, ut in eadem persistat clementia, omnemque præteritorum commissorum oblivionem concedat. Hunc igitur remitto spe postulationis non irritæ futuræ opera tua, quando tantum benevolentia et fraternæ charitatis mihi pignus obtulisti. Me itaque plurimum Sancto Patri, ac tibi commendans, finem facio scribendi. Westmonasterio, VI idus Octobris MDLIII ».

12. Acceperat illa insigne regium solemnium ritu kalendis Octobris summo populi procerumque applausu, ac magnanima pietate primatus Ecclesiastici adulterinos titulos aspernata erat, necnon inique religionis odio divexatos libertati, honoribus iuribusque pristinis restituerat, ut narrat his verbis Sanderus¹: « Civitatem et arcem Londinensem more triumphantis ingressa, mox, nullo senatus consulto expectato, sed sua sola pietate profanum primatus Ecclesiastici titulum respuit, et e carcere regio sustulit episcopos Edmundum Londinensem, Stephanum Wintoniensem, Cuthbertum Dunelmensem, qui ob fidem variis carceribus vincti asservabantur; Thomam item Norfolkiam ducem, et Eduardum Courinaum marchionis Exoniensis, olim ab Henrico occisi filium, quem Devoniam etiam comitem illa postea creavit, injuste ad perpetuos carceres damnatos, et libertati et honori pristino restituit; exilii et perduellionis iniquissimam contra Reginaldum Polum cardinalem latam sententiam revocavit, gravissimum vectigal populo prius ab Eduardo impositum condonavit. Et ne adulterate pecuniæ permutatione tam misere expoliarentur subditi, misericordissime curavit, ut Rex regi quid præstet, ut hæretico Catholicus, quantum intersit omnes statim viderint ». Cum vero cardinalis Polus nondum in Angliam acciri posset, missus est Franciscus Commendonus Pontificius cubicularius, natione Venetus, vir magno et expedito ingenio, qui postea rerum gestarum peritia et virtute cardinalitiam purpuram promeruit: « Is », inquit Sanderus, « tam prudenter ac impigre rem egit, ut et cætera omnia exploraret, et reginam ipsam aliquoties clam alloqueretur, et ab ipsa Syngrapham acciperet, qua obedientiam Apostolicæ Sedi pollicebatur, atque a schismate absolutionem pro regno petebat, promittens se rebus publicis compositis, tumultibusque sedatis, officium suum per oratores facturam. Commendonus cum iis mandatis Romam rediens promptam reginæ voluntatem Pontifici aperuit ». Affecto Octobri regina Maria cardinali Polo pium regni ad avitam orthodoxam fidem revocandi, illiusque in Angliam adventus desiderium significavit rogavitque ut suo nomine obsequium Pontifici deferret, cujus sacrosanctis precibus se commendabat, at non defuere ma-

levoli, qui eximiam reginæ erga Romanam Ecclesiam voluntatem, fictis calumniis abalienare niterentur, et quæ de piis ejus gestis, deque præcipuis hostibus merito affectis supplicio, atque admiranda eorum respicientia in consistorio cardinalium maxima cum illius laude et commendatione fuerant celebrata, in adversam partem verterent, regiumque animum, quasi ejus honori detractum fuisset, malevolentia suffundere molirentur, a quorum fraudibus ut caveret, Pontifex eam hisce litteris¹ pramonuit:

13. « Mariæ Angliæ reginæ.

« In magna voluptate nostra, quam ex litteris tuæ majestatis ad dilectum filium nostrum Reginaldum Polum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem et legatum xxviii Octobris die datis accepimus, cum ea nobis maximum et optatissimum tuæ eximiæ virtutis et sapientiæ testimonium præberent, illud nobis sane molestum fuit, quod expostulas quasi quædam per hominem nostrum fidum a dilecto filio nostro cardinale Imolense in Angliam missum, publice in Consistorio nostro fuerint prolata, quæ tuæ majestatis rationibus obsessent; quod longe secus esse et ab omni veritate prorsus alienum, cupimus, ut majestas tua nobis in verbo veri Romani Pontificis affirmantibus credat: jussimus quidem eum, quæ ille isthic præsens vidisset, de damnatorum pœna deque eorumdem miranda respicientia et oratione, deque tuis publicis et dictis atque factis, quæ præclara tuæ piæ Catholicæque mentis præ se ferrent indicia venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus exponere, ut tantum publicum gaudium cum illis potissimum communicarem, quos habemus curarum et sollicitudinum nostrarum participes; de cæteris vero omnibus, præsertim quæ te lædere, ut tuis piis actionibus difficultatem quoquo modo afferre potuissent, nihil est, quod tua majestas vereatur quidquam ab eodem nuntio fuisse prolatum; quæ omnia cum fictitia ac commentitia sint hominum, videlicet, tum majestatis tuæ verissimæ gloriæ, tum nostræ in Domino consolationi invidentium, haud satis vel mirari vel dolere possumus horum perversitatem temporum, cum sint qui his artibus tuam a nobis voluntatem alienare, et nostrum atque hujus sanctæ Apostolicæ Sedis nomen tuæ majestati invisum reddere conentur, sed firma in Deum spe freti sumus majestatem tuam quæ tantos divini in se laboris atque auxilii quotidie afflatus sentit, eodem semper divino Spiritu omnes rerum difficultates sua constantia et hominum astutiam et malignitatem sua admirabili sapientia superaturam esse, quod nos, ut ita eveniat, tam vehementer cupimus,

¹ Sander. l. II. par. 2.

¹ Julii III. lib. brev. VII. sig. num. 2886. p. 433.

ut in eo omnes cogitationes, desideriaque nostra habeamus fixa ac collocata, non solum in hoc Deo et conscientiae nostrae deesse nolentes, sed etiam tuae istius eximiae virtuti et pietati satisfacere cupientes, quemadmodum ex litteris ejusdem Poli cardinalis et legati tua majestas plenius et crebrius intelliget, cui mandavimus, ut totam istam legationis functionem tuo possissimum consilio ac voluntate moderetur. Datum Romae apud S. Petrum, etc. die xiii Decemb. MDLIII, anno iv ».

14. Quod ad damnatorum admirandam illam respicientiam attinet, de qua meminit Pontifex, referunt Sanderus¹ et alii Joannem Dudleyum ducem Northumbriae, qui Janam nunc tot fraudibus ad regium solium provexerat, antequam securi perceretur, undecimo kalendas Septembris ex consilio Nicolai Haethi postea Eboracensis archiepiscopi haeresim ejurasse, fidemque Catholicam amplexum et catastam promulgasse Londinensi populo unicum ac veram esse fidem, quam proficitur Romana Ecclesia, contrarias vero sectas esse perditissimas haereses, id aperte demonstrari ex gravissimis malis, quae Germania et Anglia intulissent, se vero graviter deliquisse, qui licet id probe intelligeret, tamen ambitione obcecatus haeresim professus esset, ut ad majores honores spemque regni obtinendi assurgeret; cum vero haeretici ea publica contestatione, quam imminenti divini iudicii terror exprimebat, confunderentur, fixere versutum hominem his adumbratis poenitentiae signis pro eblandienda venia demulcere regias iras perentasse. Caeterum regina in ejus filios laesa majestatis reos clementiam explicuit, ut narrat Sanderus²: « Quatuor (inquit) ejus filiis paritum est, quorum duo adhuc vivunt in magna gratia apud Elisabetham, Ambrosius Warvicensis et Robertus Lecestrensis comites; Ambrosius mitioris naturae ac minoris semper ambitionis extitit, Robertus vero tantorum malorum auctor habitus deinde fuit, ut nihil optima Maria fecisse in universa vita reipublica Christianae incommodius existimetur, quam quod illum justissime condemnatum vita donaverit ».

Porro Jana Suffolciae ducis filia, quae regia corona instar victimae, ut mactaretur, fuerat redimita, una cum parente Suffolciae duce, qui in arboris trunco jejunos biduo latuerat, capitali supplicio iniquum alienum facinus luit: universi vero ferme regni optimates restituendae Catholicae religioni adversabantur, tum quia victimam lenociniis erant irretiti, tum quia Ecclesiarum opum, quas invaserant, commodis insecuti; itaque cum multa cardinali Polo, ne demandatum legationis munus exerceret in

Anglia objicerentur, Pontifex ad explicandam faciliorem gerendarum rerum rationem eidem cardinali permisit¹, ut privato cultu in Angliam ad amissas, Henrici tyrannide, recuperandas res capta temporis opportunitate se conferret.

15. « Cardinali Polo.

« Cum magno animi nostri dolore videamus, tam Anglicae quam de pace circumspeditioni tuae per nos commissae legationi multa undique inferri quotidie impedimenta, quae et iter tuum, et consilia nostra, et tantum commune bonum remorentur ». Et infra: « Permittimus et veniam damus, ut cum tibi res id poscere videatur, deposito tantisper legationum quibus nunc fungeris nomine atque insignibus, privato tuo nomine in Angliam te conferre possis; et rursum cum tibi idonea publicas res juvandi sese offerre visa fuerit occasio, volumus, ut earundem ambarum legationum vel utrius expedire cognoveris, nomen, insignia, auctoritatemque denuo queas assumere, atque ita illarum functionum, usumque tua prudentia moderari, ut tibi nec in privatis tuis rebus agendis obsit, nec in communibus procurandis publicae quam nunc sustines personae desit auctoritas. Datum Romae apud S. Petrum, etc. die vii Decembris MDLIII, anno iv ».

Detinuit Reginaldum Polum Caesar, ne in Angliam trajiceret, nam cum de Philippo filio Mariae reginae connubii legibus sacris conjungendo, ut Angliam Hispaniae conjungeret, Anglorumque viribus auctior Gallorum regem deprimeret, graviora consilia volveret, pertimuit, ne Reginaldus, qui materna stirpe proeminatus erat et regio Anglorum sanguine, necdum sacerdotio erat initiatus, etateque reginae suppar in regem expeteretur; itaque variis artibus illum in variis locis tenuit accepiit expellatone suspensum, donec conjugium Philippum cum Maria transactum est: ut vero eo sancito exitus in Angliam honorificentissime legationis munus obierit, proximo anno dicitur:

16. « Caesar et rex Christianissimus inter se saecis bellis certabant, non solum in Belgio et in Germania, sed etiam in Haetruria ob Senarum urbem, pro quo bello gerendo cum utraque pars milite indigeret, Pontifex ne status Ecclesiae, qui proximus loco certaminis erat, exhauriretur hominibus, qui stipendiis horum principum allecti sub eorum vexillis essent nomina daturi, ne quis eorum regum quos mutuo federe inter se conciliare amittebatur, bellis se implicaret, neve proceres Ecclesiasticae ditionis in varias factiones dividerentur, legem hanc tulit: Qui hujusmodi contravenientium notitiam habuerint, et eos revelare neglexerint, in aere et in corpore ipsorum inobedientiae meritam poenam severe recepturos declaramus.

¹ Sander, l. II, in fin. p. I. Sur. in Comm. hoc anno, Sander, ubi sup. — ² Sander, ubi sup.

¹ Jul. III. lib. brev. VII. sig. num. 2886. p. 400.

Voluimus etiam, ut si qui forte supradicto modo pecunias aut dederint, aut promiserint, aut acceperint, aut se obligaverint, infra triduum post præsentium publicationem sese nobis, aut locorum nostrorum rectoribus aut gubernatoribus, aut prædicto Juliano, manifestantes, ab illiusmodi promissionibus aut obligationibus retrahere se impune et libere possint, post quorum dierum terminum, qui se interea, ut præmillitur, manifestare neglexerint, in prædictas penas irremissibiliter incurrisse censeantur. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die xx Februarii MDLIII, anno III ».

17. *Carolus V bellum Senensibus infert, quos Galli strenue defendunt.* — Cum igitur Cæsar¹ Senenses subijcere decrevisset, in hujus expeditionis ducem elegit Petrum Tolestanum ducis Florentiæ socerum, et proregem Neapolitanum, qui Florentiam cum petisset, post paucos dies ibi moratus diem clausit extremum, et in ejus locum, recusante exercitus imperium militare Florentiæ duce, Garzias proregis filius successit, qui viginti mille militibus stipatus bello initium dedit, multisque prius oppidis Senensium occupatis, tandem Montem-Alcinum obsidione cinxit, Senenses vero Galli strenua virtute defendebant. Interim Florentiæ dux Pontificem hortabatur, ut operam daret ad pacem inter Cæsarem et regem firmandam, cum in Italiæ exitum id bellum verteretur. Pontifex pertentavit Gallorum animos, an paci honestæ essent assensuri, ducemque Florentiæ hortatus, ut operam suam in eam collocaret, ut subjectæ ostendunt litteræ² : « Duci Florentiæ.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Et nostro perpetuo procurandæ pacis studio adducti, et tuæ etiam nobilitatis rectissimæ voluntati in eo satisfacere cupientes, quod proxime ad te scriptum nos propediem facturos, ut aliquem ex nostris ad ipsam tractandam pacem mitteremus, id nunc facimus. Mitimus enim cum litteris mandatisque nostris dilectum filium Federicum Fanluccium sacri palatii nostri causarum auditorem, hominem nobis doctrina, fide, industria veterique etiam nobiscum familiaritate in primis probatum et gratum, qui primo Senas se conferat, illarumque partium duces æquis propositis conditionibus ad pacem amplectendam nostris verbis diligenter hortetur, ac deinde ad tuam nobilitatem omnia deferat, ut ejus consilio atque prudentia ponderentur, quam ipsam, ut huic pacis causæ faveat, hortari superfluum esse censemus, cum nobis ipsius animus sit nobilissimus; tantum abs te petimus, ut si quæ proposita fuerint, æqua et tolerabilia esse videantur, tu, et nostro etiam nomine dilectum

filium nobilem virum Garziam de Toledo Cæsarei istius exercitus præfectum ad eas non aspernandas conditiones, vel per te ipsum vel etiam ad eum prædictum Federicum, si tibi videbitur, legando excites et cohortere, et sublatis istius exitiosi pestiferique belli causis, et pax Italiæ atque isti præcipuè nobilissimæ Hetruscæ nationi securitas reddatur, et nos omnes, in quorum finibus id geritur, ab hac gravi molestia, atque cura, et a periculosa ejusdem belli contagione liberemur, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die xxix Martii MDLIII, anno IV ».

18. *Bellum Senense Julius componere tentat.* — Consensit ille paribus studiis cum Pontifice, ut Hetruriam ab exterorum servitute vindicaret, et Garziam Tolestanum levitum ad concordiæ conditiones admittendas delinire conatus est. Interea Pontifex creavit internuntios Apostolicos, ac ad Cæsarem regemque Gallorum pro concordia urgenda misit, ut tradunt Acta Consistorialia³ :

« XXX Januarii MDLIII, fuit Consistorium. S. D. N. fecit verbum de mittendis nuntiis ad serenissimos principes Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum regem Christianissimum pro pace inter eos concilianda, tanquam præcursores legatorum » ; et infra : « XIX Februarii duos nuntios ad prædictos principes nuntiatuorum progressum legatorum ad eorum majestates hac de causa, ut in pace viverent ». Mense Aprili, Sancti-Matthæi ac S. Georgii cardinales legatos ad Cæsarem, atque ad Henricum Gallicæ regem decrevit², ad eos ad mutuam concordiam propositis ingentibus malis, quæ ex eorum internecino bello oriebantur, revocandos, de quibus hæc litteræ Cæsari inscriptæ sunt³ :

19. « Carolo imperatori.

« Gravi et intolerando dolore jamdudum afficimur, ex horum conditione temporum, et præsentî Christianæ reipublicæ statu, quæ cum antea per tot annos, tam diuturnis principum discordiis vexata, tot perfidorum hominum odiis dissidiisque lacerata, tam nullis nobilibusque provinciis ab immani Christiani nominis hoste nudata spoliataque fuerit, cum vero recenti hoc bello, quod inter majestatem tuam et Henricum Francorum regem esset excitatum, in tantum tamque manifestum discrimen adducta est, ut non amplius nova aliqua plaga, insignisquæ ærumna extimescenda sit, sed universus ex eo Christianæ rei immineat interitus, tanto enim ardore nunc quidem concurritur, tanto studio omnium regnorum vestrorum auxilia, opes copiarumque undique contrahuntur, tam longe ac late fidelissimorum populorum vestrorum oppida diruuntur, villæ

¹ Adrian. l. IX. anno 1553. — ² Jul. III. l. VI. brev. sign. num. 2888. p. 590.

³ Acta sig. Cons. num. 134. p. 97. — ² Jo. Bapt. Adrian. l. IX. anno 1553. Natalis Comes l. VI. — ³ Jul. III. l. VI. brev. sign. num. 2885. p. 106.

incendantur, provinciæ devastantur, ut maxime verendum sit, ne universum Christianæ reipublicæ robur viresque, quæ a Deo optimo Maximo Christianis principibus ad populos veræ ac sanctæ fidei suæ cultores defendendos, tam largiter fuerat attributa, mutuis nunc inter se concessæ vulneribus plane debilitentur et concidant, atque ita infirmum et exsangue miseræ Christianitatis corpus perpetuo et crudelissimo hosti nostro, qui nostris semper malis ærumnisque inhiat, non jam ad injurias atque cædes, sed ad excidium atque internectionem prodatur, quæ nos pro paterno in rempublicam Christianam affectu nostris diurnis ac nocturnis curis subjicientes, nullam prorsus partem veræ et solidæ capimus quietis, cogitantes in qualia tempora, quam perturbata, quam confusa, quam misera nostrum hoc Pontificatus onus incurret, cum is non tam ad ingruentia mala levanda, quam spectanda, nec ad adiuvandam reipublicæ salutem, sed ad ejus interitum deplorandum constitutus fuisse videatur, quod, etsi spes optatissimæ inter vos pacis, quæ una totalis atque incommodis mederi potest, haud sane nobis facilis ex humanis consiliis proponebatur, non tamen desistendum putavimus, quin pro muneris nostri officio, atque hujus loci auctoritate omnia tentaremus et experiremur, per quæ et odia sedari et discordiarum causæ tolli, et desideratissimæ pacis munus Christianis populis restitui posset, memores illius, qui contra spem in spem credidisset Dei potentiam ac benignitatem longe superiorem omnibus humanis viribus est expertus, et sane consuevit clementissimus ac misericors Dominus, ut ipsius excelsæ virtuti et potestati, non autem humane industriæ beneficii laus tribuatur, in maxima desperatione rerum, tunc maxime spem suæ salutis ac bonitatis excitare. Hac nos divini auxilii spe maxime freti, atque etiam postremi vestri ad nos responsi humanitate atque aequitate plurimum confirmati dilectum filium nostrum Hieronymum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, Imolensem nuncupatum, nobis propter ejus virtutem, industriam, fidem plurimarumque rerum usum maxime probatum, legatum ad majestatem tuam destinavimus, ut et dolorem, quem ex his reipublicæ et Christianorum populorum incommodis incredibilem capimus, plene cum illa communicaremus, et quæ hujus temporis videbantur esse consilia ac monita ad communem utilitatem et tranquillitatem deprecandam spectantia ei proponeremus, sicuti per alterum legatum nostrum Henrico ipsi Francorum regi eadem hoc ipso etiam litterarum exemplo ad nostræ erga vos æquissimæ voluntatis testimonium proposuimus, pari que diligentia et cura ad eum defendenda mandavimus, in quo inspectorem cordium Deum in animam nostram invocamus

testem, nihil nobis præter Dei ipsius voluntatem, et officii nostri functionem, et publici boni utilitatem, in quo nimirum vestri etiam boni ratio continetur, esse propositum: nunc te rogamus, fili charissime, atque in Domino etiam hortamur et obsecramus (si hoc officium nostrum plenum pietatis esse vides, si rem quam petimus ac cupimus ita universo Christiano populo exoptam, ita necessariam esse agnoscis, ut eadem cum Christianissimi imperatoris munere, ac vera dignitate maxime sit conjuncta ut majestas ipsa tuas has rationes paternæque monita, et benigne ausecultare, et sua bonitate ac sapientia una cum Dei timore conjuncta diligenter considerare, et Deo ipsi per nos eam monenti atque hortanti obtemperare velit; etenim, ut etiam atque etiam cogitet, quid Deus ipse a Christianis principibus, quibus ille fideles suos populos tanquam pretiosum aliquod depositum commisit, exigat, quid eorum officii ratio postulet, quid Christianorum populorum quotidianæ querelæ, voces gemitusque requirant, quid nostræ conditionis et communis humanitatis jura desiderent, ut pace aliquando afflictæ Christianorum nationi per vos reddita alia magis tuta et gloriosa administrandæ reipublicæ via ineat, per quam et æternæ vitæ ratio, in quam videlicet omnes curæ cogitationesque nostræ in primis intendere debent, expeditior vobis fiat, et in hac etiam vita vera celebritate et gloria, utriusque et solidis gaudiis ex subditorum vobis populorum pace, otio, tranquillitate, commodis et vestri nominis claritate perfruamini, quod nobis idem misericors, atque omnipotens Dominus, in cujus manu cor regum est, et quo voluerit verit, illud concedere per suam gratiam dignetur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die xii Aprilis MDLIII, anno iv ».

20. Conceptæ eadem verborum formula litteræ transmissæ sunt Gallorum regi: tum etiam Lusitania rex interpres a Julio adhibitus est, ut Cæsarem Gallumque ad concordiam sollicitaret¹:

« Regi Portugalliæ.

« Clarissime in Christo fili, salutem, etc. Et majestatis tuæ spectata virtus, et singularis tum in Christianam rempublicam voluntas, tum Christiana ipsius sanctissimæ religionis mandatorumque Dei observantia faciunt, ut et quæ nos ad publicam tranquillitatem cogitemus, eum tua majestate libentissime communicatemus, et tuæ etiam prudentiæ, auctoritatis sapientiæque auxilium ad boni ejusdem operis perfectionem advoceemus. Cum igitur in hoc tristi calamitosoque bello, quod inter charissimos in Christo filios nostros serenissimum Cæsarem et Gallie regem ita excitatum est, ut

¹ Jul. III. L. VI. brev. sig. num. 2886. p. 167.

ex eo non unius potentia et amplitudo, sed ipsorummet et universi secum Christiani nominis ex mutuis suorum damnis detrimentisque excidium sit expectandum, nos summum dolorem, quem ex communibus miseriis capimus, pro nostra paterna salutis omnium cura tacitum ferre non possemus, nisi pacem omnibus modis perquirere, ac inter ipsos principes conciliare cum Dei auxilio simul aduixi, itaque tum litteris, tum nuntiis legatisque nostris in omnem partem mittendis nihil omittimus, nec consilii, nec laboris, quo ad optatum tanti boni exitum pervenire possimus, in quo, tametsi potissima et maxima nobis spes in Dei bonitate et clementia, vix autem visa in humanis rationibus aut consiliis videtur esse proposita, tamen non ignorantes quanta tua atque optimo jure quidem, tum apud serenissimum Casarem, tum apud ipsum Gallorum regem futura sit auctoritas, majestatem tuam in hanc cogitationem et curam maxime sua virtute, et pietate, et sapientia dignam excitare volumus his litteris, ut in ipsis principibus ad pacem, et ad afflictis Christianorum rebus incolumitatem jam aliquando restituendam exhortandis, ipsa quoque omnem suam auctoritatem, operam consiliumque adhibeat, movere enim eos maxime poterunt ejus regis monita atque consilia, qui semper a civilibus ac socialibus armis abstinens in summa omnium benevolentia ac charitate vivit. Hac certe tuæ majestatis opera nihil, aut Deo gratius, aut republicæ utilius aut laudi nominique suo honorificentius esse poterit, quemadmodum pluribus verbis venerabilis frater Pompeius episcopus Sulmonensis nuntius apud illam noster cum tua majestate agel, cujus diebis plenam fidem illa habeat. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die vii April. MDLIII, anno iv ».

21. Non potuerit adduci reges æmuli ad controversias omnes concordia et æquitate dirimendas, at bellum tamen Senense, revocatis ex Hetruria utrimque copiis, componendum consenserunt; quod cum a Casare et Gallo Julius pervicisset, exeunte Maio Fulvium Corneum et Nicolaum Cajetanum cardinales legatos creavit, ut alter Senas, alter Florentiam se conferret ad factionum adversarum animos in mutuam concordiam redigendos, de quibus hæc narrat Acta ¹:

« Romæ die XXIX Maii MDLIII, fuit congregatio generalis, in qua S. D. N. fecit verbum de litteris habitis a duce Florentiæ super remissione armorum ab utroque Catholico exercitu, videlicet, Senensi et Casareo, et fuerunt deputati duo legati, videlicet, reverendissimus Fulvius de la Cornea ad ducem Florentiæ, et reverendissimus dominus Sermoneta ad reverendis-

simum Ferrariensem, et dominus de Thermes Senas, qui juberent utriusque exercitui ut remitterent arma, et quod Sanctitas sua die Veneris immediate sequenti erat discessura versus Viterbium pro pace inter eos componenda, quibus subjectas litteras dedul ¹:

« Dilectis filiis Fulvio Corneo, nostro secundum carnem nepoti, et Nicolao Cajetano S. R. E. cardinalibus nostris et Sedis Apostolicæ legatis.

« Dilecti filii nostri, salutem. Cum nulla sit cura, quæ magis hoc tempore animo nostro insideat, quam ut arma per totum fere Christianum orbem suscitata deponantur, et præsertim ex provincia Hetruriæ, patria nostra clarissima, tollantur, idcirco nihil prætermittimus aut officii aut laboris, ut optatum huic pii desiderii nostri finem consequamur, itaque cum hodie matura cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romanæ Ecclesiæ cardinalibus habita deliberatione decrevimus, post solemnem, quæ diei sacratissimi Corporis Christi Domini nostri dicata est, supplicationem ad civitatem nostram Viterbii propius illam provinciam accedere, ut vicinitate nostra, seu etiam, si ita opus fuerit, presentia, susceptam compositionis causam juvare possimus. Idcirco, ut interim cætera ad eum finem spectantia tractentur ac dissonantur, neve ullis novis motibus instituta dissipentur, vos ambos, de quorum fide, integritate, prudentia in Domino plurimum confidimus, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio atque assensu nostros et sanctæ Apostolicæ Sedis legatos creavimus, ut alter Senas, Florentiam alter accedat, et utriusque exercitus duces, quibus has nostras de pace cogitationes jamdiu patefecimus, ubicumque eos repererit, nostris verbis alloquatur, mandataque nostra atque consilia ad eosdem deferat, sitque tum nostræ mentis et voluntatis interpres, tum vero etiam adventus nostri præcursor. Volumus igitur, tam per ambarum partium duces illarumque fautores, quacumque dignitate præfulgeant, quam per Senensis reipublicæ moderatores et præfectos, plenam circumspectionibus vestris fidem, ut Apostolicæ Sedis legatis adhiberi, vos in Domino plurimum hortantes, ut vestræ virtutis atque industrie tale in hoc nobis speciem præbeatis, et ut nos nostræ hujusmodi de vobis electionis majorem in dies voluptatem, et Christiani populi utilitatem sentiant. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XXIX Maii MDLIII, anno iv ».

22. *Frustra Pontifex per epistolas, nuntios et preces solennes indictas, ad concordiam Gallum et Casarem reducere curat.* — Defixerat Julius omnes curas, ut composito Senensi bello, Italos principes ² conjungeret mutuo federe adversus

¹ Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 116.

¹ Jul. III. l. vii. brev. sig. num. 2888. p. 216. — ² Adrian. l. ix.

Turcas, qui instructa validissima classe invadendo regno Neapolitano imminchant; collatoque cum duce Florentiæ consilio Galliarum regem ad honestam pacem flectere moliebatur: eæ vero pactiones erant propositæ, ut Galli et Hispani paterentur Senenses integræ libertate potiri, Ferrariensis cardinalis ac Regulus de Thermes Gallicas copias educerent, induciæ inter adversas partes sacramento firmarentur, Julius cardinalem Marcellum Cervinum e Montepolitano virum summa probitate atque integritate spectatissimum ad moderanda Senensis urbis gubernacula præficeret, ac pro tuenda publica tranquilla pace præfectus armorum nulli parti adversæ addictus italicis succinctis copiis, cui stipendia a Pontifice et aliis Italia principibus federatis suppeditarentur, fovendæ civium quieti incumberet, ad quæ consilia in opus provocanda Julius cum Jo. Manriquez oratore Cesareo Viterbium se contulit, ac syngrapham de servandis pactionibus transmisit ad cardinalem Ferrariensem, qui una cum regulo de Thermes regis Galliarum nomine Senensibus præerat, ut solemnî sacramento ad sequestram pacem amplectendam se obstringeret. Res grata erat Henrico regi, ut honestissima, gratissima Cesari, cum vellet Cesareas copias avelli ex Hebruria, atque in Neapolitanum regnum traduci ad Turcarum impetus propulsandos; adeo ut cum Senenses exules illum urgerent precibus, ut aliquas copias in Hebruria retineret, responderit, Senas recuperari a se non posse, ac Neapolim nolle amittere. In hoc rerum cardine Ferrariensis cardinalis infelici usus consilio induciâs non admisit, sed varias necens inanes moras Pontificis industriam pro concilianda pace elusit, impulsus a senatoribus, qui querebantur, discedentibus e Senensi urbe Gallis, se ab hostibus opprimendos, in qua sinistra opinione confirmabantur a Gallis præsidariis. Abscissa ita omni spe concordie Pontifex Viterbio Romam rediit, atque in cardinalium senatu¹ quanta pro concordia inter imperatorem ac Senenses concifienda egisset, recensuit. At Cosmus dux Florentiæ cum Gallorum inimicitias contraxisse probe nosset, clandestino lædere cum imperatore percusso, ad Gallos et Senenses inopino bello obruendos clam arma comparavit, ut proximo anno dicitur. Julius vero ne quid intentatum esset pro instauranda pace, pia et nova consilia agitavit, ut imminenti mala averteret, atque ad ea cum Neapolitano prorege conferenda Achillem e Grassis Faliscorum episcopum misit, commendavitque hæc litteris²:

23. « Vicerégi Neapolis.

« Dilecte fili, salutem, etc. Admonet nos, tum nostri muneris atque officii ratio, tum perpetuum nostrum quietis ac tranquillitatis pu-

blicæ desiderium, ut et noctes atque dies pacis consilia cogitemus, et cum videamus aliquam nobis spem, aliquod lumen alicunde offerri, libentissime illud non solum arripiamus ipsi, sed et ceteros Christiani populi nobiscum rectores ac principes in eandem cogitationem et curam adducere totis viribus conemur: itaque cum in his armorum apparatibus, tantaque bellorum mole, atque hac universa Italiae perturbatione ex multorum colloquiis in aliquam spem compositionis atque otii devenissemus, per quam Hebruria ac reliquæ Italiae civitates ab impendentibus malis atque incommodis, et Christiani ipsi principes a bellorum itidem periculis atque dispendiis salva ipsorum dignitate liberari posse viderentur, non nobis abs re visum fuit, et tuæ nobilitati, cujus in hac vel oplatissima pacis vel perniciosissimi belli deliberatione eæ sunt partes, quas tibi locus, dignitas, auctoritasque tua tribuit, quamprimum significare: quare elegimus venerabilem fratrem Achillem de Grassis episcopum Montiflasconensem, Rotæ nostræ Apostolicæ auditorem, prælatum nostrum domesticum, nobis doctrina, fide, industria, gravitate pluribusque in nos atque hanc sanctam Sedem officiis in primis probatum ac gratum, quo etiam nos alias apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum cum magnis de rebus internuntio essemus usi, valde is suam cum nobis fidem, tum ipsi Cesari dexteritatem, tum prudentiam utriusque nostrum probavit: eundem igitur Achillem ad tuam nobilitatem nunc mittimus, quo secum ejusmodi nostra consilia ad pacem ac tranquillitatem spectantia communi- cet, cui ut plenam non solum fidem adhibeat, sed ut eum etiam non communi tantum legationis nostræ nomine, sed ut hominem a nobis eximie dilectum benigne audiat, in familiaritatem suam admittat, omnique cum benevolentia sua, comitate, humanitate complectatur, eandem tuam nobilitatem plurimum hortamur, atque illud in primis et maxime, ut has cogitationes nostras nobilitas ipsa sua, et bonitate sua excipere, et prudentia adjuvare velit, ut favente nostris piis consiliis Deo Maximo, afflictam Italiam, uterque nostrum beneficio magno, et universam Christianam rempublicam munere afficiat. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die xxvii Decembris m. d. m. anno iii. ».

24. Licet Italia eæ sequestra pace recreata esset, trans Alpes detonabant hellicæ fragores, ad quos sopiendos, adstringendamque concordiam, submovendasque dissidiorum causas decreverat antea Julius duos legatos amplissimos, ut exasperatos regum animos sacris monitis demulcerent, de quo munere iis demandato hæc referuntur in Actis³ Consistorialibus:

¹ Act. Cons. Adrian. I. X. — ² Ib. num. 2886. p. 138.

³ Act. Consist. sig. num. 131. p. 79.

« Romæ die Lunæ III Aprilis MDLIII, fuit Congregatio, in qua Sanctitas Sua fecit verbum de pace conciliandi inter principes Christianos pro necessitate reipublicæ Christianæ, et fuerunt deputati ad hujusmodi effectum duo legati, videlicet reverendissimus dominus Imolensis ad Casarem majestatem, et reverendissimus de Capiteferreo ad regem Francorum cum facultatibus solitis.

« Die Sabbati VII April. MDLIII, fuit Congregatio generalis, in qua fuerunt benedicti legati, et data crux, et comitati extra portam Sancti-Petri profecturi ad suam legationem ».

De his legatis ad Casarem et Galliæ regem decrevit Julius ¹ eodem die certiore fecit Philippum Hispaniarum principem, cumque rogavit, ut apud parentem imperatorem studia sua pro exitiali bello componendo et conciliandi pace conjungeret.

« Philippo Hispaniarum principi.

« Dilectissime fili, etc. Tuam celsitudinem hortamur, ac, quanto animi studio possumus, rogamus, ut pro sua pietate et prudentia adjuvare hæc nostra pacis et compositionis consilia velit, omnique sua auctoritate et gratia apud ipsum serenissimum Casarem ejus patrem agere atque instare, ut pace aliquando Christiano populo per illius bonitatem ac sapientiam reddita, et Dei voluntati, et publicæ utilitati, et veræ maximi Christiani imperatoris gloriæ, et suæ etiam, populorumque, et regnorum suorum conservationi et saluti satisfiat, in quo etiam, et quieti tranquillitatiq; tuæ, et tuis in futurum tempus rationibus maxime prospicias; vides enim profecto, dilectissime fili, quanta bellorum molestissimorumque ac difficillimorum negotiorum moles instet, quæ quidem facilis sapientia nunc declinari, quam ulla potentia frangi posse videntur, quare ut in hanc curam tua præcipue celsitudo toto pectore incumbat, in qua nos ipsi penitus infixi sumus, eandem pro loco, quem obtinemus, valde et hortamur et obsecramus, quod ut illi pluribus verbis exponant, eamque vehementius nostro nomine ad hanc seipsa maxime dignam cogitationem suscipiendam excitent, eidem Leonardo episcopo una cum dilecto filio nostro Joanne cardinali Poggio nostro apud celsitudinem tuam legato diligenter mandavimus, quibus plenam atque integram fidem habebit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VIII Aprilis MDLIII, anno IV ».

25. Interjectis quatuor diebus Mariam Ungariæ reginam Caroli V Cesaris sororem Pontifex rogavit ², ut cardinali Imolensi pro conficienda pace faveret, horrendaque mala, quæ ex bello pullularent, exposuit, ut regiam operam apud fratrem adhiberet, quo pace confecta, eu-

risque gravissimis abjectis pacatioris vitæ feliciora consilia amplecteretur.

« Mariæ reginæ Ungariæ.

« Charissima in Christo filia, salutem, etc. Mittentes dilectum filium nostrum Hieronymum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum imperatorem semper Augustum, nostrum, et Sedis Apostolicæ de latere legatum, ut nostras sollicitudines et curas, quas ex bellorum inter illum atque Henricum Francorum regem incendiis, atque ex hac præsentium temporum perturbacione capimus, ad eum perferret, multaque de nostris consiliis ac desideris ei exponeret, ad rationem concordiæ et publicæ tranquillitatis spectantia, jussimus ei, ut eadem in primis cum majestate tua communicet, tuamque cum auctoritatem et gratiam, tum vero eximiam prudentiam, consilium, sapientiam, ad totum hoc negotium tractandum conficiendumque adhibeat, te enim omnium feminarum sapientissimam hand profecto præterit, quantum bellorum, molestissimarumque atque impedissimarum rerum moles instet, quæ non tam ulla armis victoriisque perumpi, quam prudentia et æquanimitate expediri possint, et sane misera duraque Christiano præsertim principi ea vitæ est conditio, quæ semper in bellicis rebus occupata, tot continuis perturbacionibus animi atque angustis, tanto ingrattissimarum curarum sollicitudinumque pondere sit oppressa, quibus se aliquando exsolvere, salubrioraque vitæ pacatus degendæ consilia inire, magnæ profecto virtutis est et sapientiæ. Hæc tuam majestatem serenissimi Cesaris fratris tui animo subinde proponere, fidelium item populorum suorum damna, clades, excidia ejus elementie benignitatiq; commendare, omnia denique agere et suadere, per quæ optatissima pacis amœnitas Christianis populis aliquando restitui possit, eandem majestatem tuam vehementer in Domino hortamur et rogamus, nihil est quod illa aut summo Deo, a quo tam multa dona accepit, gratius, aut ipsi etiam Cesari, ut nos arbitramur, convenientius ac gloriosius, populis certe vestris utilius atque optatius sua isla auctoritate et potentia agere ac curare possit. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

26. Convertit quoque Julius Pontificia studia apud Catharinam Galliæ reginam, ut Henricum regem flecteret ad piæ concordie consilia, cum ex eo bello mala innumera emergerent, et Christianum imperium fedissimis populorum stragibus urbiumque eversionibus funestaretur, illique Hieronymum S. R. E. cardinalem commendavit :

« Catharinæ Francorum reginæ.

« Cum mitteremus dilectum filium nostrum Hieronymum Sancti-Georgii, sanctæ Romanæ

¹ Jul. III. l. VII. brev. p. 169. — ² Ib. num. 2888. p. 616.

Ecclesie cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem christianissimum, conjugem tuum, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, mandavimus illi, ut hæc nostra pacis procurandæ consilia cum majestate tua potissimum communicaret, quam pro suo missimum ingenio a publicæ tranquillitatis ac quietis desiderio minime alienam esse arbitramur, et sunt præterea multa, quæ in longa ac difficili armorum tractatione prudentium animos ad cogitationem periculosorum eventuum movere debeant, quæ majestatem tuam pro sua prudentia, et singulari erga ipsum Henricum regem, ejusque regnum, filiosque regis amore labitam cum animo suo sæpius volvere non dubitamus : ea est enim profecto, tum ipsius regis, universæque ejus regie familie, tum etiam istius florentissimi regni amplitudo, eaque fortuna, ut non tam illius amplificatio querenda sit, quam conservatio procuranda, proinde, si quæ compositiones honeste et æque conditiones propositæ fuerint, quas per Dei bonitatem atque clementiam propositum iri speramus, eas ut rex ipse libenter amplectatur majestati ipsi tuæ omni suo studio, consilio, ope, gratia, precibusque est elaborandum, in quo præterquam quod suis suorumque commodis mirifice prospiciet, quam etiam Deo ipsi pacis ac dilectionis nobis in primis auctori rem gratam atque acceptam factura sit, eam pro sua pietate perspicere confidimus, nos certe tuæ hoc majestatis amplum atque insigne in Christianam rempublicam beneficium, et gratissima semper memoria, et debilis laudibus prosequemur. Dat. Romæ apud S. Petrum, die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

27. Extant eodem argumento, eodemque die exarate litteræ ad Memorantium regulum, magistrum Equitum, gratia et auctoritate, necnon militari gloria in regni Gallica florentissimum, quem Julius precibus urisit, ut pro constituenda pace apud regem operam omnem atque industriam collocaret¹ :

• Domino de Montmorency comestabili.

• Dilecte fili, etc. Cum mitteremus dilectum filium nostrum Hieronymum Sancti-Georgii sanctæ Romanæ Ecclesie cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem Christianissimum, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, ut nostras sollicitudines ac curas, quas ex bellorum inter illum, ac serenissimum Carolum imperatorem incendiis, atque ex hæc præsentium temporum perturbatione capimus, ad eum perleret, multaque de nostris consiliis ac desideriis ei exponeret ad rationem concordie et publicæ tranquillitatis spectantia, jussimus ei, ut omnia cum tua nobilitate in primis communicaret,

quam et prudentia et bonitate plurimum pollere semper existimavimus, et ita in bellicis rebus consiliisque excellere, ut tamen a pace inter Christianos principes constituenda, quæ quidem cum ipsius serenissimi regis dignitate conjuncta esset, non abhorreret, quod si ullum unquam necessarium ipsius pacis et expetende, et omnibus modis consulendæ ac procurandæ tempus fuit, hoc profecto est, cum omnes Christiani nominis opes cum ex præteritis, tum ex instantibus bellis ita altrite debilitatæque sint, ut nisi diuturna pace et principum providentiæ recreentur, omnia ad interitum brevi tempore sint prolapsura. Hæc nobis præcipue suadendi atque monendi, et ob personam a Deo nobis attributam, et ob eximiam, quam erga Christianam rempublicam et conservationem fidelium populorum habemus voluntatem, impositam nobis necessitatem esse judicavimus, sperantes hujusmodi nostris piis salutaribusque consiliis, et summi Dei auxilium, et ipsorum principum æqualem, et vestrum etiam, quorum apud illos non defuturum. Quare te, fili, plurimum in Domino etiam atque etiam hortamur, ut omnem tuam operam, consilium, auctoritatem, gratiam in eam rem conferas, ut ipse rex nostra hæc pacis consilia amplectatur; detque se ad eas cogitationes, quæ et ipsius nomine ac munere maxime dignæ sint, et ad afflictæ ac perditæ Christianitati salutem restituendam accommodatæ; eo tua nobilitas nec Deo acceptius quidquam, nec nobis gratius, nec vere isto loco istaque fortuna dignius facere potest. Dat. Romæ apud S. Petrum, die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

28. Inter bellicos fragores non sunt auditi cardinales²: Cesar Teroannus Morinorum urbem captam everit incenditque. Hisdum superiore anno eripuerant Gallis Casariani: hoc vero anno Galli eam urbem receperunt, quam rursus Cesar, admoles exercitu, mense Julio expugnavit, in quo prælio Horatius Farnesius, Pauli III nepos, ac gener Henrici regis, cæsus est cum multa nobilitate Gallica; nec incrementa Casarianis stetit victoria: æquavit solo Hisdum ira Casaris, qui cum Dorlanum tentare vellet, ejus exercitus a Gallis in fugam actus est, nullis occisis ac captis; cum rursus Galli Cameracum pertentassent, oppugnatio non successit, ad Valencenas vero castra castris tam prope conjuncta sunt, ut gravissimo prælio decernendum videretur; sed tumultuariis velitationibus gesta res, abeuntibus xviii Septembris Galli plura Belgii oppida incendiis deleverunt, incipiti alternanteque victoria, cumque legatorum cardinalium pios conatus et industriam inveteratorum odiorum eluderet pertinacia, eos ex legatione revocandos censuit Julius³, ne calamitatum

¹ Ibid. num. 288. c. 610.

² Sur. in Comment. hoc anno Adrian. I. X. an. 1553. — ³ Jul. III. l. XII. lxxv. sig. mm. 336. p. 336.

populi Christiani infelices spectatores evade-
rent.

29. « Cardinali Imolensi et cardinali Sancti-
Georgii legati, etc.

« Cum vos ad charissimos in Christo filios
nostros Carolum Romanorum imperatorem sem-
per Augustum, et Henricum Francorum regem
Christianissimum legatos de pace mitteremus,
testis est nobis Deus, vosque etiam ipsi testes
estis, nihil a nobis fuisse spectatum, nihil qua-
situm, nihil optatum, nisi ut Christianæ rei pro-
pter hæc ipsorum principum discordias inesti-
nataque bella collabenti, pace inter eos, si ita
fieri posset, composita, paterna nostra charitate,
studio, consilio, precibus, oblationibusque
apud illos nostris succurreremus, non solum in
eo Christi Domini nostri, cujus nos in terris,
quanquam meritis parum idonei, vices gerimus,
præcepta adimplentes, sed etiam majorum no-
strorum summorum sanctissimorumque Ponti-
ficum exempla imitantes, qui magnas sæpe
discordias inter Christianos principes subortas
sua auctoritate et monitis non solum sedare,
sed eosdem conciliatos inter se atque pacatos in
impios Dei et Christianæ religionis hostes ar-
mare impellereque potuerunt, quibus, si nos
optato consiliorum exitu et salutari eventu re-
rum pares esse non possumus, animo certe et
voluntate, atque ardenti charitate in communi
Christianorum populorum utilitate procuranda
non cedimus, quod si nunc omnipotens Deus
nostra pacis consilia desideraque et vota haud
exaudire dignatus est, nequaquam tamen de-
sperandum est fore, ut is fidelibus populis suis
pretiosus Unigeniti Filii sui sanguine redemptis
adsit, atque humanis affectibus obdurata corda,
cum ei fuerit visum, sui divini spiritus afflatu
molliat, ipsosque reges et principes ad ineun-
dam amplectendamque pacem, vel invitos ac
reluctantes compellat, cujus rei si quando ma-
turitas advenerit, nos nostro officio et pietati,
quemadmodum quidem adhuc fecimus, nullo
loco deerimus, nec solum legatos, quorum tunc
diuturnior apud illos commoratio in tanta bel-
lorum obstinatione non supervacanea modo, sed
hujus loci auctoritate parum jam digna videtur
esse, cum intlicta per tot annos reipublicæ vul-
nera, que nos tanto studio sanare adnitimur,
novis in dies cladibus magis exulcerentur,
denuo ad ipsos principes mitteremus, sed nos ipsi
hoc jam gravi annis et valetudine affecto cor-
pore sanctissimam illam legationem, si ita opus
fuerit, libentissime suscipiemus, quare circum-
specionibus vestris mandamus, nisi interea
aliqua vobis certior pacis spes fuerit oblata, ne
tam miserabiliter profusi Christiani sanguinis
et tantarum communium calamitatum ofi-
os spectatores esse cogamini, ad nos jam tandem,
cum bona istorum ipsorum principum venia,
primo quoque tempore redeatis, etc. Datum

Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die viii Sep-
tembris MDCIII, anno IV ».

30. Scripsit eodem argumento etiam Pon-
tifex Carolo imperatori ¹, proposuitque, quanta
graviora mala ex crudeli eo bello emergerent,
quantave commoda ex mutua pace ad totius rei
Christianæ amplificationem efflorescere possent,
de Casarea tamen voluntate, cui iniqua repu-
gnabant tempora, optime se sentire significavit.

« Imperatori.

« Charissime, etc. Cum videamus nostrorum
pro pace inter majestatem tuam, et Henricum
Francorum regem componenda susceptorum
laborum non eos capere nos fructus, qui et col-
labentis reipublicæ necessitati, et Christianorum
populorum expectationi, et pietati nostræ ma-
xime erant debiti, sed veteres potius Christiani-
tatis clades novis quotidie cladibus cumulari,
scribimus ad dilectum filium nostrum Hiero-
nymum tituli Sancti-Georgii, sanctæ Romanæ
Ecclesiæ cardialem, apud majestatem tuam
nostrum et Sedis Apostolicæ legatum, ut nisi
aliqua illi interea certior spes pacis oblata fuerit,
jam tandem ad nos, bona tuæ majestatis venia,
revertatur, quod ipsum alteri nostro apud præ-
dictum regem legato item mandavimus, ne
videlicet S. A. S. legati ab omni spe pacis et
compositionis exclusi in quotidiana pæne Chri-
stianorum populorum cæde versantes ea diutius
cogantur adspicere, que Christiano cujusvis
sortis homini audire et cogitare nimis est mis-
erum; quod si aliquando misericors Deus ad
opem afflictæ Christianæ Reipublicæ ferendam
respicens, corda vestra suo divino afflatu ad
pacem recipiendam mollierit, tunc non solum
legatos rursus ad vos mittere, sed nos ipsi
illam sanctissimam legationem, si ita opus fue-
rit, suscipere sumus parati; quod vero tua ma-
jestas ipsum Hieronymum legatum, tam hono-
rifice (nostra causa) excipere, liberaliterque
tractare, omniaque amantissimi atque obser-
vantissimi Ecclesiæ filii in eum præstare officia
dignata est, agnoscimus in eo humanitatem
tuam, tuæque majestatis hujusmodi erga nos
ipsos non minus grata nobis fuit pietas et bene-
volentia, quam fuerit molestum eandem facili-
tatem benignitatemque tuam optato in publica
causa eventu caruisse, quanquam nos illa volun-
tati bonitatisque tuæ, hæc autem non tue volun-
tati, sed temporum difficultati ascribimus,
quare et de eo quod nobis majestas tua tribuit
valde eam amamus, gratiasque ei etiam agimus,
ut quod nobis desiderandum reliquit, id nos ab
illius sapientia, bonitate, clementia, et semper
optare, et aliquando exspectare non desinamus.
Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die viii Sep-
temb. MDCIII, anno IV ».

31. Revocavit quoque Julius e Gallia Hiero-

¹ Julii III. l. VII. brev. sig. num. 2886, p. 312.

nymum cardinalem Sancti-Georgii, qui legationis munus gesserat apud Henricum II regem, cui rescripsit magno se dolore affectum ex delusa pacis spe; seque ita revocare et Gallis legatum, ut si novæ concordie lux in tantarum perturbationum tenebris affulgeret, mox eum in Gallias dimissurus esset, atque etiam, si rerum pondus id deposeret, se etiam protectionem suscepturum adfecit.

Conceptæ iisdem verbis litteræ ¹ ad Casarem repetite sunt, cui etiam interjectis paucis diebus significavit, non abrupti pacis actionem revocatis prioribus legatis, quinimo promovendæ illius curam provinciamque Reginaldo Polo cardinali demandatam.

32. Initurus putabatur colloquia Reginaldus Polus cum Casare et Gallia rege pro constituenda re Anglicana, eaque de causa illi dedit imperia Pontifex, ut licet ii principes haecenus a concordia alieni visi essent, tamen occasiones omnes temporumque inclinationes observare jussit, ut pro exaggerata sua prudentia concordiam inter eos conciliaret ², sedatis enim funestissimis iis bellis ad erigendas labantes Christiani imperii res, evellendasque hæreses omnia studia conversum iri.

33. « Reginaldo cardinali Polo legato, etc.

« Cum proximis superioribus diebus legatos, quos ad charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum Francorum regem Christianissimum de pace miseramus, propter hanc durissimam conditionem temporum, nos tandem exclusi ab optato pacis aut ullius compositionis eventu revocare fuerimus coacti, ne tamen ob ipsorum legatorum discessum tota illa actio de pace (in qua nimirum communis salutis secundum Deum spes est reposita) ad nihilum recidisse, ac penitus sublata esse videatur, idcirco visum est nobis, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio atque unanimi assensu, circumspeditioni tuæ, quæ in prædictorum principum colloquium prope necessario ventura est, etiam hanc de pace legationem, actionem procuracionemque committere; nam etsi, ut nunc quidem est, hominum animos ab hac salutari cogitatione longissime abesse et recte fideliterque consulentium monita adhuc respicere, videntur multa tamen in occasionibus et inclinationibus temporum esse posita, quæ tu pro tua prudentia singularique animi atque ingenii solertia observare, et ad ea sermonis orationisque tuam vim, et hujus sanctæ Sedis auctoritatem et monita accommodare poteris; porro nos nihil circumspeditioni tuæ præscribimus, sed plenam et liberam omnia ad eum finem nostro nomine agendi, tractandi, pollicendi, quæ ex nostra et

hujus sanctæ Sedis dignitate, et Christianæ reipublicæ utilitate esse judicaveris, auctoritatem concedimus et facultatem. Noti tibi sunt omnes animi nostri sensus, nota consilia, et quam ad hoc communis pacis et tranquillitatis bonum nostra sit ardens et plena charitatis voluntas, ut sedatis aliquando his armorum tumultibus, quæ omnibus piis ac salutaribus actionibus officiant, ad cæteras quæque ægrotae Christianitatis partes eam, quam jam diu cogitamus, medicinam cum Dei Optimi Maximi auxilio adhibere possimus. Quare quidquid in ea re laboris, studii, operæ consiliique posueris, id cum tua spectata virtute dignissimum erit, tum nobis profecto gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xx Septembris MDLIII, anno iv ».

34. Ad flectendas denique regum voluntates, divinamque opem implorandam Julius fundendas solemni ritu preces populo Christiano indixit, gratuitamque temporalium pœnarum noxas debitam condonacionem iis, qui rite Sacramentis se munirent, imperataque pia opera præstarent, indulsit, de quo ad cardinalem Pæcecum hæ scriptæ litteræ ¹:

« Dilecto filio nostro Petro tit. Sanctæ-Balbinæ presbytero cardinali Giennensi, alias cardinali Pæceo.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Cum nos nuper ex certis tunc expressis rationabilibus causis omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles per universum orbem terrarum existentes per nostras sub plumbio confectas litteras monuerimus et hortati fuerimus in Domino, ut postquam dictæ litteræ ad eorum notitiam pervenissent, ad Dominum nostrum Jesum Christum humili corde conversi, conscientiam suam studeant diligenti examine discutere, et ad purissimam peccatorum suorum confessionem devenire, ac quarta et sexta Feriis necnon die Sabbathi ejusdem, vel alterius immediate sequentis hebdomada jejuna- rent, vel orationibus et elemosynarum erogationibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, sive sacerdotum quibus peccata sua confiterentur salutem consilium, vacarent, ac die Dominico dictam Sabbathi immediate sequenti sacratissimum corpus Domini nostri Jesu Christi in ea quam mallent Ecclesia Deo dicata reverenter et devote suscipere, Deum ex intimis cordis præcordiis enixe precantes, ut reductioni Angliæ optatum successum tribuere, et Christianorum calamitates, et belli pericula miseratus Christianos principes ad veram pacem et firmam concordiam reducere dignaretur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xvii Decembris MDLI, anno iv ».

35. *Turca, auxiliante Gallo, multa mala*

¹ Ib. p. 312. — ² Ib. p. 330.

¹ Jul. III. l. vii. brev. sig. num. 2886. p. 299.

infert Christianis. — Dum furorem Cæsar adversus Gallos effunderet, ut urbium incendiis pasceret oculos, Galli in eum Turcæ concitarent, quorum classis, Bipho Mustafa duce, multa damna maritimis Siciliae et Calabriae locis intulit, quod confirmant Pontificis litteræ proximo ineunte anno exaratae ¹, his verbis, quibus narrat ad compendendas Turcicas grassationes septem decimas clero imperatas.

« Superiore anno cum classis immanissimi Turcarum tyranni multa Christiani nominis oppida et loca invasisset, cepisset, vastasset et incendisset, ac ex illis complura miserabilium animarum millia in crudelissimum servitulum abduxisset, et nuntiaretur eundem tyrannum novos exercitus, eosque sane ingentes et formidolosos parare, nosque periculis inde imminentibus, ob ærarium nostrum exhaustum nulla ratione occurrere possemus, septem integras decimas ». Et infra : « imposuimus, etc. IV Januarii anno Incarnationis Domini MDLII, anno II (1) ».

Conjuxit se Turcicæ classi Gallica classis in Portu-Herculis instructa ², partemque maximam Corsicæ, Corsis et Genuensibus multis occisis, regi subegit præcipuo astu Thermei ducis, qui cum litteras Genuensium ad portus Syracusani præfectum intercepisset, supposuit adulterinas, translato eodem sigillo, et maxima auri vi, litterarum latore corrupto, quibus falso Genuam seditionibus vexatam, ut nullum ferre subsidium posset, significabat; Hetruriæ etiam littora infestavit classis Turcica, omniaque Italiae necnon Dalmatiæ maritima oppidula magnis calamitatibus afflixit, cumolata ingenti præda, et Christianis multis in captivitatem Turcicam abductis, ad eum superum mare Mustapha latrocinii infestum redderet, Christophorus Canalis Venetus adeo fortiter eum invasit, ut tres rostratas triremes procella tormentorum primo impetu laceratas demerserit, duas ceperit, fugientemque Mustapham demum assecutus, capitali supplicio ut latronem affecerit, Turcarumque latrocinia multo exinde tempore compressa fuerint. Licet vero Gallorum rex magno sui nominis dedecore Turcas in Christianorum exilium vocasset, tamen hæreticos regni sui acerrime persecutus est, nam apud Melenses inquisitos per civium domos hæreticos libros manu carnificis exuri publice jussit, Lutetiæ multos, qui se Evangelicos jactabant, ut veros Sath-

nistas, qui Sathanæ ministrorum Scripturas corruptentium interpretationes falsas sectabantur, flammis tradidit. Lugduni etiam novem Sathanistæ a Sathanæ ministro Calvino illusi temporario incendio ad aeternum demigrarunt; mirum autem omnibus visum est, ut Henricus rex, qui tanto odio prosequeretur hæreticos, quos in regno suo supplicis debebat, patrocinium Germanorum principum, qui in arma adversus Cæsarem consurrexerant, ne Augustana Confessio, id est, Lutherana hæresis extingueretur in Tridentino Concilio, susceperit, nam si illum divini amoris studium urebat, pari studio in Germania hæresim extinguendam optasset, at non illum divini honoris tuendi ardor inflammaret, sed proprii honoris et commodi ratio ducebat; norat enim, quam dira pestis esset hæresis, quæ nutrita, Gallicæ regnum eversura esset, cum vero Germaniam Cæsaris odio eversam vellet, tantam pestem in Germania fovendam senerat, ut Austriaca familia eo læthali cancro arrosa, viribus debilitaretur : accessere quidem apud Henricum regem deprecatores Helvetii Zuingliani, ut mitius ageret cum hæreticis, sed illum ad sua vota inflectere non potuerunt.

36. *Michael Servetus jussu Calvini Genevæ exustus.* — Eodem anno Genevæ Calvinus Michaelem Servetum, patria Hispanum, professione medicum, qui inter Judæos et Mauros blasphemis sanctissimam Trinitatem appetere didicerat, variasque provincias, ut eodem veneno inficeret, peragravit, extremo supplicio ut hæresiarcham affecit : « Mirum hoc erat », inquit SURIUS ¹, « non solum quod Calvinus nihilo esset illo melior, sed etiam, quod isti Evangelici nolunt morte affici hæreticos. Porro vero Calvinus suum hoc factum usque adeo illustre esse voluit, ut scripto evulgato, totam historiam comprehenderit, et in hæreticos gladio vindicandum docuerit. Tanta est novæ hujus Evangelicæ doctrinæ constantia. Constans scilicet in eo est, ut sit inconstantissima. Sleidanus hanc Serveti necem non improbat, non probaturus, ut apparet, si Pontifex aut Catholici eam hæretico illi intulissent. In summa quidquid facit Lutherus, Calvinus, Zuinglius, et id genus pestes, id non potest non esse Evangelicum; si quid ejusdem generis faciat Pontifex Romanus, sæva tyrannis est et facinus antichristianum. O cæcas hominum mentes! certe Calvinus non minus commuerat mortem atque Servetus

¹ Jul. III. l. VII. brev. p. 49. — ² Sur. in Comm. hoc anno. Natalis Comes l. VI. Adrian. l. X. an. 1553.

¹ Sur. in Comm. hoc anno. Jacobus Laingens in Vit. Calvini c. 3.

(1) Litteras hic ab annalista recitatas ad proximum annum pertinere, ipso licet affirmante, plane nego. Neque enim Julius aliam anni supputandi rationem quam vulgarem a Januario ductam tenuit. Nunquam ergo litteras Januario anni sequentis exaratas consignasset anno MDLIII. Nec insuper annus MDLIV Januario mense annum II, ut litteris illis adnotatur, sed IV signabat. Has igitur litteras exaratas censeo anno MDLII, Januario mense, quo alter Pontificatus Julii annus agebatur. Excursionem vero Turcarum, de quibus in his litteris, illæ sunt quas anno MDLI Dragutes littorales arbes Siculas obivit, de quibus annalista ad A. MDLI, 67. Annotum ergo nota ita emendanda est « IV Januarii anno incarnationis Domini MDLII, anno II ».

ille, nec refert secus de illo sentire miseros, quos ille miser evertit. Lutherani sane si habuissent illum, tractassent illum haud aliter, ni fallor, atque hæreticum ».

Non odio nefandissime hæreseos Calvinus in eum sævit, diviniæ honoris asserendi causa, ut describit Laingæus in Vita Calvini, cum etiam ipse Calvinus de Christi divinitate male sentiret, sed ad exsaturanda in Servetum odia, octavo enim ante anno Servetus cum Viennæ in Gallia Lugdunensi ageret, una cum libro suo triginta sex Epistolas ad Calvinum miserat, quibus ostendebat Calvino errores ex libris Institutionum ejus excerptos, quibus lætissimus Calvinus in furias adversus Servetum effertus est, utque Servetum perderet, ausus est scribere ad Franciscum cardinalem Turnonium, Servetumque accusare hæreseos. Quibus auditis, non abstinuit a risu cardinalis, cum audiret hæreticum accusare hæreticum, perinde ac si latro accusaret latronem, captus autem postea est Servetus Lugduni, ac detrusus in carcerem, ex quo cum evasisset, Calvinum implacabilem inimicum rogavit, ut illum Genavam accerteret, putabat enim amicum, ut impietatis socium; at Calvinus hæc Petro Virelo scripsit, cupere Servetum habere obstrictam suam fidem, ut Genavam veniret, sed constituisse, si veniat, nunquam passurum, ut salvus exeat. Hæc erat benignitas Calvinistici Evangelii. Cum horum ignarus Servetus Italiam petiturus per Genavam iter suscepisset, Calvini imperio captus, ejusdemque astu et auctoritate a senatu damnatus, et lento igne exustus est: « Quamvis hic dignus erat », inquit Laingæus ¹, « qui hæc mala pateretur, ille tamen sycophanta Calvinus indignus erat, qui hæc faceret, cum eodem morbo laboraret, eademque hæresi infectus esset. Tum demum id omnia pessimum est, et contra hunc præstigiatorum maxime facit, quod is non ita pridem librum scripserat, et in lucem miserat, quo conatus est probare hæreticum non debere plecti capite, neque de sacrilego sumendas esse eum sanguine penas ». Pari ultionis appetitu Calvinus alium hæreticum Petrum Amenum chartularium, a quo se gravatum injuria quebatur Evangelica illa sua mansuetudine, quam Beza adeo exollit, ad crudelissimam mortem compulsi, visusque est apud imperium Genevensium populum fidei defensor, fidei hostis immanissimus. Quo vero spiritu duccerent secularum auctores facile patuit in nonnullis a Cademone fascinatis. Visus est Basilea, visus est aller Parisiis, qui genio beati Petri se attlatos contenderent, alius quoque Basilea se Mosis angelo inessum prædicavit, pluresque commovit, cum regem Gallie ante mensem Junium Protestantium dogma professurum prædixit, sed

cum exilus non consentirent dictis, fuga se subduxit; nec defuere impostores alii, qui vana effutirent, qui nunquam talia finxissent, nisi advertissent in commodanda facili fide isignem stoliditatem.

37. *In Germania bellum civile inter præcipuos Protestantium defensores.* — In Germania ¹ gravissimum bellum exortum est inter præcipuos Lutheranae hæreseos contra Tridentinum Concilium defensores Albertum Brandeburgicum, et Mauritium Saxoniae ducem; Saxoniae duci Ferdinandus rex, Henricus dux Brunsvicensis, episcopi Wirceburgensis et Bambergensis adhesere; Albertus vero maximam Lutherianorum colluviem ad se traxit, atque in eos episcopos omnem furorem effudit, Bambergam et Saunfurtum expugnavit, nonnullaque Norimbergensium oppida, ex quo bello maxima damna pluribus episcopis et clero Catholico illata sunt, de quibus cum Melchior episcopus Herbipolensis apud Julium questus esset, illum Julius his litteris ² ad constantiam in adversis hortatus est, pollicitusque acturum cum Cæsare, ut conatus impiorum sævitiamque contunderet.

« Melchiori episcopo Herbipolensi.

« Venerabilis frater, etc. Quæ ex istis partibus nuntiaverunt vellemus esse hilariora, neve tantum improborum atque impiorum temeritati et licentia tribueretur, ut ab illorum arrogantia atque ferocia piis ac quietis cupidis hominibus tantopere extimescendum non esset, quanquam, et in Dei auxilio primum scilicet et maxime, et in vestro etiam consilio atque virtute plurimum confidimus, impios illorum conatus irritos casuros, sensurosque eos aliquando non minorem in ista nobilissima natione ad publicam salutem defendendam proborum consensum esse, quam sceleratorum hominum ad eandem oppugnandam audaciam, in quo nos quoque auctoritatem apud Cæsarem nostram, et pro istius causæ aequitate, simulque pro vestra salute et commodis libenter interponemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, die XXI Martii MDLIII, anno IV ».

Implicitus erat infelici Gallico bello Cæsar, Gallorumque percitus odio, civili bello, quo ardebat Germania, comprimendo non incubuit, non ægre ferens Albertum Mauritiumque hostes suos propriis armis confici, nec illum populorum genitum commoverunt, ut ad pacem cum Gallo mentem fleceter: porro Albertus cum multas clades Franconie intulisset, vertit impetus in Saxoniam, Erphordiensium agrum rapinis fœdat, Halberstadiensem clerum ad pendendam magnam auri vim cogit, Henrici Brunsvicensis agrum incendiis vastat, atque ultra frigidum naturam efferatus, pueros et mulieres gravidas

¹ Jacobus Laingæus in Vit. Jo. Calvini, l. 1.

² Sur. in Comp. hoc anno. Jul. III. lib. brev. VII. sign. num. 2886, p. 83.

atque ægros una cum oppidanis inclusos Altorffo et Lauffo oppidis in Norimbergensi agro incenderit. Nona Julii die inter Mauritium Albertumque in Saxonia cruentissimo prælio certatum est, in quo multa millia perierunt. Mauritius, in cuius castris Wirceburgensis et Bambergensis episcopi erant, una cum landtgravio et Henrico Brunsvicensi victor evasit, sed accepto læthali vulnere paulo post extinctus immanissimis doloribus ex spasmo contractis. Albertus castris exutus, cæsoque exercitu, fuga salutem obtinuit, multa vero oppida amisit, atque a senatu Cesareo, ut publicæ quietis perturbator, proscriptus est.

38. *Nuntius Apostolicus ad Grisones in fide confirmandos missus.* — Irreperat apud Rhætos eadem pestis hæreticæ contagio, ac seditiones in Ecclesiasticos concitarant turbulenti impietatis buccinatores, dum simplicem gentem inanum sophismatum laqueis irretiebant, ad quorum dissolvendas artes discutiendamque caliginem a tenebrionibus offusam, Julius Paulum Odescalcum internuntium misit, qui nutantes in fide confirmaret, pervicacesque judiciorum ordine comprimeret, de quo episcopus Curienensis a Julio ¹ certior factus est, jussusque cum eo omnem operam pro retinenda veteri incorrupta religione conjungere.

« Episcopo Curienensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum gravi dolore animum nostrum stimulat hoc temporum nostrorum inter Christianos populos, et in ista præcipue ampla Grisonum gente de religione dissidium : volentes huic malo ea, quæ temporum ipsorum qualitates patiuntur, remedia adhibere, mittimus in isthæc loca dilectum filium Paulum Odescalcum protonotarium, et Signaturæ nostræ referendarium, ad ipsam Grisonum nationem nuntium nostrum, qui recte de Catholica fide sentientes, nostro nomine confirmet atque collaudet, quos autem corruptos labantesque repererit, eos, vel cohortationibus, et rectæ doctrinæ commoustracione ad meliorem sensum revocet, vel si contumaces esse persisteant, contra eos secundum Ecclesiasticas sanctiones diligenter inquireat, quod nostrum consilium, cum tua fraternitate per has nostras litteras communicare volumus, eam hortantes, ut omne suum studium, opem, auctoritatem ad hoc tam pium salutareque negotium adjuvandum conferat, sicut tu quidem, et Deo ipsi, et muneri tuo ex episcopali, quæ in istis ipsis regionibus fidei tuæ commissæ est cura, in primis es adstrictus, etc. Datum Romæ apud S. Marcum die xxii Julii m^olvi, anno vi ».

39. *Otho Augustensis cardinalis doctrina, zelo et pietate conspicuus.* — Præluxit vero exemplo cæteris Germaniæ episcopis Oththo Au-

gustensis cardinalis, qui accita sacerdotum societatis Jesu turina, eximie adversus Lutheranismi præcones doctrina ac pietate decertavit, multosque ab æterno exitio et Sathanæ tyrannide in libertatem filiorum Dei vindicavit, de ejus virtutibus ad Guillelhum Waltpurgensem toparcham, religionis laude et observantia in Sedem Apostolicam conspicuum, hæc Julius scripsit ¹, atque ad constantiam defendenda: religionis incitavit.

« Dilecto filio nobili viro Guillelmo Trucheses baroni Waltpurg, sacri Romani hæreditario dapifero.

« Redeunte ad te atque ad Ecclesiam suam dilecto filio nostro Oththone sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinale Augustensi tuo nato, cujus nobis præsentia, virtus, probitas, quamdiu in Urbe mansit, valde fuit grata, nolumus eum sine his nostris ad te litteris dimittere, per quas nobilitati tuæ significarem, nos tuæ virtutis, rectissimæ fidei, et singularis in Christiana religione constantiæ, plurimorumque et magnorum in hanc S. Sedem, ejusque legatos et ministros officiorum memoriam diligenter atque amanter conservare; non enim aut tua merita parum illustria sunt, quæ ignorari possint, aut nos ejusmodi, qui et ad habendam et ad commemorandam gratiam parum grati et liberales simus, omnino a fidelibus Dei, Sanctæque et immaculate ejus religionis cultoribus prima et præcipua suæ pietatis præmia ab eodem Deo justissimorum bonorum operum remuneratore in illa altera vita, ad quam omnes labores nostri, omniaque piorum desideria aspirant, expectanda sunt, sed tamen in hac etiam vita bonorum et gravium virorum justæ laudes, actionumque suarum approbatio ad ipsius Dei laudem præcipue relata, vere Christiano homini non potest esse non jucunda, cum videat cæteros, qui se impietate, scelere sacrilegioque commaculaverunt, passim proborum vocibus carpi, in infamia esse, atque omnium odiis maledictisque lacerari, sui autem memoriam atque nomen in summa bonorum omnium benevolentia et charitate, et in summa laude ac celebritate versari, quod nos tuæ nobilitati egregie contigisse et gaudemus et gratulamur, idque in tot ac tantis divinæ in te benignitatis muneribus, non minimum Dei erga te beneficium esse agnoscimus, cui quidem Deo, sicut te debitas grates agere et referre, ac quotidie magis pro tua pietate relaturam non dubitamus, ita ejus in divinæ gratiæ retributionem in dies abundantiorum futurum confidimus, nos certe, qui semper, et tuas et ipsius Oththonis cardinalis virtutes et merita non memorem solum retinebimus, sed paterna etiam benevolentia favoreque prosequemur, quæcumque a nobis erga vos, aut

¹ Jul. III. hb. brev. sig. num. 2888. p. 662.

¹ Jul. III. l. vii. brev. sig. num. 2886. p. 90.

ab hac Apostolica Sede, vel commoda, vel ornamenta, proficisci unquam poterunt, et ita prompte, ac libenter in vos conferemus, ut vestrae pietatis ac probitatis majorem in dies ex nostra etiam benignitate voluptatem sitis percepturi. Dat. Romae apud S. Petrum, die xviii Februarii M^oDLIII, anno III ».

Defecit a patris pietate nepos, qui cum postea ad Coloniensem archiepiscopatum domesticarum virtutum commendatione evectus fuisset, in impietatem lapsus, claritatem inter impios adeptus est, ingentemque multitudinem in Sathanae castra aeternaque incendia traxit, de quibus inferius.

40. *Monet Julius Polonus ne facile credant Moschoris, et ostendit novatores non minus civili statui infestos esse quam Ecclesiastico.* — Hoc tempore Moschorum princeps internuntiorum opera cum Julio Pontifice de schismate abjiciendo colloquia egit, pluraque ad augendam rem suam, dignitatem amplificandam postulavit, quae cum in rei Polonicae damnum vertenda opinarentur Poloniae praesules, nec Moschum vera pietate incitari, sed suorum commodorum lenocinio allici, Julium monuere, ne illius dolis deludi se sineret, exploraretque num vere ac sincere pietatem amplecti vellet, nec facile postulata admitteret, quibus haec a Julio¹ responsa data sunt :

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo Gnesnensi, et Andrae Craeoviensi, ac Joanni Wladislaviensi, et Andrae Posnaniensi, necnon Samueli Chelmensi episcopis.

« Venerabiles fratres, etc. Lectis litteris vestris ad nos xv Februarii datis, quibus nos de Moschorum principis negotio diligenter admonetis, quae nos propter illa, quae tractarentur hoc tempore, oportere scire arbitraremini, valde anximus fidem ac prudentiam vestram, per quam tam studiose vestrum officium, tum patriae vestrae, tum Christianae reipublicae, tum nobis etiam ipsis praestaretis, est illud omnino ita ut scribitis, nihil scilicet optabilis piis mentibus esse posse, quam si cunctae nationes, quae a vera Dei cognitione rectaeque ejus fidei cultu alienae sunt, sincere et ex animo ad unitatem Ecclesiae Catholicae, et verae fidei religionisque observantiam se adjungant, sed in his confusis perturbatisque temporibus maxime considerandum esse, qua fide quisque id agat, num ad id simulandi causa ad tempus, an vero et certo religionis studio adducatur, quod nos etsi idem antea nostra sponte sentiebamus, tamen posthac vestro etiam admonitu in hac ipsa causa diligentius cavebimus, quare vestra praestantissime regis vestri auctoritate permoti, quibus Christianae et Catholicae religionis dignitatem, atque hujus Sanctae Sedis auctoritatem adeo

credimus esse cordi ipsius, Moscovite principis postulata rejecimus, nec quidquam ullo tempore de eo per nos statuatur, quin et cum isto praestantissimo rege, et vobiscum etiam prius communicemus; nos enim ita praerularem de vestra virtute et prudentia, atque erga Deum sanctissimamque ejus religionem fide, et in hanc Apostolicam Sedem observantiam judicium facimus, ut semper et vestro consilio tribuere et voluntati satisfacere, quantum cum Deo poterimus, simus parati. Datum Romae apud Sanctum-Petrum, etc. die xv Aprilis M^oDLIII, anno IV ».

41. *hortatus quoque est Pontifex¹ Poloniae proceres ad tuendam religionem Catholicam, ostenditque novatores non tam ad ordinem Ecclesiasticum labefactandum anniti, quam ad omnem politicum statum inducta haereses profana libertate convellendum.*

« Dilectis filiis nobilibus viris senatoribus regni Poloniae.

« Nobilitates vestras de ea, quam in hac temporum agitatione Catholicae fidei atque optimarum in Christiana religione partium adversus impios seditiososque homines suscipitis propugnatione in Domino plurimum commendamus, debitaque laude, quae verae virtutis comes est, prosequemur; cum multa sint et altissima erga istud nobilissimum regnum Dei munera atque dona, nullum omnino est, quod tam nobis illius stabilitatem diuturnitatemque polliceatur, quam ista tum istius optimi regis, tum optimatum principumque virorum qui sub illo praestantissimo capite reipublicae gubernacula moderantur, in vero Dei cultu et Catholica religione conservanda unanimis atque concors consensus, hoc consilium cum erga Deum pium et ad ejus benignitatem vobis conciliandam maxime est idoneum, tum in ratione verae sapientiae in primis prudens est et salutare, cum istae novarum sectarum opiniones, quasi improborum, seditiosorum machinae (id quod tot jam provinciarum exemplis perspicuum est) non tam ad Ecclesiasticarum rerum ordinem confundendum, quam ad labefactandum omnes ordines, praefecturas et imperia, ut temeritati atque licentiae omnia permittantur, sint intentata, quod vestras nobilitates pro sua prudentia, et dispicere, et providere, ita nobis gratum est, ut plus propterea in dies, et nostra erga vos dilectioni indulgeamus, et vestra tribuamus virtuti, id quod ex praedicto Marco Antonio (Maphaeo) plenius poteritis cognoscere, cui nobilitates vestrae fidem habebunt. Datum Romae apud Sanctum-Petrum, die xxvii Maii M^oDLIII, anno IV ».

42. *Assyrii ad unitatem redeunt, misso Romanam patriarcha.* — Hoc anno Assyria ad obsequium et conjunctionem Romanae Ecclesiae rediit, quo argumento extant subjectae Christia-

¹ Jul. III. L^o brev. sig. num. 2886. p. 171.

¹ Julius III. L. VII. brev. sig. num. 2886. p. 217.

norum Assyriorum litteræ ad Julium III¹, quibus efflagitant, ut designatum a se patriarcham confirmet, Pontificemque Romanum Christi vicarium et beati Petri successorem communem omnium Ecclesiarum parentem ac principem profiteatur.

« Patri patrum, et primo pastori necenti coronas, et ungenti sacerdotes, atque aecingenti zonas, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, et cingulo comprehendenti universam Christianitatem. Tu es in loco Christi dominus noster, tu sedes in sede alta et sublimi capitis Apostolorum, tenens claves regni Cælorum, cui ore salutari Dominus noster dixit : *Quidquid ligaveris in terra, erit ligatum et in Cælis*, et super eum fundavit Ecclesiam suam, ut porte inferi non prævaleant adversus eam in generationem et generationem. Et nunc tibi eam Sedem dedit Christus Dominus noster et salvator noster, sedesque super eam, tu item es fons, cujus aquæ non deficient, et quisquis sitiverit, ex te æquum est ut bibat aquas vivas ac sedet sitim suam, tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, sicut candela in candefabrum, et sicut Joannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Domini nostri, in te videt lumen tota Christiana respublica, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ, tu es murus fortis civitatis et matris civitatum Romæ magnæ, quam piscatus est caput Apostolorum Petrus et architectus prudens Paulus, qui præbuerunt lumen omnibus hominibus vinctis, occupatis errore Sathanæ. Tu es caput omnium patrum, sicut erat Petrus omnium discipulorum, cui ut sedem altam et sublimem dedit Deus in terra, sic etiam in novissimo, altum excelsumque, et sicut ipsa Roma est magna et celeberrima. Sed quid extendimus verba coram tua sublimitate? parvum est os nostrum, et brevis lingua nostra, verum ipse Christus, qui te elegit, ad hoc suum munus exaltet et extollat te, faciatque te instrumentum electum, quod conveniat gloriæ suæ. Verumenimvero scito, Domine Pater noster electe, hoc est, quod papa, cujus vita custodita sit a Domino, quod nos servi tui humiles peccatores Nestoriani sumus pupilli, absque patre et absque gubernatore, neque superest apud nos fermentum patrum, aut ullus metropolita, sed dumtaxat duo aut tres episcopi; habebamus quemdam patriarcham, unde ab annis centum, qui nullum constituebat metropolitam, nisi de familia et genere ac populo suo, atque ea familia hanc consuetudinem usurpavit a centum annis usque adhuc. Nunc vero unus solus superest episcopus ex ea familia, qui conatus impudenter ita agere, ut egerunt illi, qui ante ipsum fuere: verum nos non acceplamus neque proclamavi-

mus ipsum, sed subito convenimus ex omnibus locis Orientalibus, et ex omnibus civitatibus, et pagis, qui sunt circa civitatem Muzal, hoc est, Asur, non procul a Ninive, ex Babylonia, ex Carcha, ex Arbela, ex Insula, quæ est in medio Tigris fluminis Paradisi, ex Tauris Persiæ, ex Nisibi, ex Martino, ex Amed, ex Nasanchepla, et ex reliquis locis Orientalibus ad Mozal proceres sacerdotum ac monachorum, reliquorumque fidelium, pro consuetudine, ordine et canonibus olim observatis, atque interrogavimus, scrutati- que sumus inter omnes. Verum non invenimus quemquam præter prudentem et doctum magistrum, ac purum et omnis mulieris expertem, eloquentemque ac bene expertum, et aptum nominis fratrem Saud, quem per vim e loco habitationis suæ deduximus in medium cætus fidelium, visumque est feliciter omnibus hunc esse idoneum ad hanc viam; postquam autem feliciter visum est, ita subito scripsimus litteras ad sublimitatem tuam quamquam indigni, misimusque ipsum ad pedes tuos sanctos, et una cum ipso viros tres primates inter fideles, Adamam, Thomam, et Calepli, comitatusque sunt ipsum usque ad Hierusalem circiter septuaginta viri optimates selecti nostræ fidei, atque viatico comitatusque ipsum instruximus secundum veterem consuetudinem. Proinde supplices petimus a paternitate tua sublimi, ut simul atque pervenerint ad te, conficias negotia eorum, et non restet confusio et ignominia in populo, et inter eos, qui sunt religionis nostræ, ita ut non audeamus prodire in conspectum hominum. Obsecramus itaque te, et eum, qui tibi concessit hoc donum altissimum, et mox ubi ad te pervenerint, ordines eum nobis patriarcham Catholicum, ut non maneamus pupilli absque patre, et gubernatore, ac pastore, et confundatur ordo noster fermenti sacerdotalis, et relinquamur velut oves sine pastore. Nec abeat labor, quem sustinimus ex Oriente in Occidentem in perditionem. Nam Dominus noster dixit in Evangelio discipulis suis: *Gratis accepistis, gratis date omnibus*, quibus opus est de fonte vitæ, et scribas ipsi litteras, et des ipsi viaticum benedictionis, et benedic locis Orientalibus, ut exultet cor nostrum, et ita discedet cum gaudio abs te, sicut gaudebant Magi Persæ in Bethlem in Nativitate Domini nostri, et sicut descenderunt pastores in speluncam, et sicut imbuerunt Angeli gaudio ipsas mulieres.

« Præterea hoc etiam scito, Pater noster sublimis, quod sacerdotium nostrum ex Roma sit, quæ est Sedes Petri capitis Apostolorum ex temporibus pristinis, verum ex quo confusus est ordo Christianorum a filiis Agar Ægyptiæ, interrupta est via nostra ad vos inde a spatio trecentorum annorum usque in hunc diem. Nunc porro quandoquidem miserimus hos ad pedes tuos sanctos, obtestamur ne remoreris ipsos, ne

¹ Ext. in Act. Consist. Ms. card. Spadæ sigu. num. 131. p. 103.

nos maneamus in confusione, et relinquatur cor nostrum apud ipsos, et doleat anima, sed cito remitte eos, quia sitimus ad videndum eos, sicut terra, quae silit aquas, atque conficiat cito, cito. Sed non convenit, ut prolongemus verba eorum cum sublimitate tua, non enim digni sumus. Tu ipse nosti, quod quando filii egent, patres ipsorum explent eorum indigentiam. Et Christus Dominus noster et Deus noster custodiat reges vestros, et benedicat locis vestris ad preces dominae nostrae Mariae, quae peperit Iucem et vitam, et domini Joannis Baptistae: ita fiat. Amen ».

43. Extat in Actis Consistorialibus ¹ narratio status Assyriae Ecclesiae, quae in senatu cardinalium exposita fuit, quae ob rerum, quas continet, dignitatem, Annalibus inserenda visa est, in qua animadvertendum est Nestorianorum Jacobitarumque nomina non sectis haereseon, sed populis certis, qui fidem Christianam inter Mahometanos Assyriae retinuerunt, indita fuisse.

« Sulalla, hoc est, *Accedens* Arabice, vulgo Saud dictus, annos jam natus circiter quadraginta in civitate Mozal, quae et Assur vocatur, octodecim Christianorum Ecclesiis insignis, quorum quindecim sunt Nestorianorum, tres vero Jacobitarum sita in ripa ceteriore Tigris fluminis, a qua ex altera parte ripae abest Nivive illa, Jonae praedicatione nobilis, bis mille passibus, quae nunc dumtaxat circiter mille aedibus habitatur, parentibus inter suos cives optimatibus, admodum puer suo ipsius genio instigatus, monasticam vitam amplexus est, quam haecenus cum summa religione coluit in conobio nuncupato Rabban-Hormisd, quod situm est ultra Tigrim circiter octo millibus passuum a Nivive in Monte, ut omnia in illis regionibus monasteria, propter secessum scilicet; in eo monasterio Sulalla jam annos fere duodecim abbatem egit, habetque fratres supra quinquaginta. Abest autem ab hoc monasterio duobus dumtaxat milliariis Altus Patria Nahum Propheta, ubi illi in hanc diem celeberrimum extat sepulchrum, ad quod Judaei longe lateque conflunt, et Christiani, qui soli eam civitatem circiter mille domibus incolunt, summa cum religione venerantur. Longe maxima pars Christianorum, qui per Assyriam, Persiam ac reliquas Orientales provincias habitant, appellantur Nestoriani, nam Maronitae extra Libanum montem pauci sunt, Jacobitae vero sparsi quidem habitant, sed non frequentes, ac Cophtae, sive ut ipsi scribunt, Aegophtae magis versus Aegyptum, a qua videntur mihi hoc nomen sumpsisse, vergunt, et provincias Praestogiam. Verum hi Nestoriani nomen potius Nestorii haereticum, quam errores, retinuisse videntur: nam nihil plane quod illam sectam referat, in his hominibus,

qui hic adsunt comperio. Invidia vero, quae apud Maronitas, Jacobitas, Cophtaeos, et reliquos earum regionum Christianos laborant, fortasse tum ex ipso nomine, tum ex eo quod reliquos earum regionum Christianos numero ac multitudine populi, Ecclesiarumque frequentia, et statu rerum aliquanto feliciore superant, nata videri possit, nam in Indiam usque suas Ecclesias frequentes numerant.

« Porro ab annis circiter trecentis, aut eo amplius, ex communi ejus gentis decreto, huc ad sacrosanctam Sedem Apostolicam missus quidam est, ut hac auctoritate in patriarcham crearetur, qui, Marasus nuncupatus, a Summo Pontifice in patriarcham creatus, atque ad suos remissus est; verisimile itaque est, cum multa illie de veteri religione in sinceriora dogmata et nostra Ecclesiae consentanea mutasse. Successu vero temporis evenit, ut ante annos abhinc circiter centum, quidam illie patriarcha, sacrosanctum hoc munus sibi suisque posteris haereditarium facere sit conatus; ita ut ex eo tempore nemo, nisi ex ea ipsius familia in archiepiscopum aut episcopum sit creatus, et deinde in patriarcham; cum vero nunc tandem postremus simili ratione suum ex fratre nepotem, quem idcirco puerum octo annorum episcopum fecerat, sibi in patriarcham successorum facere cogitasset; verum antequam puerum in eam auctoritatem evehere potuisset, fati functus esset. Unversus populus tam laici, quam clerici datam sibi divinitus abrogandae illius (corruptelae) resurrectionis occasionem ratus, de vindicando veteri eligendi ritu cogitavit.

« Convenerunt igitur superiore anno, mox atque ille patriarcha esset defunctus, in civitatem Mozal episcopatus Arbele; ea est civitas, ad quam Alexander Barium superavit; item episcopus de Salvast, et episcopus de Adurbeigan, haec ambae sunt in Persia octo aut novem dierum itinere a Nivive in ditone Sophi, qui tres episcopi ei genti superfuere, et praeter eos ex omnibus civitatibus late vicinis, non quidem populus universus, sed ex singulis viri primates Christiani tres aut quatuor, cum litteris ejusdemque populi nomen ac voluntatem testantibus, utpote ex Babylonia, quam modo Bagadat vocant, ex Carena, ex insula Tigris, quae in medio flumine circiter duodecim milliarium passuum supra Mozal est, ex Tauris, quae est Persiae sedes Sophi, Ecbatana in Libro Judith appellata, et ex Nisibi, quam Migdonia Antiochiam veteres nominant, ut Strabo testatur, sitam sub monte Masio ad amnem Hormiz, qui illic per agros passim derivatus, usque adeo faecundat, ut saccus orizae, quantum equus ferat, vix duobus tribusve Julii vebeat, et ex Mardino, quae Marda Plolomaeo est, et ex Emel, quae Ammea eidem dicitur, et ex Hasan-Cepha, hoc est, Petra-Forti,

¹ H. G. de V. Consist. Ms. card. Spala. sig. 131. p. 106.

quæ supra prædictam insulam citeriori ripæ Tigris in rupe munitissima impendet, fortasse eadem, quæ Seleucia Nicanoris Straboni dicitur, ac denique ex omnibus reliquis vicinis locis convenere, inquam, legati populorum Christianorum ad civitatem Mozal ad eligendum patriarcham sibi, quo, cum omnes convenissent, facta re divina per unum ex eis episcopis, et postea proposito sacrorum Evangeliorum libro, ac sancta Cruce, ex ordine primum ipsi episcopi, ac deinde reliqui suæ quisque reipublicæ nomine sententias dixerunt, quæ sententiæ omnes in hunc Sulallam ob perspectam omnibus vitæ ejus probitatem late sunt, quæ nisi tertio missis nuntiis, et tum quidem per vim ex eo monasterio ad se pertrahere poterunt. Celebrata itaque iterum re divina, invocatoque simul Spiritu sancto, ac deinde ipso in medium producto, ubi maximo omnium applausu, denno sententiæ omnes in hunc comprobate essent, visum est eum pro confirmatione (mittere), scriptæque publico decreto litteræ illæ supplices, quas ipse huc ad sanctissimum dominum nostrum papam pertulit, et redacta est tota res in Acta publica, ut gesta erant, missique sunt cum eo viri, cum Ecclesiastici tum laici, ex primatibus Christianorum, usque ad Hierosolymam circiter septuaginta, quod etiam testantur litteræ quædiani montis Syon, et ex eo numero deinde, qui ipsum comitarentur, legati sunt tres quorum unus nomine Caleph, vir laicus, sed apud suos in ea, quam dixi insula Tigris primi nominis, hic adest, alter morbo periit in itinere, tertius vero æger relictus est.

« Præterea petiit sibi, ac populo, regionibusque Orientalibus sanctam benedictionem a sanctissimo domino nostro dari. Optaret præterea, ut una secum quispiam vir Ecclesiasticarum rerum peritus allegaretur, qui illos ritus hujus Orthodoxæ Ecclesiæ nostræ doceret; promittiturque, mox si quis talis mitteretur, eum, aut in episcopum, aut ad aliam dignitatem promovendum, ac datum iri ipsi locum, et ædes, in quibus commodissime habitare posset. Adit etiam illic quatuor Concilia magna, magnis voluminibus haberi, atque ea, et etiam libros veterum doctorum, quibus hic caremus, quales sunt Ephrem... »

XV Februarii Simon Sulalla, delectus a clero et populo Assyriorum patriarcha, provolutus ad pedes Julii III pontificis, Catholicæ fidei professionem nuncupavit ex orthodoxa

verborum formula ipsi proposita inferiusque afferenda, quæ gesta singula Maffæus cardinalis in senatu habito xx Februarii retulit, utque constaret illum jam ante a clero populoque Assyrio fuisse rite designatum patriarcham, de quibus extant subjecta publica documenta ¹.

45. « Romæ die Lunæ xx Febr. MDLIII, referente reverendissimo Maffæo.

« Cum universus populus Assyriæ Orientalis, videlicet, tam Ecclesiastici quam laici pro eorum veteri more acclamassent in eorum patriarcham religiosum virum Simonem Sulalla, priorem domus Hormisd, Ordinis Sancti Basilii, Musal diœcesis, Ordinem ipsum expresse professum, in quadragesimo vel circa ætatis suæ anno constitutum, et eundem Simonem ad Sanctitatem suam pro confirmatione hujusmodi obtinenda misissent, sanctitas sua idoneitate et meritis supradicti Sulalle et aliis præmissis diligentem examinatis, ejusdemque confessione visa, intellecta et ab eo approbata, horum intuitu Ecclesiæ patriarchali de Musal in Syria Orientali per obitum bonæ memoriæ Simonis Mamæ illius ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti vacantis, de persona ejusdem Simonis Sulalle providit, prout in cedula, cujus tenor est:

« Reverendissime Domine. Hodie sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Julius divina providentia PP. III in suo Consistorio secreto, ut moris est, ad relationem meam Ecclesiæ patriarchali de Musal in Syria Orientali, cui bonæ memoriæ Simon Mama patriarcha de Musal et insule Tigris, ac cæterarum civitatum et terrarum Orientalium eidem patriarchæ subjectarum, necnon monasteriorum ejusdem nationis in Dii Marin ac Calicut, ac tota India existentium eidem patriarchæ subditorum, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Simonis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, de persona religiosi viri domini Simonis Sulalle de Danielis domo Bella fratris domus Hormisd Ordinis Sancti Basilii, Musal diœcesis, Ordinem ipsum expresse professi, in quadragesimo vel circa suæ ætatis anno et præbyteratus ordine constituti, ac de legitimo matrimonio procreati, de ejus integritate, doctrina, puritate, sinceritate, fidei constantia, religionis zelo, vitæ ac morum honestate, et denique in omni virtute summa perspicuitate, universus clerus et populus Catholicus illius regionis per eorum litteras suæ sanctitati testimonium perhibuere, ejusdem Simonis Sulalle confessione, quam sanctitas sua de verbo ad verbum præsentis cedulæ et litteris desuper conficiendis inseri et adnotari voluit et mandavit, prius audita et in

¹ Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 431. p. 98.

scriptis redacta ac diligenter examinata, et in eodem Consistorio perfecta, ac ea Catholica, et ipso Simone Sulalle per eam fidei capace, et vero, fidei ac idoneo reperitis, horum intuitu de reverendissimorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in patriarcham prefecit, et pastoralem curam, etc. committendo, absolvens eundem dominum Sulalle a censuris ad effectum. In quorum fidem præsentem cedulam fieri, et nostri parvi sigilli impressione muniri jussimus et fecimus, eamque manu propria subscripsimus ».

Tenor vero dictæ Confessionis sequitur, et est talis :

« Ego frater Sulalle de domo Danielis Bella, ex civitate Muzal in Assyria Orientali orinudus, frater domus et conventus S. Basilii, Muzal diocesis, Ordinem ipsum expresse professus.

« I. Credo ex corde et confiteor ore, quod unus solus est verus Deus Omnipotens, incommutabilis, qui est incomprehensibilis, ineffabilis et æternus. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus in essentia, trinus in personis, Pater ingenuitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens, non sicut a duobus principiis, sed ab utroque tanquam ab uno principio. Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus, Filius non est Pater, aut Spiritus sanctus, Spiritus sanctus non est Pater aut Filius, sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat æternitate (immensitate). Absque initio semper est, aut sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantialis, coæquales, et omnipotentes, et co-æterni; hæ tres personæ sunt unus Deus, non tres Dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus creator visibilium omnium et invisibilium, corporaliū et spiritalium, qui quando voluit universas condidit creaturas sua bonitate, quas valde bonas voluit; ideo reprobo et anathematizo omnes hæreses, et hæreticos sentientes et docentes contraria.

II. Firmiter etiam credo et confiteor, quod unigenitus Dei Filius consubstantialis Patri, semper cum Patre et Spiritu sancto existens, in plenitudine temporis quam divina misericordia consilium disposuit, ut nos a peccato Adæ et cæterarum culparum nostrarum sordibus mundaret, et a morte et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato utero beate Virginis Mariæ, veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus, scilicet, et animam rationalem in unitate personæ divinæ, unita unitate, ut unus et idem Christus sit Deus et homo, Dei filius et hominis filius, ita quod una natura

non confunditur ab altera, neque una transit in alteram, neque una miscetur alteri, neque altera evanesceat, sed in persona omnino una due sint naturæ perfectæ, scilicet et divina ac humana, salvis earundem naturarum proprietatibus, due voluntates, due operationes, ita ut Christus sit tantum unus, et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei forma servi non minuit, qui enim verus Deus est, idem verus est homo, Deus per id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, homo per id quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; Deus per id quod de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, quod Samaritanæ aquam salientem in vitam æternam promisit, quod Lazarum quatuoriduanum a mortuis suscitavit; homo per id quod esurivit, sitiit, fatigatus est, et in ligno clavis transfixus est; unus et idem secundum divinitatem æqualis æterno Patri, immortalis, impassibilis; secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis et passibilis.

« III. Insuper firmiter credo et prædico eundem Dei Filium incarnatum, natum esse ex Maria semper Virgine, et ideo ipsam Virginem fateor, veram Dei Matrem atque Genitricem. Item vere passum, mortuum et sepultum, vere cum anima descendisse ad inferos ad liberandum Patres, et ad ligandum insatiabilem homicidam, et subinde vere ex mortuis surrexisse, et per quadragesimam dies Apostolos docuisse, moxque ad cælos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine sæculorum ad iudicandum vivos et mortuos.

« IV. Credo et profiteor nullum unquam hominem ex semine Adæ conceptum et natum fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum Domini nostri Jesu Christi in sanguine et morte ipsius, qua nos reconciliavit æterno Patri, et delevit chirographum iniquitatum nostrarum, æterna redemptione inventa.

« V. Item firmiter credo, legalia omnia Veteris Testamenti, seu Mosæ Legi, quia Christum figurabant, licet divino cultui illa ætate congruerent, ipso adventu cessasse, et jam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, Sabbathi, ciborum eadem Lege prohibitorum, reliquorumque legalium observationes alienas a fide demitto, et salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus respiciant, ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem novæ legis Sacramenta instituit, quæ veneror, credo et confiteor, scilicet Baptisimum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Ordinem, et Matrimonium, et Extremam-unctionem, quæ omnia nobis gratiam Dei conferunt, et virtute passionis Domini nostri Jesu Christi ea

sumentibus applicavit. Ista septem Sacramenta perficiuntur tribus, verbo, videlicet, et rebus, ministro: rebus ut materia, verbis ut forma, ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia. Recipio insuper quidquid de eisdem Sacramentis sancta et Catholica Ecclesia Romana docet et prædicat.

« VI. Credo, quod si vere pœnitentes in Dei charitate fructuaverunt, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, et commissorum et omissorum pœnis Purgatorii post mortem purgari, utque a pœnis hujusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta; illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam habent, et ut dictum est, purgatae sunt, mox in cælum recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et unum scilicet est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

« VII. Firmiter etiam teneo et credo Symbolum fidei a trecentis decem et octo Patribus Concilii Nicæni acceptatum, et usque hæc tempora servatum in Ecclesia in hac forma: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem. Factorem cæli et terræ, visibilibus omnium et invisibilibus, et in unum Dominum Jesum Christum, etc.

« VIII. Confiteor, teneo et prædico unum eundemque Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum, atque Evangelii auctorem esse, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante locuti sunt. Hæc suscipio omnes libros canonicos quos suscipit sacrosancta Romana Ecclesia Catholica, quorum tituli sunt, videlicet: quinque Libri Moysis, Liber Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Libri Regum, duo Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Tobie, Judith, Job, Psalmorum David, liber Proverbiorum, Ecclesiastes, et Cantici Canticorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Isaie, Hieremie, Baruch, Ezechielis, Danielis. Teneo etiam libros duodecim Prophetarum minorum, id est, Osæ, Joelis, Amos, Abdie, Jonæ, Micheæ, Nahum, Abacuc, Sophoniæ, Haggæi, Zachariæ, Malachie et duos libros Machabeorum. Etiam teneo quatuor Libros Evangelistarum Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Accepto quatuordecim Epistolas Pauli, ad Romanos videlicet unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum unam, ad Philemonem unam, ad Hebræos unam. Item suscipio Epistolam Jacobi

unam, Petri duas, Joannis Apostoli tres, Judæ unam, Librum Actuum Apostolorum et Apocalypsim Joannis Apostoli.

« IX. Item amplector, suscipio et approbo sanctam Nicenam Synodum cccxvii Patrum, et profiteor et sequor quidquid illa decrevit, et reprobo et damno quidquid illa damnavit, et maxime impiam hæresim Arianorum cum suo auctore Ario.

« X. Item amplector, suscipio et approbo Sanctam Catholicam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine generalium Synodorum, et credo ac sequor quidquid illa decrevit, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit, et maxime impiam hæresim Eutychetis et Dioscori, et reprobo secundam Ephesinam synodum.

« XI. Item amplector, suscipio et approbo Sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit, maxime hæresim Nestorianam cum suo auctore Nestorio.

« XII. Item suscipio, approbo et amplector quæcumque alia Concilia, quæ recipit et approbat sancta et Catholica Ecclesia Romana, ac damno et reprobo omnes hæreses et auctores earundem, quas et quos reprobat et damnat dicta sancta et Catholica Romana Ecclesia, necnon quidquid tenet et docet sancta Sedes Apostolica Romana ac Catholica Ecclesia cum omni devotione et reverentia suscipi et accepto, illos quoque doctores et Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat reverenter suscipio.

« XIII. Teneo et confiteor sanctam Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Petri Principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ esse caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, ejus Ecclesiæ unitatem et congregationem tam valere credo, ut nullos extra dictam Ecclesiam Catholicam existentes æternæ vitæ participes posse fieri confiteor.

« Insuper promitto me tanquam obedientiæ filium ordinationibus, præceptis, censuris ac jussionibus papæ Julii III modernæ, et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedis Apostolicæ fideliter et semper obtemperaturum. Ita me Deus adjuvet, et sancta Dei Evangelia, et Deus testis est mihi, quod corde credo, confiteor ore hanc confessionem fidei meæ sinceram et veram, quam scribi feci, ac manu propria subscripsi, et humiliter Patri sanctissimo Julio III Pontifici Maximo ad pedes ejus prostratus obtuli die xv mensis Februarii MDLIII.

« Ego indignus frater Simon Sulalle feci scri-

bere hanc fidem, et manu propria subscripsi.

« Datum Romæ in palatio Apostolico anno a Nativitate ejusdem Domini M^oLVII, die vero XX mensis Februarii, Pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri anno III ».

Collectis cardinalium suffragiis Simon Sulalla a Pontifice Assyriorum patriarcha confirmatus est, ac postea lapsio medio Aprili solemniter patriarchali pallio in Basilica Sancti-Petri insignitus, de quo hæc publica Acta ¹ referunt :

« Die Lunæ XVII Aprilis Sanctitas Sua in Sede Pontificali consistorii sui secreti Romæ in palatio Apostolico apud Basilicam S. Petri sedens cum pluribus ex reverendissimis ac reverendis dominis archiepiscopis, episcopis ac aliis prælati Ecclesiarum, neonon sanctitatis suæ familiaribus sibi assidentibus pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore ipsius B. Petri sumptum, R. P. D. Simoni Sulalle de Danielis de Dombella, patriarchæ de Mozal in Syria Orientali, coram eadem sanctitate sua personaliter constituto, et illud cum ea qua decuit reverentia postulanti, propriis manibus tradidit et assignavit, ut tam dictus Simon patriarcha, quam ejus in Ecclesia de Mozal successores patriarchæ de Mozal pro tempore existentes illo perpetuis futuris temporibus infra Ecclesiam suam de Mozal illis diebus dumtaxat uteretur, qui expressi sunt in jure, aut in ipsius Ecclesiæ de Mozal privilegiis continentur ».

46. *Ad præparanda decreta de reformatione multi Romani acciti præsules, et auctus cardinalium senatus.* — Eodem die actum est de redigenda in meliorem formam Christiana disciplina, cumque perfecta essent quæ cardinalium congregatio ad id constituta sanxisset, visum est a conclavi et electione Pontificis incipiendum, ut sanctorum morum norma a capite ad extrema membra diffunderetur ; de quo hæc referunt Acta Consistorialia ².

« Romæ die Lunæ XVII Aprilis, S. D. N. fecit verbum de reformatione per reverendissimos deputatos facta, et fuerunt lecta ea, quæ per eos acta extiterant, et visum fuit Sanctitati suæ sumendum esse a reformatione conclavis, videlicet de electione Pontificis, et fuit decretum quod Bulla antea desuper facta mitteretur per manus ad reverendissimos, nullo tamen exemplari sumpto seu relaxato, quia visa postmodum mitterentur etiam ea, quæ de dicta reformatione per prædictos deputatos ut prius acta fuerant, et deinde super omnibus concluderetur ».

Confluxit Romam ad sanctioris discipline

formam instituendam maximus episcoporum, qui jam ante vocati erant, numerus, utque res debito perageretur ordine, Julius Marcellum cardinalem tit. S. Crucis maximis virtutum ornamentis conspicuum, ac postea in Pontificatu successorem Romam exievit, visum enim erat futurum opportunius, ut in Romana aula, quam in Concilio ea norma instaurate disciplinæ sanciretur.

47. Auctus est hoc anno cardinalium senatus, de quo hæc memorant Acta Consistorialia ¹ :

« Romæ die Veneris XXII Decembris MDLIII, fuit Consistorium, in quo creavit et assumpsit in S. R. E. presbyterum et diaconos cardinales, videlicet Petrum de Aragonia archiepiscopum Panormitanum presbyterum, et Ludovicum de Lotharinga de Guisa, ac Robertum de Nobilibus de Monte-Politiano in decimo tertio anno, vel circa, ac Hieronymum de Simoncellis clericos Aretinæ et Urbevetanæ civitatis vel Diocesis respective diaconos ».

48. Adneta est ea Ludovici Guisii cardinalis promotio in maximam invidiam, ita ut proximo ineunte anno Julius Pontifex ob graves causas constituerit, ut nullus posthac cardinalis adhuc superstitis frater in cardinalium senatum adscribi posset, ne ad pauciores familias is honos contraheretur, ut narrant Acta Consistorialia ².

Quod autem Julius purpura ornaverit Robertum de Nobilibus suum ex sorore nepotem, respexit quidem non ad annos, sed ad mores seniles, ita ut vere asserere possimus, de eo locutum quoque fuisse Spiritum sanctum in Sapientia : *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Iste namque ætate adolescens, sensu perfectus vir, decimo suæ vitæ anno ita Latinam et Græcam callebat linguam, ut coram Pontifice duobus istis idiomatibus oraverit, quibus addidit sacrarum Litterarum disciplinam ; sed majori multo existimatione digna ejus vitæ innocentia, qua cum nullis rebus, quas adeo mundus magnificat, adhæreret, cardinalitium dignitatem relinquere, et nomen dare Societati Jesu decreverat, a quo tamen consilio a proprio piaculario sacerdote ejusdem Societatis viro dimotus est, majorem proinde purpuræ conferens, quam ab ipsa accipiens splendorem. At homines tanta virtutum luce diu frui non meruerunt, quatuor namque post cardinalatum elapsis annis decimo octavo suæ ætatis anno, immaturus mundo, sed maturus cælo ad Paradisi gloriam evocatus est.

¹ Acta Consist. Ms. card. Spada sig. num. 134, p. 114. — ² Ib. p. 113.

¹ Acta Cone. Ms. card. Spada sig. num. 134, p. 127. — ² Acta Consist. sign. num. 114, p. 129. Andreas Victorellus in Giacco, in adject. Jul. III. et card. de Nobilibus.

JULII III ANNUS 5. — CHRISTI 1554.

1. *Philippus II Hispaniarum rex uxorem accipit Mariam Angliæ reginam, quod Calvinistæ omni modo impedire conantur.* — Anno Christianæ salutis quinquagesimo quarto supra millesimum quingentesimum, incunte Indictione duodecima, perlatus est Julio ab oratore Caesareo nuntius de matrimonio inter Philippum Hispaniarum principem Caroli V filium, tot regnorum hæredem, ac Mariam Angliæ reginam conciliato, ex quo cum de Anglorum ad Romanæ Ecclesiæ obsequium et conjunctionem reditu certæ spes affulgerent, pio gaudio delibutus Pontifex imperatori¹ de tantæ rei felici successu gratulatus est :

« Imperatori.

« Hodie kalendarum Januariarum et novi anni redeuntis diem festum agentes cum a sacro altari discederemus, solemni Missæ Sacrificio Deo Optimo Maximo per nos persoluto, tuæque in primis majestatis (quod semper fecimus), devotis nostris precibus eidem Deo incolumitate saluteque commendata, præsto nobis fuit dilectus filius nobilis vir Joannes Mauricus orator apud nos tuus, qui nobis optatum nuntium attulit de matrimonio inter dilectissimum filium nostrum Philippum Hispaniarum principem natum tuum, ac Christianissimam in Christo filiam nostram Mariam Angliæ reginam conciliato, quo sane nuntio vix quidquam nobis gratius potuit accidere, ita enim nobis ejusmodi summorum ac præstantissimorum principum inter se conjunctio tum apta et conveniens in Domino visa est esse; tum Christianæ reipublicæ incremento, atque hujus Sedis dignitati auctoritatique opportuna, ut quod antea de illius nobilissimi Angliæ regni ad rectam fidem, et prædictæ Apostolicæ Sedis venerationem reversione freti singulari virtute ac religione ipsius Mariæ reginæ sperabamus, id nunc tua tanta auctoritate, consilio, pietate ad eam causam

adjuncta prorsus ita futurum certe, firmissimeque expectamus; quare majestati tuæ optimo animo paternaque charitate gratulantes, omnipotentem Deum omnibus votis oramus, ut istud ipsum matrimonium, tum majestatis tuæ ejusque præclarissimæ familiæ amplitudini, auctoritati, dignitati faustum, felix fortunatumque perpetuo esse velit, tum vero etiam illos, quos speramus, ad ipsius Dei laudem adjuvandam, salutare ex sese effectus parere, ut tantæ lætitiæ causæ, quæ ab ipsius benignissimi Dei largitate originem habent, cum ejusdem Dei semper voluntate beneplacitoque consequatur. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 1 Januarii MDLIV, anno IV »:

2. Pro conficiendo hoc augusto conjugio, excitus est serius in Angliam Reginaldus Polus ne tumultuum causam novandi cupidus præberet, cum regio stirpe satus, nec sacerdotio initiatus a nonnullis in regem expeteretur: porro Maria regina religionis Catholice pristino splendori restituendæ cupida Crammerum Cantuariensem archiepiscopum et Hugonem Latimerum plurimum scelerum reos in carcerem conjici jussit, comitem etiam Devonie ob prælatum sibi Philippum actum in iras, et Elizabetham ex Anna Bolena Henrico natam cum Wiato¹, ut senatui visum est, conjurationis conflata sociam vinculis addixit; usa tamen clementia dein comitem in Italiam relegavit, Elizabetham vero, quæ postea sævissimam persecutionem in Catholicos, rerum potita, exercuit, procerum precibus morti ereptam Wodstochium in custodiam misit.

Non conquirevere tamen turbidi hæreticorum animi, sed aperta usi audacia ad occultas artes confugere, ut fascinatam dolis occultis plebem in conjuratione pellicerent, finxeruntque primum adulterina miracula quasi lapsæ cælo Angelicæ mentes cælestibus vocibus Lon-

¹ Jul. III. I. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 24.

¹ Sander. l. II.

dinenses cives admonerent, ne reginae cum Hispaniarum principe conjugium celebrari permitterent, neve religionem veterem pristino restitui splendori tolerarent; quorum doli patefacti impietatem ac nequitiæ auctorem in lucem collocarunt, nefariaque superstitione in risum versa est, versutiaque justis poenis castigata, ut refert Sanderus¹ subjectis verbis:

3. « Motus in Anglia varii præcipui conjuratoribus in potestatem reginae redactis, et supplicio affectis utrumque conquieverunt. Sed hæretici, inquietum et turbolentum genus hominum, et quod vi et armis apertis contra nuptias cum Hispaniarum principe et regni reconciliationem non poterant, Diabolicis tentant efflicere artibus: nam præter privatas insidias, quas ad tollendam reginam pro quibus Guillelmus Thomasus regii senatus tempore Eduardi scriba merita morte multatus fuit) impie struxerunt, aliud ad commovendum Londinensem populum seditio, tum et hæresi valde delictum, inauditum adinvenit stratagemam: induxerunt quippe quamdam puellam, octodecim annos natam, hæresi simul et pretio corruptam, in eam improbam simulationem, ut se permitteret in abdito inter duos muros cujusdam domus angulo ad tempus concludi, et per fistulam ad id aptatam eas voces edere, quas istius strophæ artifices suggererent sibi: nomen puellæ Elizabetha Crosta erat, doli auctor erat Draucus quidam. Itaque illa instructa, et in loco ad fraudem accomodato collocata, mirabiles emittit continuo ex antro suo voces, easque tam sonoras, ut per omnes vicinos audiretur. Accurrunt undique cives, quid sit inquirunt, mirantur, voces non mortalis hominis, sed angeli esse clamabant, urbi ac reipublice iste spiritus comminatur miseriam, ærumnas, mala omnia, si nuptias cum Hispano aut communionem cum papa Romano admittant. Multa enim contra sanctum Sacrificium et reliquam fidem Catholicam quasi oracula fundebat: erant ex conspiratoribus, qui data opera se turbis adstantibus semper inresserant, qui hujus spiritus propheticas et obscuriores sententias ad religionis eversionem et seditioem movendam interpretabantur. Magistratus autem ad multitudinem compescendam, et quid rei sit lustrandum accedit: frans difficillime apparuit. Sed tandem inito consilio de defendendo muro et vicinis parietibus unde voces reddi conjiciebat, misera puella prodit, ac examinata, quorum suavis et consilio hoc fecerit, confessæ est statim se a quibusdam seditiosis sectariis, et ab eo in primis, quem nominavimus, Drauco, ad istam nequitiam inductam fuisse. Auctores fugiunt; puellæ publica poenitentia castigata reliqua poena condonata est, et ita res tota in risum et in majorem hære-

seos delectationem, quæ tam Diabolicis sustentatur artibus, recidit ».

4. *Cardinalis Polus amplissimis facultatibus munitus tam pro confirmandis episcopis hæresim ejurantibus quam pro relictibus per nefas possessis a restitutione eximendis.* — At Maria regina pristinae dignitati restituendæ religionis sollicita dejectis gradu Ecclesiastico hæreticis, pios delegit sacerdotes a Reginaldo Polo cardinale legato approbatos, quos Ecclesie præfici a Pontifice veteri more atque instituto flagitavit, tum sacras pro ipsa, ut regnum pie ac tranquille administraret, apud Deum preces fundi postulat; hujus pietatem ac flagrantissimum instaurandæ religionis impietatisque evertendæ studium Pontifex commendavit, dato cardinali Polo de his amplissimo mandato.

5. In senatu cardinalium Romæ habito vi Julii, creati fuerunt octo episcopi Angli, atque etiam Reginaldo Polo collata potestas, ut præsules intrusus per nefas, redeuntes ad officium ejuralis hæresi et schismate in eadem dignitate confirmaret, quemadmodum referunt¹ Acta Consistorialia:

« Romæ die Veneris vi Julii MDLIV, fuit Consistorium, in quo proponente Sanctissimo Domino nostro, cum reverendissimus dominus Reginaldus Sancte Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, Sedis Apostolicæ in regno Angliæ de latere legatus, cui ante idem Sanctissimus Dominus noster, ut quibusvis cathedralibus etiam metropolitans ipsius regni Ecclesiis, quovis modo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus serenissima domina Maria Angliæ regina illustris juxta dicti regni consuetudinem sibi supplicasset Apostolica auctoritate providere, ipsasque personas eisdem Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præficere posse, plenam et liberam facultatem concesserat Lincolnensi de Joannis, et Roffensi de Mauritiis in Theologia baccalaureorum, ac Cæcæstrensi de Georgii, et Gloucestrensi de Jacobi Magistrorum in Theologia, necnon Menevensi alias Sancti-Danielis de Henrici legum doctoris, ac Bathoniensi et Wellensi invicem unitis ejusdem regni Ecclesiis certo modo pastorum solatiis destitutis de Gisberti R. P. D. episcoporum de legitimo matrimonio procreatorum, et in presbyteratus ordine ac aetate legitimum constitutorum, pro quibus dicta Maria regina juxta eandem consuetudinem supplicaverat personis, dicta auctoritate providisset, ipsosque illis respective in episcopos præfecisset, et pastores curam respective committendo, ipsius episcopi provisionum et præfectionum præsentium vigore ipsarum Ecclesiarum regiminis et administrationis possessionem, seu quasi respective assecuti fuissent, et munus consecrationis alias rite et recte

¹ Sand. l. c. p. 342.

¹ Acta Consist. sic. num. 131. p. 133.

impensum suscepissent, asserereturque singulas Ecclesias prædictas etiam tunc, ut præfertur, seu alias certo modo vacare. Idem sanctissimus Lincolnienſis de Joannis, et Roffenſis de Mauriliis, ac Cicestrenſis de Georgii, ac Gloceſtrenſis de Jacobi, necnon Menevenſis alias Sancti-Danielis de Henrici, et unilſis Eccleſiis hujusmodi quovis modo quem Sanctitas ſua haberi voluit pro expreſſo, et ex cujuſcumque perſona vacarent de Giſberti epiſcoporum prædictorum perſonis, pro quibus prædicta Maria regina eidem Sanctitati ſue supplicaverat, providit, ipſosque illis reſpective committendo, et cum retentione omnium, etc. Pro Mauritiſio Roffenſi, et Henrico Menevenſi epiſcopis prædictis, et cum clauſulis opportunis, etc.

6. « Cum idem reverendiſſimus Reginaldus cardinalis legatus, cui etiam Sanctitas Sua, ut de perſonis quorumcumque archiepiſcoporum vel epiſcoporum, qui metropolitanas aut alias cathedralis dicti regni Eccleſias de manu laicorum etiam ſchismaticorum, et præſertim quondam Henrici regis et Eduardi ejus natſ recepſerant, earum fructus etiam longiſſimo tempore, etiam tanquam venerabiles archiepiſcopi ſeu epiſcopi uſurpando, poſtquam eos rehabili-tandos eſſe cenſuiſſet, ſi ſibi alias digni et idonei viderentur; eiſdem metropolitanis et aliis cathedralibus Eccleſiis de novo, necnon de novo quibuſvis aliis cathedralibus, etiam metropolitanis, dicti regni Eccleſiis, quovis modo vacan-tilibus de perſonis idoneis, pro quibus ſereniſſima domina Maria Angliæ regina illuſtris juxta ejuſdem regni conſuetudinem ſibi supplicaeſſet Apoſtolica auctoritate providere, ipſasque perſonas eiſdem Eccleſiis in archiepiſcopos et epiſcopos præficere, ac cum iis, qui Eccleſias cathedralis etiam metropolitanas de manu laicorum, etiam ſchismaticorum, ut præfertur, recepſerant; quod eiſdem, ſeu aliis ad quas eos alias rite transferri contingeret, cathedralibus etiam, metropolitanis Eccleſiis in archiepiſcopos et epiſcopos præfici, ac pro ſe, ipſasque Eccleſias in ſpiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere conſecrationis ſibi eatenus impenſo uti libere et licite valerent, diſpenſare poſſet, plenam et liberam facultatem conceſſerat Reginaldus prædictus Robertum Herphordienſem, qui Eccleſiam Aſſanenſem dicti regni tunc certo modo vacantem de manu dicti Henrici ſeu Eduardi receperat, et illius regimini tenere et de facto ſe ingeſſerat, ac prætextu præmiſſorum munus conſecrationis etiam de facto ſuſceperat, menſe epiſcopalis Aſſanenſis fructus tanquam epiſcopus Aſſanenſis realiter admiſerat, et pro quo prædicta regina, juxta eandem conſuetudinem ſibi ſuper eo supplicaverat et de perſona Eccleſiæ Herphordienſis, tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitute, dicta auctoritate providiſſet, cumque illi

in epiſcopum præfecieſſet et paſtorem, curam etc. committendo, ac ſecum, ut eidem Eccleſiæ Herphordienſi in epiſcopum præſeſſet, illamque in ſpiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere conſecrationis per eum, ut præfertur, ſuſcepto uti libere et licite valerent diſpenſando, ipſeque Robertus epiſcopus provisionem et præfectionis hujusmodi vigore, poſſeſſionem, ſeu quaſi regimini, et adminiſtrationis ipſius Eccleſiæ Herphordienſis quovis modo, quem haberi voluit pro expreſſo vacaret de perſona ipſius Roberti, pro quo prædicta regina Maria eidem Sanctitati ſue supplicaverat, dicta auctoritate providit, ipſumque Robertum illi in epiſcopum præfecit ».

7. Porro regina litteræ de reſtoreſcente in Anglia religione Catholica in ſenatu perfectæ fuere maximo omnium plauſu, quibus Julius Pontifex ¹ ſubjectis verbis reſpondit :

« Marie Angliæ reginæ.

« Litteras ſerenitatis tuæ vii Aprilis die ad nos datas incredibile pæne eſt qua nos animi lætitia et exultatione acceperimus, quantoque ſtudio et gaudio ab univerſo venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium cætu nobiſcum una fuerint perfectæ, cum omnes certatim, et ſummi Dei in te benignitatem, propriamque et peculiarem tuarum rerum protectionem ac curam extolleremus, et tuam viciffim tantam acceptorum ab eo beneficiorum gratitudinem tantamque undique admirandi operis quod in te Deus a templo ſuo ſancto operatus eſt, confirmationem debitis in Domino laudibus efferremus, tot enim probis, piisque et doctis ſacerdotibus per ſerenitatem tuam ad iſtius regni Eccleſiarum regimen adſciſis, nobiſque atque huic Apoſtolice Sedi, ut eos juxta ſolemneſſem Catholicumque morem ipſius præficereſſemus, propoſiſtis, nil ſane majus et appoſitiſſum per te ad cauſam Dei erigendam planeque conſtituendam potuit effici, cum tibi tædes viros curæ, ſtudiſſi laboriſque tui cooperatores aſſumpſeris, qui fide et pietate, et recta in Deum Religione in omni varietate temporum ſemper habiti ſunt eximii, itaque et tunc ſtatim provisionem de ipſis epiſcopis jam per dilectum filium noſtrum Reginaldum legatum factam nos ad ſupplicationem tuæ Serenitatis juxta antiquum prædeceſſorum tuorum morem auctoritate noſtra approbavimus. ratamque habuimus, et nunc eandem tenore præſentium generatim approbamus et confirmamus, et cum prædictis venerabilibus fratribus epiſcopis videbitur, illis ſingularim noſtræ hujus confirmationis teſtimonium per ſolitas noſtras ſub plumbo datas litteras præbebitur; quod vero Majestas tua in poſtremis ſuis litteris nos orat, ut ad Deum preces fundere velimus, quibus per ejuſ clementiam

¹ Jul. III. l. brev. VIII sig. num. 2887. p. 182.

et bonitatem tui istius regni ad perfectam hujus sanctæ Sedis obedientiam reducendi consiliis secundos det eventus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum die x Julii MDLV, anno v ».

8. Pro restituenda asserendaque facilitus religione, pellendisque ad obsequium Ecclesiæ Angliæ proceribus, qui Ecclesiastica vectigalia invaserant, Julius cardinale legatum auctoritate munivit, ut cum iniquis possessoribus mitiori ratione transigere, raptarum opum sacrarum restituendarum onere eos exsolvere posset, præferendas enim redemptas Christi sanguine animas temporariis censibus, qui in infelici præteritorum temporum perturbatione distracti fuerant vel pessumdati, censuit Pontifex, atque etiam ut contra fas occupata retineri permitteret, rescissis contrariis legibus, indulsit, de quo subjectæ ad cardinalem legatum ¹ adhuc agentem in Belgio datæ litteræ :

« Cardinali Polo legato.

« Superioribus mensibus, oblata nobis spe per Dei misericordiam et clarissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Angliæ reginæ summam religionem et pietatem, nobilissimi illius Angliæ regni, quod jam diu quorundam impietate a reliquo Catholice Ecclesiæ corpore avulsum fuit, ad ejusdem Catholice atque universalis Ecclesiæ unionem, extra quam nemini salus esse potest, reducendi, te ad prædictam Mariam reginam, atque universum illud regnum nostrum, et Sedis Apostolicæ legatum de latere, tamquam pacis et concordie angelum de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio atque unanimi assensu destinavimus, illisque facultatibus omnibus munivimus, quas ad tanti negotii confectionem necessarias putavimus esse, seu quomodolibet opportunas, atque inter alia circumspeditioni tuæ, ut cum bonorum Ecclesiasticorum possessoribus, super fructibus male perceptis, et bonis mobilibus consumptis concordare, transigere, ac eos desuper liberare et quietare, ubi expedire videretur, posset, auctoritatem concessimus et facultatem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur ; cum autem ex his principiis, quæ ejusdem Mariæ reginæ sedulitate et diligentia, rectaque et constante in Deum mente, tuo etiam in ea re cooperante studio atque consilio prædictum reductionis opus in prædicto regno usque ad hanc diem habet, ejusdem præclari operis perfectio in dies magis speretur, eoque faciliores progressus habitura esse dignoscatur, quo magis nos majorem in Ecclesiasticorum bonorum possessionibus in illa superiori temporum confusione per illius provincie homines occupatis, Apostolicæ benignitatis et indulgentiæ spem ostenderimus, nos nolentes tantam dile-

ctissimæ nobis in Christo nationis recuperationem, et tot animarum pretioso Jesu Christi Domini nostri sanguine redemptorum salutem, ullis terrenarum rerum respectibus impediri, more pii patris in nostrorum et sanctæ Catholice Ecclesiæ filiorum post longum periculosæ peregrinationis tempus ad nos respectantium et redeuntium proptatim complexum occurrentes, tibi, de cujus præstanti virtute, singulari pietate, doctrina, sapientia, ac in rebus gerendis prudentia et dexteritate plenam in Domino fiduciam habemus, cum quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum, tam mobilium quam immobilium in prædicto regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa serenissima regina Maria intercesserit, de bonis per eos occupatis ut prædicta bona sine ullo scrupulo imposterum retinere possint, arbitrio nostro auctoritateque nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum eis dispensandi, omniaque et singula alia, quæ in his et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna fuerint, concludendi et faciendi, salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem hæc sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et prædictæ Sedis beneplacito et confirmatione plenam et liberam Apostolicam auctoritate tenore præsentium, et ex certa scientia concedimus facultatem, non obstantibus litteris felicis recordationis Pauli papæ II, prædecessoris nostri de non alienandis bonis Ecclesiasticis, nisi certa forma servata, et aliis quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum et monasteriorum, ac aliorum regularium et piorum locorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis foundationibus, statutis et consuetudinibus illorum tenores pro sufficienter expressis habentes contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVIII Junii MDLV, anno v ».

9. *Philippus II in Angliam appellit ad nuptias cum Maria incandis, collatis sibi prius a Pontifice juribus regni Neapolitani.*— Instructa interim amplissima classe Philippus Hispaniarum princeps professionem in Angliam pro copulanda sibi connubialibus sacris Maria regina adeundaque regni possessione adornabat, cum Pontifex de parta recenti felicitate gratulaturus ei litteras transmisit, rogavitque ut cardinali Polo aditum in Angliam hæcenus obstructum patefaceret.

Prædie ejus diei, quo consignatæ sunt Pontificiæ litteræ, appulerat Philippus princeps Hispaniarum in Angliam, in quem Caesar ad regiarum nuptiarum splendorem augendum Neapolitani regni jura transfudit, ut refert

¹ Ib. num. 2587. p. 156.

Surius, de quo etiam Acta Consistorialia ¹ hæc referunt :

10. « Romæ die xxiii Octobris MDLIV, fuit consistorium ; Sanctissimus D. N. admisit renuntiationem et dimissionem regni Siciliae citra Pharum a serenissimo D. Carolo Romanorum imperatore semper Augusto in favorem serenissimi Domini Philippi Angliæ regis illustris, ipsius Caroli imperatoris nati factam, necnon obedientiam a nobili viro Ferdinando Avalos de Aquino, Marchione Piscariæ, ejusdem Philippi regis procuratore, nomine dicti Philippi regis, Sanctitatis Suae ac Sedi Apostolicæ, et S. Romanæ Ecclesiæ præstitam, itemque homagium et juramentum fidelitatis ac regnum ipsum usque ad confinia terrarum ipsius Romanæ Ecclesiæ excepta civitate Beneventana cum ejus territorio, districtu et pertinentiis ac eorum incolis, quam sanctitas Sua sibi et eidem Romanæ Ecclesiæ retinuit, prædicto Philippo regi, pro se suisque hæredibus et successoribus Aragonum regibus, tam masculis quam fœminis ex eo recta linea descendantibus in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem millium ducatorum auri de camera et unius paraphreni albi pro recognitione veri et directi domini ipsius regni in festo sancti Petri persolvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promissionibus, clausulis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Julii II et concessione Leonis X Romanorum Pontificum Sanctitatis Suae prædecessorum contentis, concessit et elargitus est, et regnum ipsum eidem Philippo regi modo et forma prædictis infeudavit, eumque de illo per ipsius Ferdinandi Marchionis, et procuratoris ad osculum pedum Sanctitatis Suae admissionem investivit, volens et intendens, ut infra annum a data concessionis hujusmodi computandum idem Philippus rex privilegium suum aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fateatur, et recognoscat expresse regnum Siciliae hujusmodi, ac totam terram ejus, quæ est citra Pharum, usque ad confinia ipsius Romanæ Ecclesiæ, excepta Beneventana civitate, cum illius territorio, districtu et pertinentiis prædictis, quæ ipsi Ecclesiæ perpetuo remaneat, Philippo regi, suisque hæredibus et successoribus prædictis ex sola gratia et mera liberalitate Sedis Apostolicæ et Sanctitatis Suae fuisse concessa, eosque recepisse et tenere regnum Siciliae et terrarum hujusmodi a Sanctitate Sua, et dicta Romana Ecclesia, sub pœnis et modis et conditionibus supradictis eidem Sanctitatis Suae, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, dare et tradere teneatur. Non intendens per præmissa juri serenissimæ D. Joannæ Hispaniarum et utriusque Siciliae reginæ illustris, vel

alicujus alterius in aliquo præjudicare, et alias, prout in Bulla plenus continetur ».

11. De collato in Philippum II ¹ beneficentia Apostolica Neapolitano regno, proximo die Julius illum certiore fecit subjectis litteris : tum ipsi, tum reginæ Mariæ fausta omnia comprehensus est.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Angliæ ac Siciliae citra Pharum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Hodie mane in Consistorio publico de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu, communique omnium plausu et lætitia, in Dei omnipotentis nomine, præsentibus dilectis filiis nobili viro Ferdinando marchione Piscariæ, et aliis tuis ac majestatis Cæsareæ apud nos agentibus, cum solitis cærimonis et actibus opportunitis, hilari ac libenti animo, eoque paterno affectu, quo serenitatem tuam, in primisque charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum patrem tuum prosequimur, et tibi semper in omnibus, quæ cum Deo possumus, cupimus satisfacere, regni Neapolitani, ac totius Siciliae citra Pharum, quod idem Cæsar refutarat, tibi que cesserat, investituram concessimus, quemadmodum ab ipso marchione, ut putamus, pluribus certior fies, et ex litteris Apostolicis sub plumbo ad id propediem expediendis plenus cognosces ; Deum ipsum Optimum Maximum supplices precamur, ut hanc tuam regni hujus, regnorumque aliorum, et cujusvis principatus accessionem tibi, eidem Cæsari ac charissimæ filiæ nostræ Mariæ Angliæ reginæ illustri conjugii tuæ, reginæque familie vestræ universæ faustam felicemque et perpetuam servare, servatamque augere ad suæ divinæ Majestatis gloriam, Christique fidelium pacem sempiternam velit, quemadmodum pro summa ipsius clementia, tuisque in eum eximia pietatis et religionis meritis, quanto majore possumus desiderio certe et speramus in Domino et expectamus. Datum Romæ apud S. Petrum, diè xxiii Octobris MDLIV, anno v ».

12. Extant eodem argumento exaratae ad Carolum imperatorem litteræ ², quibus Cæsaribus volis obsecundasse tradito Philippo II eo fiduciario regno significavit.

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili, etc. Hodie in Consistorio publico una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus magno omnium plausu ac lætitia charissimum in Christo filium tuum et nostrum Philippum Angliæ regem illustrem, ut ex litteris

¹ Acta Consist. sig. num. 134, p. 145.

² Lib. brev. sig. num. 2391 — ³ Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2891, p. 1.

tuae majestatis te maxime desiderare intelleximus, de regno Neapolitano, ac totius Siciliae citra Pharus hilari ac libentissimo animo investivimus, quemadmodum majestatis tuae hic agenles te certiores facturos existimamus, Deum Omnipotentem in Domino deprecamur uti haec investitura majestati tuae filioque tuo serenissimo, ac regiae vestrae familiae universae, Christianaeque reipublicae, et sanctae huic Sedi felix faustaque sit ad ipsius Dei gloriam, ejusque fidelium salutem et pacem sempiternam. Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii Octobris MDLIV, Pontificatus nostri anno v ».

13. *Anglia ad fidem Catholicam rediit pietate Philippo et Maria, sed praesertim opera cardinalis Poli; unde maxima in Urbe signa laetitiae, et gratiarum solennes actiones.* — Potitus Anglicus sceptro Philippus rex adversas haereticorum factiones discussit, studiaque omnia ad Angliam ab haeresi et impietate vindicandam, revocandamque ad obsequium Romanae Ecclesiae cum Maria regina contulit¹, itaque Reginaldum Polum cardinalem legatum excivit in Angliam e Belgio, is vero Pontificem de suo in Angliam proximo ingressu certiores fecit, de quo haec referunt Acta² Consistorialia :

« Romae die Veneris, ultima mensis Novembris MDLIV, fuerunt lectae litterae reverendissimi domini Poli, quibus significabat se infra biduum e Belgio in Angliam profecturum ». Magnis exceptum honoribus legatum narrat Sanderus his verbis :

« Haereticorum frustralis conatibus, omniumque subditorum animis utcumque sedatis, Philippo etiam jam Angliam ingresso, ac nuptiis utrinque expetitis feliciter peractis, regis simul ac reginae auctoritate regni reconciliatio summa sedulitate agebatur, atque ob eam causam ad diem duodecimum Novembris ordinum conventus indictus est, et Polus e Brabantia, quo ante aliquot dies appulerat, missis ad eum honoris causa duobus primariis viris regum consiliariis in Angliam vocatur, et vigesimo tertio ejusdem mensis in urbem honorificentissime deducitur, quintoque post die venit in concilium statuum, quod parlamentum ibi vocant, regibusque praesentibus legationis suae causam exponit, hortaturque ut ad Ecclesiae communionem redeant, sanctissimoque Pontifici principis Apostolorum successori, debitam auctoritatem restituant, qui summam velit ipsis impertire clementiam ac benignitatem : monet etiam, ut Deo gratias agant, qui talem ipsi regem dederit atque reginam. In hanc sententiam locutus egreditur.

« Ibi Wintoniensis episcopus cancellarius illius oratione repetita, multisque verbis ad

unionem et concordiam eos hortatus, permagas Deo gratias agendas esse dicit, qui pro sua immensa misericordia prophetam eis ex ipsorum semine suscitavit, amplissimum videlicet cardinalem, qui totus in ipsorum salutem incumbat. Postridie cum orationem et postulata legati probassent ordines, concepta fuit petitionis formula, qua regi supplicant atque reginae, ut ad illum intercedant. Ejus haec erat sententia. Penitere se vehementer schismatis, quod obedientiam Sedis Apostolicae denegarint, et quod decretis factis adversus illam assenserint : in posterum vero se futuros in ipsius atque reginae potestate, et facturos quicquid omnino possint, ut ejusmodi leges omnes atque decreta his comitiis abrogenent : majorem igitur in modum orare, ut interveniant et efficiant ut censuris absoluti, in quas juxta leges Ecclesiasticas per schisma inciderant, in Ecclesia Christi gremium rursus tanquam filii poenitentes recipiantur, ut deinceps in Romanae sedis et Pontificum obedientia servire Deo possint, ad ipsius nominis gloriam et suae salutis incrementum.

14. « Altera die cum iterum adesset rex, regina et legatus, consurgit cancellarius, et quod super legati postulato decreverint ordines, clare pronuntiat, et deinde supplicem petitionem ordinum scripto comprehensam, obsignatam regi tradit atque reginae, petens ut accipiant. Hi cum aperuissent, cancellario reddunt, ut pronuntietur. Tum ille rogat ab universo coetu qui totum regnum representant, num ratam habeant ? Illis affirmantibus, rex atque regina consurgunt, eamque legato tradunt. Is cum legisset, Diploma vicissim suae etiam legationis illis exhibet : mox illud recitatur, ut ipsos absolvendi potestatem ei factam a Pontifice omnes intelligerent. Post orationem habet, et quam sit grata Deo poenitentia, quantumque de peccatore poenitente gaudeant Angeli, multis in medium adductis exemplis demonstrat : Deo gratias agit, qui mentem hanc emendationis cupidam ipsis inspiravit. Eo facto consurgit, idem rex et regina faciunt, et in genua subsidunt. Ibi tum ille Dei numen atque misericordiam implorans obtestatur, ut populum benigne respiciat, eique culpam ignoscat, seque legatum a Pontifice Christi vicario dicens, ut illos absolvat, de more benedicit toti multitudini simulque eam absolvit. Ad sacellum deinde ventum est : hic Deo actae gratiae symphonia cantorum, et festae laetitiae fuit editum signum, uti fieri consuevit.

« Secundo vero Decembris, rex et legatus cum omnibus paene totius Angliae proceribus veniunt ad templum Sancti-Pauli, post sacram hortationem edicit populo illius urbis, quanto studio omnes status totius regni nomine se submiserint Apostolicae Sedis obedientiae, quan-

¹ Sander. l. II. par. II. p. 314. — ² Act. Cons. sign. num. 133 pag. 449.

taque vicissim pietate ab illustrissimo legato vice sanctissimi Domini nostri sint accepti, et a prioribus peccatis et censuris absoluti. Et ut pro tanta gratia Deo, papæ et regibus pienssimis gratias agant immortales monet, et non ita multo post regum et reipublicæ nomine missi sunt Romam legati, qui officium et obedientiam Sedi Apostolicæ pro toto regno sponderent et præstarent.

« Atque in Urbe propter lætissimæ rei nunquam supplicationes quoque publicæ factæ, et Deo grates Pontifice ipso sacra mysteria celebrant persolutæ sunt, et indulgentia ad modum Jubilæi per Christianum orbem in gratiarum actionem publicata est. Hæc reconciliatio regni post vigesimum annum, in quo infausum illud ab Henrico ceptum esset schisma, incidit in profectum sancti Andreae, unde Synodico postea decreto constituit illustrissimus legatus Polus, non ita multo post factus Cantuariensis archiepiscopus, ut ad tanti beneficii immortalæ memoriam festum Sancti-Andreae in perpetuum principalis duplicis officio (ut tum illi loquebantur) apud Anglos celebraretur, et ut totus clerus ac populus per universon regnum in sua quique Parochiali Ecclesia infra certum tempus, absolutiois ac reconciliatiois gratiam in genua provoluti humiliter postularent, ac susciperent, quod et factum est a plebe avidissime ».

15. Perfecta reconciliatiois Anglorum reintegratæque veteris cum Romana Ecclesia conjunctionis celebritate, Reginaldus cardinalis Polus legatus Julium Tertium Pontificem scriptis eadem die litteris de re tota certiore fecit, ac Mariam reginam, quæ maximam gentem uno die Christo peperisset, virtutumque regiarum odorem latissime diffunderet¹, summis laudibus commendavit (1) :

« Sanctissimo domino nostro Julio III Pontifici.

« Quæ superioribus diebus ad sanctitalem vestram scripsi de illa spe, quam cœperam fore brevi, ut hoc regnum ad Ecclesiæ unitatem et Sedis Apostolicæ obedientiam rediret, et si non sine magna causa scripsi, non poteram tamen non in aliquo timore versari, non solum ob eam difficultatem, quam afferebat ejus nomine odium, sed multo magis, quod verebar, ne ingressus ipse in causam aliqua minus honesta pactione interposita turbaretur, quod quidem ne accideret vehementer egi cum serenissimis

regibus. Sed nihil sane id necesse erat, vicit eorum pietas ac rei perficiendæ studium omnem expectationem meam, vel maxime hodie vesperi, quo die sancti Andreae memoria recolebatur, qui primus Petrum fratrem ad Christum perduxit, divina providentia factum est, ut hoc regnum ad debitam Petri Sedi et Sancti-Andree Vestræ obedientiam revocaretur, quo per illum Christo capiti et ejus corpori, quæ est Ecclesia, jungeretur. Acta vero et confecta res est in comitiis, presentibus regibus, tanto studio, tantoque cum omnium applausu, ut cum ego perorasset post benedictionem, statim ab omnibus cum mirifica lætitiæ significatione acclamatum sæpius sit Amen. Ex quo plane perspectum est in his, sanctum illud semen, etsi jam diu oppressum, tamen non extinctum fuisse, quod vel maxime nobilitas declarat. Hæc reversus domum ad sanctitatem vestram scripseram, ut ei de tanta re tanquam feliciter divino consilio gesta subito gratularer, cogilans has litteras regio tabellario dare, qui paulo post discessurus dicebatur, postea vero mutata sententia, cum statuisset certum hominem ex meis mittere, hoc tantum his litteris addere volui ad gratulationis cumulum, ejusque lætitiæ gratulationem, quam cum maximam cepi ex ipsius rei eventu omnium maximæ, tam sanctæ, tam utilis Universæ Ecclesiæ, tam salubris huic patriæ, quæ me genuit, tam honorificæ ei, quæ me excepit, tum vero non minorem ex ipsis regibus, quorum virtute pietateque id profectum est atque confectum. Quam multa et quanta potest Ecclesia sponsa Christi, et mater nostra de his suis filiis polliceri sibi ! nam vere, ut dixit Propheta, *Isti sunt filii, cui benedixit Dominus, hæc plantatio Domini ad gloriam dunt.* Quam Sanctitas Vestra sancte omni studio et auctoritate huic matrimonio favit ! quod sane videtur præ se ferre magnam summi illius regis similitudinem, qui mundi hæres a regalibus sedibus a Patre dimissus est, ut esset Virginis sponsus et filius, et hæc ratione universon genus humanum consolaretur. Sic enim rex ipse maximus omnium, qui in terris sunt, hæres Patris, relictis regnis, et illis quidem maximis, in hoc parvum regnum se contulit, hujus Virginis sponsus et filius factus est (nam se maritum et filium gerit) ut jam plane quod fecit, sequestrem se atque adjutorem ad reconciliandum Christo et ejus Corpori, quod est Ecclesia, hunc populum præberet. Quæ cum ita sint, quid tandem non ipsi Ecclesiæ Matri ab eo expectandum est qui id fecit, ut convertat corda

¹ Ext. apud Natal. Comit. hist. l. VIII. in fin.

(1) Ne quid præterisse videamur eorum quæ ad res Anglicanas anni hujus spectant, commemoranda est Synodus provincialis Cantuariensis, cujus extat supplex libellus cardinali Polo A. S. L. porrectus, ut alienationes quas vocant Ecclesiasticorum prædiorum in gratiam publicæ quietis toleraret, qua de re facultas a Pontifice permissa fuerat, ut ex annalista hic num. 17 constat. Supplicium hunc synodi libellum inter chartas Puikeri nactus Barnesius in Historia Reformationis Anglicanæ vulgavit lib. II, et in Append. num. 173. Eadem litteræ cum aliis ad eam rem spectantibus extant in magna collectione Conciliorum Angliæ data ante hosce nonnullos annos a Wilkins tomo IV, pag. 101, etc. signanturque die X Aprilis MDCV.

patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum? atque hæc virtus sane elucet.

16. « Hæc vero regina, quæ, cum Sanctitas vestra me ad eam legavit, tanquam illa virgula fumi ex odoribus myrrhæ et thuris e deserto ascendebat, ipsa paulo ante ab omnibus derelicta, quam nunc splendet! Qualem jam myrrhæ et thuris odorem suis effundit! quæ, ut de Christi Matre ait Propheta, antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum: quis unquam audivit tale? quis vidit huic simile? numquid parturiet terra die una, aut parietur gens simul? hæc vero gentem totam nunc peperit, antequam cum partum ediderit, ejus in spe maxima sumus. Quanta vobis gratulandi causa datur, quanta gratias agendi divine misericordie, Sanctitati vestræ et Cæsareæ majestati, qui auctores tam felicitis tamque pii conjugii fuistis, per quod nos Deo Patri et Christi Ecclesie reconciliati conjungimur. Hoc unum reliquum est, ut Sanctitatis vestræ gaudium et simul universæ Ecclesie conculari precemur, quæ Deum pro suis filiis orare non desinit. Deus Optimus Maximus Sanctitatem vestram diu Ecclesie suæ conservet. Londini pridie kalendas Decembris MDLV.

« Sanctitatis vestræ humillimus servus Reginaldus cardinalis Polus ».

De conciliatis Romanae Ecclesie Anglis Philippus Neapolis et Angliæ rex ad Pontificem etiam scripsit, cujus litteras in cardinalium senatu medio fere Decembri lectas narrat Acta¹ Consistorialia :

« Roma die Veneris XIV Decemb. MDLV, fuerunt lectæ litteræ serenissimi regis Angliæ, unanimi consensu rediisse ad gremium Ecclesie, ac etiam ad obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesie, et hæc de causa fuerunt decretæ supplicationes quatuor dierum, quibus elapsis sanctitas sua celebravit missam in Basilica Sancti-Petri, et habitis jejuniis trium dierum, concessit universis Christi fidelibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum in forma jubilei ».

17. Intercessisse in ea reconciliatione gravissimas difficultates, sed prudentia card. legati dissolutas vel abscissas refert Sanderus²: « In hæc inquit restitutione religionis graves intervenerunt difficultates, de quibus nisi legatus seipsum aliosque cum magna prudentia et nonnulla etiam indulgentia expedivisset, non ita prompte in reconciliationem hæc et Pontificie auctoritatis agnitionem consensissent, nec in officio permansissent: timueruntnimium multi ac ii in primis qui ex spoliis Ecclesiarum ac monasteriorum ad summos in republica honores et divitias evecti fuerunt, ne Pontificis

jussu hujusmodi possessiones ac bona repeterentur ». Præviderat has difficultates Julius Pontifex¹, easque jam ante eliserat edito Diplomate, quo legatum auctoritate muniverat, ut abalienata Ecclesiastica bona vel occupata iniquis possessoribus, ut contemptibilia permitteret, modo animas pretiosissimo sanguine Christi coemptas Deo compararet. Auxerat iniquorum possessorum terrorem reginæ pietas, quæ eximium quærendi consecrandique ante omnia regni cælestis exemplum Anglis præbuerat, de qua hæc subdit: « Illic istorum metum vehementer auxit devotissimæ reginæ in rebus sacris, quas pater fraterque suus sibi arripuerant, retinendis tanta religio, ut omnium decimarum, primitiarum, beneficiorum ac similibus proventus ærario regio ante applicatos in illustrissimi cardinalis manus ac dispositionem, resignaverit etc. ». Ut vero ad revocandum in pristinum splendorem religionem in Angliam, tum a regina, tum a legato plura sapientissime fuerint constituta, suis locis disseretur. Nunc Germanicas res perstringamus.

18. *Ex Anglia exteri hæretici ejiçuntur.* — Narrat Surius² magnam hæreticorum colluviem ex Anglia profugam hoc anno in Germaniam confluisse, in eaque suas sedes collocasse, regina enim Maria, ut Sanderus³ memorat, expurgandæ Angliæ cupida senatusconsulto gravissimo edixerat, ut exteri omnes, qui neque publicam gerebant personam, nec in cives scripti essent, Angliæ regno excederent, cujus decreti terrore percussi hæretici variarum nationum sectarumque supra triginta millia solum verterunt, regnante enim Eduardo in Angliam veluti in asylum impiorum perfugerant. Horum antesignanus erat Petrus martyr maximus Sathanae laqueus, de quo hæc Sanderus addit: « De Petro martyre aliquandiu deliberatum est in senatu, utrum expediret illum in insula flammis tradere, quod ille inter cæteros multum damni reipublicæ attulisset, sed itum est in illud, ut quia fide publica venerat, dimitteretur potius cum suis; Bucerii vero corpus paulo ante Cantabrigiæ sepultum jubebatur secundum leges cum Pauli Phagii cadavere exhumiari et comburi: uxoris autem Petri martyris impura ossa e cœmeterio in sterquilinum Oxonii projici ». Cum ita Petrus martyr humani iudicii severitatem gravius a divino puniendus evasisset, Argentoratum trepidus se contulit, ac deinde a Tigurinis vocalus, Zuingliana pestilentia primariam cathedram conscendit, ex qua postea in inferos præceps corruit. Porro in Germania hæretici non omnino secundis rebus nisi sunt, quorum defensor Albertus Brandenburgicus extremo superiore anno kal. Decemb. ut publica

¹ Act. Cons. sig. num. 133. p. 149. ² Sander. de schism. Angl. l. II. in Maria

¹ Jul. III. sup. l. VII. brev. p. 156. ² Sur. in Comm. hoc anno. ³ Sander. l. II. in Maria.

quietis et imperii hostis proscriptus ¹, omniditione sua depulsus est, ac Blasseburgum præcipua ejus arx in Ferdinandi regis potestatem concessit, Cæsareus etiam exercitus conjunctis Norimbergensium et episcoporum copiis, expugnato Sainfuro in fugam illum abegere, ejusque partium sequaces male muleturunt.

19. *Confirmat Julius pacta cum Germanis a Nicolao IV sancita.* — Inter has Germaniæ civiles turbas Pontifex ad alendam tuendamque in clero Germanico pacem et concordiam litesque sopiendas, vetera Nicolai V pacta cum Germanis de conferendorum in Germania sacerdotiorum jure atque ordine instauravit, ut ex subjecto Diplomate ² patet:

« Ad futuram rei memoriam.

« Decet Romanum Pontificem Domini nostri Jesu Christi, a quo pax, et concordia, ac reliqua bona procedunt, in terris vicarium concordis inter Sedem Apostolicam et nationes Christianas initis firmiter adherere, et ne eis contraveniatur, efficaciter providere. Sane nuper accepimus, quod licet in concordatis inter dictam Sedem ex una, et inelytam nationem Germanicam ex altera parte dudum initis, per felicis recordationis Nicolaum V primo, et deinde diversos alios Romanos Pontifices prædecessores nostros approbatis et innovatis, ac mutuo partium consensu firmatis, inter alia caveatur expresse, quod de beneficiis secularibus et regularibus dictæ nationis, et dispositioni Apostolicæ alias, quam ex causis inibi expressis, reservatis pro tempore vacantibus, jure ordinario provideatur, per eorum ordinarios collatores impediatur, quo minus de illis eum de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacent, libere disponatur per eos, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio et quævis alia dispositio pertinet, et concordata hujusmodi civitatem et dioccesim Leodiensem comprehendant seu ad illas extensa sint. Nihilominus pro eo, quod postmodum piæ memoriæ Sixtus Papa IV, etiam prædecessor noster, dilectis filiis Universitatis doctorum, magistrorum et scholarum Studii Lovaniensis dictæ diocesis, seu forsani Facultati Artium in eodem Studio instituta, aut pro tempore existenti rectori Universitatis hujusmodi, de quinque magistrorum ad hoc in solita congregatione Universitatis hujusmodi deputandorum consilio et assensu, nominandi singulis prælatis, capitulis, conventibus, collegiis et personis Ecclesiasticis, utriusque sexus sæcularibus, et regularibus etiam abbatissali, abbatiali, episcopali, archiepiscopali, aut cardinalatus fungantur dignitate et honore, ad quos, quas et quæ canonicatum, præbendam, ac

administrationum, et officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura et sine cura in terris temporalibus domini tunc ducis Austriæ consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, et eorum cuilibet, etiam si aliqui ipsorum extra terras easdem et residentiam haberent, unum clericum ex sæcularibus et graduatis Universitatis hujusmodi, certo tamen expresso modo qualificatum, facultatem perpetuo duraturam concedit, et concessio hujusmodi ad dictas civitatem et dioccesim extensa fuit, et a nonnullis forsani nimium scrupulosis asserit in concessione, seu illius extensione hujusmodi concordatis prædictis derogatum fuisse, inter ordinarios collatores civitatis et diocesis prædictarum, seu eos, quibus beneficia ipsa per eosdem ordinarios collatores pro tempore conferuntur ex una, ac pro tempore nominatos ad beneficia hujusmodi ex altera partibus, diversæ quæstiones, discordiæ, contentiones et lites sæpius oriuntur, ac quæ ex similibus provenire consueverunt, odia, jurgia et scandala subsequuntur majoraque in dies subsequi posse formidatur, in maximum ordinariorum collatorum, et aliorum, quibus beneficia hujusmodi pro tempore conferuntur, præjudicium, ac studentium per graduatorum prædictorum perturbationem non modicam; Nos attendentes, concordata prædicta vim pacti inter partes habere, et quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse neque debere, volentes litium fomenta de medio tollere, singularum litterarum Apostolicarum super præmissis confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine per præsentem statuimus, et ordinamus, atque decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus iidem ordinarii collatores, quibusvis nominationibus in una concessione facultatis nominandi, et illius extensionis hujusmodi pro tempore factis non obstantibus, et de beneficiis ad eorum collationem seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentibus, alia juxta ipsorum concordatorum continentiam et tenorem disponere libere et licite possint, quodque dispositiones per eos de ipsis beneficiis juxta tenorem concordatorum hujusmodi alias rite et recte pro tempore factæ validæ et efficaces existant, suosque plenarios effectus sortiantur, sicque et non alias in præmissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia sublati, et eorum cuilibet, quamvis aliter judicandi et interpretandi auctoritate et facultate judicari et definiri debeat, et irritum et inane existat, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

¹ Sur. in Comm. hoc anno. Ferron. in Henr. II. — ² Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 257.

scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon Universitatis et facultatis prædictorum, et juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis a motu simili et quomodolibet concessis, aut etiam iteratis vicibus approbatis etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xiv Septembris MDLII, anno iv ».

20. *Bellum in Belgio et Italia ab Henrico Gallia rege contra Cæsarem gestum.* — In Germania inferiore bellum grave ab Henrico Gallorum rege adversus Cæsarem gestum est; occupato enim Cæsare in conciliando Philippi filii cum Maria regina matrimonio, ut Anglos belli socios adversus ipsam haberet, Henricus rex¹ tripartito instructo exercitu, ad rem perturbandam in Belgium irrupit mense Junio, atque Atrebatensem agrum vastavit; Orcinontem arcem ad deditionem compulit, Mariamburgum a Maria regina Hungariæ munitum subegit, Dionantum oppidum validissimum expugnavit, decimo-septimo kalendas Augusti Dionanto profectus, ingressusque Hannoniæ Bincium deditione recepit, Rentium tamen frustra tentavit, cum Cæsar valido exercitu collecto castra diligentius munivisset, comætuum inopia pressus in Galliam XVIII kalendas Septembris rediit, cum intercipiendi prodicione in primo expeditionis impetu Cameraci consilia patefacta atque oppressa fuissent.

Cum ita Gallorum res in Belgio prospera esset, in Italia atrita atque profligata est, quantum initio effloresceret, magnumque terrorem inferret, nam in Gallia Subalpina Brissacus Biporediam et Yercellas ceperat, sed arce propulsata, adventante Ferdinando Gonzaga, se subdlexerat.

In Hetruria, cum, uti dictum est, dux Florentiæ Cosmus anno præterito se ad Senense bellum comparasset, mense Januarii Senensium ditionem invasit, et mediæ noctis silentio marchio Marignani, qui exercitui ducis Florentiæ præerat, munitiunculam occupavit, quam Senenses juxta januam civitatis, que Camuliam nuncupant, ad urbem custodiendam, extruxerant; bello inchoato, dux Pontificis et Italia principibus litteras dedit, quibus suscepti hujuscemodi belli consilium et causas aperiebat. Senenses quamvis inopinato petiti bello, cum pro eis Galli validissime pugnarent, non solum se defendere armis, sed etiam multa damna

duci Florentiæ intulere, cum Petrus Strozzius ducis Florentiæ perduellis, et generalis ductor copiarum regis Galliarum et Senensium, multa oppida Florentinis abstulisset, sed tandem die secunda Augusti ipse Petrus cum marchione Mariognani congressus pugna infeliciter commissa, et magna militum cæde fusus et profligatus est. At Marchio Pisccharia, qui ducis Florentiæ exercitui præerat cum imperio militari, victricibus copiis succinctus, ex quibus pauci milites desiderati erant, ad Senas obsidione cingendas provolavit, tandemque expugnavit, Gallosque dispulit, ut suo loco dicitur. Qua tanta victoria parta, dux Florentiæ in grati animi argumentum, militarem postea sub Pio IV religionem instituit, sub S. Stephani Pontificis et Martyris patrocinio, cum die ejus memoria sacro adeo præclaram victoriam obtinisset, et prope Marcianum oppidum, in cujus agro de hoste triumphavit, templum eidem sancto Stephano, perpetuum victoriæ monumentum, erexit. Eodem ipso tempore¹ Genuenses totam fere Corsicam, missis exercitibus, a Gallis pridem subactam, recuperarunt, cum Gallis insule præsidiariis Gallica subsidia defuissent, et naves auxiliares ventorum vi dispersæ aut mersæ undis fuissent: ita in Italia res Gallicæ infeliciter afflictae prostrataque. Quo etiam tempore Dragulus, classe Turcica in regnum Neapolitanum invecus plurima maritima oppida cædibus rapinisque fœdavit, magnamque Christianorum multitudinem in servitutem rapuit: « Tam impotens », inquit Belcarus², « erat duorum principum Cæsaris et regis Henrici iracundia ac pertinacia, ut Christianas provincias ab eo hoste compilari vastarique, quam aquas inter se pacis condiciones inire mallent, quem Christianorum omnium communem hostem, si nomen Christianum tueri volunt, omni belli clade persequi deberent ».

21. *Neapolitani tumultus componuntur.* — Porro in Neapolitano regno, cum antea ob institutam fidei censuram in impios, ne sensim in id regnum hæreseos pestis irreperet, varii exorti essent tumultus, nonnullis objicientibus alienarum torturarum diripiendarum cupiditate insontes inique oppressum iri, ita demum composita res est, ne scilicet bona sontium lisco addicerentur, sed ad proximiores consanguineos transmitterentur, sontesque meritis penis afficerentur. Extant Julii litteræ³ de ea re ad cardinalem Paceum datæ:

« Cardinali Paceo.

« Et ex tunc circumspeditionis litteris, et ex sermone dilecti filii nobilis viri prudentissimi-que hominis Joannis Maurici Casareæ majestatis apud nos oratoris intelleximus, quod sicut universitas et homines istius nobilissimæ civi-

¹ Francisc. Belcar. l. XXI. num. 43 et seqq. Ferrou in Henr. II. sur. in Comment. hoc. anno. Natalis Comes l. VIII. Adrian. l. V. anno 1534.

² Id. ib. Natalis Comes l. VIII. — ³ Lab. XXVI. num. 79. — ⁴ Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2888. p. 399.

tatis (nempe Neapolitanæ) pro suo perpetuo religionis zelo subditos istius regni hereticæ pravitatis reos cunctis Ecclesiasticis censuris et juris pœnis animadverti probant, ita a bonorum confiscatione pro pace et quieto ipsius regni regimine abstineri cupiunt, quare nos, qui in hujusmodi nefario crimine extirpando nihil aliud spectamus, aut nobis habemus propositum, nisi Dei honorem et sanctæ ejus religionis incrementum, atque ut per emendationes malorum boni piique ab hujusmodi pestis contagione illæsi conserventur, vestris precibus in hoc annuentes, et tum isti universitati, quam in visceribus charitatis gerimus, tum ipsi serenissimo Cæsari et tuæ quoque circumspeditioni gratum facere volentes, si quæ in isto regno honorum confiscationes ex prædicta causa adhuc factæ fuerint, eas gratiose aboleamus, cassamus et annullamus etiam, et ne similes bonorum confiscationes aliquando fiant, quemadmodum optimis et integerrimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus huic salutari de hæreticæ pravitate judicio præfectis injunximus, nec dubitamus pro eorum gravitate prudentiaque illud esse observaturos, et nihilominus irritum et inane decernimus, si quid a quopiam in contrarium confingerit attentari. Dat. Romæ ».

22. *Ad sepulchrum Christi reparandum Julius III pecuniam colligit.* — In Syria temporum vetustate Christianorum templis collabentibus, atque etiam religioso cultu in sanctissimi sepulchri sacra. Ede ob fidelium earum parlium inopiam obsolescente, Pontifex in Urbe Sodalitium piorum virorum instituit, qui ex corrogata stipe, collectisque elemosynis sanctissimi Sepulchri. Edis reficiendæ, diviniq; in ea cultus rite peragendi curam suslinerent, de quo Julius Cæsarem, aliosque reges Catholicos, necnon principes, præsulesque, atque Ecclesiasticos certiores fecit¹, ut tam pium opus liberaliter promoverent :

« Charissimis in Christo filiis nostris Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, cæterisque Christianis regibus, principibus, ducibus, marchionibus, rebuspublicis, et quibusvis dominis temporalibus, necnon venerabilibus fratribus, et dilectis filiis nostris et Apostolicæ Sedis legatis, nuntiis, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac aliis quibuscumque Ecclesiasticis personis, ad quorum manus hæ nostræ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum nos superioribus mensibus ad divini honoris augmentum, et populorum Christiani nominis animarum consolationem in alma Urbe nostra unam Archiconfraternitatem sanctissimi Sepulchri Dominici instituerimus, volentes litteras nostras super erectione ipsius Archicon-

fraternitatis editas in conspectibus vestris, et locis ditionis vestræ, ea qua decet solemnitate et auctoritate publicari et promulgari, venerabilem fratrem Albertum episcopum Vegliensem, cujus studio et diligentia ad hanc institutionem et publicationem hic in Urbe usi sumus, et sacram litterarum peritia, et verbi Dei prædicationis facundia præditum agnoscentes, eum ad tam sanctum propositum nostrum exequendum majestatis ac nobilitatis vestris destinamus, committentes eidem, ut ad illas accedens nostro nomine, tam easdem quam Christianos populos ad tam pium et tam religiosum opus hortetur et inducat, idcirco majestates et nobilitates vestras hortamur, et vestrum singulos in Domino et paterna charitate ex animo requirimus, ut pro vestris pietate, devotione atque in hujusmodi pia opera propensa voluntate eundem Albertum episcopum benigne recipere et libenter audire velitis, necnon ea omnia, quæ ad tam sanctum et laudabile opus perficiendum necessaria fuerint, pie ac benevole præstetis, atque exhibeatis, quod cum Deo ipsi omnipotenti, ad cujus laudem et gloriam hæc fiunt, tum nobis quoque, qui eadem tota mente totisque viribus nostris promovere studemus, erit gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XIX Octobris MDLIV, anno v ».

23. *Pontifex corruptelas quæ in cardinalium ordinem irreperant purgat, et religiosorum quorundam ambitionem reprimit.* — Expoliendæ, atque in meliorem formam redigendæ disciplinæ Ecclesiasticæ hoc anno a Julio navata est opera, ut referunt Acta Consistorialia¹ his verbis :

« Elima Novembris fuerunt tradita per manus exempla reformationis factæ a S. D. N. reverendissimis, ut ipsi mature considerare possint, si quid eis occurrerit ». Inter alia de corruptelis abolendis, quæ in cardinalium ordinem irreperant, actum est, ac Marcellus tit. sanctæ Crucis cardinalis, quem Julius ad componendas sanctiores leges adhibuerat², hæc virtutum officia atque ornamenta a cardinalibus exegit.

« Hæc scripta manu Marcelli II Pontificis. « Cardinales assumpti cogitent, ad qualem dignitatem et munus vocati sint, et quod tanquam lucerna in Ecclesia omnibus bono exemplo esse debent, hospitales, pauperum amatores et defensores, summo Pontifici simul subjecti. Et libera consilia sine aliquo respectu dent. Titulos et alias Ecclesias sibi commissas frequenter visitent, et si qua reparatione indigent, resarciant ac restaurent. Familiam modestam habere studeant domi. Beneficia benemeritis conferant, et præsertim curata. Nec ob id, quod car-

¹ Act. Cons. sig. num. 234. p. 119. — ² To. VI. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 371.

¹ Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 267.

dinales sint, putent eis magis transgredi leges licere ».

Ad comprimendam etiam plurimum religionum ambitionem, qui exquisitissimis artibus inhiabant ad occupandos episcopatus, hæc a Julio sancita narrant Acta ¹ Consistorialia :

« Romæ die xii Augusti m^olvi fuit Consistorium, in quo S. D. N. Julius divina Providentia papa III, attendens diversorum Ordinum religiosos ultra modum cathedralium Ecclesiarum cupidos esse, eorum ambitioni occurrere volens, de fratrum consilio statuit atque decrevit, ne de cætero quorumvis Ordinum religiosi ad cathedrales etiam metropolitanas Ecclesias minime promoveantur, nisi superioris et in Romana curia protectoris, ad id respective expressus accedat consensus. ».

21. *Spes reducendi Æthiopes ad unitatem Ecclesiæ affulget.*— Affulsere hoc anno ² eximie spes restituendæ in Æthiopia Orthodoxæ religionis, amplissimasque gentes ad Romanæ Ecclesiæ conjunctionem et obsequium adducendi. Mersi erant Abyssini Dioscori et Eutycheis vestustis erroribus atque a Gopthorum Alexandrino patriarcha sacra petebant jura, ac Marco patriarchæ eadem hæresi infecto parebant; Claudius vero imperator divina religione actus, nam et celebrabatur apud Æthiopas oraculum, miltendum eo tempore pastorem a Romana Ecclesia, qui Æthiopas divina lege erudiret, sive Lusitanii commercii utilitate impulsus, nam et antea Lusitanorum subsidiis fullus adversus Gradememetem Zeilanii tyrannum præpotentem imperium in adversis defenderat, ac Joannem regem Lusitanie ejus nominis Tertium federalium rogaverat, ut apud Romanorum Pontificem pro impetrando optimo pastore qui Æthiopas in verâ salutis viam traderet, Romanæque Ecclesiæ fidei conjungeret, deprecatores ageret. Egit itaque rex Lusitanie primum cum Paulo III, dein cum Julio III, necnon cum Ignatio Societatis Jesu præposito, ejus socios ob eximiam sanctitatis opinionem conceptam, et flagrantissimum amplificandæ religionis studium difficillimo muneri adhibendos decreverat. Itaque Claudii imperatoris explorata voluntatis constantia, atque ab Ignatio, quem insignis sanctimonialia miraculis confirmata in sanctorum Ordinem exivit, duodecim sodales eruditionis et probitatis laude conspicuos pro Æthiopia a vetusta hæresi vindicandam flagitavit, atque ex iis patriarcham et duos successores futuros designaret. Paruit regiis postulatis Ignatius, atque Joannem Nunnium Barretum Lusitanum, qui in redimendis in Africa Christianis captivis Christianas virtutes explicuerat, Andream Oviædum Castellani Neapolitani Collegii rectorem,

ac Melchiorem Carnerium Lusitanum, ut amplissimis muneribus non impares commendavit, cujus judicium seculus Lusitanie rex Joannem Nunnium Barretum deligi ab Æthiopibus in patriarcham curavit delectumque significavit Pontifici, qui in ea dignitate ipsum confirmavit, ac pallio sumpto e beati Petri corpore ornavit: tum amplissimis mandatis instruxit, ut finitimas Æthiopiæ provincias ad Catholicam fidem Romanique Pontificis agnoscendam auctoritatem adjungere posset ³ :

25. « Dilecto filio Joanni clecto Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Aznaf Saguad, Pretioso Joanni, ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum.

« Dilecte filii, salutem, etc. Cum nos nuper Ecclesiæ patriarchali Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Aznaf Saguad (Pretioso Joanni) ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, pastoris solatio destitutæ de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritum accepta, de ipsorum fratrum consilio Apostolica auctoritate providerimus, præficiendo te illi in patriarcham et pastorem, et successive pallium, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, de corpore B. Petri sumptum, pro parte tua, a nobis cum ea, qua decuit instantia, postulatum, tibi certis tunc expressis modo et forma consignandum per certum nuntium tuum destinaverimus, ac tibi diversas facultates, quibus in provincia tua uti possis, dicta auctoritate concesserimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur, nos, ut in præmissis eo majorem fructum afferre possis, quo latiori fueris facultate munitus, tibi, ut in quibusvis regionibus regni prædicti Aznaf (Pretiosi Joannis) imperatoris circumvicinis, que nullum cum hac sancta Sede Apostolica commercium habent, facultatibus prædictis uli et illas cum personis regnorum hujusmodi exercere libere et licite, in omnibus et per omnia perinde ac si etiam regiones prædictæ, sub eisdem tibi concessis facultatibus specialiter, et expresse, et nominatim comprehensæ fuissent, plenam et liberam eadem auctoritate tenore præsentium in Domino concedimus facultatem et potestatem, non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum xv Februarii m^olvi. anno v^o. De titulo *Pretiosi*, unde fluxerit, consulat lector Nicolaum Godignum.

26. Adlegit Pontifex adjutores patriarchæ Andream Oviædum, quem Hieropolitanum episcopum creavit, et Melchiorem, quem Nicensi Ecclesiæ præfecit, utque liberius divina propagandæ gloriæ apud Æthiopas vacarent, ipsos, dum extra Europam residerent ⁴, adeundæ Sedis Apostolicæ labore exemit.

¹ Act. Cons. sig. num. 151. p. 429. ² Orland. hist. Soc. Jesu l. xiv. num. 112 et seqq. Osor. l. v. Nicol. Codicem l. 1. c. Mat-fons l. 11.

³ Jul III l. viii. brev. sig. num. 2887. p. 330. — ⁴ Ib. p. 326.

« Dilectis filiis Joanni patriarchæ Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Pretioso Joanni ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, et Andrea Hierapolensi, et Melchiori Nicensi electo, et eorum cuilibet.

« JULIUS, etc.

« Dilecti filii, salutem, etc. Cum nos nuper patriarchali Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Pretioso Joanni ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, de tui, filii Joannes, et Ierapolensi de tui, filii Andrea, ac Nicensi Ecclesiis de tui, filii Melchior, personis nobis et fratribus nostris ob vestrorum exigentiam meritum acceptis de ipsorum fratrum consilio Apostolica auctoritate providerimus, præficiendo te, filii Joannes, in patriarcham patriarchalis, et te, filii Andrea, Hierapolensi, et te, filii Melchior, Nicensi Ecclesiis episcopos et pastores, tibi, Joannes, quoad vixeris, et dictæ Ecclesiæ Patriarchali præferis, in ejusdem Ecclesiæ regimine et administratione in spiritualibus et temporalibus, vos, filii Andrea et Melchior, in coadjutores cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate et auctoritate omnia et singula, quæ ad hujusmodi coadjutorie officium de jure vel consuetudine pertinent faciendi, sub certis modo et forma tunc expressis, de simili consilio constituerimus et deputaverimus, ac dictæ Ecclesiæ patriarchali in certos et tunc expressos eventus de personis vestris ex certis tunc expressis modo et forma providerimus, confirmando etiam vos dictæ Ecclesiæ patriarchali in patriarchas et pastores, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur, vosque in susceptione muneris consecrationis vobis dicta auctoritate impendendi, quod limina Beatorum Petri et Pauli Apostolorum singulis bienniis, seu certis aliis temporibus per vos, vel vestros nuntios visitabitis juraturi sitis : nos status vestri quieti consulere volentes, vobis et cuilibet vestrum, quod quoad vixeritis, et extra Europam resederitis, ut limina Apostolorum, hujusmodi per vos vel alium visitare minime teneamini, nec ad id a quoquam invitati compelli possitis, dicta auctoritate per præsentem concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XXI Februarii M^oLV, anno v ».

Conjungere se iis præsulibus e societate Jesu delectis alii sodales sacerdotio et doctrina insignes, ut sacris concionibus et colloquiis veterem Dioscori atque Eutyctetis impietatem confutarent eorumque tenebras doctrinæ luce discuterent. Ut vero ab his Evangelicis præconibus gravissimi labores, deficiente a suscepta pia mente Claudio Æthiopum imperatore, exallati fuerint, dicitur inferius, nunc felices per Indos et Japonios Evangelii progressus conjungamus.

27. *Pro tuenda fide fortiter certant usque ad mortem Orientales Indi.* — In India Orientali plures neophyti ob susceptam Christi fidem summa constantia graviora passi ad mortem usque cum retinuerunt, de quibus in Commentariis ¹ hæc referuntur :

« Circa Persicum sinum anno a Deipara Virgine M^oLV, Turcæ navem cepere, qua præter Lusitanos neophyti vehabantur, Malavares adolescentuli sex circiter, et triginta ab nono ætatis anno ad septimum usque decimum. Illos Mauri a Christo ad Mahometem traducere summa ope alternis blandiendo minandoque frustra conati, ad verbera denique et varios cruciatu descendunt. Adduntur ad cæteram immanitatem atque savitiam stillæ adipis igne liquati, quæ cum tormenta multasque præterea injurias puerorum egregia virtus fidesque contemneret, vi denique arreptum unum ex iis circumcidunt invitum ac renitentem, quem deinde cum Mahometanum esse jam Turcæ dicerent, cavillantes atque tentantes, ille utique negare, corpus tantum violatum esse, non animum affirmare, proinde se non minus Christianum esse, quam antea ». Interjectis nonnullis de Amboinensibus pro Christo a Mauris gravissime vexatis hæc adduntur :

« Illud vero, quod in Amboino annis superioribus contigit, cum veterum utique martyrum illorum fide ac fortitudine comparandum videtur, non modo quod multi neophytorum vicis pro veritate Evangelica sane direpti, omnes etiam incolæ alicubi ad unum crudeliter cæsi, verum etiam, quod plurimum a Barbaris genere feritatis inaudito consumpti sunt, præcisos quippe viventibus brachiorum toros, ac tibiarum articulos inspectantibus ipsis igne torrebant Barbari, vorabantque paulatim, cætera quoque corporum membra laniantes, quod neophyti lento cruciati confecti animam Domino redderent, quorum aliquot ad extremum usque spiritum salutare illas voces, JESUS MARIA, exaudiebant, iterantes identidem, ut interim illos omittam, qui in acerbam servitutem alio, atque alio abducti sunt : atque hæc propterea quod a Mauris obsessi Crucis signum, quod in singulis Christianorum vicis publice collocari consuevit, reflexum, atque ad mœroris indicium atra veste involutum, ne in Maurorum contumeliosas manus veniret, humi defoderant ».

28. *Floret fides in insula Japoniæ ob miracula ibi ostensa.* — Apud Japonios, quibus sanctus Franciscus Xaverius Evangelicam lucem intulerat, Christiana fides effloruit, insignibus miraculis confirmata a Deo, qui Ecclesiæ suæ plures ab idolorum cultu revocatos adjunxit, de quibus Petrus Alcaer ² ab iis edoctus sociis Europeis hæc scripsit :

¹ Comment. rerum a Soc. Jesu in Oriente gestar. p. 38. — ² Petrus Alcaer in lit. quæ ext. in com. rer. Indic. p. 90.

« Dominus nosler in hac terra pro rei necessitate divinam Baptismi vim miraculis multis illustrat. Non procul Bungo complures per Baptismum expiati cum essent, unus ex iis cœcus tredecim annos, simul ac baptizatus est, integrum oculorum lumen recepit, quæ res neophytorum animos magnopere confirmavit ». Et infra :

« Christianus quidam paralysi duorum triumve mensium laboraverat, is magicis artibus (de gentis more) dum a propinquis curatur, etiam mutus officitur, cujus casum miseratus, etiam mutus officitur, cujus casum miseratus amicus item Christianus cœlestis aquæ lavacro, quam sumpserat domi nostræ, conspergit hominem, ille surrexit statim et locutus est, nostrosque convenit. Hisce atque aliis hujusmodi remediis Christianam rem in hac terra Dominus pro sua bonitate sustentat, cui gratiæ agenda sunt eo magis, quo major est cum Japoniorum cœcitas omnium, tum præcipue Bonziorum, quorum aliqui in montem ad phanum quoddam idolorum ad piacula per inediã expianda se recipiunt; martyrum vero dæmonis summa iniri vix potest, simulacrum est excelsa admodum in arce positum, ex eo loco in honorem idoli semel Japonii præcipitantes intereunt: ii post mortem vulgo sancti existimantur, alii navis alveo de industria perforato merguntur, seque hoc mortis genere miseri certam consequi beatitudinem putant, persuasit enim huic genti diabolus, rem valde honorificam esse, mortem sibi ultro consciscere.

« GOA MDLIV ».

29. Insigne aliud miraculum ¹ narrat Eduardus a Sylva editum a neophyto Japonio, qui concivem a malo spiritu oclusis faucibus pæne præfocatum liberavit, Christoque lucrificet :

« Neophytus, inquit, Antonius nomine, reperit hominem, qui ab dæmone septem jam diebus ita præfocabatur, ut nihil, neque esculentum, neque poculentum per fauces posset demillere. Ilunc miseratus Antonius, et simul recordatus latronis ejus, cui culpam suppliciter agnoscenti Dominus noster Jesus Christus ignoverat, aquam in vas infundit, expiatque manu sua per signum Crucis: deinde hortatur ægrotum, ut peccatorum suorum agat pœnitentiam, et credat in eum a quo conditus fuerat, ut salutem possit accipere. Annuit ægrotus, et continuo porrectum sibi poculum aquæ totum penitus hausit, apposulumque orizæ pabulum sine labore comedit. Quæ res ægrotum ita permovit, ut cum primum per corporis vires liceret, ad nos conferre sese Christianæ religionis suscipiendæ causa decreverit: itaque fecit, omnem superstitionem abjecit, Christianos ritus ac præcationes edidicit, paucisque post diebus mortuus est ».

30. *Pro fide amplificanda in America Julius III religiosos eligit.* — In India quoque Occidentali ¹ apud Brasiliis barbarie immanissimos propagata religio, miraculose collustrata est. Piratingani consilio Christianæ matronæ, quæ virum gentis more in bello comitata erat, cum frontem Crucis signo armasset, adversas Barbarorum, qui longe numero superiores erant, acies deleverunt vel ceperunt, vel in fugam averterunt nullis desideratis aut vulneratis, duobus exceptis, qui salutare consilium contempserant, quorum alter extinctus, alter spiculo transverberatus: quas vero ærumnas, quosque labores Evangelici viri Societatis Jesu pro Barbaris Christiana fide informant tolerarent, ex Josephi Anciætæ de re Evangelica optime merito literis ad sanctum Ignatium Augusto mense hujus anni datis recognoscamus: « Ab Januario, inquit, usque in præsens nunquam plus viginti (simul enim pueri catechistæ debebant) in paupercula domo, lulo et lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim passus longa, decem lata mansimus. Ibi schola, ibi valetudinarium, ibi dormitorium, cœnaculum item et coquina et penus simul sunt, nec tamen ampliarum habitationum, quibus alibi fratres nostri utuntur, nos movet desiderium, siquidem Dominus noster Jesus Christus in arctiore loco positus est, cum in paupere præsepi inter duo bruta animalia voluit nasci, nullo vero aretissimo, cum in Cruce pro nobis dignatus est mori. Porro domus angustiis », subdit Orlandinus, « cætera vita erat consentiens, frusta nauticorum velorum, quæ nautarum dabat benignitas, atro tincta, ipsimet sibi concinnabant in tunicas, potio erat aqua ex milio cocta, esca legumen ferme vel olera, vel aliquid mandioeæ ² id est lignæ illi farinæ vocabulum) nec semel exhausto funditus domestico penu, opportuno in tempore, et quidem unde minime sperabatur, pauperibus suis Pater cœlestis dona sua submisit ».

Non multo felicior opulentia et lautitia potiebantur sacerdotes, qui in aliis Americæ provinciis Carolo imperatori obnoxii Evangelium inter Barbaros proferebant, vel Hispanis in eorum coloniis Sacramenta conferebant: quare sæculares sacerdotes, qui tanto ambitu optima sacerdotia in Europa consecrantur, a gerendo in iis regionibus incultis sacerdotio vehementer fugiebant, ob quorum inopiam, cum Hispani novi orbis coloniæ gravissime apud Philippum Hispaniæ principem se destitutas sacerdotibus quererentur, Pontifex ab eo de re certior factus sanxit ³, ut Prædicatores, Minorita, et Augustiniani, invilis etiam præpositis, ad id munus accerserentur, qua de re hæc mandata tribus præsulibus Hispaniis data fuere :

¹ Id. p. 104. *Duartes a Sylva* in lit.

² Orlandin. *Inst. Soc. Jesu* l. xiv, num. 113. — ³ Jul. III. l. brev. sic. num. 2887. p. 190.

« Venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalensi et Abulensi, ac Antonio de Fonseca olim Pampilonensi episcopis, ac eorum cunctis ».

« Venerabiles fratres, salutem. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Angliæ rex illustris, qui etiam Hispaniarum princeps existit, et charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto genitore suo, qui etiam Hispaniarum rex Catholicus existit, a regnis Hispaniarum absente, regna hujusmodi ad præsens administrat, nobis nuper exponi fecit, quod in insulis et terris Indiarum Maris Oceani, auspicijs ejusdem Caroli imperatoris hactenus repertis, seu certa earum parte magna sit penuria religiosarum et aliarum Ecclesiasticarum personarum, quæ populos illarum partium ad orthodoxam fidem et verum Dei cultum convertere, et conversos Baptismatis lavacro regenerare, ac in eadem fide instruere, et confirmare, eisque verbum Dei prædicare, et redemptoris nostri Domini Jesu Christi Evangelium annuntiare sciant et velint, et licet ipsi Carolus imperator et Philippus rex jamdudum procuraverint, quas plures potuerunt religiosas et alias Ecclesiasticas personas ad præmissa idoneas et habiles, ad eas insulas et terras seu partem hujusmodi transmittere, nihilominus ob numerositatem populorum eorumdem, qui hactenus illuc accesserunt, religiosæ et aliæ Ecclesiasticæ personæ ad præmissa non sufficiant, sed ad ea multo plures requirantur, et generales, et provinciales magistri et ministri, necnon priores, et guardiani fratrum Prædicatorum, et Minorum, ac Heremitarum sancti Augustini Ordinum, tot quot opus est, Ordinum suorum professores ad insulas et terras, seu partem hujusmodi transmittendos consignare graventur, in animarum singularum personarum populorumque hujusmodi, qui sæpe, sine Baptismatis gratia, aut Pœnitentiæ, seu Eucharistiæ Sacramento decedunt, perniciem, idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut omnibus et singulis ordinum prædictorum professoribus ad præmissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras seu partem hujusmodi pro præmissis exequendis se conferre voluerint, illuc etiam absque superiorum suorum licentia libere accedendi facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, et populorum eorumdem conversionem, regenerationem, ac instructionem, et confirmationem sinceris desiderantes affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per præsentis committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, consideratis omnibus præmissis, ac eorum circumstantiis universis, tot

quot vobis necessarij videbuntur, dictorum ordinum professoribus ad præmissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras, seu partem hujusmodi pro præmissis exequendis se conferre voluerint, licentia superiorum suorum petita, et si absque rationabili causa eam denegari vobis visum fuerit, super quo conscientiam vestram oneramus, tunc absque dictorum superiorum licentia, libere accedendi facultatem et potestatem simul vel successive concedere », et infra : « auctoritate nostra curetis, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum etc. die xx Julii MDLV, anno v ».

31. *De morte filii consulatur Pontifex Joannem Lusitaniæ regem.* — Accepit hoc ineunte anno gravissimum vulnus Lusitania extincto Joanne Lusitaniæ principe in florentissima adolescentia. Hic Joannem Caroli Casaris filiam uxorem prægnantem reliquit, quæ Sebastianum regem, qui calamitatibus suis inclauit, enixa est : « O quam multi », inquit Surius ¹ « in rerum omnium summa affluentia tum auferuntur ex hac luce, cum eam primum incipiunt intueri, et tamen in tanta misera hujus vite incertitudine, quotus quisque est, qui non sibi Nestores propemodum polliceatur annos ». Confectum merore parentem Joannem III regem Pontifex subjectis litteris solari ², atque pie erigere ad Christianam constantiam conatus est, misitque internuntium, qui verbis sacris illius dolorem demulceret.

« Regi Portugallia.

« Charissime, etc. Etsi libenter usurpare solemus omnia erga majestatem tuam amantissimi et benevolentissimi Pontificis officia, sicuti quidem et tuæ eximia pietati, et singularibus in Christianam rempublicam, atque in hanc Apostolicam Sedem meritis maxime convenit, tamen hoc officium, quo erga eandem tuam majestatem fungi hoc tempore cogimur, cum nobis de gravissimis ejus incommodis eum illi dolendum sit, non tam libenter facimus, quam necessario, tantum enim molestia ex clarissimi principis filii tui immatura morte cepimus, vel propter illius nobis ereptam virtutem, vel propter gravem tuæ majestatis, regniæque tuæ familiaris in eo factam jacturam, ut nequeamus in eo argumento sine magno dolore versari, et tamen noster summus erga majestatem tuam amor, qui nobis causam doloris præbuit, idem etiam adjuncta ad pium hoc officium ei persolvendum subministrabit, præsertim cum ad eum regem scribamus, quem propter excelsam animi virtutem atque prudentiam obedientia et spe in summum Deum subnixam, rationes ad istum sublevandum casum accommodatas non tam ab aliis expectare, quam ipsimet tuo consilio

¹ Sur. in Comm. hoc anno. — ² Jul. III. l. brev. VIII. sig. num. 2888. p. 163.

præcipere ac præoccupare non dubitemus, et sane, nisi illa nobis tali tempore succurrat ex Deo et divinis præceptis promissionibusque ducta consolatio, quæ nos ab humanarum rerum cogitatione avellat, totosque ad cælestium bonorum et futuræ beatioris vitæ meditationem transferat, difficile esset ex humanis rationibus humanis disce incommotis idoneam solatii medicinam reperire, sed nos, qui in eum credimus, cujus in morte mors nostra ita absorpta est, ut eadem ad longe feliciorē pacatioremque vitam aditum nobis aperiat, et qui certo confidimus hujus mundi tribulationes et ærumnas Christianis hominibus probationem salutemque operari, facile sensus affectusque nostros ab humanarum rerum perturbationibus revocatos Dei Optimi Maximi voluntati et recte in eo rationi subjicimus, atque hæc omnium piorum, qui in Deo et Domino nostro Jesu Christo suas degendæ vitæ rationes, atque consilia fixa et locata habent, communis est consolatio. Tua vero majestas multas præterea proprias habet, ex suis etiam domesticis rebus, sui doloris leniendi causas, atque illam in primis, quod idem videlicet clemens ac misericors Dominus hoc ipso afflictionis tempore, ita cum ea benignerit egit, ut gravi illi inflicto vulnere ejusdem simul vulneris medicinam curationemque attulerit. Ne pote enim tibi, vestroque præclaro generi in demortui filii locum (ut ad nos secundis nuntiis allatum est) paulo post reddito, non tam quidem ille majestatem tuam grata liberorum successione, aut familiam vestram præstantissimi generis sobole privare, quam illam in magis diuturnum tempus prorogare voluisse se ostendit: quæ quidem omnia tametsi majestatem tuam pro sua gravitate ac pietate diligenter secum cogitare, et in omnibus Deo gratias agere non dubitamus, tamen nostræ quoque partes videntur esse eam, ut ita faciat, etiam atque etiam in Domino hortari et rogare, quod ut cumulatus et magis, ut nostri animi affectio nos suaderet, efficeremus, non contenti hoc litterarum officio, misimus ad majestatem tuam dedita opera dilectum filium Joannem Franciscum Comendonum camerarium nostrum, hominem propter ejus fidem et probitatem valde nobis probatum et gratum, qui viva insuper voce nostram paternam erga majestatem tuam charitatem, conjunctamque cum ea suorum incommodorum molestiam pluribus verbis deferat, cujus nostri officii illum scilicet maximum et optatissimum

fructum expectamus, si id, quo magis, et uti tuo tempore debitum, eo minus ad tuum sanandum dolorem, quod tua ætas hunc casum satis per se toleranter ferret, necessarium fuisse intellexerimus. Datum Romæ apud S. Petrum, die 1 Ap. MDLIV, anno v ».

32. *Conimbricæ perditissimus peccator a tyrannide Sathanæ vindicatus.* — Eluxit hoc anno Conimbricæ in Lusitania insigne divinæ misericordiæ exemplum in perditissimo homuncione, qui se devoerat Sathanæ, ab eoque juste tortus per fugit ad confessorium suum, a quo Sacramentorum beneficio a tyrannide Sathanæ vindicatus est: « Is », inquit Orlandinus, « peccatorum turpitudine quodammodo obrutus atque oppressus ferre se ipse non poterat, et ut sui ipsius iudex et carnifex esset, sibimet exitium atque perniciem vitæ desperatione parabat, venenum hauserat, amplius hebdomada certam portionem jejuniis hausit obstinatus mori, cumque multis indagatis sui interimendi viis, nulla, Deo prohibente et miserante, procederet, ad extremum Sathanæ se dedit, totumque se ei animo et corpore mancipavit. Mox ejus tyrannidem, cujus se mancipium fecerat, est expertus, tot tantisque ex eo die doloribus tortus, tot animi cruciatus angoribus, ut ad ejus inconditos clamores et miseros ululatus omnis vicinitas expavesceret. Ea re cognita, religiosi conobites quidam auctores fuere propinquis atque domesticis, ut deduceretur ad nostros, quem, ut Leo, rector nempe collegii Conimbricensis aspexit, et quem miser devenisset in locum, percunctando cognovit, ad divina se præsidia contulit, preces indixit suis, et ipse supplex humilisque Dei misericordiam elicit, deinde aggressus hominem de spe dejectum erigit, et ad spem revocat, agit de animo componendo et saucio pectore persanando, reditum in gratiam cum offenso Deo, qui benignus et misericors esset, et præstabilis super malitia, pollicetur, modo per humilem confessionem, et anteactæ vitæ detestationem virus exomat peccatorum, quod ut pacatus faciat, liberationem etiam angorum atque dolorum, quibus conflictabatur, exorat diutius, impetrat, et spe bona completum excipit contententem. Ab ea confessione omnia de cætero ei fuere tranquilla, convalescitque corpore pariter et animo, inique vitæ melioris initio, perseverantiam magna spe salutis æternæ ad extremum usque relinuit ».

JULII III ANNUS 6. — CHRISTI 1555.

1. *Ingenti repletus gaudio Julius ab Angliæ reditum ad fidem Catholicam.* — Anno a partu Virginis quinquagesimo quinto supra millesimum quingentesimum, Indictione decima tertia, reflorescente in Anglia Catholica religione, cum Pontificatus sui fructus suavissimos decerneret Julius III, e vivis ereptus est, cui Marcellus II succedens, potius orbi Christiano ostensus quam datus est, quem Paulus IV exceperit, de cujus gestis antequam agamus, quæ ad Julium III et Marcellum II spectant, prius delibabimus. Delibutus ingenti gaudio Julius III ob conciliatam Romanæ Ecclesiæ, ad ejusque obsequium Angliam extremo superiore anno revocatam, hoc ineunte anno felices extinctæ in eo regno hæreseos, assertæque orthodoxæ religionis successus Carolo imperatori significavit, ac etiam Philippi filii regis ac Mariæ reginæ pietatem in tam præclaro opere his litteris¹ commendavit :

« Carolo imperatori.

« Ea fuit elementissimi Dei misericordia in Angliæ regno, reipublicæ Christianæ, fideique orthodoxæ, et religioni Catholicæ restituendo, tantaque virtute ac pietate serenissimi ejus rex et regina id nobiscum procurarunt, ut de tanto beneficio gratias agendi eorum serenitatibus, gratulandi, ac privatim et publice quodvis genus lætitiæ plaususque effundendi, vix adhuc ullum finem invenire possimus, etc. Datum Romæ die xxvii Januarii MDLV, Pontificatus nostri anno v ».

« 2. Peractæ sunt in Urbe celeberrimo ritu solemnes supplicationes pro reddendis Numini gratiis, atque publicæ lætitiæ festiva signa celebrata, missus etiam ad Philippum regem Mariamque reginam Angliæ internuntius, qui ipsis de amplificata provectaque Numinis gloria Julii nomine gratularetur, datis ad eosdem hisce litteris² :

« Charissimis in Christo filiis nostris Philippo regi, et Mariæ reginæ Angliæ illustribus fidei defensoribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut primum e serenitatis vestræ litteris reconciliationis regni istius nobilissimi cum Domino nostro Jesu Christo, ac fidei et obedientiæ nobis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedi que Apostolicæ restitutæ felicissimum nuntium accepimus, quas Omnipotenti Deo solemni Missa a nobis ipsis celebrata, decretis supplicationibus, Jubilæo indiolo, gratias egerimus, qui tam necessario tempore isthæ plebem suam visitare, et ejus redemptionem fecerit, quibus in cælum laudibus utrumque vestrum extulerimus, quantoque animi gaudio vobis gratulati simus, qui misericordiæ illius magnitudinem tanta nobiscum virtute ac pietate tantopere procurastis, quam e populo isto vestro universo eos perbeatos merito appellaverimus, qui tamdiu dispersi atque ab recta aberrantes in unum tandem congregati ambulantes in via Domini, quoniam denique et qualia cordis nostri tanto Dei beneficio recreati, tamque exultantis, tum publice, tum privatim lætitiæ dederimus signa, quam hilaritatem, quos plausus per hanc almam Urbem universam totamque ditionem nostram excitaverimus, nullorum undique et litteris, et internuntiis serenitates vestras non semel audivisse pro certo habemus, sed etsi cæteris omnibus ad verum cujusque solatium et jucunditatem nulla non ex parte putamus satisfecisse, in eo tamen nos nunquam conquiessemus, nisi vestris serenitatibus viva alicujus voce, et quæ vobiscum hucusque conficimus, et quæ nunc his litteris scripsimus, pluribus atque expressius significarem, etc. » Missus est ea de causa Antonius Augustinus Sacri Palatii Rotæ auditor. « Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xxvii Januarii MDLV, Pontificatus nostri anno v ».

3. *Cardinalis Moronus mittitur in Germa-*

¹ Jul. III. apud Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2892. p. 22. —
² Ext. apud Paul. IV. lib. brev. 2891. p. 23. et in alio sign. num. 1892. p. 23.

niam quæ hæresi Lutherana laborat. — Revocate ad Ecclesiæ gremium Angliæ successu exultans Julius studia omnia ad Germanos ad obsequium Sedis Apostolicæ traducendos convertit, atque Joannem cardinalem Moronum doctrina et pietate spectatissimum ad comitia Augustana legatum decrevit, ut in iis Dei gloriam ac tot aberrantium animarum salutem promoveret, de qua legatione fusius agunt Acta Consistorialia.

Extant Julii litteræ ¹ de misso in Germaniam cardinale Morono ad Maximilianum Bohemiæ regem, quibus eum rogavit, ut legatum de Christi cultu provehendo acturum benigne et amanter audiret.

« Maximiliano Bohemiæ regi illustri.

1. « Cum charissimus in Christo filius noster, Romanorum rex, pater tuus, de presenti vestro omnium in Augustano conventu nos non semel certiores reddidisset, dilectum filium Joannem tit. Sancti-Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem Moronum, nostrum et Apostolicæ Sedis de latere legatum in Germaniam mittendum esse censimus, ut quamdiu conventus celebraretur, isthic præsto esset, ac si quo modo vel opera, vel consilio vobis adiumento esse posse videretur, id pro Domini nostri Jesu Christi honore, pro rerum vestrarum perpetuo ac felicissimo statu, proque nostra et Sedis ejusdem dignitate omni cura et diligentia præstaret; cum mandaverimus, ut tecum nostris verbis nonnulla loqueretur, minime dubitamus eam illi non minorem fidem, quam nobis præstituram esse, et visuram libentissime, etc. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xvi Februarii m^olv, Pontificatus nostri anno v^o ».

Proticensi eundem legatum jussit Julius etiam ad Augustum ducem Saxonie, Fridericum comitem Palatinum Rheni electores, et Joachimum Marchionem Brandeburgensem, quibus eadem formula verborum conceptæ litteræ conscriptæ sunt, in quarum inscriptione dilectos filios vocat. ut paterni amoris signis ad mutuum amorem provocaret, promisitque illis, se iterum Concilium OEcumenicum coacturum, si ejus decretis stare sponderet, ut Pauli IV litteræ testantur.

In eam sententiam ² etiam Ferdinandus Romanorum rex Augustæ nonis Februarii exposuerat, Concilium sæpius ceptum variis de causis dissolutum fuisse: nunc postremo agendum, ut de Concilio omnes imperii ordines et inter se et cum cæteris omnibus Christianis conveniant; aut si id fieri non potest, et in aliud tempus differendum est, aliqua incantur rationes, quibus interim Germania pace firma

fruat, et sacri ministri pia religione divinum numen rite colant, cæterique ordines mutua consensione conspirent ad Turcarum contundenda molimina, cum ex Christianorum dissensionibus tyrannidem suam latius propagarint. Convenerant perpauci principes, et atque adeo actio in nonas Martii extracta est.

Interim Lutherana sectæ principes Augustus Saxo, Mauritii frater, Joachimus Brandeburgensis Septem-Viri, Landtgravius, atque alii Lutheranae classis proceres Numburgum convenerunt, de suis rebus consulturi, maleque a Dæmone et suis concionatoribus fascinati, perstandum in suscepta Confessionis Augustanæ hæresi pari consilio consensuque decreverunt, ac ne adversus Cæsarem conspirasse viderentur, Carolum V Cæsarem de Actis Numburgi certiorum fecere, et se Passaviensis pactionis decreta amplexos perstare in fide Augustana, donec religionis controversiæ communi omnium Ordinum imperii decreto, assentiente Cæsare, componerentur; non enim Conciliorum OEcumenicorum sacrosanctis decretis, religioneque a Christo constituta obstringi, sed novas religiones fingi pro humana libidine volebant.

5. Nonis Martii cum Augustanus ³ conventus jam amplior esset principum ac legatorum civitatum concursu, disceptari ceptum est de religione, uti Ferdinandus rex hortatus fuerat, quamvis hæretici reniterentur, asperrimisque animis certatum est, Passaviensique decreto instaurato, Lutherani amplificandæ sectæ ac potentie suæ studio contendebant, ut quibusvis etiam sacris Catholicae professionis ministris liceret ad eorum impietatem et castra deficere, et principatus Ecclesiasticos et vectigalia sacra retinere, ea namque ratione in spem efferebantur Catholicam religionem sensim extinctum iri in Germania: contra reluctati sunt Catholici principes acerrime, atque contenderunt, si quis episcopus, vel abbas, vel sacrae functionis præfectus ad Lutheranam hæresim descisceret, ea sacra dignitate pelleretur, atque in ejus locum subrogaretur alius, qui suscepti Ecclesiastici muneris bonis omnibus potiretur. Ea contentio adeo exarsit, ut in plures menses extracta sit, infelicitertque accidit, ut Joannes cardinalis Moronus legatus ob inopinatam Julii III mortem (de qua dicitur inferius) legationem suam abjiceret, atque una cum cardinale Truchsessio ad Romana comitia remearet. Tandem in Augustani illius conventus Acta perstringamus, VII kal. Octobris insperata ac funesta sanctio promulgata est, qua impietatis fraena laxata sunt impiis: ne Cæsar aut Ferdinandus rex, aut alii principes Lutheranam hæresim protitenti- bus religionis causa ullam molestiam exhibeant, vel illos ab impiis ritibus, vel edictis, vel

¹ Ext. apud Paul IV. lib. brev. sig. num. 2894. p. 36. — France. Belcar. t. XXXI. num. 64.

³ Idem ib. num. 65.

pœnis, vel aliis cautionibus abducere nitantur, eosdemque omnibus bonis suis usi ac frui permittant, qua quidem sanctione Carolus V partam de Lutheranis victoriam penitus prostravit, fructumque omnem corrumpit: de quibus in Paulo IV iterum agetur.

Constabilita in Germania hæresis latius in vicina regna diffundi cepit, ut suis locis Ingendum erit, ac pia Julii III consilia immatura morte oppressa sunt, de qua antequam agamus, reliqua ad eum spectantia percurramus.

6. *Julius III in regno Neapolitano Philippum regem Hispanum confirmat et in insula Corsica libertatem Ecclesiasticam defendit.* — Contulit Julius in publico cardinalium senatu Philippo Angliæ regi fiduciarium jus regni Neapolitani, quod a Carolo imperatore jam ante in eum transfusum una cum Mediolanensi et Belgico principatibus vidimus. Quod vero illud regnum supremo Pontificis imperio esset obnoxium, propterea a Julio illius beneficiario jure indutus est, ut refert Panvinus¹ his verbis: « Ut Catholico principi par erat, legatum Romam ad Pontificem misit Piscariæ Marchionem, qui regum veterum more Neapolitani regni, quod Romanæ Ecclesiæ beneficiarium est, jurejurando dato legitimam possessionem obtineret, quæ ei a Pontifice in publico Consistorio benigne concessa fuit ».

Traditum est Philippo hac de re a Julio Diploma, in quo expressæ sunt leges singulæ, quibus veteri more accepti Pontificia beneficentia illius regni ergo obstringebatur, quas quidem leges admisit Philippus, sed ejus litteræ aurea Bulla consignatæ ad Paulum IV tantum pervenere², ut dicitur inferius.

7. Tuendi quoque Juris Ecclesiastici studio Julius, cum insulæ Corsicæ clerum graviore jugo premi a Gallis, qui ejus insulæ partem maximam Genuensibus eripuerant, accepisset, prorogem Gallum monuit, ne Ecclesiasticos iniquis oneribus fatigaret, et si qui aliquo facinore se obstringerent, eorum causas ab Ecclesiastico judice agnosci sineret, in eamque rem præfectum juri dicundo Ecclesiasticis in Corsicæ insula decrevit³:

« Dilecto filio nobili viro Paulo de Thermes locumtendenti regis Christianissimi in insula Corsicæ.

« Etsi ex iis aliqui Genuenses sunt, atque ideo, ut audivimus, imperitæ multitudini in hostium numero habendi esse videntur, illud tamen memoria repetendum est, sacerdotes Christos Domini, non tam terrenæ ullius civitatis, quam sanctorum esse cives et domesticos Dei, Deumque tandem ipsum istiusmodi eorum injuriarum ultorem esse severissimum, e qui-

bus tamen sacerdotibus, si quid atiqui forte commoverunt, solis nobis a Deo in eos animadvertendi cognitio et cura est demandata, quas ob res pro tua prudentia ac probitate minime dubitamus ea de his malis remedia nobilitatem tuam adhibituram, quæ has omnes querimonias compescant, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die xxvi Januarii m^olv, anno v ».

8. *Ecclesia Abyssina ad conjunctionem cum Ecclesia Romana revocatur per patres Societatis Jesu.* — Extremo Julii Pontificatu promotæ est actio Abyssinæ gentis ad conjunctionem cum Romana Ecclesiæ revocandæ, interprete Joanne Lusitaniæ rege, qui Claudium Æthiopum imperatorem permovit, ut abjecto Alexandrini patriarchæ schismatici, a quo patriarcham accipere ac jura petere consueverat, jugo, a Pontifice Romano totius Ecclesiæ toto orbe diffusæ supremo antistite patriarcham et episcopos Latinos deposceret, qui Æthiopas depulsis veteribus erroribus, vero fidei Catholicæ lumine collustrarent, eumque Societas Jesu doctrinæ et sanctitatis fama late Orientem Occidentemque complexisset, flagitavit ut patriarcha ac duodecim sacerdotes ex eadem Societate defecti mitterentur a Romano Pontifice. Præerat tum Societati Jesu Ignatius Loyola, quem eximia sanctitas divinis in vita et post mortem miraculis confirmata in sanctorum ordinem evexit; is a Lusitano rege sacerdotes probitate et eruditione sacra insignes ad eam Evangelicam expeditionem seligere jussus, re communicata cum Julio Pontifice, præclaræ amplificandæ gloriæ divinæ occasione non defuit, ac litteris exaratis⁴ ad Claudium imperatorem, ipsum hortatus est, ut Davidis imperatoris patris exemplo, qui misso oratore Pontifici Romano, ut Christi in terris vicario, ac Petri successoris obsequium deferret, Romanam Ecclesiam coleret, cujus in cæteras omnes primatum supremamque auctoritatem pluribus argumentis illustravit:

« Domine mi in Domino nostro Jesu Christo, gratia tuæ celsitudini, et salus, et affluentia donorum spiritualium a Domino nostro Jesu Christo.

« Serenissimus Portugalliæ rex pro ea sollicitudine ac zelo, quem illi Deus Creator noster ac Dominus dedit, gloriæ sancti sui nominis, et salutis animarum, quæ Unigeniti ejus Filii pretioso sanguine et vita redemptæ sunt, non semel ostendit mihi per litteras, pergratum sibi fore, si e religiosis nostræ minimæ Societatis, quem vocant, Jesu, duodecim viros designarem, e quibus ille patriarcham unum, duos coauditores pariter et successores eligeret,

¹ Panvin. in Vita Julii. — ² Paul. IV. in lit. xix Octob. hujus anni datis. — ³ Ext. apud Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2891. p. 6.

⁴ Ext. apud Joann. Petr. Malleium l. xvi. et apud Orland. 32; hoc anno.

eisdemque a summo Christi Domini nostri vicario suppliciter peteret auctoritatem et jus, quo jure ad suas quisque partes rite obeundas ipsi cum sacerdotibus aliis in tuæ celsitudinis regna transmitti possent. Ego pro eximiis inter cæteros Christianos principes, ejusdem serenissimi regis Portugalliarum meritis erga Societatem nostram universam, nostraque vicissim omnium in illum observantia et pietate, feci quod jusserat, consultoque secutus numerum, qui Christi Domini nostri Apostolorum ejus Collegium referret, præter ipsum patriarchalem sacerdotes duodecim, supplementi ac velut seminarii causa, a corpore nostro cunctos excepsi, qui ad juvenandas sublevandasque animas tuæ celsitudinis imperio ac dilectioni subjectas sese et vitam suam in omnem laborem atque discrimen offerrent. Atque hoc libentius parvi, quod præcipua quadam alacritate sentio me sociosque meos omnes ferri ad obsequium et cultum celsitudinis tuæ; haud immerito, quippe quæ inter tot circumfusas undique nationes infidelium et hostium nominis Christiani, vestigiis majorum suorum insistens, ad conservandam ac promovendam Christi Domini ac Dei nostri religionem et gloriam diligenter incumbit, quam ipsam ob causam optandum fuerat, uti ad hæc tam recta tuæ celsitudinis studia conatusque, subsidium accederet spiritualium Patrum, quibus et legitima potestas ab hoc sanctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivata, et fidei Christianæ pura et sincera doctrina suppleret, quæ nimirum due sunt illæ claves regni Cælorum, quas Christus Dominus noster sancto Petro et omnibus qui deinceps in ejus solio erant sessuri, promisit prius, dein ipsa re tradidit. Promisit tantummodo cum ad eum dixit, ut legitimus apud divum Matthæum Evangelistam : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni Cælorum, et quicquid ligaveris super terram erit ligatum et in Cælis, et quicquid solveris super terram, erit solutum et in Cælis.* Tradidit, ac promissa patravit, cum post Resurrectionem, antequam in Cælum ascenderet, seiscitatus ex eo ter (quemadmodum affirmat divus Joannes Evangelista) *Simon Bar Jona : Diligis me plus his?* subjunxit in singula responsa : *Pasce oves meas* : committens illi non partem aliquam ovium suarum, sed totum prorsus gregem universa cum plenitudine potestatis, ad alendos vitali Christianæ religionis pabulo cunctos ubique fideles, eosdemque ad cælestia sempiternæ beatitudinis pascua perducendos. Ac cæteris quidem Apostolis auctoritatem Christus Dominus noster impertit delegatam, ac veluti extra ordinem : at sancto Petro ejusque successoribus ordinariam dedit ac plenam, uti ab hoc summo Pastore, tanquam a fonte, reliqui animarum pastores peterent, eidemque acceptum ferrent,

quidquid omnino juris ad suum quisque munus ac regimen oblinerent, quod olim adumbrasse per Esaiam videtur Dominus, *Et de Eliachim loquens Pontifice Maximo : Cum dabo (inquit) clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, claudet, et non erit qui aperiat, quo videlicet typo figuratus est Petrus ejusque successores, quibus datam integram potestatem declarant claves, consuetum ulique symbolum, et insigne pleni atque absoluti dominii. Quæ cum ita sint, celsitudo tua gratias debet ingentes Domino Deo nostro, quod ipsa regnante potissimum dignatus fuerit mittere veros animarum pastores, qui a summo pendeant pastore ac vicario, quem reliquit in Terris Jesus Christus Dominus noster, et quantamenque habent potestatem, quæ sane perampla est, hæc ab eodem illo vicario totam acceperint; nec sine causa patri avoque tuæ celsitudinis displicebat sumi ab urbe Alexandria patriarcham, quippe siculi divulsam a corpore membrum, neque motum, neque sensum, neque omnino vitam a corpore accipit suo, ita Ægyptius patriarcha, sive ille Alexandria, sive Memphi degat, cum schismaticus sit ac disjunctus ab hæc sacrosancta Sede Apostolica, et ab Ecclesiæ totius capite, Pontifice summo videlicet, vitam gratiæ, et pastorem auctoritatem, nec sibi recipit ipse, nec alteri cuiquam valet legitimam impertire. Ecclesiæ namque Catholica una tantum est in orbe terrarum, neque fieri potest ut alia Romano Pontifici, alia pareat Alexandrino; uti sponsus ejus Christus unus est, sic sponsa illius unica, de qua Salomon ait in Canticis ex persona Christi Domini nostri : *Una est columba mea.* Et Osee Propheta : *Congregabuntur filii Israel, et filii Juda pariter, et ponent sibi caput unum.* Et in eandem sententiam multo deinde post sanctus Joannes : *Fiet unum ovile, et unus Pastor.* Una erat, quemadmodum in Genesi legimus, arca Noë, extra quam nulla omnino salus, unum tabernaculum, quod fabricatus est Moyses, unum Hierosolymæ templum a Salomone conditum, quo in templo sacrificare et adorare oportebat. Una cujus staretur iudicio, Synagoga. Hæc nimirum unicum Ecclesiam denotabant, quæ una est jure; extra quam nihil boni, etenim qui cum ejus corpore conjunctus non fuerit, nempe nullum a Christo capite recipiet influxum gratiæ vivificantis animam, ac præparantis ad felicitatem æternam. Hujusce unitatis declarandæ causa, in Symbolo canitur : *Credo unam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam*, damnatusque a sacris Conciliis error est privatas Ecclesias, seu Alexandrinam, Constantinopolitanam, aut similes dari, quæ communi omnium capiti subjunctæ non sint, Pontifici Romano, ex quo perpetua serie ab sancto usque Petro, qui Christi Domini jussu,*

nti a divo Marcello martyre traditum est, Romanam elegit Sedem, eamque suo cruore sancivit, perducti Romani Pontifices vicarii Christi citra controversiam a tot ac tanta sanctitate doctoribus Latinis, Græcis, omniumque nationum habitis, ab sanctis anachoretis, episcopis, et aliis confessoribus adorati, tot signis atque miraculis, tot denique martyrum, qui in hac fide ac unione sanctæ Romanæ Ecclesiæ vitam profudere, testimonio comprobati sunt. Merito igitur consentienti episcoporum omnium voce, qui ad Chalcedonensem convenerant Synodum papæ Leoni pariter acclamatum, Sanctissimus, Apostolicus, Universalis, et in Constantiensi damnata est hæresis negantium, super omnes et singulas omnium terrarum Ecclesias primatum Romani Pontificis eminere. Ad quas tam disertas firmasque Patrum sanctiones atque decreta, Concilii quoque Florentini, quod sub Eugenio IV præter alias nationes, a Græcis etiam, Armeniis et Jacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accessit auctoritas: Definimus sanctam Apostolicam Sedem, et Pontificem Romanum in universum orbem tenere primatum, ac successorem esse Petri, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo potestatem plenam esse traditam.

9. « Jure igitur serenissimus rex David, tuæ celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendum legato, Sanctam hæc Sedem omnium matrem ac principem agnovit, cumque alia multa et præclara ipsius pariter et tuæ celsitudinis acta numerentur, tum duo hæc ejusmodi sunt, ut eorum præstantiam nulla unquam obscuratura videatur oblivio, ac proinde ab omnibus, qui sub illo vivunt imperio, immortales auctori omnium bonorum Deo debentur gratiæ, pro tam singulari in eos beneficio vestra duorum opera, industria, virtute collato, cum alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris, perpetuo fore professus est, alter item primus dictum ab eodem Christi vicario patriarcliam verum, ac legitimam sacrosanctæ Sedis hujusce filium in sua regna perduxerit. Etenim si in magni ejusdam beneficii loco habendum est, ut profecto est, insitos esse corpori mystico Ecclesiæ Catholice, quod a Spiritu sancto vivificatur ac regitur, quam teste Evangelista, idem Spiritus docet omnem veritatem, si eximium est, lucem sanæ doctrinæ intueri, et Ecclesiæ fundamentis insistere, quam Apostolus Paulus ad Timotheum scribens, domum Dei, columnam et firmamentum veritatis appellat, cui se promisit in æternum affore Christus Dominus, iniquens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad*

consummationem sæculi, ut legimus apud Matthæum Evangelistam; est sane cur sine fine gratulenter istæ nationes Deo Domino et Conditori nostro, cujus providentia per tuam parentumque tuorum celsitudinem tanto illos bono dignata est, præsertim cum jure sperandum sit, ex hac ipsa conciliatione consensuque fore, Christo Domino moderante, ut cum spiritualibus temporaria quoque incrementa non sine amplificatione imperii tui et hostium abjectione proveniant. Sacerdotes, qui millantur isthuc, omnes quidem, sed præcipue patriarcha coadjutoresque successoresque ejus duo, spectata admodum virtute sunt, et nostra in societate probati per omnia, ac propter illustrem charitatem, et exquisitam reclamque doctrinam ad hoc tanti momenti opus adsciti, neque vero illis animus in idipsum, aut alacritas deest, haud levi concepta fiducia labores suos, ad Christi Domini gloriam, tuæ celsitudinis rem, animarum auxilium pari cum operæ pretio collocandi, flumane quippe salutis amor illos, et Christi Domini aliqua saltem ex parte imitandi exstimulat studium, qui cruciatus ac necem subit libens ac volens, uti mortales ab æterna calamitate redimeret, atque per Evangelistam, *Ego sum Pastor bonus: bonus Pastor ovium in suam dat pro ovibus suis*. Hoc exemplo incitati patriarcha et cæteri parati veniunt non verboduntaxat, consilioque et spiritualibus adjumentis, sed ipsa morte, si res ferat, periclitantibus animis opulitari. Tua Celsitudo, quo interiorum illos ad consuetudinem ac familiaritatem admiserit, eo majorem, ut spero, capiet in Domino voluptatem. Jam vero quod pertinet ad fidem, ac pondus eorum, que ab ipsis vel publice, vel privatim exponentur, non ignorat celsitudo tua, omnium (quatenus rite legali sunt) sed patriarchæ præcipue dictis, Apostolicæ fidei pondus et auctoritatem inesse, ac perinde illis et Ecclesiæ credi oportere, cujus ab ipsis interpretanda sunt verba et sententiæ. Et quoniam Christi fideles cunctos Ecclesiæ firmiter assentiri, ejusque decretis obtemperare, et, si quid existat ambiguum aut obscurum, eandem consulere necesse est, non dubito quin tua excellens pietas probitasque publico edicto curatura sit in suis regnis, uti omnes omnium ordinum homines, tum patriarchæ ipsius, tum eorum, quos ille sibi substituet, dicta, præcepta, responsa citra ullam dubitationem sequantur. Constal ex Deuteronomio de controversiis omnibus ac nodis ad Synagoga Ecclesiæ prænantiam referri so litum. Hinc illa quoque Christi Domini verba: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei*: idipsum in Proverbiis docet Sapientia Salomonis, cum ait: *Ne dimittas præcepta matris tuæ* (ea est Ecclesia). Et alibi: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui*, ii sunt iidem antislites. Denique

tantum Ecclesie sue tribui ac deferri vult Christus Dominus, ut per Sanctum Evangelistam Lucam aperte denuntiet: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; et per Sanctum Matthaeum: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus*, ex quo apparet, ne aures quidem praebendas, iis qui alienum quippiam a sensu, et interpretatione Catholicae Ecclesiae attulerint, Sancto quoque Paulo in Epistola ad Galatas id ipsum pronuntio, cum ait: *Si aliud vobis Angelus de caelo evangelizaverit, praeter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Ad summam hoc idem sancti Doctores, Conciliorum canones, fidelium omnium consensus, et consuetudo plane demonstrant, ac vicissim patriarcho ac sociis pariter omnibus certum est, fixumque, tuam celsitudinem assiduo cultu, submissione, atque etiam quoad fas piumque ferat, indulgentia prosequi. Nos vero quotquot in hisce terris e minima nostra societate retinemur, tua celsitudo ad omne obsequium paralissimos habeat. Nostris quidem certe precibus et sacrificiis, ut jam instituimus, Deo supplicare pergemus, ut regiam celsitudinem tuam, regnumque istud amplissimum in sancto Christi famulatu conservet, delique illi ita transire per bona temporalia, ut non amittat aeterna. Idem ipse Deus ac Dominus noster omnibus nobis ad sanctissimam ipsius voluntatem et clare cerendam, et rite exequendam perpetuum lumen, ac vires pro sua bonitate suppeditet. Romae VII kalendas Martii MDLV.

10. Ex delectis a sancto Ignatio religiosis viris Societatis Jesu creatus est Aethiopiae patriarcha Joannes Nonnius: designati vero episcopi Andreas de Oviedo Hierapolitanus, Melchior autem Carnerus Nicenus, quos Julius ob insignes eorum virtutes iis dignitatibus ornavit, sanxitque in amplissimo cardinalium senatu, ut referunt Acta Consistorialia.

« Roma die Veneris XXII Januarii MDLV referente reverendissimo camerario S. D. N. providit Ecclesiae patriarchali Aethiopiae, tum certo modo vacanti, de personis domini Joannis Nonnii presbyteri Societatis Jesu, decretorum et Theologiae professoris, ipsumque in patriarchatum praefecit.

« Providit Ecclesiae Hierapolensi in partibus infidelium consistenti, tunc certo modo vacanti, de persona domini Andreae de Oviedo presbyteri ejusdem Societatis, magistri in Theologia, curam, etc. committendo, et cum indulto de non accedendo ad dictam Ecclesiam, ac facultate exercendi pontificalia in civitate et diocesi. Et insuper volens felici successui dictae patriarchalis Ecclesiae consulere, eundem Andream electum eidem Joanni electo coadjuto-

rem in regimine et administratione dictae patriarchalis Ecclesiae, cum potestate et jurisdictione ex nunc, et postquam munus consecrationis susceperit, quae ordinis pontificalis existunt faciendi, constituit et deputavit. Et nihilominus pro Joanne electo cedente vel decedente, de persona ipsius Andreae praedictae Ecclesiae patriarchali providit, curam, etc. cum dispensatione si opus sit, ut episcopus Hierapolensis existens officium coadjutoris hujusmodi exercere, et illo uti, et eo cessante, possessionem dictae patriarchalis Ecclesiae assequi valeat: ita quod, officio coadjutoris hujusmodi cessante, dictus Andreas, cum primum possessionem dictae Ecclesiae patriarchalis assecutus fuerit, dicta Ecclesia Hierapolensis eo ipso vacet.

11. « Providit Ecclesiae Nicaena in partibus infidelium consistenti, tunc certo modo vacanti, de persona domini Melchioris Michaelis Carnero presbyteri dictae Societatis, decretorum et Theologiae professoris, curam, etc. committendo, et sibi de non accedendo ad dictam Ecclesiam indulgendo. Et insuper, sua Sanctitas volens eisdem patriarchali Ecclesiae ulterius consulere, eundem Melchiorum, electum supradicto Andreae coadjutorem, Joanni patriarchae, et coadjutoria supradicto Andreae facta cessante, Andreae electo praedictis in regimine et administratione dictae patriarchalis Ecclesiae, cum simili, etc. constituit et deputavit. Et nihilominus eidem Ecclesiae patriarchali, Joanni patriarchae, post obitum Andreae, aut Andreae electo praedictis post obitum Joannis patriarchae praedictorum cedente vel decedente, de persona ipsius Melchioris electi providit, ipsumque, etc. ita quod cum primum in vim posteriorum provisionis et praefectionis hujusmodi possessionem, seu quasi dictae patriarchalis Ecclesiae assecutus fuerit in Ecclesia ipsa Nicaena existens possit officium coadjutoris hujusmodi exercere, et illo uti, ac eo cessante, possessionem dictae patriarchalis Ecclesiae assequi valeat ».

12. *Julii III obitus.* — Dum novi illi praesules et pracones Evangelici Aethiopico itinere se accingunt, Julius e vivis migravit, ac proinde protectionem in proximum annum extraxerunt, de qua inferius sermo recurret. Quod ad Julii obitum spectat, de extremo ejus morbo et obitu haec narrat Acta Consistorialia:

« Roma die Veneris XXII mensis Martii MDLV, fuit Congregatio generalis coram sanctissimo Domino nostro, quia jam erat de vita sua desperatus, in qua in iis, quae ad regimen et administrationem omnium rerum Ecclesiae spectabant mandavit sacro collegio, ut provideret, quo facto data benedictione, multi ex cardinalibus osculati sunt ejus manus (1).

« Die Sabbati XXIII mensis Martii MDLV, inter

1. Julius III hoc anno ad superos evolavit: vii in privata fortuna quam in summa dignitate laudabilior. Hujus enim, dum cardinali

horam XIX et XX seu circa obiit Julius papa III in palatio Sancti-Petri ». Exinctus est gravioribus podagrae doloribus ¹, cum Pontificatum tenuisset annis quinque, mense uno, diebus viginti, ætatis anno sexagesimo septimo, cui floebres honores novem diebus peracti fuere. Vocatus est in invadium ob ingentes Villæ-Julie extra Portam Flaminiam site substructiones et amœnos recessus, in quos colligendâ purioris auræ, et laxandi a curis animi causa se conferebat; sed quem tandem lateat in amœnis recessibus ingenia ad summa quæque pertractanda applicari posse, cum etiam viri sanctissimi amœnos recessus capient, ut liberius divinis mentem transfundant? nec Panvino ² assentiendum est dicenti, illum Pontificatu comparato, votorum omnium jam competent factum, abdicationem rerum omnium cura, hilaritati et genio suo nimium indulgisse, ac præmii spe potius dum cardinalis esset, ad virtutem amplectendam accensum quam ipsamet virtutis pulchritudine delectatum, nec vitæ, quam privatus egerat, institutum laudatissimum parto Pontificatu tenuisse, at objecti illi nævi eximii Julii factis diluuntur. Num enim inertis fuit Pontificis, Concilium Tridentinum restituisse, quod propter civilia bella, non ob illius scordiam dissolutum fuit! Num voluptatibus animi dediti fuit Angliam ad Romanæ Ecclesiæ obsequium revocare, Æthiopiæ a schismate abducere, asserendâ in Germania religioni, extinguendisque erroribus assiduam operam navare, ac misso legato cardinale Lutheranis principibus Concilium OEcumenicum offerre, si ejus decretis assentiri vellet? minus quidem acceptus fuit Gallis ac Senensibus, quod Florentinorum duci in Senensi expeditione magno adiumento, ejusque exercitui ex Piceno, et Umbria, et Hetruriæ parte comæatus submisserit, ac pecunia etiam, ut tulit fama, sublevari, sed non decerant justæ causæ, cur a Gallica factione aversus esset, cum Henricus rex, icto cum Lutheranis impio

federe, Casarem, ne ipsos ad obsequium Ecclesiæ cogeret, impedivisset, Conciliumque Tridentinum disturbasset, metueretque, ne Gallis in Italia sedibus, illam gravissimis bellis miscerent, quæ rei Christianæ exitum essent allatura, quæ pericula prævertisse non voluissent, sed prudentissimi fuit Pontificis.

MARCELLUS II.

13. *Marcellus II, potius ostensus quam creatus Pontifex, morte innatura præceptus.* — Quinta Aprilis ¹ ingressi conclave cardines numero triginta septem, perlecto Diplomate Julii II contra Simoniacos, nempe post aliquos dies V idus Aprilis ad Marcellum Cervinum card. Sanctæ-Crucis salutandum Pontificem, coitione facta concurrere, cumque illum in sacrosancto solio raptim essent collocaturi, cardinalis Medices Marcello fidissimus intercessit, monuitque, ut prius constituti jure Pontificii electionis ritus servarentur, ita ut omnium primus Joannes Petrus cardinalis episcopus Ostiensis Neapolitanus Collegii decanus illum alta voce delegerit, in quem etiam alii suffragia contulere, quibus in publica Acta ab eo, qui senatui a secretis erat, redactis, Marcellus Latina oratione Patribus gratias de electione Pontificiæ egit, sequæ tanto muneri gerendo imparem professus, addidit se illi integre administrando non defuturum, atque abscisso omni privatorum commodorum respectu, publicam rem omni studio et contentione promoturum. Subinde cardinalis Neapolitanus assurgens, dixit, ritus veteris servandi causa matulino sequenti scrutinium schedulis apertis, ut optimas omnium in eum voluntates Sanctitas sua cognosceret, confectum iri sine ullo præsentis electionis damno, quod omnium unanimo consensu confirmatum; voluere insuper, ut novus Pontifex etiam hæc verba proferret: Acceptamus, sine ullo præjudicio præsentis electionis. Illu-

¹ Lit. princ. to. v. p. 160. — ² Panvin. in Vita Jul. III.

¹ Lit. princ. to. III. p. 161.

S. R. E. ageret, virtus fuit eximia, adeo ut magno honorum omnium plausu Pontifex a cardinalibus renuntiari mereretur. Nec ad eam dignitatem eventus segnis omnino et iners intabuit; nam, ut optime notat annalista, plura sunt quæ in Ecclesiæ commodum et utilitatem gessit; longissime tamen abuit ab ea implenda expectatione quam de se omnibus ingesserat. Ita de illo Segui hist. Flor. lib. XIII: « Ma lasciate ire l'azioni di questo Pontefice che per altre ragioni non furono degne di molta fama etc. » et lib. XV: « Mori papa Giulio d'un accidente subito che in ventiquattro ore lo spirò nell'età di sessantotto anni essendo stato cinque anni e poco più d'un mese in Pontificato, senz'aver commesso alcuna cosa nè da buon Pontefice, nè da savio uomo ». Sed hæc historicæ mordacis censuram violentiorem esse quam res ipsa meretur ingenuè fateor, si cum fuit Julius ut nullo peculiari crimine notari mereretur, si nimiam extipiens segnitiam quendam et quieti amorem; quibus interiore se præbuit quam ut Pontificiæ sollicitudo reposeeret. Quod illi pariter crimini datum est a Panvino; nec aliud exprobat idem Segnius ibidem.

Julio successor datus est optimus, quique aptissimus Ecclesiæ his periculosis temporibus regende, si vitam diutius prorogare licuisset, merito censebatur, Marcellus Cervinus Politianus. Cardinalium quinque et viginti suffragis electum scribit Segnius, cum duodecim reliqui cardinales Ferrariensem præfulerent, electores enim numero septem supra triginta idem Segui cum Spodano supputat; contra ac affirmat Ciaconius qui novem supra triginta, et Panvinius qui sex et triginta eumerant. Annum egisse tunc quinquagesimum sextum idem Segui scribit, ex quo forte corrigendus annalista qui annos quatuor supra quinquaginta eidem Pontifici assignat. Porro Marcellus obiit die et mense ab annalista definitis, dignus quem omnes ejus ætatis scriptores commendent; nam et ille, qui superiorum Pontificum facta carpit Segnius, hunc fere unicum summis laudibus celebrat lib. XV: « Entrò con gran speranza di buono e santo Pontefice, dette in nove giorni che stette sano gran testimonio di quella bontà ». Morbum quo assumptus fuit ita scriptor ille describit. Die ab adito Pontificatu decima, febris corripitur quæ in decem dies perseverans, tandem venæ sectione evanescere visa est, sed altera succedente die in improvisa gravidade intra breves horas suffocatur.

Succesit cardinalis Caraffa quem octava ab adito conclavi die cardines LXIII, ait Segnius lib. XV renuntiavit Pontificem. MAXSI.

cescente sequenti die decima Aprilis post sacra peracta electio repetita est ac confirmata, in qua Marcellus, ne seipsum deligeret, Neapolitanum, qui ipsi proximo mense in Pontificatu successit, designavit; Pontifex vero renuntiatu antiquum Marcelli nomen retinuit, quibus consentanea in Actis Consistorialibus ¹ repetuntur et hæc addita :

« Undecimo Aprilis, qui in Feriam quintam majoris hebdomadæ incidit, duodecim pauperum pedes lavit, ac sacra thiara a cardinale Bellayo redimitus, Pontificiæ dignitatis insignia accepit, sine accuratore pompa, ac sumptus, qui in festis ignibus accendis in Arce Divi Angeli faciendi erant, in pauperes conferri jussit ».

14. Quod ad primicias ejus, genusque, et patriam attinet, patrem habuit Richardum Valerii proquestorem, matrem Cassandram Beneciam Iectissimam feminam; natusque est in oppido Picensi ², cui Mons Fani nomen est, licet pater, Etruscus genere, gente Cervina nobili, Poliliano oppido ditionis Florentinæ oriundus esset. A prima ætate in liberalibus disciplinis Senis educatus, cum juventutem attigisset, sprevit delicias, nec a parentibus adduci potuit, ut uxorem duceret, cum se militia clericali adscribere decrevisset : tanta autem fuit ejus modestia et continentia, ut si quando inter amicos liberius forte aliquid per jocum ageretur, aut diceretur, adventu Marcelli omnes illico conticescerent. Litteris et probitate clarus, Alexandro Farnesio comes et laborum socius in Belgica legatione adjunctus, promeritus est, ut episcopatu Neocastrensi donaretur, tantaque fuit integritate, ut Pontificis consiliis adhibitus nunquam illi assentatus sit, imo illum a medietatis noxiis consiliis ceptisque interdum absterruerit. Cooptatus in cardinalium senatum, ac titulo Sanctæ-Crucis donatus, cum Joanne Maria e Monte, et Reginaldo Polo præses Concilii Tridentini renuntiatu est, in quo Pontificiæ Sedis decus dignitatemque adversus Cæsaris vim et potentiam asseruit tanta constantia, ut in Cæsarianorum odium incurreret.

Creatus vero Pontifex ætatis anno quinquagesimo quarto ³ cum a Romani populi magistratibus salutaretur, rogareturque, ut vectigalia immuaret, respondit humanissime, se nulla nova impositurum, et gratificaturum iis, in quibus posset, seque ita amanter cum omnibus principibus gesturum, ut nullus ejus quietem perturbatus esset. Imperatorem, Gallorumque regem ad pacem, exaratis litteris, cohortatus est, accitosque eorum oratores monuit, ut ipsos facerent, de quibus scriperat, certiores, ac ni paci consentirent, se quoque ad eos pro concilianda pace profecturum.

¹ Act. Cons. Ms. card. Spada sign. num. 134. p. 160. Natalis Com. l. brev. IX. — ² Panvin. in ejus Vita. — ³ Lab. III. lit. prime. c. 16.

15. Tantus itaque Pontifex dignus quidem semper exiit omnium laudum commendatione, « ut qui omnibus dignitatibus summoque Pontificatu præferendam vite innocentiam, incorruptamque justitiam, in suffragiis præcipue ferendis, necessarium affirmaret ». Refertur de eo beatam Virginem illi se videndam obtulisse, dum in æde Lauretana sacrum perageret, ab eaque summum in Ecclesia Dei Pontificem aliquando futurum accepisse : aiunt etiam Marcellum sæpe hanc sententiam Adriani IV repetisse : « Romano Pontifice nihil est miserabilius, conditione ejus nulla miserior, totius ejus vite felicitas amaritudo est. Cathedra Pontificis est sponsa undique confecta aculeis, pondus tante molis, ut robustissimos premat et confringat humeros ».

De Christiana ejus demissione et integritate hæc narrat Hieronymus Scripandus archiepiscopus Salernitanus in litteris ad episcopum Fesulanum datis : « Ego nunquam mihi persuadere potui cardinalem Sanctæ-Crucis ad Pontificatum pervenire potuisse, imo rem impossibilem existimabam, sicuti etiam, cum de ejusmodi rebus loquebamur, aperte assereram. Ratio satis clara erat, omnesque ejus actiones, quibus ad Pontificatum solemne est pervenire, contrariæ mihi videbantur; quare sic in me ipso ratiocinari solebam, vel iste Pontificatum optat, vel non; si eum optat, ignorantior est, et judicio præ omnibus carens, eorum præcipue, qui in curia morantur Romana, cum non advertat cuncta omnino agi contra suum consilium; si non optat, certe homo non est, sed Angelus carne indutus, omnes, non solum hujus sæculi homines, sed etiam multos præteritorum sæculorum superans. Et quia familiarem ego cum illo jamdiu consuetudinem habens, nunquam ab aliis talem existimatum fuisse percepi, necessario concludebam; vel ipse Pontificatum non curat, vel ad eum pervenire non vult, nisi per suam propriam viam, adeoque constans erat in suis consiliis, et in augustissima et inflexibili semita justitiæ et bonitatis, in qua adeo firmum conspiciebam, ut de eo dicere solemus quod olim dictum de Catone. *O te felicem, Marce Porci, a quo rem improbam petere nemo audeat* ». Et post pauca : « Nunquam credidi fieri posse ut ad Pontificatum efferretur, mirum fuit triginta octo cardinales in eum qui trigesimi noni numerum complebat summa animorum consensione, nulloque annulo invento, suffragia aperta contulisse ».

16. Creatus est nona die Aprilis Marcellus II, retento priori nomine, ac postridie sine consueta solemnî pompa, quod festa Paschalia appeterent, Pontificia thiara redimitus. Fertur Marcellum, parto Pontificatu, suis præcepisse, ne Romam venirent, et duos, quos apud se elebat, nepotes nec videre voluisse, jussisqueque,

ut eos nullus inviseret, nec ipsi alios institerent, et petenti cuidam, an pro ipsis cubiculum in Palatio adornare deberet, respondit: « Quid illis cum Palatio? forte in eorum patrimonio esse censetis ». Insuper superfluos sumptus recusavit, nec in mensa aureo coleari, sed argenteo uti voluit, nec foculum lectarium ex argenteo, sed ex ære fieri præcepit: cogitabat Helvetiorum militum custodiam remove, dicens: Vicarium Christi, nec lanceis, nec clypeis ad se defendendum egere. Jacobus Augustus Thuanus, parum æquus erga Pontifices, Marcellum hac laude commendat: « Vir rara eruditione, prudentia, sanctitate vite antiquis comparandus, et sub quo certa spes emendandæ Ecclesie affulsit, refulgebat enim morum integritate, ita ut ipsius vita omnium censura haberi possit ».

17. Explicuerat ille insigne constantie exemplum in tuendo Pontificio et divino jure, contra Cæsaris et administratorum ejus nefaria molimina, « dum Apostolici legati munus gerebat in Synodo Tridentina », inquit Panvinus ¹, « et vim in Pontificia potestate et auctoritate tuenda in eo libertas enituit. Nam cum Carolus imperator aliqua in sui gratiam sanciri voluisset, isque ab eo dissentiret, quod Cæsaris postulata ex Romanæ Sedis dignitate non esse ducebat, sæpe a Cæsaris ministris interpellatus, nec minis, nec precibus a sententia dimoveri potuit: quare Cæsari invisus, cum in vite discrimine versari videretur, exclamasse dicitur, Cæsarem quidem in eum sævire posse, animum vero frangere non posse. Cæterum ejus facta summo Dei judicio reservari, qui unicuique juxta sua merita esset tributurus; unde haud longe post relicto Tridenti cardinale de Monte, a Paulo III revocatus Romam rediit ».

Acerbissimis etiam injuriis a Didaco Mendoza Cæsareo oratore in Concilio affectum diximus; sed quæ illi summam gloriam peperere.

18. « Pontifex factus », inquit Panvinus, « statim omnibus tribunalibus quedam, quæ inviolata rectam juris administrationem observarent, scripto mandavit, audiendis iis, qui negotiorum causa aderant, totus incubuit, sed et Rote auditores se salutatum de more venientes, in posterum domi se continere, et parum necessario salutandi officio omisso, muneri suo studiose vacare jussit, neminem propinquorum Romam venire voluit, ne fratrem quidem, quodque his, et temporibus, et moribus novum est, duos parvulos Alexandri fratris filios, quos ipse in Urbe educabat, a nemine salutari, raro etiam in publicum prodire, præterquam ad sacra passus est: multa et magna ad Apostolicæ Sedis decus pæne obscuratum instaurandum, meditatatum fuisse ferebatur ab iis, qui cum adhuc

cardinalis esset, mentem ejus exploratam habebant arcanorum omnium participes. Inter quæ illud præcipuum, quod fratri liberisque suis tantum elargiri, quantum singuli e nobilitate homines in redditibus haberent, decreverat, nec ultra privatorum civium conditionem se elterre passurus erat, non ad principatum dignitatis exeli, ne assem quidem de fructibus Ecclesie, nisi de libera omnium cardinalium sententia, eos auferre permissurus, omnem Ecclesiasticam jurisdictionem nullis sacris initiatis demandare cogitaverat. Illud subinde in ore habebat, sanctitati Ecclesiasticæ turpissimum esse, eos, qui sacerdotiis ad curam animarum spectantibus præfecti essent, a suis gregibus pascentibus abesse, neque se eos Romæ, aut usquam versari, nisi sacerdotiis abdicatis, bonisque pastoribus commissis, permissurum. Decreebat item, ejectis ex aulico ministerio cunctis obscenis et infamibus, se neminem in palatinis, nisi qui frugi et honestis moribus esset, cujusque opera foret et necessaria, esse passurum. Luxum enim omnium malorum causam esse, et ipsum pessimum esse dicebat. Quare etiam profusas superiorum Pontificum sportulas, in modicam quandam pecuniarum summam, jam vix Pontificatum adeptus, contraxerat, collegium cardinalium supra omnia purgare constituerat, nec quemquam præterea in eorum numerum, lege veteri repelita, sine omnium consensu legere, quesitis quoque in eorum electionibus summorum virorum testimoniis. Quanquam autem illud in ore habuerit, se vectigalia atque onera publica per superiores principes imposita vel abolitorum, vel ad modestam quandam rationem redacturum, initio tamen Pontificatus ærario exhausto et magno ære alieno insuper contracto, coactus est, præter animi sui sententiam, propositum mutare, et subsidium illud triennale indicere, quo in maximis Ecclesie, ut dicebat, necessitatibus sublevari posset. Quare tum ob eam causam, tum ob alia quedam, tam in cardinalatu, quam initio Pontificatus circa sportulas facta, tot præsertim aliarum virtutum commendatione insignis, avaritiæ notam effugere potuit, quam parcimoniæ titulo antea obtinisset, cum alioqui valde parvus, et in donando non admodum liberalis esse videretur ». Et paulo post:

« Religionis Christianæ dissidiis et his, quæ nunc vigent, hæresibus valde angebatur, et procul dubio si vixisset, omnem operam suam et studium in eo collocasset, ut sublato schismate, omnes ad concordiam redigeret, vel generali Concilio, quod semper expetivit, vel alia quavis ratione. Sanctissimam hanc ejus mentem, ego, non aliis referentibus, sed ex familiaribus sermonibus inter nos habitis, dum cardinalis esset, optime novi: me enim multum dilexisse visus est, amicitias etenim, quas

¹ Panvin. in Marcel. II. Vit.

inde usque ab adolescentia coluit, constanter usque ad summum Pontificatum maxime retinuit, multis nihilominus cogitantibus ultra etiam accitis, doctos quoque et graves viros dilexit in primis, eorumque familiaritate inuendissime utebatur, quos consilio, opera et facultatibus aliquando sublevavit, cibi ac vini parcissimus fuit, eaque simplicitate, qua privatus cum esset, edebat, habebatque, sive publicæ, sive privatis convivaretur, anagnostem in mensa, qui sacros libros aut sanctorum Patrum scripta legeret ».

19. Sub primis illius Pontificatus auspiciis Senenses, qui gravissima obsidione premebantur a Cosmo duce Florentiæ, Cæsareo exercitu succineto, deerevere ad eum oratores ex Monte Alcino, in quod oppidum plures cives perfluxerant, infinitis precibus flagitarunt, ut patriam in gravissimum discrimen adductam defendendam susciperet: at Marcellus a bellicis consiliis alienus respondit, necessitati parendum esse; consulitque, ut propositas illis deditio- nis nuncupandæ pactiones admitterent, Cosmum vero Florentiæ ducem ad clementiam erga Senenses exercendam, continentumque militem, ne direptione, credibus, stupris et incendio grassaretur, sollicitavit hisce litteris¹:

« Dilecto filio nobili viro Cosimo Mediceo reipublicæ Florentinæ duci.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. In hac civitatis Senensium deditioe, ex iis quæ audivimus, habita belli ratione, mansuetudinem animi tui, ac pietatem maxime agnovimus, teque in eo summo- nere in Domino laudamus, restat nunc ut in militibus ipsis, præsertim gregaris, idem videamus, qui cum sua sponte ac natura direptionis, ac rerum hujusmodi semper appetentes sint, longaque ac tantæ urbis obsidione, rebus- que tot gestis, jure quodam id sibi deberi existiment, non tamen dubitandum videtur, ne in urbem ipsam facta irruptione, omnia cordibus, rapinis et incendiis compleant, quod etsi a tua nobilitatis voluntate prorsus alienum putamus, facileque propterea futurum speramus, ut jussu tuo duces ipsi, et alii, ad quos pertinet, milites in officio et fide continere, tantoque civitatem ipsam periculo liberare possint, pro ea tamen communis Patris charitate, quam omnibus debemus, et pro privato quodam animi affectu, quo permultos illic cives, ob veterem inter nos consuetudinem atque amicitiam paterne amplectimur, civitatem eandem, nobilitati tuæ ita commendamus, ut studiosius et cuiusvis non possimus, sed ex fide ac spe ut eorum salus, non tam in nostra aut illius commendatione, quam in te ipso sit posita, nam propter pietatis meritum, quo nullum apud Deum majus exco-

gitari posse videtur, quantum in eo apud homines gloria atque amplitudinis nobilitas tua sibi paritura sit, pro sua prudentia debet considerare, multo enim majorem et pretiosiorē victoriam ex clementia et venia reportabit, quam ex vi et armis adhuc consecuta non est. Nos sane, non eam gratiam nobilitati tuæ referre poterimus, quæ tanto pro munere digna sit, ut saltem illam apud Deum omnipotentem proce- remus, nullis unquam precibus sumus præter- missuri. Dat. Rom. apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xix Aprilis MDLV, anno 1 ».

20. Lapsa biduo ab exaratis hisce litteris, die nimirum vigesima prima Aprilis Galliæ copiarum præsidiarum, cum frustra expectata fuissent nova e Gallia auxilia, Senis egressæ sunt instructæ armis, vexillis explicatis, ac militari ordine structo, ac Cæsareus exercitus eadem urbe exceptus. Cineta ea fuerat obsidione superioris anni Augusto ineunte, perductaque in mensem Aprilis adultum hujus anni: conce- ptam deditioe formulam hisce legibus narrat Adrianus, nimirum, ut Cæsar in clientelam imperialem susciperet Senensem rempublicam, libertatem consuetam iis permitteret, jusque creandorum magistratum, contractum læsæ majestatis crimen gesti hujus belli occasione oblivione deleret, restitueret bona, exceptis iis, quæ milites belli jure rapuerant, exciperent tamen Senenses militare præsidium a Cæsareo stipendio sustentandum, quod Cæsar urbi imponeret. Pollicitus etiam est dux Florentiæ consensurum Cæsarem non extrui arcem sine ipsius reipublicæ Senensis assensu, omnesque munitiones circa urbem excitatas discedente exercitu eversum iri, atque alia Senensium privilegia confirmata fuere. Caterum imperator, possessione Senarum accepta, illius urbis imperium in Philippum filium transtulit; ut vero postea Senæ in potestatem Cosmi ducis Florentiæ ceciderint, suo loco dicetur. Præfectus est a Cæsare Senensis urbis gubernaculis Franciscus Toletanus, ac Marcellus Pontifex metuens ne cives Senenses a victoribus militari licentia premerentur, cardinalem Tridentinum misit, ut cives a vi et injuria vindicaret. At de his satis: modo obitus Marcelli II Pontificis legendus est, qui adeo præcipiti casu e vivis ereptus, ut potius orbi Christiano ostensus, quam datus fuerit. Flagrabat ille immenso sacro ardore tollendarum hæreson, sed tot tantque immania gentium impiarum crimina non permiserunt, ut sanctissima consilia in opus provocaret. Cum non esset satis firmis viribus, in recolendis Dominicæ passionis mysteriis, divinisque officiis de more celebrandis defatigatus, duodecimo a suscepto Pontificatu die, graviore pituitæ affluxu ac febre laborare cepit: postredie elicto sanguine, licet febris remisisset, et per aliquot dies convalescere videretur, adeo ut

¹ Lib. brev. num. 2891. p. 43.

viros principes, et aliquos cardinales ad se venientes humanissime audiret; tamen pridie kal. Maii hora xii apoplexia oppressus sequentis diei hora vii, paulatim amissis sensibus, e vivis discessit¹, relicto maximo sui desiderio; ac in Vaticano templo ejus cadaver tumulo marmoreo conditum est. Vixit in Pontificatu viginti duobus diebus; ac totidem aliis fuit interregnum Pontificium.

PAULUS IV.

21. *Pauli IV electio; patria, parentes, mores et primordia.* — « Tenuerat Pontificatum diebus viginti duobus Marcellus, persolutisque de more exequiis, cum vacuum fuisset sacrosanctum solium, post gravissimas comitiorum contentiones, cardinalis Caraffa sacri senatus princeps², aditente cardinali Farnesio, ac renitentibus Cæsareæ factioni addictis, xxiii Maii evectus est ad Pontificatum, quem jam olim sanctitatis fama venerabilis eremita, dum in matris utero conditus lateret, Victoria Camponesæ, lectissimæ pietateque conspicuæ matronæ prædixerat, jusserratque ut fœtum diligentissime conservaret, quod Pontificis apices aliquando gesturus esset ».

Natus est in Hirpinis in oppido, cui Sancti-Angeli de la Scala nomen, septimo a Benevento lapide, Patrem habuit Joannem Antonium, inter proceres Neapolitanos insignem, matrem Victoriam Camponesiam, quæ familie comitatum Montorii intulit, sororem habuit sanctimoniam sanctitatis existimatione conspicuam, a teneris annis pietati se addixit, cumque Prædicatorum instituta professurus monasterium esset ingressus, agre a parentibus imbecilliori ætati diffisis abduci inde vix potuit, inde ad studia converso animo sacrarum litterarum, ac linguarum Latine, Græcæ et Hebræicæ cognitioni diligentem operam navavit, summam vitæ integritatem coluit, Romæ in contubernio Olivieri Caraffæ cardinalis amplissimi propinqui sui fuit, cujus opera et commendatione a Julio II episcopus Theatinus creatus aliquot post annis intermūtium in Angliā egit, questoremque vectigalis Sancti-Petri, ad aulam Ferdinandi Catholici se confers, ad consilia est admissus, ab Hadriano VI ab Hispania excitus, inter eos Patres relatus est, quorum et consilio Pontifex usus est in Ecclesiastica morum censura ad solutionem disciplinam restringendam, sanctioremque regendi Pontificatus rationem institutendam; sedente Clemente VII, cum Cæsar Carolus V Brundusino archiepiscopus eum ornare voluisset, non modo eam dignitatem respuit, sed ultro sanctioris vitæ cupidus, Theatino episcopatu, impetrata Pontificis venia, abjecto instituto

a sancto Cajetano Thyenæo sacerdotum sodalitate se adjunxit, a quo vehementer illustratus auctusque sacer ille Ordo Theatinorum nomen accepit: post urbis cladem, Veronam, dein Venetias se contulit, multaque virtutum exempla reliquit. Ex eo sodalitate a Paulo III ob summam integritatem, rerumque gerendarum peritiam in senatum cardinalium adlectus est, ac presbyteralem tit. Sancti-Clementis, prioremque episcopatum recepit: Romam vocatus sanctilitatis fama apud omnes claruit, ad sacrarum litterarum peritiam præexcellens morum integritatem conjunxit, in dicenda sententia libertatem constantissime tenuit, et si quid a Pontificibus alienum a dignitate Apostolica Sedis referretur, vel a Concilio de industria aberat, vel si interesset, non assentiebatur, subdit Panvinus: « Pontifice Paulo III, auctor in primis fuit, ut sancte Inquisitionis tribunal, præstantissimis Patrum ad id munus judicibus lectis, institueretur, qui inquirendis damnandisque hæreticis summa cum potestate præessent, latius jam per totam Italiam serpente Lutherana hæresi, cujus labes non profanos modo, sed et religiosorum hominum multos polluerat, qua ratione factum est, ut membris ægrotis, aut sanatis, aut si sanari non possent, amputatis, quæ contagio inficiebantur, periculoque propria erant, paulatim, salutaribus remediis, pristinae sanitati restituerentur ».

Ex presbytero cardinale tit. Sanctæ-Mariæ Transtiberim, episcopus primum Albanus, dein Sabinus creatus est, atque archiepiscopus Neapolitanus, sed Hispani possessionem illius archiepiscopatus inire non passi sunt, quod ejus gentiles in ultimo Neapolitano bello Clementi VII et Gallis adhæsisissent, postea Julio III Pontifice Tusculanam, et novissime Ostiensem Ecclesiam est consecutus.

22. De illius creatione in Romanum Pontificem hæc referunt Acta¹ Consistorialia.

« Romæ xxiii Maii m^olv, quo celebratur festum Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, hora xx aut circa, fuit publicatus Pontifex reverendissimus dominus Joannes Petrus episcopus Ostiensis, et nominatus Paulus IV, et delatus est in Sede Pontificali ad Sanctum-Petrum cum Cruce et cantoribus hymnos de more solito cantantibus præcedentibus, et apud Altare, ubi jacet sacrosancta Eucharistia, humi positus genibus flexis oravit, et deinde perlatus ad majus Altare Sancti-Petri, ubi iterum oravit, quo facto, fuit reportatus ad palatium, et solitas stationes ».

Proximo die Dominico, Thyra Pontificia redimitum solemniter ritu, addunt eadem Acta²:

« Romæ xxvi mensis Maii m^olv, fuit delatus ad Sanctum-Petrum cruce et cantoribus præcedentibus, S. D. N. Paulus PP. IV, et in cappella

¹ Panvin. in Marcel. II. Vit. — ² Auctor Vitæ Pauli IV.

¹ Act. Cons. Ms. card. Spadæ sic. num. 135. p. 161. — ² P. 162

Sancti-Andree præstitit juramentum per Pontifices præstari solitum, et indutus fuit vestibus Pontificiis ad celebrandum, deinde perlatus ad cappellam Sancti-Petri, ubi Missam celebravit, qua finita, fuit delatus ad curritorium super scalas Sancti-Petri propterea præparatum, et ibidem coronatus more solito hora xvii aut circa, postmodum plures cardinales cum associarunt usque ad suam mansionem, et cum eo prandium sumpserunt ».

Suscepto Pontificatu Paulus mox primas curas disciplinæ Ecclesiasticæ instaurandæ, ac morum puritati in primavum sanctitatis splendorem revocandæ, necnon constituendæ inter Christianos principes concordie addixit ut Acta sacri senatus testantur :

« Romæ, die Mercurii xxix ejusdem mensis Maii m^olvi, fuit Consistorium, in quo S. D. N. Paulus IV habuit orationem, qua egit gratias reverendissimis, de ejus electione, et deputavit nonnullos reverendissimos, qui antea felicis recordationis Marcello II ad id deputati fuerant, super reformatione faciendâ, et successive fuit factum verbum de pace procurandâ inter Christianos principes ».

Proximo die..... Ferraria dux Paulo clientelare officium defulit, atque in illius fide et potestate semper futurum spondit, ut confirmant eadem Acta :

« Romæ die Jovis xxx mensis Maii m^olvi, fuit Consistorium publicum, in quo illustrissimus dominus dux Ferrariensis, qui antea pro præstandâ obedientia felicis recordationis Marcello II ad Urbem advenerat, eodem Marcello mortuo, hujusmodi obedientiam ei non præstitam, et Joanne Petro divina favente clementia episcopo Ostiensi ad summi Apostolatus apicem, cum denominacione Pauli PP. IV assumpto, habita prius per suum oratorem, seu secretarium, eleganti oratione, obedientiam devotam eidem Paulo, præstitit, a quo benigne exceptus est ».

23. Proximis diebus ad corruptelas, quæ in Ecclesiastico ordine inoleverant, abolendas studia convertit, utque optimi rectores administrandis Ecclesiasticis prefecturis admoverentur, operam navavit, ut testantur Acta¹ Consistorialia :

« V mensis Junii m^olvi, fuit Consistorium in quo sanctissimus dominus noster Paulus PP. IV de salute animarum sollicitus, ut personæ Ecclesiasticæ absque alicujus simoniæ aut ambitionis suspicione, ad Ecclesiarum et monasteriorum regimina promoveri, et personæ ipsæ illis puro corde et sincera conscientia præsidere valeant, de fratrum consensu et consilio, statuit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, patriarchalibus, metropolitanis, et

cathedralibus Ecclesiis ac monasteriis pro tempore vacantibus, de quibus consistorialiter disponi contigerit, non ad personarum promovendarum hujusmodi requisitionem, supplicationem, aut instantiam, sed eis, quæ de jurepatronatus fuerint, aut ad quas seu quæ idonearum personarum præsentatio seu nominatio ad imperatorem, reges, aut alias principes pertinuerit, ad præsentationem seu nominationem imperatoris, regum, seu aliorum principum jurispatronatus, seu facultatem præsentandi aut nominandi hujusmodi habentium, et reverendissimi domini cardinales hujusmodi negotium proponerent, aliis vero Ecclesiis seu monasteriis ad solius cardinalis præponentis relationem duntaxat provideri debeat.

« XVII mensis Julii m^olvi, S. D. N. indemnitati patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum providere cupiens¹, de fratrum consilio statuit atque decrevit, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, in provisione sui, seu alia dispensatione Ecclesiarum earumdem non dispenseretur cum aliquibus super defectu ætatis, nisi juxta decreta Concilii Lateranensis novissime celebrati, et concordata Galliæ desuper cum Sede Apostolica unita, quæ super hoc inviolabiliter observari voluit, et expresse mandavit ».

Istis diebus republicæ Lucensis oratores ad præstandam novo Pontifici obedientiam Romanam accesserunt, de quo sic Acta² Consistorialia loquuntur : « Romæ die xx mensis Julii m^olvi, fuit consistorium publicum propter adventum oratorum Lucensium, qui, habita ab uno ex eis oratione latina, suæ Sanctitati et Sedi Apostolicæ nomine eorum communitatis obedientiam devotissimam præstiterunt, quam Sanctitas sua una cum reverendissimis benigne recepit ».

24. *Scribit imperatori et Romanorum regi ut res Germaniæ collapsas restaurent.* — Parto Pontificatu, tam præclara initia sui regiminis edidit Paulus IV ut omnes pios non solum ad mirificam spem pacis et tranquillitatis, sed etiam insignis felicitatis erexerit, cum ipsam sanctitatem spirare videretur, ac primas curas conciliandæ inter Hispanos Gallosque concordie, quæ ad redigendos ad officium Lutheranos omnino erat pernecessaria, consecravit, ac proxima die a suscepto Pontificatu Carolum V Casarem de Marcelli II obitu, ac sua creatione certiore fecit, tum priora consilia redintegranda concordie, a Julio et Marcello cepta, promovere decrevit, ursisque Casarem, ut suscepta ab eo expetitaque pacis actioni insisteret, necessariamque omnem in ea re auctoritatem Reginaldo Polo cardinali Anglo concessam, se porrecturum spondit³ :

¹ Pag. 161.

² Pag. 169. — ³ Ms. card. Spadæ tom. cxxxiv. pag. 171. — ³ Paul. IV. l. i. brev. sig. num. 2892. p. 51.

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Hæri una omnium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sententia, qui nobiscum in conclave erant congregati, in locum felicis memorie Marcelli II Pontificis Maximi demortui, successi fuimus, et quanquam non essemus ignari, quam grave onus debilibus humeris nostris imponeretur, cum tamen nihil ejusmodi sine Dei voluntate fieri sciremus, subire illud maluimus, quam debita illius majestati ejusvis servitutis jugum excutere, ad quod quidem perferendum ipsius Dei auxilium nullo nobis loco esse defuturum speramus, in iis rebus potissimum, quæ ad ejus gloriam Christiane fidelium salutem pertinebunt, hoc est, ad religionis Christiane amplificationem, communemque omnium pacem et tranquillitatem, cui a tua majestate eam nunc operam dari novis in dies nuntius audivimus, ut cum nostra hac tanti muneris sollicitudine non mediocris conjuncta sit consolatio; precamur divinam clementiam, ut hujus consolationis nostræ finem sentiamus, qui orbi Christiano universo adeo est necessarius, et quem de tua virtute ac pietate omnino nobis pollicemur: interim vero ad majestatem tuam hæc scribimus, tum ut eam de statu nostro certiores faciamus, tum ut præter auctoritatem, quæ dilecto filio Reginaldo cardinali Polo, nostro de latere legato inter cætera ad pacem ipsam tractandam amplissime concessa est, si quid a nobis fuerit necessarium, id omne offeramus, quodque præterea ad tuæ majestatis tuorumque amplitudinem et splendorem attinet, ut certo illud scias omnia perpetuo tibi parata esse, quæ cum Deo in primis, sanctæque Matris Ecclesie, cujus te semper filium observantissimum novimus, Sedisque Apostolicæ dignitate, cumque aliorum concordia et quiete fieri a nobis posse cognitari sumus, ut venerabilis frater Hieronymus archiepiscopus Consanus pluribus exponet tuæ majestati, quam omnipotens Deus benedicit. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xxiv Maii mdlv, Pontificatus nostri anno I ».

Labente a datis hisce litteris tertio die, Ferdinandum Romanorum regem ad cadem concordie studia et restituendum collapse religionis in Germania splendorem excitavit, utque gratiam et auctoritatem, qua florebat apud fratrem Cæsarem, adhiberet, his litteris hortatus est :

« Ferdinando Romanorum ac Hungariæ et Bohemiæ regi illustri.

« Quarto abhinc die, uno omnium venerabilium fratrum nostrorum consensu, in felicis recordationis Marcelli II Pontificis Maximi vita

paulo ante defuncti locum substituti fuimus, cui curæ atque oneri etsi hæc ætate et his viribus adeo impares sumus, ne tamen divinae voluntati, de qua dependent hæc omnia, reluctamur, jugo nos Apostolicæ servitutis debita obedientia subjecimus, Dei ejusdem freti benignitate, eaque præterea spe, ut vos, et reges, et principes Christianorum ad onus hoc perferendum nullo nobis loco silis defuturi, inter quos quantum de tua serenitate nobis nos polliceri debeamus, ex perpetua erga Romanam Ecclesiam sanctamque hanc Sedem observantia et amore, atque in Christianam rempublicam voluntate, præclare possumus videre, in iis rebus præsertim, in quibus utrumque nostrum maxime decet convenire; etenim cum serenitati tuæ, ut præclarissimis signis non semel declarasti, non minus, quam nostro cordi sit, ut religio ipsa speciem et dignitatem amissam tandem recuperet, ac principum ipsorum discordiæ penitus tollantur, hæc ad te litteras dedimus, non solum, ut in hoc nostro Pontificatus ingressu serenitatem tuam salutarem, sed ut hoc in primis scires, nulla nos in præsentem majore sollicitudine urgeri, quam et pacis procuranda, et religionis Christianæ in suam formam ac decus redigenda. Ad hoc enim assequendum in vestra ista pelissimum incluta natione, quantum serenitatis tuæ regia virtus, ac pietas vere Christiana perpetuo possit, minime ignoramus. Ad illud vero, hoc est, pacem constituendam, te gratiam et auctoritatem, qua tantum potes non modo apud Serenissimum Cæsarem germanum tuum, sed apud omnes ubique interpositurum plane in Domino confidimus, donec ejus aliquando compotes fiamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die xxvi Maii mdlv, Pontificatus nostri anno I ».

25. *Anglicanæ Ecclesie providet et Philippo regi gratulatur.* — Proximo mense amplissimam Anglorum legationem Paulus excepit, pro confirmanda illius regni cum Romana Ecclesia vcleri conjunctione. Decreti quidem fuerant oratores ad Julium III, quo e vivis sublato, Philippus et Maria Angliæ reges eadem litteras, mutato Pontificis nomine, renovarunt, quibus in cardinalium senatu perlectis, maximo omnium applausu Paulus indultam Angliæ a legato cardinali defectionis præterita veniam ratam habuit, atque amantissimo sinu Anglorum gentem complexus est. De episcopis a Paulo IV variis Angliæ episcopatibus præfectis, hæc referunt Acta Consistorialia :

« Romæ die xxi mensis Junii mdlv, fuit Consistorium, in quo præstita fuit obedientia per R. D. episcopum Eliensem, et dominum Eduardum oratores serenissimorum regis et

¹ Acta Cons. Ms. card. Spade sig. num. 131. p. 165.

reginæ Angliæ, qui oratione habita, Sanctitati suæ et Sedi Apostolicæ devotam præstiterunt obedientiam, quam Sanctitas sua una cum fratribus acceptavit, fuitque petita venia de erroribus in præteritum commissis, et eadem Sanctitas sua pepercit, et recepit in gremium Ecclesiæ.

26. « Referente reverendissimo Morono.

« Cum reverendissimus dominus Reginaldus Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ in regno Angliæ legatus de latere, cui antea felicis recordationis Julius papa III Sanctitatis suæ prædecessor, ut de personis quorumcumque archiepiscoporum et episcoporum, qui metropolitanas aut alias cathedrales prædicti regni Ecclesias de manu laicorum etiam schismaticorum, et præsertim quondam Henrici regis et Eduardi ejus nati recepissent, eorumque fructus, etiam longissimo tempore, etiam tanquam veri archiepiscopi, seu episcopi usurpando, postquam eos rehabilitandos esse censisset, si sibi alias digni et idonei viderentur, eisdem metropolitanis, ejusdem regni Ecclesiis, quovis modo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus serenissima domina Maria regina Angliæ, juxta ejusdem regni consuetudinem sibi supplicasset, Apostolica auctoritate providere, ipsasque personas eisdem Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præficere, et cum iis qui Ecclesias cathedrales etiam metropolitanas de manu laicorum et schismaticorum, ut præfertur, recepissent, quod eisdem, seu aliis, ad quas eos aliter rite transferri contingeret, cathedralibus etiam metropolitanis Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præfici et præesse, ipsasque Ecclesias, in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis eis catenus impenso, nisi valerent, dispensare posset, plenam et liberam facultatem concesserat, R. P. D. episcopum Thomam episcopum Eliensem, qui antea Ecclesiam Westmonasteriensem dicti regni, tunc de manu Henrici regis, et postquam illius regimini et administrationi tenere et de facto se ingesserat, et illius præfextu munus consecrationis etiam de facto susceperat, illa dimissa, Ecclesiam Norwicensem, tunc certo modo vacantem, de manu Eduardi prædicti receperat, et illius regimini etiam de facto se ingesserat, fructus mensæ episcopalis Norwicensis tanquam episcopus Norwicensis similiter de facto usurpando, ab excessibus hujusmodi dicta auctoritate absolvisset, qui postmodum dictam Ecclesiam realiter dimiserat seu remissurus erat, ut cuicumque Ecclesiæ cathedrali in episcopum et pastorem præfici et præesse, illaque in spiritualibus et temporalibus per eum, ut præfertur, suscepta nisi valeret, eadem auctoritate dispensasset; ac

successive de persona ipsius Thomæ episcopi, pro quo dicta Maria regina, juxta eandem consuetudinem, sibi super eo supplicaverat, Ecclesiæ Eliensi, tunc certo modo pastoris solatio destitutæ, dicta auctoritate providisset, eumque illi in episcopum præfecisset et pastorem, curam committendo, ipseque Thomas episcopus provisionem et præfectionem hujusmodi vigore possessionem, seu quasi regiminis et administrationis ipsius Ecclesiæ Eliensis pacifice assecutus fuisset, asserereturque Ecclesiam Eliensem prædictam etiam tunc, ut præfertur, seu alias certo modo, quem Sanctitas sua haberi voluit pro expresso, vacare de persona ipsius Thomæ, pro qua dicta Maria regina, et serenissimus dominus Philippus Angliæ rex eidem Sanctitati suæ super hoc supplicaverant, dicta auctoritate providit, ipsamque dominum Thomam episcopum illi in episcopum præfecit et pastorem, curam committendo, etc.

« Providit similiter Ecclesiæ Norwicensi adhuc certo modo vacanti de persona domini Joannis episcopi Norwicensis Ordinis fratrum Prædicatorum, et theologiæ professoris, alias de eadem Ecclesia per supradictum reverendissimum dominum Reginaldum cardinalem legatum provisi, cum absolute opportuna, et ad supplicationem prædictorum reginæ et regis.

« Providit Ecclesiæ Bristolensi, quæ alias perniciosissimo schismate, quod domini Dei misericordia et serenissimi Philippi regis et serenissimæ dominæ Mariæ reginæ Angliæ pietate extinctum est in regno Angliæ, vigente per tunc supremum consilium, Parlamentum nuncupatum, regni, in provincia Cantuariensi erecta fuit, et ejus erectio postmodum per reverendissimum dominum meum Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem, Polum nuncupatum, Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ in eodem loco legatum de latere, sufficienti ad id, ut asserbat, per litteras dictæ Sedis facultate suffultum primo, et deinde per Sanctitatem suam Apostolica auctoritate approbata fuit de persona R. D. Joannis episcopi Bristolensis ». Et infra :

« Providit Ecclesiæ Eboracensi, tunc certo modo vacanti de persona domini Nicolai lith clerici Eboracensis, seu alterius civitatis vel diocesis, pro qua serenissimus dominus Philippus rex et serenissima domina Maria regina Angliæ Sanctitati suæ super hoc supplicaverant.

« Providit Ecclesiæ Assanensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Henrici olim episcopi Assanensis, de persona domini Jacobi Terbeville clerici Oxoniensis, et ad supplicationem dictorum serenissimorum regis et reginæ.

« Providit Ecclesiæ Bangoriensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim episcopi Bangoriensis, de persona domini Guillelmi Bangoriensis, ad eandem supplicationem.

« Providit Ecclesiæ Sadorensi, tunc per obitum bonæ memoriæ II. . . vacanti, de persona domini Thomæ Staulensis clerici, pro quo illustris dominus Edoardus comes Darbia, regio nomine supplicaverat.

« Providit Ecclesiæ Dublinensi, nunc ad sæcularitatem de facto reducta, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim archiepiscopi Dublinensis, de persona venerabilis viri domini Ugonis Carensis presbyteri Dublinensis.

« Cum etiam cardinalis Polus legatus a Julio III decretus Conventrensi et Lichfeldensi Ecclesiis Rodolphum theologiae doctorem episcopum profecisset, etiam a Paulo IV ad preces regis ac reginæ in eadem dignitate confirmatus est.

27. « Paulo etiam antea Pontifex studio pacis, Hiberniæ provinciam, cujus dominos tantum se veteres Angliæ reges appellarant, regni nomine decoravit, sine ullo Romanæ Ecclesiæ vel alterius damno, cum antea Henricus VIII et Eduardus VI eam insulam regni fastigio et occupatione ornandam sanxissent : ut titulos, quos illi temere sibi arrogarant, Philippus ac Maria jure ac religiose sibi adscriberent.

« Romæ die VII mensis Junii MDLV, apud Sanctum-Marcum fuit consistorium, in quo, referente reverendissimo Puteo, erexit insulam Hiberniæ, cujus ab eo tempore, quo illius dominium per Sedem Apostolicam adepti sunt reges Angliæ, qui pro tempore fuerint, se dominos tantum nuncupare consueverant, et cujus regium titulum quondam Henricus VIII, postquam ab unitate Catholiciæ Ecclesiæ et obedientia Romani Pontificis secessit, prætextu ejusdem legis per Parlamentum ejusdem insulæ, ut prætenditur, latæ primo, et deinde ejus natus Eduardus VI, eorum nominum, qui dum viverent, pro regibus Angliæ se gesserunt, de facto usurpaverant, in regnum, ad instar aliarum insularum regio titulo, dignitate et honore fulgentium, sine præjudicio jurium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et ejusdemque alterius in ea, vel ad illam jus habere prætendentis, ac attenta dignitate, honore, facultate, juribus, insignibus regiis, quibus alia Christi fidelium regna utuntur, insignivit et decoravit ».

28. Gratulatus vero est Paulus ¹ amplissimis verbis Philippo regi, ac Mariæ reginæ de singulari in fide Catholica asserenda propagandaque constantia, atque in prædicendis optimis episcopis Ecclesiis Angliæ non parciturum operæ, amplitudinemque cardinalis Poli semper se provectorum respondit :

« Paulus papa IV, charissimis in Christo filiis nostris Philippo et Mariæ Angliæ regibus illustribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem

et Apostolicam benedictionem. Quos tanto nos desiderio, et Romana Ecclesiæ universa, cunctusque alme hujus Urbis populus expectabamus, dilectus filius nobilis vir Antonius de Montaguto, venerabilis frater Thomas Eliensium episcopus, et dilectus filius eques Eduardus Clerne, serenitatum vestrarum oratores, duce vestræ apud Deum cælestis gratiæ lumine, nonis Junii incolumes ad nos pervenerunt; quinto autem post die in palatio Apostolico et aula regum publicum eis consistorium dedimus, in quo venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, principum Christianorum oratoribus, magno episcoporum et prælatorum numero, omnibusque nobilitum Romanorum et aulicorum ordinibus præsentibus, simul atque a nobis ad paternum pacis et amplexum et osculum admissi fuerunt, primo regium vestrum amplissimumque mandatum, ad gratias de data præteriti schismatis venia per eos agendas, debitam nobis et Sedi Apostolicæ submissionem et obedientiam vestro ac vestri regni nomine præstandam, Ecclesiarum cathedralium tunc istic erectarum confirmationem petendam, audientibus omnibus, ab uno ex nostris secretariis perlectum est, postea ab ipso Eliensium episcopo habita oratione, eaque nondum finita, reddite ab eis litteræ patientes, quæ omnem regni istius cum Romano Pontifice et sancta Sede Apostolica reconciliationis seriem, legumque contra eum litarum abrogationem continebant, eis eodem modo, quo mandatum recitatum fuerat, perlectis, ipse idem episcopus una cum collegis suis gratiis de data schismatis venia peractis, ipsaque obedientia vestro utriusque et ejusdem regni nomine præstita, peroravit. Nos vero una cum eisdem venerabilibus fratribus nostris cardinalibus obedientiam ipsam admittentes, eos et eorum personas utrumque vestrum, totumque ipsum regnum referentes, omni charitatis affectu iterum amplexi sumus et exosulati, atque in clementissimæ matris Catholiciæ et Apostoliciæ Ecclesiæ gratiam et gremium recepimus, quod nemini ad eam redeuntî unquam clausum est, cumque dilecti filii Reginaldi Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis Poli, nostri et Sedis Apostoliciæ de latere legati, litteras que veniæ et absolutionis ipsius fidem faciebant, nobis demum porrigerent, non solum veniam et absolutionem ipsam approbavimus, sed quatenus opus esset, denuo dedimus. Verum ita hæc omnia peracta sunt sicut oravit episcopus vera eloquentia, et sana prædicitæ doctrina, adeo vestrorum præteritos errores commemoravit, eoque animi affectu penitentiam presentem ante omnium qui aderant oculos posuit, ut prægaudio tanti a Deo accepti beneficii vix nonnulli sibi a lacrymis temperare potuerint, nam etsi primis ejus rei nuntiis felicitis recordationis

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 77.

Julio III prædecessori nostro allatis, ea lætissima signa ubique apud nos data sint, de quibus ad vos perscriptum diligenter fuisse arbitramur, nihilque a nobis oplarum præclarior nec sanctius posse videbatur, non plane tamen omnes in eo conquievissent, nisi hac veluti extrema præstitæ obedientiæ manu serenitatis vestrae opus ipsum perfectissent, quare consistorio dimisso, ejusque actis per Urbem pervulgatis, ipsimet oratores testes erunt cum privata, tum publicæ totius Ecclesiæ atque Urbis hilaritatis: nos cum ex nostra lætitia alienam meliorem, nullam aliam majorem excogitari posse nullis de causis putabamus. Cum tamen non ita multo post XII kal. Julii ab eodem episcopo et Eduardo, nam paulo ante hinc discesserat Antonius, mandatum item vestrum, et patentes litteræ nobis fuerint redditæ eodem exemplo, quo eæ, quas in consistorio lectas dicebamus, nomine tantum Julii III, quo illæ fuerant inscriptæ, in nostrum Pauli IV immutato, usque adeo est acta, ut nullum ejus testimonium adhiberi a nobis certius possit, quam illius, qui cordium scrutator est. Quantum tamen potuimus eam ad illius laudem omnibus ostendimus; postmodum enim in consistorio secreto apud Sanctum-Marcum, aliquot eodem prælati virisque insignibus præter morem convocatis, litteras prius, quibus seorsum vestrae serenitates de Pontificatu nostro nobis respondebant, postea mandatum et litteras patentes perlegi fecimus, et quamvis res ipsa per se adeo sit memorabilis, ut his monumentis egere non videatur, ea tamen in archivio et in secretioribus nostris hujusmodi scripturarum thesauris diligenter reponi et asservari mandavimus, obedientiam vestram incredibili ipsorum fratrum nostrorum plausu iterum accepimus, veniam et obedientiam datam accepimus, et cætera fere omnia egimus, quæ in consistorio publico egeramus, quo enim, et pluribus actibus ac testimoniis confirmata fuisse in præsentem et in posterum comperit fuerit, ideo majorem vestris serenitatibus pietatis gloriam, regno ipsi vestro fidei constantiam, sanctæ huic vero sedi auctoritatem videtur pariturum esse, quæ omnia, etsi ab ipsis oratoribus serenitates vestrae melius cognituri sunt, quam tamen ipsi egregie ac pie, quantaque eum vestra utriusque dignitate hoc lega-

tionis munere benevolentiam vobis apud omnes comparaverint, quantaque Sedes Apostolica et nos serenitatis vestris post Deum ipsum debeamus, voluimus his etiam litteris apud vos testatum esse: nam de Cantuariensi, aliisque Ecclesiis, et cæteris ejusdem generis negotiis ipsimet oratores, idemque dilectus filius noster cardinalis Polus legatus copiose vobiscum locuturi sunt, nos enim omnem operam navabimus, et his, et omnibus aliis vestris desideriis, quæ nonnisi honestissima fore confidimus, ut quantum cum Deo poterimus, satisfaciamus, quodque ad legatum ipsum cardinalem Polum attinet, nihil in ejus honorem, vel commodum, vel amplitudinem, neque isibi a vobis, neque a nobis hic excogitari conferrique poterit quod tantæ illius virtutis ac probitatis, tantisque erga nos et Sanctam hanc Sedem, ergaque vos et regnum vestrum officiis, et meritis salis esse videatur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die xxx Junii MDLV. Pontificatus nostri anno 1 ».

29. *Cramnerus de sede Cantuariensi dejectus, et hæreticorum duces capitali sententia damnati.* — Actum est de restituendis Ecclesiarum bonis, sollicitate Pontifice, sed cum sacra vegetalia a proceribus occupata essent, gravius implicita difficultatibus res visa est, reiectaque in proxima comitia, quæ cum vergente anno coacta fuissent, nil impetrari potuit, ne proceres rebellarent: primos tamen fructus ac decimas sacerdotibus Ordines attribuerunt. Cum vero felici adeo Anglorum conversioni nonnulli impii, malorumque flagitiorum rei proccaciter ac pertinaciter obstilissent, læsa majestatis regie crimine accessit sunt in jus, atque inter eos Cramnerus schismatici signifer pseudoarchiepiscopus Cantuariensis, qui iniquissime toties reginam læserat, in vincula conjectus ardens conscientia facibus, meriti-que supplicii terrore percussus, schisma hæresisque ejuravit, imploravitque misericordiam: quare respicienti vita indulta est, retentis tamen in carcere, ne graviora flagitia moliretur, ejus carceris molestias adeo acerbe tulit, ut in desperationem efferatus, instar canis, reversus ad vomitum, priorem impietatem tueri non perhorruerit (1).

30. Porro ejus causam apud subsellia Apo-

1 Thome Cramneri historiam longe aliam ex Anglicanis publicis Tabulis acceptam tradit Burnet, ex quo etiam menda quamdam chronologica auditur corrigere potuim. Vir iste præcedenti anno MDLV carcerem subit, hoc vero præsentem MDLV, die XII Septembris puritæ interrogatus de hæresem suam perveraciter defendit, quem doctissimi plures Catholicorum Theologi refutata ac redarguente conati frustra se nisi intellexerunt. Hac confessione rem se capitalis supplicii statuit, carceremque duriorum ferre coactus est. Interim Maria regina accusationem in illum suam urgebat, ultionem prosequens de auctore injuriæ ab Henrico in Catharinam matrem suam illata; tantumque auctoritas accusantis valuit, ut in supremo Angliæ senatu capitalis in illum sententia die XXIV Februarii anni MDLVI signaretur. Aucto terrore Cramnerus tandem consilium nobis admittere visus est; nam hæresim hæcque propagatam scriptis edita sanæ fidei confessione ejuravit. Syngrapha illa chronici non carens, cui potissimum tempus assignetur, dubios nos esse et incertos, Verum Burnet non manu conjectura persuasus collocandum censet in spatio illo temporis quod inter prolatam in senatu capitalem sententiam et ejus executionem interesset. Cum enim post latam capitalem sententiam supplicium ejus integra fere mense dilatum fuerit, inusitata dilationis nulla aptior causa alleri possit, quam vii respicienti, quæ aulicis iudicibus reddidit non venia locus aliquis præstandus esset. Perseveratum est tamen in sententia ac die XVI Martii anno MDLVI, ad ignem deductus in ipso subeundi supplicii artificio hæresim pristam retinere se declaravit; atque ita demum hæreticus occubuit.

stolica, cum primas esset Angliæ, agitatam, damnatumque decretoria sententia, atque exauctoratum archiepiscopatu et omni gradu Ecclesiastico a Paulo IV ostendunt Acta ¹ Consistorialia, subjectis concepta verbis :

« XXIX mensis Novembris fuit Consistorium, in quo reverendissimus Puteus nulla proposuit contra archiepiscopum Cantuariensem in materia fidei, et fuerunt dilata ad aliud Consistorium voto reverendissimum, cum ageretur de privatione ipsius archiepiscopi.

« Romæ die IV mensis Decembris MDLV fuit Consistorium, in quo fuit plene disputatum, an Thomas archiepiscopus Cantuariensis esset privandus et puniendus, cum multa crimina hæresis commisisset, et tandem fuit conclusum, et lata desuper sententia per Sanctitatem suam tenoris sequentis, videlicet :

« Nos Paulus, divina providentia PP. IV, Salvatoris et Domini nostri Jesu Christi, cujus vices licet immerito in terris gerimus, nomine invocato, in throno justitiæ pro tribunali sedens, solum Deum, qui justus est Dominus, et in justitia judiciali orbem terrarum, præ oculis habens, per hanc nostram definitivam, quam de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio ferimus, in his scriptis in causa et causis, quæ eorum dilecto filio nostro Jacobo fil. Sanctæ-Mariæ in Via presbytero cardinali, de Puteo nuncupato, nobis in Consistorio secreto, ut moris est, referenda, inter charissimos in Christo filios nostros Philippum regem et Mariam reginam Angliæ illustres, denuntiatores ex una, et quemdam Thomam Crammerum olim archiepiscopum Cantuariensem reum et denuntiatum, de et super crimine hæresis, aliis excessibus, censuris et pœnis propter crimen hujusmodi per dictum Thomam reum denuntiatum, et confessum, et convictum incurjis, rebusque aliis in actis causæ et causarum hujusmodi latius deductis, ex altera parte, in prima instantia vigore specialis commissionis nostræ versæ fuerunt, et vertuntur, pronuntiamus et sententiamus, decernimus et declaramus dictum Thomam, tunc Cantuariensem archiepiscopum animæ suæ salutis immemorem contra regulas et dogmata Ecclesiæ, et sanctorum Patrum, necnon Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, et sacrorum Conciliorum Traditiones, Christianæque religionis hætenus in Ecclesia consuetos ritus, præsertim de Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi, et sacri Ordinis Sacramentis aliter, quam sancta mater Ecclesia prædicat et observat, sentiendo et docendo, ac sanctæ Sedis Apostolicæ, et Summi Pontificis primatum et auctoritatem negando, necnon contra processus, qui singulis annis per

prædecessores nostro in die Cænæ Domini more solito celebrati fuerunt, prout et nos dante Domino in futurum celebrare intendimus, in quibus processibus per Romanos Pontifices prædecessores prædictos ad retinendam puritatem religionis Christianæ, et ipsius unitatem, que in conjunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet, ejusque vicarium principaliter, et sanctam fidelium societatem ab offensione servandam consistit, inter alia Wicleffista et Lutherani, et omnes alii hæretici damnati et anathematizati fuerunt, abjuratum olim per Berengarium Andegavensis Ecclesiæ diaconum hæresim innovando, et tam illam, quam etiam per damnatæ memoriæ Wicleff et Martinum Lutherum hæresiarchas, alias proposita et damnata falsa et hæretica dogmata credendo et sequendo, ac etiam desuper libros scribendo, imprimi faciendo, impressosque publicando, in illisque scripta etiam in publicis disputationibus defendendo, ac etiam coram subdelegato nostro in responsionibus ad propositiones sibi factas, ac pertinaciter asseverando, ac in pertinacia et obstinatione hujusmodi permanendo, excommunicationis et anathematis, necnon privationis archiepiscopatus Cantuariensis prædicti, aliorumque beneficiorum et officiorum Ecclesiasticorum, si quæ obtinet, et amuarum pensionum, si quas super beneficiis Ecclesiasticis assignatas habet, juriumque, actionum et privilegiorum quorumcumque, bonorum quoque et feudorum Ecclesiasticorum, patrimonialium et sæcularium, necnon inhabilitatis ad quascumque dignitates et beneficia, et alias contra tales personas, tam jure communi quam per litteras processuum prædictorum statutas pœnas, non solum tanquam credentem hæreticis prædictis, et illorum sequacem, sed etiam tanquam hæresiarcham notorium damnabiliter incidisse et incurrisse, proptereaque ipsum Thomam excommunicatum et anathematizatum, et dicto archiepiscopatu Cantuariensi aliisque prælaturis, dignitatibus, officiis et beneficiis, necnon pensionibus, juribus, privilegiis, bonis et feudis prædictis privatum, et ad alia quæcumque inhabilem, curiæ seculari tradendum, bonaque ejus per eos, ad quos spectat, confiscanda fore et esse, prout etiam eum tradi, et ejus bona confiscari mandamus, omnes quoque et quascumque personas Thomæ prædicti ratione dicti archiepiscopatus Cantuariensis, et aliarum prælaturarum, si quas obtinuit, aut obtinet, olim subjectas, a quibuscumque fidelitatis et obedientiæ juramentis ei præstitis absolvendas et liberandas fore et esse, prout absolvimus et liberamus, ac juramenta hujusmodi relaxamus, necnon super omnibus et singulis prædictis eidem Thomæ perpetuum silentium imponimus, supplentes omnes et singulos tam juris et facti defectus, si qui forsitan in processu

¹ Acta Cons. Ms. Eminentiss. Bernar. car. Spadae sig. num. 131. p. 178. in Paulo IV. an. 1555.

causæ hujusmodi intervenerint. Ita pronuntiamus ».

Loco † sigilli sub annulo Piscatoris. « Joannes Barenus episcopus Larinensis, ejusdem Sanctissimi secretarius, dicte sententiæ notarius rogatus ».

31. Addunt Acta ¹, damnato Cramnero, administrationem Cantuariensis Ecclesie traditam fuisse Reginaldo Polo cardinali in Anglia legato.

« Romæ die XI mensis Decembris MDLV, fuit Consistorium, in quo proponente Sanctitate Sua, deputavit administratorem Ecclesie Cantuariensis, tunc per privationem Thomæ Cramneri olim archiepiscopi Cantuariensis nuper Apostolice auctoritate factam vacantis, reverendissimum dominum Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem, Polum nuncupatum, Sedis Apostolice in regno Angliæ de latere legatum ad ejus vitam, ita quod liceat sibi de fructibus, etc. Et cum retentione omnium, etc. Nuper creavit eundem reverendissimum Reginaldum in presbyterum cardinalem, ita quod propterea Ecclesie Sanctæ-Mariæ, quæ denominatio sui cardinalatus erat, preesse non desinat, sed illius præsul et presbyter cardinalis existat ».

Cum ita Cramnerus ob hæreseos crimen a Pontifice omni honore Ecclesiastico dejectus esset, a Philippo et Maria regina constituto in hæreticos supplicio affici jussus est flammisque traditus a temporario incendio ad æterna incendia, ad quæ innumeras animas traxerat, transmigravit, quem hæretici inter martyres, sed Sathanae, recensent.

32. Affectus etiam est merito supplicio Joannes Hopperus pseudo-episcopus Glocestrensis, damnali quoque capitali sententia Laurentius Sanderus, Rolandus Talerus, Joannes Rogerius, atque in eas urbes, quas impietate sua contaminarant, missi, Glocestriæ, Lancastrii, Conventrici, Hadelæ, vim divine in se justitiæ graviter, licet sero, persenserunt; Ridlaus quoque, et Hugo Latimerus senex, qui peccanti Henrico fedissime adulatus fuerat, Oxonii flammis ustulati sunt, ex quorum trisibus exemplis plures a flagitio submoti sunt, quos virtutis amor ad officium non pellexisset.

33. *De restituenda disciplina in Anglia agitur, et synodus convocatur.* — Extincto ita schismate, et compressa hæresi in Anglia, ad restituendam sacram disciplinam conversa sunt acriter studia, atque in singulis provinciis Synodi sunt habite ab episcopis, in quibus veteres corruptelæ sublatae, atque morum sanctitas reintegrata, de quo Pontifex certior factus, Anglicanis episcopis hisce litteris ² gratulatus est.

stimulosque addidit, ut proposita felicitis immortalitatis spe, strenue munere suo fungerentur.

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regni Angliæ.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum non modo nulla Respublica, sed ne privati quidem cujusquam domus, in qua recta disciplina non vigeat, diutius stare possit, ut quotidiani rerum eventus doceant, quantopere Ecclesiis ea sit necessaria, nemini dubium esse potest, itaque sapientissime, nec sine divino consilio institutum fuit, ut episcoporum conventus in provinciis habeantur, in quibus inter alia negotia, si quid quod ad Ecclesiasticam disciplinam pertineat, aut hominum culpa, aut temporum vitio corruptum ac depravatum fuerit, in primis corrigatur, quod institutum, si illis in locis, ubi nec schisma ullum, nec hæresis extitit, maximam tamen Ecclesiis utilitatem et fructum semper attulit, quanto majorem id allaturum sit, ubi Dominicus ager tandem incultus, et humani generis hostis veribus et spinis obsitus fuerit, minime latere vos debet, quamobrem, cum Ecclesie vestrae propter luctuosissimum superiorum temporum calamitatem hoc maxime remedio indigeant, summa lætitia affecti sumus, posteaquam fraternitates vestras hujus rei causa convenisse audivimus, in quo ut dilecti filii Reginaldi Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis Poli, nostri et Apostolicæ Sedis de latere legati diligentiam, et charissimorum nobis in Christo filiorum regis et reginæ pietatem recognovimus, ita studium vestrum summo opere laudamus, gratiasque Deo Omnipotenti agimus, qui per sanctum suum Spiritum vobis illiusque tam præclaram mentem dederit; nihil enim aliud vobis, regnoque isti reliquum esse videbatur, extincto jam schismate, hæresibusque sublatis, quam ut Ecclesiastica quoque instauraretur disciplina, quæ unitatis et divini cultus firmissimum esset vinculum: quare, fratres dilectissimi, auxilio freti Dei et Domini nostri Jesu Christi, qui non solum ubi tot sacerdotes, verum ubi duo aut tres tantum in ipsius nomine fuerint congregati, se ut scitis, allaturum promisit, in opus ei tam gratum, tamque vobis necessarium et salutare toto corde, ut cupistis, totoque animo incumbite, ipsamque disciplinam Ecclesiasticam ad sacrorum normam canonum, et omnia quæ cura vestrae sunt credita ad divina majestatis mandata et præcepta in pristinum decus ac formam restituite, quæ vero restituta fuerint, ita et servate vos, et servanda ab aliis curate, ut et statui ipsarum Ecclesiarum, et animarum salutem, Deique honori et cultui non in præsentem solum, sed etiam futuris perpetuisque temporibus vos consultum voluisse apud omnes constet. Hujus autem operis,

¹ Acta Cons. p. 181. — ² Paul. IV. lib. lxxv. sign. num. 2891.

sicut optamus, perfecti quodnam premium sitis expectaturi, facile ex iis intelligere potestis, quæ bonis et fidelibus servis suis Dominus in Cælo proposuit ac paravit. De nobis ea volumus fraternitates vestras sibi polliceri, quæ salva hujus sanctæ Sedis auctoritate, a nobis proficisci poterunt. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die xxiii Decembris m̄lv, Pontificatus nostri anno 1 ».

34. Gerebantur hæc Reginaldi Poli cardinalis legati studio et auctoritate, a quo omnes Angliæ episcopi ad Synodum totius Angliæ nationis acciti sunt, ut communi consensu saluberrima consilia pro divina propaganda gloria, religione latius proferenda, sancti disciplina Ecclesiastica, morumque integritate ad primævum decus revocanda expedirentur, ad quæ egregia cæpta persequenda Paulus cardinalem legatum his litteris ¹ incitavit :

« Dilecto filio nostro Reginaldo Sanctæ-Mariæ in Cosmedia diacono cardinali, Polo nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cognovimus ex tuis litteris, et ex dilecto filio nostro eodemque tui amanfissimo fratre et collega Joanne cardinale Morono, te instituisse Synodum illius nationis episcoporum habere, ad ea quæ correctione indigent emendanda, et Ecclesiasticam disciplinam, quæ propter superiorum temporum calamitatem penitus collapsa iverat, restituendam, jamque aliquot episcopos convenire cœpisse, quod tam pium et salutare consilium sumere in Domino approbamus, et cum ipsis episcopis propter præclaram ipsorum voluntatem magnam laudem tribuimus, tum illius nobis in Christo charissimæ filiæ reginæ pietatem tot aliis in rebus spectatam, hac quoque in re ex testimonio litterarum tuarum libenter agnovimus, quamobrem tam necessarium et Deo gratum opus, quamprimum ad exitum perducere optantes, circumpectionem tuam in Domino hortamur, ut illud urgere ne desinas, quoad tandem ad sacerdotum, quos servari volumus, canonum normam, ipsa Ecclesiastica isthic fuerit disciplina, Deo juvante, revocata, quam ad rem perficiendam in iis, quæ æqua fuerint, nostram et sanctæ hujus Sedis auctoritatem ad Dei et Domini nostri Jesu Christi honorem, tibi illisque, et nunc jam deferimus, et libentissime in posterum impartiemus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxiii Decembris m̄lv, Pontificatus nostri anno 1 ».

35. *Per cardinalem Polum instaurata pax inter Cæsarem et Gallorum regem.* — Collatam eidem legato auctoritatem ac provinciam conciliandæ inter Cæsarem et Henricum Galliæ re-

gem concordiæ Paulus confirmavit, qui cum nonnullas alias legationes Pontificio edicto revocasset, demandatum tamen Polo hujus legationis munus non revocatum, sed assertum illi, constabilitumque novo hoc Diplomate sanxit, utque tantæ rei ad felicem exitum perducendæ incumbere, omni studio et laboris contentione hortatus est ¹ :

« Dilecto filio nostro Reginaldo Sanctæ-Mariæ in Cosmedia diacono cardinali Polo, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Superioribus diebus justis quibusdam et gravibus causis adducti, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, legationibus quibusdam finem imponendum putavimus, quem admōdum ad te perlatum esse audivimus, etsi autem Anglicana legatio, qua tu fungeris, nominatim a nobis excepta fuit, tamen ne quis forte interpretetur exceptionem hanc ad Anglicum negotium dumtaxat, non etiam ad actionem de pace inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum Gallorum regem Christianissimum pertinere, eamque suspicionem his litteris adimendam et tollendam esse duximus : tantum enim abest, ut ab hoc te legationis tuæ munere desistere voluerimus, ut si eo jam non fungereris, id tibi mandaturi fuimus, nos vero te in hanc tam præclaram et Christianæ reipublicæ salutis tantopere necessariam de pace actionem incumbere volumus eodem jure ac potestate, eadem apud principes omnes, inter quos de concordia agendum est auctoritate, iisdem denique, ubicumque locorum fueris, facultatibus, quas a felicis memoriæ Julio prædecessore nostro accepisti, et quanquam ad pristinum tuum studium et diligentiam nihil addi posse arbitramur, tamen ut eo acrius urgeas istesque, quo major omnipotentis Dei benignitate spes compositionis et pacis excitata est, te in Domino etiam atque etiam hortamur, nihil est enim quod vehementius cupiamus, quam filios nostros charissimos, quorum ex concordia Christianæ reipublicæ pendeat salus, sanctissimo inter se fœdere et amicitia conjunctos videre, et ea arma, quæ per tot annos, peccatis nostris ita merentibus, tantum Christianæ reipublicæ nocuerunt, conversa ad impiorum Christiani nominis hostium excidium cernere : quamobrem perge, dilecte fili, isto legationis tuæ munere fungi, eadem fide, eodem studio ac diligentia, qua adhuc fecisti, et qua illo altero, Deo optimo juvante, feliciter es fuctus : non diffidimus enim huic quoque labori tuo Deum Omnipotentem, misericordiæ suæ magis, quam peccatorum nostrorum memorem, optatum esse

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 168.

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 197.

exitum concessurum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXII Decembris M^{DLV}, Pontificatus nostri anno I^o.

36. Sanciente illius inter reges pacis optime spes affulgebant, cum Reginaldus Polus, qui apud Philippum Angliæ regem Cæsaremque eam provehebat, Pontificem certiores fecisset, Philippum regem ad eam amplectendam inclinare, pariterque duo alii cardinales ejusdem pacis interpretes apud Gallum regem, affirmarent Gallum ad paciscendam concordiam optime comparatum, ex qua rerum conjunctione delibutus ingenti gaudio Paulus Philippo pios stimulos admovit, ut Christianam rempublicam variis dissensionum fluctibus jam diu concussam, in tranquillo felicitis concordie portu collocaret.

Expetebatur¹ ea pax continentibus votis a Philippo et Hispanis, ut beneficio pacis populi longo fessi bello recreari possent, tum novi principis imperium confirmaretur, Gallorum pariter regis ærarium diuturnitate bellorum, tum in Hetruria, tum in Insabria, tum in Belgii limite exhaustum erat, ut demum, inenite proximo anno, quinquennalis sequestra pax sancita fuerit.

37. *Philippus rex Angliæ Paulo IV obedientiam præstat pro regno Neapolitano fiduciario.* — Contulerat, ut ante vidimus, solemnî ritu Julius III beneficiarium jus regni Neapolitani Philippo Angliæ regi, nonnullasque ei leges Pontificio Diplomate contentas dixerat, quas Philippus pie admisit, regnumque illud Pontificie liberalitati acceptum retulit, atque oratoris opera regia obsequia Paulo Pontifici devovit solemnî ritu in sacro cardinalium senatu, ut Acta² Consistorialia his verbis tradunt: « Romæ die Veneris XXVII Augusti M^{DLV}, orator serenissimi domini Philippi regis Angliæ illustris nomine ipsius regis, obedientiam devotam Sanctitati sue et Sedi Apostolicæ præstitit, quam Sanctitas sua una cum reverendissimis benigne recepit ».

38. Misit deinde Philippus rex ad Paulum litteras de admissis legibus, pro collato regno fiduciario, sibi impositis aurea Bulla obsignatas, quas marchio Sarræ orator Cæsareus Paulo retulit, quibus acceptis Paulus Philippum hortatus est, ut memoriam accepti beneficii pia mente recoleret, viresque suas ad tuendam Sedis Apostolicæ dignitatem exerceret.

39. *Henricus Gallie rex a Pontifice monitus contra hereticos in regno suo insurgit, sed a politis epiis severitas reprimitur.* — Continuis piorum votis eo ardentius pax inter Catholicos reges ac principes expetebatur, quo Protestantes federe Henrici Gallorum regis suffulti audacius

insolescebant in Catholicos, e quibus Albertus marchio Brandenburgensis Gallica ope fretus Trevirensem, Moguntinam, Bambergensem atque Herbipolensem dioceses evastavit, fœdavitque omni crudelitatis et rapinarum genere, maximeque belluinam immanitatem in Christi sacerdotas ac monachos exercuit ut Catholicum nomen ex Germania excideret moliretur; tot vero malorum fama percussus Pontifex Henricum regem rogavit, ut calamitatum tantarum misericordia tangeretur, nec suo Albertum Brandenburgensem patrocinio fulciret, qui eo indigne abuteretur, ac potius alia ratione Germanicæ nationis benevolentiam sibi conciliaret.

30. Studebat Henricus¹ Gallorum rex Alberto Brandenburgensi hæretico Cæsaris odio, ut illius vires civili bello Germanico elideret, cum cæteroque hæreticos in suo regno ferro flammaque insectaretur, ne Galliam aliquando everlerent; atque hoc anno ad Calvinianorum vel Atheorum, qui nullam certam religionem sequerentur, compescendam insaniam, gravissimum edictum in eos sanxit, ac iudicibus suarum ditionum imperavit, ut sententias Pontificiorum iudicium ac fidei censoris exequerentur, nullamque provocationem ad summos provinciarum senatus factarum rationem haberent. Hoc edicto prælocata fuisset in fomite Calviniana hæresis, nec Gallia toties suorum stragibus cruentata luxisset, si politici consiliarii huic ipsi non intercessissent: at senatus Parisiensis illud promulgare jussus, auctoritatem suam contrahi ratus, postidie nonas Octobris nonnullos senatores ad regem misit, qui docerent, quadriennio ante lapso regem iudicia adversus hæreticos civilibus iudicibus demandasse, iis dumtaxat exceptis, qui sacris ordinibus initiati essent, hoc recens edictum pugnare cum superiore, quod universos regni ordines Pontificiis iudicibus, aut censoribus fidei subijceret, regiamque auctoritatem ad alienos sive Pontificios transferret: temperari vero posse acerbiter illius, si regii senatores de causis hujusmodi cognoscant, decernatque, si quid dubii occurrat, consulant Pontificios, ferendæque decretorie sententiæ jus conferant: impetrandum vero mandatum a Pontifice, quo iudicia hæc adversus hæreticos civilibus magistratibus permittat, quibus etiam plura addidere ex aliarum nationum petita exemplis, consueto pietatis pallio propria impietatem obvelantes, memorabant Christianam religionem suo initio non armis, aut gladiis, sed Pontificum prudentia, eruditione, sacris concionibus maxima incrementa accepisse, ea vero iisdem artibus, quibus creverint, atque effloruerint, conservanda: tum regem hortati sunt, curaret ut episcopi, atque

¹ Belcar, I. XXVI. num. 68. — ² Act. Conf. Ms. card. Spade sig. num. 134 p. 172.

¹ Franc. Belcar, I. XXVI. num. 68. Jacob. Aug. Thoan. I. XVI.

inferioris Ordinis sacri ministri munere suo ipsi fungerentur, non functiones suas vicariis demandarent, præluerent virtutum exemplis atque eruditione sua, populum sacrorum cognitione atque optimis moribus informarent, que si omitantur, frustra adversus novarum seclorum reos supplicis agi, frustra humanum sanguinem effundi : regis denique clementiam magis decere, commiseratione miseros allicere, quam ejusmodi carnificia obterere. His nonnihil commotus est Henricus rex, legumque severitatem in hæreticos remisit, sed quidem laud proficue, nam gliscente in dies impiorum numero, atque hæreseos cancro in regni membra serpente, biennio post superius edictum instaurare, atque Pontificiis iudiciis hæreseos causam omnino demandare compulsus est, recenti hoc exemplo tot vetera tamque perspecta confirmans, nunquam profuisse clementiam principum in hæreticis coercendis : ea enim abusi semper illi evasere deteriores.

4. *Assertum jus Pontificium in Britannia et Provincia.* Interea Henricus ipse Francorum rex¹ privilegia a Leone X Francico collata sibi asseri confirmarique postulavit, cui cum significatum esset, pacta tunc conventa ab administris regis fuisse violata, Paulus ab eo exegit, ne ea posthac infringi sineret, si iis indultis potiri vellet, quod tum ab ipso, tum a regis administris admissum est, ut ex subjectis Henrici regis litteris constat :

« Henricus Dei gratia Francorum rex, comes Provinciæ, Forcalquerii et terrarum adjacentium, universis presentes inspecturis, salutem, etc.

« Plenaria potestate et auctoritate regia tenore presentium duximus, et declaravimus, et declaramus, nostram præcipuam voluntatem et intentionem fuisse et esse, quod Sanctissimus Dominus noster, eademque sancta Sedes gaudeant et utantur in eisdem nostris dominiis Provinciæ et Britannie illismet iuribus, et auctoritatibus et præminentibus, quibus prædecessores sui Romani Pontifices retroactis temporibus ante attentata hujusmodi gavisus, atque-usi, ac uti, et gaudere quomodolibet poterant, quarum quidem auctoritatum et præminentiarum præcipuas, præsertim ad majorem elucidationem, duximus inferius inserendas. In primis, quod in dictis ducatu (scilicet Britannie et Provincia) reservationes mensium Apostolicorum, et omnes alie, tam generales vigore regularum, quam speciales, et cætera Constitutiones cancellariæ recipiantur.

« Quod provisiones Apostolicæ de beneficiis in dictis mensibus vacantibus admittantur, et prout de jure etiam cum Ordinariis concurrent in eorum mensibus.

« Quod regresus coadjutorie, mandata de providendo, expectative, et similes gratiæ etiam præventivæ recipiantur.

« Quod censura a Romana curia, tam vigore litterarum super assignatione pensionum hujusmodi expeditarum, quam sententiarum in dicta curia latorum, et executionum desuper decretarum admittantur et timeantur, similiter interdicta Apostolica teneantur.

« Quod devolutio causarum spiritualium ac beneficialium, præsertim in petitorio, ad dietam Romanam curiam nullo modo impediatur, nec propterea aliquis ex colligantibus, aut notariis exequentibus citationes aut inhibitiones desuper a dicta curia emanatas, in partibus molestentur.

« Quod Consilium et Parlamentum Provinciæ ac Britannie, non se intromittant in cognitione causarum Ecclesiastici fori, nec etiam per viam appellationis, præsertim super litteris Apostolicis et sententiis in dicta curia latis.

« Quod non detur possessio beneficiorum in quovis loco vacantium in vim supplicationum, aut sumptorum, vel transumptorum, absque litteris Apostolicis sub plumbis expeditis, declarantes, quod vigore Concordatorum, nihil fiat in Ducatu Britannie, aut provincia Provinciæ, cum in Concordatis non comprehendatur, etsi dictus Ducatus unitus fuerit regie coronæ ; mandantes nostris dilectis et fidelibus nostrarum curiarum Parlamenti Provinciæ et Britannie, et eorum cuilibet respective, prout ad eum pertinet, quatenus ipsi nostras præsentis declarationem et voluntatem receptas et admissas manteneant, custodiant et observent, et manteneri, et custodiri, et observari, ac vocatis et adhibitis advocatis, et procuratoribus nostris fiscalibus in eorum authenticis et publicis fibris et registris scribi et annotari faciant, eisque predictum S. D. N. papam, Sanctamque Sedem Apostolicam, ac ejus officarios, commissarios et deputatos plene et pacifice gaudere et uti permittant, absque eo, quod illis aliquam perturbationem, molestiam, aliudve impedimentum inferant, etc. Dat. apud Sanctum-Germanum die xxix mensis Julii an. m̄l̄v, regni nostri iv.

« Per regem et Comitem Provinciæ. Duthier. Visa, lecta et publicata in Camera tempore vacationum, ordinata, et registrata in registris Curie Parlamenti Provinciæ, petente, et requirente regio generali procuratore. Aquis die vi mensis Septembris m̄l̄v ».

12. *Colonienses in fide stabiles : Sacramentarii eragitati a Lutheranis.* — Inter hæc, Alberto Brandeburgensi Marellione, de quo supra egimus, turbas undique ciente, ac promiscue eandibus et rapinis non in Catholicos tantum, sed etiam in Lutheranos saviente, hæretici tempus opportunum rati libere undequaque virus evomere, Coloniensem ditionem inficere

¹ Est. in Act. Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 378.

pertentarunt, jamque urbem ipsam Judocus Velsius Batavus, qui provinciam interpretandi sacra Biblia gerebat, novis ac deliris opinionibus dementare studebat, Ecclesiam invisibilem fingens, novasque Apocalypses et visiones meditata, sed restitit insanis ipsius aliorumque conatibus sollicita pii magistratus diligentia, ac praecipua Adolphi ejus nominis III archiepiscopi vigilantia¹, qui Apostolica falce spuria excindens germina, non est passus altas dare radices, et Judoco per magistratum in exilium pulso, caeterisque omnibus dispersis, factum est, ut Pontifex de praecleara illorum fide certior factus, Coloniensium, ipsiusque in primis antistitis, pietatem publicis ad ipsos datis litteris commendaverit.

43. Praeclearam Coloniensium² in fide Catholica tuenda constantiam, hostis humani generis Diabolus, qui semper Dei simiam agit, in suis quoque asseclis renovare visus est, Lutheranos adigens, ut in aliarum seclarum haereticos, veluti seditionum turbines, insurgerent; tradit enim Surius ex Joachimo Westphalo Hamburgensium seductore Lutheranos, regem Daniae ac senatum Hamburgensem publico edicto vetuisse, ne quis civium Sacramentarios, Anabaptistas, aliarumque sectarum studiosos hospitio exciperet, pariterque alias urbes maritarum earum partium, constitulis gravissimis poenis, Zuinglianos hospitio prohibuisse: Lutheranæ enim Ecclesiae male sibi metuere ceperant a Sacramentariis, ne earum statum illi convellerent, quam politicam prudentiam utinam Catholicæ principes ac magistratus, cum primum Lutheranæ impietas erupit, intellexissent, immensas profecto calamitates a suis cervicibus depulissent, si novatores contestum e sua ditione ablegassent. Territus iis edictis Joannes a Lasko Sacramentarius vagus ac profugus, ex Embdensi civitate Francofordiam se contulit, ubi permisum illi est Ecclesiam peregrinorum constituere, ita enim suam Synagogam dixit. At quanto consultius fecisset, si ad Christi Ecclesiam se adjunxisset, in qua futurus esset civis sanctorum et domesticus Dei. At paulo post cognita intempestiva Sigismundi regis lenitate in Poloniam regressus est, e qua pulsus antea a Sigismundo patre fuerat, cumque multis sua venena afflasset, pietatem Catholicam in nonnullis ejus regni locis prolifigavit. Porro in Germania Sacramentarii multis in locis exagitati sunt, suisque sedibus ejecti, nec Augustani conventus decreto pacis beneficio potiri permisi, ut mox dicetur.

44. In Augustanis conventibus Bavarus et rex Romanorum Ferdinandus rei Catholicae propugnatores fortissimi. — Coacti hoc anno Augustæ Ordines imperii, cum partim ex Catholicis proceribus, partim ex Lutheranis constarent,

contrariis inter se admodum studiis dissensere adeo, ut ea comitia a mense Februario in Septembrem extracta fuerint. Agebatur vero de publica salute, et conferendis adversus Turcam communem hostem subsidiis, deque mutua concordia constituenda, quæ ad propulsandum externum hostem necessario requirebatur, cujus quidem ineunda veram rationem Joannes cardinalis Moronus legatus Apostolicus a Julio III missus aperuerat, ut nimirum Concilii Oecumenici, quod Pontificio nomine offerebat, decretis parere, publica comitiorum lege statuerent; sed Lutherani Oecumenicum oblatum Concilium respicientes, omnes impias artes intenderunt, ut Catholicos proceres ad nefaria ipsorum decreta admittenda pellicerent, quorum improbos conatus, cum Paulus infringere studeret, Catholicos principes variis monitis sollicitavit, ut constanter tuerentur fidera, nec se ad aliquid ab eorum pietate et officio alienum adduci paterentur, quo argumento date sunt littere Alberto duci Bavarie, cui simul Aloysium Lipomanum episcopum Veronensem de his etiam cum Ferdinando rege acturum significavit¹:

« Dilecto filio, nobili viro Alberto, Bavarie duci.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum certiores facti fuimus eos, qui isti conventui intersunt, a Catholica Ecclesiae unitate separati quaedam obtinere conari, quæ ad confirmandum et augendum ipsorum schisma pertineant, pro pastoralis nostro officio magna sane affecti fuimus sollicitudine: nihil enim omnino gravius nobis accidere potest, quam tot remedia, quibus prospici Catholicorum quieti in illa nobilissima natione oporteret, ad opprimendos eos, et disseminandas latius hæreses converti; itaque ne officio ac numeri nostro deceasemus, et alios, qui isti conventui intersunt de religione optime sentientes, hortati sumus, ne tali tempore quidquam, quod ipsorum officio ac pietate alienum sit, approbent, sed omnia potius patiantur, quam aliquid, quod ipsis indignum sit, committant, et nobilitatem tuam ad hoc idem hortandam esse duximus, tametsi adeo exploratam habemus tuam in fide ac religione Catholica constantiam, ut non tu quidem hortandus sis, sed potius laudandus a nobis, quod te patris tui ac majorum tuorum clarissimorum principum virtute, gravitate, pietate simillimum præstas, quamobrem plurimum confidimus, tua te sponte, quantum in te fuerit, impia eorum consilia et conatus impediant, et tali occasione oblata tuam erga Catholicam Ecclesiam pietatem declaraturum. Quo nihil sane, aut Deo gratius, aut tibi ipsi, tuisque populis salutaris facere poteris, qua de re cum nobilitate tua, nostro nomine, coram etiam aget

¹ 124. Gelenus l. 1. adn. Col. — ² Surius in Comu

¹ Paulus IV. lib. brev. sig. 2891. p. 48.

venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, cui in Poloniam nostro et Sedis Apostolicae nuntio a nobis misso in mandatis dedimus, ut isthac iter faceret, ac serenissimo Romanorum regi, tibi que, et aliis Catholicis principibus, qui isthac sunt, nostrum sensum exponeret, cui nobilitas tua fidem habebit. Datum Romae apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die vi Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

45. Propugnabat acerrime in iis comitiis rem Catholicam Albertus Bavariae dux, quod cum Pontifex multorum fama et litteris Augustani cardinalis accepisset, subjectis litteris¹ pietatem illius extulit gratesque egit :

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto duci Bavariae.

« Incundissimum nobis fuit ex tuis litteris agnoscere studium illud, quod habes a clara memoriae parente tuo, atque majoribus piissimis, et Deo amabilibus principibus haereditarium erga Catholicam religionem et sanctam hanc Sedem, de qua etiam, et aliis litteris tuis ad felicis recordationis praedecessores nostros missis, et ex gravissimis plurium testimoniiis, atque adeo una omnium voce cognoscimus, praesertim dilecti filii nostri Othonis cardinalis Augustani, qui de nobilitate tua ea omnia non cessat praedicare, quae ab optimo et vere Catholico principe possunt expectari, quo nomine, et maximas divinae bonitati gratias agimus, quod in tua virtute, fide, pietate, auctoritate, tam firmum et stabile reliquis, qui in istis partibus sunt, Catholicis populis praesidium conservavit, et tibi ex toto corde gratulamur, cujus pietas inter tot finitimorum principum ac populorum a vera fide aberrantium tenebras elucet atque emicat, atque ut respiciant, et ad sanctam Matrem Ecclesiam revertantur, ipsos admonet, etc. Datum Romae apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die xxvi Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

46. Defendendae etiam religionis causae incumbat Ferdinandus rex Romanorum, sed tanta erat Lutherianorum insania, tantus furor, ut nulla aequitate flecti possent, sed ad confirmandam augendamque rem Catholicam pertinacissimis animis conjurarent, de quibus certior factus Pontifex Carolum imperatorem rogavit, ut auctoritatem suam adhiberet, ne iniqua religioni conciperentur decreta in eo conventu, atque etiam ad Ferdinandum regem daret litteras, de non permittenda Catholicae rei depressione, significaretque, quantum ab impiis consiliis abhorreret, ut iis contra murmura impiorum sese turri possit.

47. *Ex matris obitu Carolus V nimio more confectus in filium transfert maiorem sui principatus partem.* — In Hispania² obit Joanna

regina Castellae mater Caroli V et Ferdinandi imperatorum, quae, extincto Philippo I viro charissimo, adeo effuse ejus mortem luctat, ut de potestate mentis fuerit deturbata; extremo vero affecta morbo, cum jam mentis impos ferme quinquaginta annis vixisset, precibus sancti Francisci Borgiae, qui morienti affuit, restituta menti est, et cum a mentione rerum sacrarum antehac maxime abhorruisset, maxima omnium admiratione Symbolum fidei repetivit, ac Extrema-unctione, abscoto Petro Soto, recuperate ab ea mentis teste, delibuta est; Eucharistiam vero quominus exciperet, in causa tuere vomitus nauseaeque, quibus laborabat, de cujus pia morte pii filii Caesares maximas Deo grates egere eoque solatio dolorem temperarunt.

48. Carolus vero imperator¹ saecularium et militarium occupationum pertaesus, mundo, ejusque negotiis nuntium remisit. Et qua animi magnitudine imperio et tantis se exuerit regnis, describunt fuses Caroli V imperatoris Vita scriptores.

49. Audito Joannae reginae Castellae matris obitu, Carolus imperator gravem adeo inde dolorem traxit, ut oppressus morere sibi quoque proximo temporis flexu mortem impendere opinaretur, necnon vocem matris vocantis ad se filium audire animo fingeret, quod cum Vesalio archiatro valetudinis illius moderandae munus exercenti aperuisset, ille animi agritudinem in corporis vitium ac damnum refundendam interpretatus contraria medicorum assentationibus illudentium agris libertate mortem inde portendi, nec in longiores annos vitam propagatarum significavit, eumque in suscepta opinione urgentis obitus confirmavit, induxitque, ut voluntaria rerum humanarum abdicacione mortem anteverteret : de ea lapsis jam ante aliquot annis sermones arcanos contulerat Carolus cum Francisco Borgia olim duce Gaudiae, quem conculcatus saeculi fastus, illustrataeque miraculis eximia virtutes ad sanctorum numerum et sacros honores extulerunt. Itaque Carolus imperator² ingentibus saeculi curis fessus, et continuis tractandorum armorum molestiis attritus, cum nova semper ex gestis bellis bellorum semina orirentur, ad sacrum otium applicuit animum, seque imperii Romani ac tot regnorum administratione abdicare decrevit : tanta itaque moli subducturus humeros, de bello, quod inter ipsum, et Henricum II Gallorum regem, quod cum paterna haereditate veteres Francisci Primi similitates, quae Europam extialibus motibus concusserant, induerat, trahebatur, componendo egit. Coniunxit operam regiam in pertractanda ea concordiae actione Mariae Angliae reginae, quae Philippo Hispaniarum principi nupserat, demumque hoc anno mille-

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 98. — ² Orland. in hist. Soc. Jesu I. v. num. 23.

¹ Fautian. in hist. Belgiae. sub ann. 1555. — ² Sur. in Annal. hoc anno.

simo quingentesimo quinquagesimo quinto, Caleti Caesarei regique oratores amplissimis instructi mandatis de pace sancienda per multa colloquia inter se contuler, sed cum dissen- sissent animi nimium aversi, quinquennialium induciarum foedera pepigere, inde pacis in- eunda spe concepta. Tunc Caesar exiit ex An- glia Philippo filio meditata imperii abdicac- tionem sensim provocare in opus constituit, indietoque solemni ordinum equitumque auri velleris conventu Bruxellis octavo kal. Novem- bris in maxima aula regia circumsedere jussit, hinc Philippo Anglia, Maximiliano, Bohemia regibus, atque Philiberto Sabaudiae duce, inde Eleonora Galliae, Maria Hungariae viduis, altera- que Maria Hungariae reginisi, praefectum scrip- ti perorare ad Belgiarum ordines, et quae acceperat mandata exponere imperavit. Compendium orationis ejus hoc fuit, Caesarem senio gravem debilitatum adversa valetudine, laboribus frac- tum, tantam rerum molem sustinere non posse memoremque mortalitatis suae ad felicem im- mortalitatem comparandam se accingere, atque adeo Belgii et Burgundiae principatus in Philip- pum filium ferendo oneri parem transfundere. Haec perorantem Caesar assurgens interrupit, ac repetitis magnifice vitae suae gestis Philippum filium pie admonuit, ut Catholicam religionem in iis principatibus tueretur, tum Belgii et Bur- gundiae ordines hortatus est, ut Philippo filio fidem addicerent, constanterque illi obsequerentur.

Interjecto post duorum mensium intervallo, celebratis longe majore procerum frequentia ordinum comitiis, omnium regnorum, provin- ciarum, insularum ac principatum tam in Euro- pa quam in novo orbe, interfluo Oceano dis- juncto jacentium, possessiones ac jura in Philippum filium hoc nomine II traduxit, haec verba praefatus : « Reliqui se filii vitam tradere gaudent, et regna tradituros pollicentur, cum illa amplius tenere non poterint, ego postre- mum hoc donum praeferere mortis necessitati volui, si te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem aspicerem. Commendo tibi divini numinis timorem et amorem, Catholicae Religionis defendenda singulare studium, juris legumque tutelam tanquam reguorum firmis- sima fundamenta ac praesidia ».

Meditabatur etiam Carolus exuere se Ro- mano imperio, ac in illius possessionem Philip- pum filium inducere, cum pro tuenda religione Catholica, ac comprimenda haeresi tot regnis auctus, ac nova reguorum Angliae et Hiberniae accessione intus exercere armorum potentiam facile posse videretur, sed Ferdinandum fratrem regem Romanorum ad suam voluntatem flectere nunquam potuit, cum quo repugnante Lutherani principes sectae suae asserenda addi- ctissimi vires suas conjunxissent : quare tertio

post labente anno Carolus vigesima quarta die Februarii concepta abdicandi se Romani impe- rii juribus firmissima voluntate, missa insigni legatione ad septemviros principes, qui Franco- furti convenerant, Romanum imperium in fra- trem Bohemiae et Hungariae regem jam ante etiam creatum regem Romanorum transtulit, imperiique insignia, adhibito Guillelmo Austra- siae principe, illi transmisit. « Eo die », inquit Surius, « quo in lucem editus fuerat, et quo Bononia anno millesimo quingentesimo trige- simo excurrente a Clemente VII Pontifice imperi- ali corona fuerat redimitus ».

Commendarunt plures Christianam hanc demissionem in Carolo V maximis laudibus, mirati sponte cessisse imperio, qui imperare posset, inter quos Surius¹ hoc factum, ut glo- riosum et multa laude et predicatione dignissimum esset : « Non enim, inquit, debemus nos, qui Christiana religione initiati sumus, in hac re hominum ethnicorum, aut etiam nunc mundo nimis debitorum opinione duci, sed oculos habere defixos in Christum verum Deum ac Domi- num nostrum, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum etiam exinanivit formam servi accipiens ».

Non defuere alii, qui secessum Caesaris im- probarent; cum magis retento imperio, quam a se abdicato, divinae gloriae propaganda, asse- renda religioni, delendae haeresi incumbere potuisset, maxime cum Pontifex instauranda Synodi Oecumenicae consilia agitaret, ac pravi omnino fuit exempli, inconsulto Romano Pontifice, cui sacramento fidem de administrando imperio, deque religione armis defendenda obstrinxerat, munus imperiale abjecisse. Scimus enim, quod cum consultus fuisset Eugenius IV a Pisaurensi principe de abjiciendo principatu, ut in cenobio contemplationi rerum caelestium vacaret, cum admonuit, perfec- tionis Christianae culmen situm in charitate, quam magnificentius exercere posset in gerendo pie principatu. Ceterum Pontifex illius seces- sum damnavit, nec ab eo imperium jure in Fer- dinandum fratrem transferri potuisse contendit ut dicitur inferius.

50. *Haec Caesaris essio, sicut et decretum Dietae Augustanae haereticos et Catholicos in aequa- litate constituens, rei Christianae vitalis.* — Ex infelici promulgato secessu Caesareo Catholica res maximam cladem passa est in Germania, destituti imperiali patrocinio ac praesidio Catholici, qui in principum Lutheranorum terris gerebant, majorique audacia effrati Lutherani moliti sunt in Augustano conventu extorquere vi, ut in Catholicorum principum ditionibus profitenda haereseos ac disseminanda libertas

¹ Sur., in Annal.

permitteretur; sed ea impiorum molimina re-
fregit Ferdinandus rex, tum sacro tuendæ reli-
gionis ardore, tum etiam politicis causis impul-
sus, vereri enim jure poterat, populos supersti-
tione Lutherana imbutos rebellionem moturos,
nec in principis obsequio constantes fore, qui
jugum Numinis excussissent. Idem pius rex ad
informandos erudiendosque Christiana pietate
Bohemos, Pragæ Collegium sacerdotum Socie-
tatis Jesu condidit, Pontificiamque apud sanc-
tum Ignatium adhibuit auctoritatem, ut duos
theologos eruditione florentissimos Pragam mit-
teret, cujus gesta et consilia Pontifex his litteris
commendavit ¹:

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdi-
nando Romanorum, ac Hungariæ et Bohemiæ
regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem
et Apostolicam benedictionem. Cum nuper op-
tatifimum fructum ex virtute, sapientia et pie-
tate tua cepissemus, impeditis a serenitate tua
impiis et perniciosis eorum consiliis, qui in
conventu Auguste id moliebantur, ut hæresis
pestis in posterum ad eos quoque Germaniæ
populos posset serpere, qui adhuc Dei beneficio
integri in veræ et Catholicæ fidei cultu, atque
Ecclesiæ unitate et obedientia permanent, ad
eam fatidiam, quam tum incredibilem cepimus,
non parvum cumulum addiderunt litteræ tuæ,
quas dilectus filius nobilis Bidaeus orator apud
nos tuus nobis reddidit, quibus certiores nos
pro tua perpetua in hanc sanctam Sedem reve-
rentia fecisti, de consilio tuo instituti in urbe
regiæ Bohemiæ Pragæ collegii patrum ejus Socie-
tatis, quæ vocatur Jesu, præterea quod ea
ratione speres, et Dei Omnipotentis gloriam an-
gere, ac populorum illorum salutem consili
posse, rogasque et urges, ut duodecim Patres
ex eo numero, in quibus duo Theologiæ doctores
sint, ad te primo quoque tempore mittantur
quibus jussu tuo domicilium jam et reditus ad
victum necessarios paratos esse scribis; in quo
eximiam et singularem ipsam pietatem tuam
satis digne laudare nequaquam possumus, nihil
enim nec nobis sperari posse his temporibus
videtur, aut Dei Omnipotentis honori et gloriæ
augendæ aptius, aut populis illis in errorum
tenebris et umbra mortis jam diu sedentibus, si
modo veritatis lucem agnoscerent, et animarum
suarum rationem habere voluerint, salutaris;
ad quæ quanta nos in Domino lætitia exultemus,
cum in te tanto rege præter reliquas præstan-
tissimas virtutes, tam sacerdotalem animum
inesse videmus, non ita facile a nobis exprimi
potest. Plurima tu quidem et maxima ab Om-
nipotente Deo beneficia et munera accepisti;
dedit enim ille tibi tot et tam lata regna, quæ
oblines, teque ejus potestatis, quæ regum in

terris omnium potestati antecellit, successorem
designavit; ille inhumanissimos hostes a regnis
tuis maxima tua cum gloria sæpe reptulit, ille
tam præclaram tibi sobolem totque alia dona
largitus est, verum ea temporalia sunt, et simul
cum hac vita relinquuntur necesse est, at vero
tam gratus in ipsum Deum animus, tantum re-
ligionis ejus et gloriæ studium, tanta in com-
missos tibi populos charitas, non solum tempo-
ralia ipsa tibi conservatura tamdiu est, quoad
vixeris, et alia præterea a Dei benignitate impe-
tratura, verum etiam aditum tibi ad ea, quæ
cœlestia et immortalia sunt, ut ad illud æter-
num regnum jam paratum pervenias, patefa-
ctura. Itaque pro nostro in te paterno animo,
hoc nomine serenitati tuæ gratulamur, et Deo
Altissimo maximas agimus gratias. Illuc autem
tuo consilio, cum pro eo ac debemus, faveamus,
teque ad eum, quem tantopere desideras
effectum primo quoque tempore pervenire op-
temus, vocatum ad nos dilectum filium Igna-
tium ejus Societatis magistrum vehementer
hortati sumus, ac mandavimus, ut quamprimum
possit, studio tuo morem gerat, quod ille,
ut debet, diligentissime faciet. Verum quia duo
illi Theologiæ doctores, quos tua Serenitas pe-
scit, qui maxime idonei sunt, ex longinquiori-
bus locis accersendi sunt, et hyems jam subest,
eorum missio in proximum mensem Febru-
arium dilata est. Serenitatem tuam hortamur, ut
hanc brevem moram æquo animo patiat. Datum
Romæ apud Sanctum-Marcum sub an-
nulo piscatoris die vi Octobris MDLV, Pontifica-
tus nostri anno 1 ».

De condito a Ferdinando rege Pragensi col-
legio, apertaque anno proximo Academia agit
Orlandinus ¹, utque e prædicantibus hæretico-
rum celeberrimis duo a Patribus Societatis Jesu
ad Catholicam pietatem fuerint traducti, utque
etiam Christus in Eucharistia Adalberto e Bau-
sech oranti in templo collegii videndum se præ-
buerit ², narrat his verbis: « Adalberti e Bau-
sech (inquit) insignis fuit vocatio, cui in collegii
templo preces ad Deum fundenti, pueri venus-
tissimi specie in sacrosancta hostia Jesus appar-
ruit, roganque, quid ab se vellet, volo (puer
respondit), ut ibi sis, ubi es. Quæ Adalbertus
de ingredienda societate interpretatus, recep-
tusque, divinum visum non statim, sed paulo
post, consolaturus prius propinquos qui ei ne-
gotium facescebant, aperuit ». Atterebat eadem
Societas magnas utilitates Ecclesiæ in cunctis
locis in quibus instituta erant collegia, ac
sanctus Thomas e Villanova hoc anno e vivis
migraturus in cœlum, cum nullam aliam arcam
habere solitus esset, quam pauperum manus,
Valentino collegio maximam pecuniæ partem,
quam habebat in nominibus, reliquit, cum Pa-

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. nom. 2891. p. 136.

² Nicol. Orland. hist. Soc. Jesu l. XVI. — ² Id. l. XVI.

tres Societatis, ut Dei cooperatores, amore singulari prosequeretur. At de his satis. Ad Augustani conventus historiam, unde digressi sumus, revertamur.

Flagitaverat Paulus Pontifex, ut Lutherani Oecumenico Concilio instituto celebrando religionis controversias permitterent, at illi in perfidia obfirmati, Concilium cui Pontifex praesideret repudiarent, nullam, aut Apostolicæ Sedis auctoritatis, aut suæ salutis rationem habentes, quo animadverso Paulus omni studio ¹, et opera, precibusque vehementissimis institerat apud Catholicos principes, ut illibala religionis causa, comitia Augustana dissolverentur; sed Pontificiam voluntatem eludit Protestantium perviciacia, ac demum conceptum est id decretum in eo conventu, ut exclusis cæteris scæcis, ac pacis beneficio mulctatis, Catholici et Augustanæ confessionis cultores mutua concordia potirentur, ac liberis civitatibus fas esset, quam vellet religionem amplecti, facta principibus facultate obnoxios sibi populos ad religionem, quam ipsi profiterentur cogendi: ut episcopis et aliis inferioris ordinis ad Lutheranos delicere liceret, quo tamen casu dignitatis suæ loco moverentur, nec propterea infamiae notam contraxisse censerentur; quo decreto multis nominibus impio Sathanas Germaniæ imperium ex æquo cum Christo divisit. Consensisse in illud Germanos proceres refert Sleidanus, cum nec Oecumenicum, nec nationale Concilium, in quo religionis controversiæ conciliarentur, posset haberi, at ille more suo mentitur impudentissime, cum Oecumenicum offerretur a Pontifice, ut vidimus, nationale autem haudquaquam decebat, ne scilicet controversiæ ad totum imperium Christianum spectantes ab una, eaque tum suspecta, natione dirimerentur. At Lutherani nunquam Oecumenicum, in quo totius Ecclesiæ princeps praesideret, sed impiorum conventiculum voluere, in quo hæretici, excluso Pontifice, dominarentur, quod Christianum dicere, cum dici Sathanicum debuisset, et hoc concordiae genus omni bello funestius flagitarunt, quo Catholica oves a summo pastore deficerent. Oecumenicum voluisse toties patuit, quos celebratum est Tridentinum, nec illud admittere voluerunt. Porro superius decretum ea parte plane impium extitit, qua Catholici, qui in hæreticorum difione erant, imperiali patrocinio destituti sunt, de quo conquestus est Paulus ² apud Ferdinandum hæc litteris, ac Zachariam Delfinum internumtium pro re Catholica promovenda transmisit:

51. « Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Romanorum ac Hungariæ et Bohemiæ regi illuſtri.

Charissime in Christo fili noster, salutem

et Apostolicam benedictionem. Satis superque jam experti sumus, quam aut legati aut nuntii isthuc nostri parum apud eos proficiant, quorum obduratum est cor, et qui non modo nostræ, atque hujus sanctæ Sedis auctoritatis, sed suæ ipsorum salutis nullam rationem habent, adeo ut nobis potius timendum sit, ne infelicissimi illi in reprobum sensum a divina ultione penitus tradantur, quam ut nulla nostra opera redigi ad sanitatem possint. Vidit serenitas tua quanta nos et nostri proximi prædecessores cura et sollicitudine, quibusque apud omnes officis procuravimus, ut conventus Augustanus potius religionis rebus intactis dissolveretur, quam ad recessum veniretur tam perniciosum, sicuti, et nobis, et tuæ serenitati, et Catholicis omnibus invitis, tandem ventum est, aliusque interea indictus conventus, ut ne differatur diutius quin ipsi ac provincia ista nobilissima ad extremum exitum adducatur. Sed quanto ii suo ab officio longius discedunt, tanto nobis in nostro constantius permanendum est, et quo major est illorum potentia et vis, eo imbecillitati nostræ, dummodo fidei, spei, et charitati innitatur, ac divina in primis potestate, securius confidendum, quæ humilia sublevat et fortia quæque confundit: quare nos venerabilem fratrem Zachariam nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium isthuc remittimus, ut quæ quidem ad communem inclytæ istius nationis salutem, fideique Catholicæ causam attinet, imminentiſſimis malis eis tecum remediis occurrat, quæ prudentiæ tuæ et eorum, qui nobiscum religionis ac Dei partes tulerunt, opportuna videbuntur, quod vero ad res tuas et nostras privatim spectat, non minus tibi quam nobis operam suam te penes navare possit, quæ cum (ut etiam ex litteris tuis intelleximus) æque tibi ac nobis grata sit, publicis autem negotiis ob ejus tum fidem et virtutem maxime utilis, tum ob rerum istarum peritiam, valde necessarium tibi, tam libenter restituimus, quam abs te receptum tibi non dubitamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die xxv Decembris mdxv, Pontificatus nostri anno 1^o ».

52. Non deerat quidem Ferdinando animus tuenda asserendæque religionis ³, sed minus pollebat viribus pro ea in principatibus hæreticorum defendenda, nam in sua difione comode et opportune usus est superiori decreto pro hæresi excindenda, quo ducentos et amplius Lutheranos ministros, ut vocant, veros, inquam, Sathanæ ministros, qui communionem Cæcis præbebant laicis, Bohemiâ dispulit, atque ita Calixtinorum Pighardorumque reliquæ e Bohemiâ excisæ penitus fuerunt: tum compositum a Petro Canisio, Societatis Jesu

¹ D. 1218, Françoise, Behar, I, xxvi, num. 63. — ² Paul. IV, lib. lxxv, sitio, num. 2891, p. 160.

³ Jacob. Aug. Thuan. I, xvi.

præstantissimo theologo, Catechismum, quo omnes Lutheranae tenebrae disculiebantur, Catholica eruditionis puritate radiantem, per omnes ditiones hereditarias, proscriptis ceteris, quorum plures ab hereticis facti erant, doceri præcepit. Cum vero eodem Augustano decreto indictus esset alius conventus Ratisbonæ, extimuit Pontifex, ne in illo Lutherani, quorum omnia studia ad evitentandam religionem conspirabant, quippiam novi molirentur, quare exeunte anno Germania episcopos monuit, ut conjunctissimis studiis interitisque animis adversus hæreticorum conatus sese opponerent, qui in Augustanis comitiis sacrilego contemptu fidei Catholicae dignitatem labefactarant, quo argumento extant hæc ad episcopum Passaviensem litteræ ¹:

« Venerabili fratri Wolfgango episcopo Passaviensi.

53. « Inter ea, quæ nos gravissime premunt, illud est in primis, major isthic in dies fidei Catholicae contemptus atque imminutio, nam quid alienius ab ea potuit deliberari, quam quæ in Augustæ proximi conventus recessu decretum fuisse accepimus, quidve tam turpi exemplo, tantaque impunitate, ac licentia in Ratisbonæ dieta jam indicta non a nobis formidari? Sed si nullam jam in multis, in iis tamen, in quorum numero tu es, spem maximam habemus, atque ante omnes Domino Deo nostro confidimus fore, ut hæc prava consilia ipsismet consultoribus, nisi ad se tandem redierint, futura sint infelicissima, si modo accuratus in posterum, præsertim ab Ecclesiasticis, constantiusque resistatur, quam nunc a nonnullis factum esse audimus, qui tam facile in sententias tam impias dilapsi sunt, sicuti pro certo habemus fraternitatem tuam pro suo boni pastoris officio præclare præstaturam, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die xviii Decembris m^olv, Pontificatus nostri anno i^o ».

Non immerito Ratisbonensis conventus suspectus erat Pontifici, nam in illo iterum Lutherani, specie concordiae, Catholicos a Romani Pontificis obsequio divellere conati sunt, sed eorum fraudes divina ope disjectas visnri sumus. Qui vero petulantissime jaclabant se concordiae cupidissimos, a vera concordia abhorrebant, cum Lutheranorum non alia vera atque expressa esset concordia, quam ut ipsi, proscriptis suis figmentis, Concilii Œcumenici decreta amplecterentur, quæ cum fastu tumidi respuerent, novæ ac novæ hæreses apud eos emerse-
runt.

Inter hæc ², ut scribit Roverus Pontanus, Judocus Velsius Balavus, qui, uti superius diximus, Coloniae Ecclesiam invisibilem, et alia in-

sulsa confinxit, conjectusque in carcerem divino se numine afflari jactavit, tum de genio familiarum, seu verius Cæcodaemone gloriatus est, proptereaque in exilium pulsus fuit, cum Francfordiam se contulisset, ut Zuinglianum rejectus est. Pelnus etiam Richerius ex Carmelita apostata, Calviniano infectus veneno, nova conflavit dogmata, Christum in carne adorandum negavit, atque Canam Dominicam omnino sustulit, quod diceret carnem non prodesse quidquam, atque etiam cum Marcione resurrectionem mortuorum negare visus est. Plurimique alii alia, atque alia commenta excogitavere, quæ adumbrasse videtur liber Job de Leviathan loquens ³: *Corpus illius nempe hæresis quasi sicuti fusilia, compactum squatis se preventibus.*

54. *Constitutionem edit Paulus IV ad hæreticos comprimentos.* — Ad compescendam tot nascentium variarum hæreseon infelici hoc sæculo licentiam, impiosque justis ponis coercendos Paulus IV Pontifex subiectam constitutionem ² edidit VII idus Augusti.

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum quorumdam hominum pravitas atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, ut ex eis, qui a Catholica fide aberrant et desciscunt, plurimi quidem non solum diversas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, et eorum exemplo multas in interitum animas deducant: nos cupientes pro nostro pastoralis officio et charitate hujusmodi homines, quantum cum Deo possumus, a tam gravi et pestilenti errore avocare, ac cæteros, ne in talem impietatem labantur, paternam severitate admonere, omnes et singulos qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt Deum Omnipotentem non esse trinum in personis, et in composita omninoque indivisa unitate substantiæ, et unum unamque simpliciter divinitatis essentia, aut Dominum nostrum Jesum Christum non esse verum Deum, ejusdem substantiæ per omnia cum Patre et Spiritu sancto, aut eundem secundum carnem non esse conceptum in utero Beatissimæ semperque Virginis Mariæ de Spiritu sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Joseph; aut eundem Dominum ac Deum nostrum Jesum Christum non subsistere arcerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis et ab æterna morte redimeret, et Patri ad vitam æternam reconciliaret: aut eandem beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec persistisse semper in Virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, et perpetuo post partum, ex parte Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Apostolica auctoritate requirimus et monemus, quatenus infra spatium trium mensium a publicatione præsentium in Romana Curia, quoad residentes

¹ Paulus IV, brev. 1. p. 166. — ² Vid. Spöndan. Histoires de sectes Evang. Guall. Sæc. XVI. c. 63.

³ Cap. 41. — ² Bull. in Paul. IV. const. 5.

in ea, modo infrascripto, extra eam vero, quoad alios in illa non residentes modo et forma per diocesanos statuendos, facienda, incipiendum, quos pro primo, secundo et tertio ac pe-remplorio termino, ac monitione canonica eis, et eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus et credulitate hujusmodi, ac quibuscumque aliis in fide predicta erroribus, in quos haecenus lapsi sunt, resipuisse, et ad unitatem Ecclesiae redemdo in manibus inquisitorum haereticae pravitatis civitatum et locorum, in quibus ad praesens degunt, realiter et cum effectu abjurasse, et infra alios tres menses, a die abjuratonis hujusmodi inchoandos, de eadem abjuratione venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus dicte haereticae pravitatis inquisitoribus plenam fidem fecisse debeant, etc. »

Resipiscentes, ejurata haeresi, venia donari jussit, dummodo delati, aut inquisiti, aut relapsi non forent, in pertinacia vero obfirmatos constitutis in relapsos poenis affici. « Datum Romae apud Sanctum-Marcum an. Incarnat. Dominicae MDL, VII idus Augusti, Pontificatus nostri anno I. ».

55. *Irrepenti in Poloniam haeresi obstisit Paulus tum per nuntios, tum per litteras hortatorius ad regem, praevalens et magnatus Polonos.*

— Grassari in Polonia hoc anno liberius haeresis cepit, ac nonnullos proceres nonnullaque loca vehementer corrupit, quam ab emissariis Joannis Calvinii, qui Caliphium Gebennensem agebat, illatam refert Guillelmus Roussens ¹ doctor Sorbonicus insignis, atque hanc novarum impietatum accessionem, omnium haereson fuisse deterrimam, narrat :

« Non aliter (inquit) quam omnes haereses Christianae fidei lethalia sint venena, eamque tandem extinguant, sed alia tardius, alia velocius, tum Calviniana est reliquis multo violentior, et non tantum si intra medullas et viscera admittatur, verum etiam si vel exterius corpori adhaereat et adjungatur, inevitabilem affert pestem et interfectionem, cujus rei illustrissimum Poloniae regnum super Christianis omnibus regibus et populis singulare praebuit exemplum : ad illud enim a Catholica fide averendum et Calviniana haeresi imbendum, cum suos quosdam discipulos emisissent e Tiguro et Geneva Bullingerus, Calvinus et Beza, iique post promulgata vulgaria illa magistrorum placita contra papam, Missae Sacrificium, honorum operum necessitatem, preces pro defunctis, Purgatorium, etc. ad alia magis recondita progredirentur, non esse Trinitatem, Christum non esse Deum, sed merum hominem, non Redemptorem, sed philosophum, datum nobis in hunc dumtaxat finem esse, ut esset recte vivendi exemplum

ad imitationem positum, Spiritum sanctum non esse Deum, nec habere hypostasim, etc. brevi spatio decem aut duodecim annorum in eum statum regnum illud olim Christianissimum redegerunt, ut nulli Protestantes valde dubitarent ne excuso Christi nomine ac fide, aperlam facerent Mahometi et Alearani Turcici professionem ». Et infra :

« Et si quis Catechismos eorum publica auctoritate, non quidem regis et universi populi, sed particularium palatinorum, et Ecclesiarum Calvinisticarum emissos evolvat, in quibus Symbola Niceni, et Constantinopolitani Concilii rejiciebant, Athanasium et illos omnes veterum comitorum Patres, uti Sophistas contemnebant, illa omnia decreta de consubstantiali, essentia, hypostasi, uti sophistica et ab hominibus extra Scripturas inventa, repudiabant, et denique perspicue verbalitumque preclitebantur, is nunquam dubitabit, quin per paululum ab ipso Mahometis Alearano suscipiendo, abfuerint ».

Et quinam hujus in Polonia Mahometismi principes et Apostoli fuerunt ? Bernardinus Ochinus, Valentinus Gentilis, Paulus Alcuius, Georgius Blandrata, et Petrus Statorius, quem Calvinus suum aliquando discipulum vocat, juvenem bono ingenio et non contemenda doctrina praeditum.

Horum alii erant Galli, alii Itali, omnes et singuli Calvinistae, et in Calvinii schola enutriti, et e Geneva Tiguroque in Poloniam profecti, et Calviniana doctrinae ad unguem peritissimi.

56. Infectae haeresi Poloniae tristi fama periculis Paulus, ad restringendas eas faces, ne gravius incendium concitaret, Moysium Lipomanum episcopum Veronensem, pietate atque eruditione conspicuum, amplissimis instructum mandatis internumtum in Poloniam misit, ad quem extant subjectae datae litterae ¹ :

« Venerabili fratri Moysio episcopo Veronensi,

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Fortasse fraternitas tua ob perpetuam suam pro religione Christiana fideque Catholica in rebus his vigilantiam non minus quam nos audivit, in Poloniae regnum nobilissimum, nulla ante macula infectum, pravitatis haereticae contagione ita nonnullis in locis serpente coepisse, ut nisi aliquod remedium, atque illud quidem praesens adhibeamus, vehementer timendum sit, ne natio illa universa corrumpatur, atque in id morbi genus facile incidat, quod, ut optime novit tua fraternitas, aut nunquam, aut raro sanari possit, quare cum videamus maxime necessarium esse, ut illine aliquis mittatur, qui non solum nostro, et Sanctae hujus Sedis nomine, sed sua etiam virtute, doctrina, pietate huic malo mederi, et possit, et

¹ Guili. Boss, in Comm.

¹ Paulus IV lib. brev. sig. num. 2891, p. 15.

sciāt, nemo nobis adhuc in mentem venit, qui ad hanc enationem, te vel aptior vel promptior esse videatur vel in cuius erga nos atque ipsam Sedem studio, diligentia, fide conquiescere tuius possimus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die xiii Junii mōlv, anno 1 ».

57. De misso in Poloniam internuntio certiorum fecit regem Poloniæ¹, significavitque, se non impare ac Julius III et Marcellus II fidei ac pietatis studio ardere, ac si eorum sacra studia hæreticorum improbitas hactenus elusisset, firmam se in Deo ac regia pietate spem collocasse, ut demum Polonia ab hæreticorum impietate et corruptione vindicanda sit: proposuitque ob oculos, quantum periculum Poloniæ regno conflaretur, quantas turbas et seditiones inducta nova superstitione paritura esset, ac si quando ea discrimina non formidaret, intelligeret tamen de divina agi gloria, deque æterna animarum salute, quas hæresis et sinu Ecclesiæ ereptas ad castra Sathanæ, et nunquam intermoritura supplicia traducebat, rogavitque ut internuntium pro Dei honore et regia dignitate, et Polonorum salute audiret.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo filii noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex pluribus et gravissimis, quibus afficimur curis, hæc nos præcipue sollicitat, ut nobilissimum istud regnum tuum, quod pravorum hominum, et depravare alios ac corrumpere cupientium opera humani generis hostis, ut intelleximus, perturbare, et hæresum labe polluere ac contaminare cepit, in Catholica religione, et fide, Ecclesiæque unitate contineamus, quando ei malo, nec Julius, nec Marcellus felicis memoriæ Pontifices, quibus, ut divine voluntati placitum est, nos successimus, morte præventi, ea, quæ cogitaverant remedia, adhibere potuerunt; itaque venerabilem fratrem, Aloysium episcopum Veronensem, virum integerrimum, et rerum usu doctrinaque præstantem, una cum aliquot maxime piis et doctis hominibus, nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium illic misimus, cupientes animarum salutem simul et regni tui, quod non minore in periculo versatur, paci et quieti, stabilitati pro nostro pastorali officio, et pro paterno in serenitatem tuam amore consulere, nullum præterea officium remediumque omissuri, quod prodesse vobis posse cognoverimus. Etsi autem non sine maximo dolore nostro malum non parum auctum et corroboratum esse intelleximus, tamen nostram in primis spem et fiduciam in summa Dei misericordia ponimus, deinde tuæ, charissime filii noster, pietati prudentiæque confidimus: cum enim ex piissimis ortus parenti-

bus in Catholice fidei et religionis cultu, et matris Ecclesiæ sinu educatus sis, non dubitamus, quin non modo in ea fide, in qua baptizatus es, quamque et a majoribus tuis accepisti, et adhuc retinueris, sis mansurus, verum etiam omnem operam daturus sis, ut sparsa isthuc ab inimico zizania extirpentur, religioque in pristinum statum restituatur, etiamsi ab hæresibus, et religionis ipsius perturbatione, nullum ad te et regnum tuum incommodum esset perventurum: cum vero ipso rerum usu et recentibus exemplis intellectum sit, quot calamitates, quot tumultus, quantam rerum omnium civilium confusionem principibus et nationibus afferat religionis et divini cultus perturbatio, ipsa quoque regni tui salutis, et publicæ pacis, ac tranquillitatis ratio cogit huic pesti, dum recens est, mederi, et adversariorum adeo perniciosos conatus, antequam plus roboris et firmitatis assumant, reprimere; omne enim malum in ortu ipso facile extinguitur, inveteratum vero et confirmatum difficillime tollitur: sed cum nec confirmatione nostra pietatem tuam egere arbitremur, nec hortatione prudentiam, nec desint tibi, qui fidelia et recta consilia dare possint, illud abs te petimus, ut ipsum nuntium nostrum, qui cum pro Dei honore, tum etiam pro tua laude, et regni tui salute, tam longum iter et tot labores suscipere minime recusavit, ita excipias et tractes, ut te pro tua et majorum tuorum erga sanctam hanc Sedem observantia, nostroque in te paterno animo facturum confidimus, eique ut viro optimo, et Serenitatis tuæ studiosissimo, ut nobis ipsis, fidem habeas. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die xiv Augusti mōlv, Pontificatus nostri anno 1 ».

58. Monita etiam est Bona¹ regis Sigismundi mater, ut filium ad defendendam religionem, regique constantiam hæreticorum infringendam proterviam incitaret, atque ad id tum regni cælestis comparandi pius ardor, tum terreni retinendi, atque ab intestinis bellis vindicandi amor pervoveret.

« Charissimæ in Christo filie nostræ Bonæ, reginæ Poloniæ, viduæ illustri, etc.

« Magnam in primis spem in ipsius Dei misericordia repositam habemus, deinde in tua et serenissimi regis filii tui pietate et prudentia, minime dubitantes, quin serenitates vestræ, quod Catholicorum munus est principum, tali tempore fidem religionemque Catholicam forti et constanti animo defensuræ sint contra miserorum quorumdam hominum conatus, nec pluris regnum ipsum, quam Dei gloriam et animarum suarum salutem sint æstimaturæ: ad quam quidem adhibendam constantiam, si non cælestis vos regni cupiditas incitaret,

¹ Paulus IV, lib. brev. sig. num. 2891. p. 106.

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 107.

at ipsius temporalis regni amor hortari deberet; nihil enim tam perniciosum regnis, neque tam pestiferum esse, quam hæreses et schismata, declarant Germaniæ, finitimæ vobis provinciæ, plurimæ et maximæ calamitates, in quas propter suam ab Ecclesia Catholica et hac Sancta Sede alienationem incidit, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Aug. MDLV, Pontificatus nostri anno 1^o.

59. Sollicitati sunt præterea a Paulo IV¹ Poloniæ præsules, ut muneri suo in abigendis plectendisque hæreticis, incorruptaque fidei puritate, quam acceperant a majoribus, assenda, non deessent, significatque est illis, jam antea famam ingravescentis in Polonia hæreseos ad Julium III ac postea ad Marcellum II pervenisse, atque ab iis, antequam e vivis migrarent, mittendi interuentii suscepta fuisse consilia, quæ morte eorum immatura fuerint oppressa, sed divina jam ope a se instaurata: rogarique a se ipsos, ut ad aberrantes tot animas, inque æternum exitum præcipites ruituras in viam salutis revocandas studia omnia viresque conjungerent.

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo, Gnesnensi primati, et aliis archiepiscopis, episcopis et prælatis regni Poloniæ.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Non multo antea quam felicitis memoriæ Julius III Pontifex maximus ex humanis excessis, audiveramus ab eo, quo tunc in metu rex vester serenissimus, et vos omnes essetis, ne regnum vestrum nobilissimum, et usque in illum diem immaculatum hæreticæ pravitatis labe inficeretur, seque propterea isthuc nuntium esse missurum, qui antequam morbus invalesceret, remedia necessaria posset adhibere. Postea cum ad novi Pontificis electionem conveniret essemus, non sine gravi nostrum omnium molestia ex litteris nonnullorum cognovimus, hæresim ipsam jam inter aliquos ex vestris ita irrepere, ac ceteros omnes sic perturbare coepisse, ut nulla spes apud vos, præterquam in Deo ipso atque in hac sancta Sede relicta esse videretur. Quamobrem felicis item memoriæ Marcellus II in demortui locum successit, jam omnia procurari mandaverat, ut nuntius ipse mitteretur, sed morte illius subsecuta, nihil hunc usque in diem fieri potuit: nunc cum divina voluntas, cujus nobis non datur nosse iudicium, personam nostram potissimum reliquis fortasse multo infirmiorum ad hoc onus referendum ei substituerit, inter alia Christianæ reipublicæ incommoda veræque religionis pericula, vestri nobis in primis in mentem venit, ac ne quid spei illius, quam merito in

Romano Pontifice Sedeque Apostolica collocatis, quantum in nobis fuerit, fallatur, ad charissimum in Christo filium nostrum regem vestrum, et ad vos eum nuntium mittimus, videlicet venerabilem fratrem Aloysium episcopum Veronensem, vobis, ut putamus, non ignotum, eosque homines cum eo, qui ut in Domino confidimus, et doctrina, et pietate, et huiusmodi pro Christi certaminibus maximo vobis adjumento erunt. Ac si forte non ita profuerint hi, nihil intentatum præterea relinquemus, quo non minus regno vestro, et omnibus vobis consulatur, quam cæteris regnis atque orbi Christiano universo consuli optamus. Postquam enim est ea Dei voluntas, ut hæc a nobis cura suscepta sit, par est, et a nobis debitum, ut ei dies noctesque morem geramus, nihilque prius cogitemus, quam ut et religio, et pax, quas Dominus noster Jesus Christus, usque adeo nobis commendatas reliquit, tamdiu apud omnes procurentur, ut aliquando tandem utraque perfrui possimus. Interim fraternitates vestræ pro suo erga nos et Sedem hanc sanctam studio bonitatem divinam precabuntur, ut huic nostro desiderio, et adesse ipsa, et principum Christianorum, et bonorum omnium ea consilia et vires velit adjungere, quibus ad gloriam suæ majestatis, ac suorum fidelium salutem ei possit satisfieri: quodque ad res vestras attinet, ita nostram et quorumvis opem expectabunt, ut nec sui officii, nec suæ virtutis unquam obliviscantur, dum eos in rectam semitam reducant, qui ab ea tam misere ac perditè aberrant. Nos vero vos eo semper paterni animi affectu, et in communi, et privatim amplecturi sumus, quem vestra religio, et virtus, perpetuaque in eandem Sedem fides atque observantia merito exposcit. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Augusti MDLV, Pontificatus nostri anno 1^o.

60. Hortatus etiam est Pontifex¹ Palatinos, arciumque præfectos, et regios senatores, ne hæresim in animarum perniciem grassari paterentur, tum privatis aliis litteris Nicolaum Gnesnensem, tum Leopoliensem, Andream Cracoviensem, Joannem Pramisiensem, Paulum Wilnensem, Valerianum Lavoriensem, Wenceslaum Mednicensem, Joannem Wladislaviensem, Stanislaum Warmiensem, Leonardum Cimeensem, Jacobum Chelmensem, necnon Culmensum, Andrussoviensem, et Kioviensem episcopos ad vigilias pro Christi grege intendendas arcendosque hæreticos incitavit.

61. Aestuabant gravissimis curis Polonia præsules, cum hæreses faces illi regno injectas viderent, quæ majora incendia minabantur, terrebantque vicinarum provinciarum ab hæresi

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2591

¹ Pag. 108. lb. p. 109 et seqq. Pag. 116.

invectæ calamitates, dumque inter se pro restringenda erumpente impietatis flamma varia agitant consilia, de celebranda totius Synodo, in qua motas controversias definirent, deliberarunt: at deinde ob rei gravitatem consulendam esse Apostolicam Sedem statuerunt, atque archidiaconum Casiliensem ad Pontificem mittendum decrevere, qui infelicem Polonia statum exponeret, atque opem et consilium exposceret. Quibus respondit Paulus: In nationis unius Synodo controversias fidei non esse dirimendas, sed in Concilio Œcumenico, cuius congregandi maximum a se conceptum desiderium significavit, atque ad id in opus perducendum omni studio et opera incumbere, ut inter Cæsarem regemque Francorum pristinam pacem redintegraret; interea ipsos hortatus est, ut in exercendo pastoralis munere vim sui in Deum amoris explicarent, clementia uterentur erga eos, qui, ejurato errore, in gremium Ecclesiæ redirent, iis vero qui a recta fide alios dividere conabantur, acerrime et constantissime se opponerent, nec ullius discriminis metu a frangenda eorum pervicacia absterent, suamque spem in Deo collocarent¹:

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo Gnesnensi legato nato et primate, aliisque archiepiscopis, episcopis et praelatis regni Poloniæ.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Isthuc, ut putamus, jam pervenire potuerat venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, noster et Sedis Apostolicæ nuntius a nobis missus, quod ita, et fraternitates vestras desiderare, et rem ipsam postulare, cognoveramus, cum ad nos cum litteris et mandatis vestris venit dilectus filius Franciscus Ecclesiæ Casiliensis archidiaconus, qui diligenter admodum nobis exposuit quantopere malum isthic auctum sit, et quanto in discrimine vsetur Ecclesiarum vestrarum salus; qua ex re, quanto dolore et sollicitudine affecti simus, non facile dixerimus. Quod fraternitates vestræ tali Ecclesiarum tempore ad Sedem Apostolicam sibi confugiendum putarunt, in ea re nos minime spem ipsarum fallimus, neque nostro officio deerimus. Verum enitamar, ut ipsarum Ecclesiarum et nobilissimi regni salutem, omnibus, quæ apta et opportuna visa fuerint, et quæ a nobis potuerint proficisci remediis, consulamus. Nam illud quidem, de quo actum fuerat, ut Concilium vestræ nationis episcoporum isthic haberetur, ad componendas de fide et religione controversias, nullo modo a nobis probari potuisset. Itaque fraternitates vestræ prudenter admodum, et pro sua erga Sanctam hanc Sedem reverentia fecerunt, quæ rem totam ad ipsam Sedem Apostolicam rejecerint, neque

enim in Conciliis provincia aut nationis alicujus de fidei religionisque Catholicæ dogmatibus disceptari ac statui quidquam, vel majorum nostrorum instituta, vel juris ratio et sacrorum canonum decreta patiuntur, de his enim rebus in Œcumenicis generalibusque Conciliis agendum et decernendum est, ut quæ ad omnes pertinent, ab omnibus approbentur. Cum autem ejusmodi generale Concilium in urbe Tridentina haberi cœptum, bis jam propter objecta impedimenta intermissum fuerit, ut congregari id denuo ac perfici, Deo juvante, possit, ut optamus, ad tollendas omnes eo remedio hæreses et schismata, in eam curam, quemadmodum necesse est, incumbimus, ut pacem inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem, et Henricum Gallorum regem conciliemus, neque desperamus actioni huic nostræ divinam misericordiam optatum esse exitum concessuram, et utrumque eorum principum non defatigatione solum, et diuturnitate belli, sed sui etiam officii recordatione, et quietis et salutis regnorum suorum causa, nostris paternis consiliis esse obsecuturos. Interea vero expectabimus vestras et nostri nuntii litteras, ex quibus quid actum isthic post ipsius adventum, quidque rebus inter illum et fraternitates vestras communicatis constitutum fuerit, cognoscamus, non dubitantes quin illius virtus et prudentia magno vobis solatio et usui sit futura: tunc autem nos quoque commodius statuere potuerimus, quid a nobis agendum sit. De questionibus autem a vobis exerceri cœptis adversus eos, qui ob crimen hæresis in iudicium sunt vocati, hortamur fraternitates vestras, ut si illi errores suos agnoverint atque abjuraverint, vos Christianæ mansuetudinis et clementiæ memores, illos absolvatis, pertinacibus vero, et aliis, qui eos, qui integri sunt, corrumpere, et a recta fide, et matris Ecclesiæ obedientia abducere conantur, acriter resistendum; est hoc enim, est tempus quo gregis Domini partes vobis commisse, vestram pastorem vigilantiam et sollicitudinem maxime implorant, et quo vos illos defendendo, et gratiam ab æterno pastore maximam initis, et vestræ ipsorum salutem simul consulitis, quamobrem nobile ullius periculi metu ab eorum defensione ac officio vestro deterreri, spem habentes in eo, qui Ecclesiam suam nunquam deserit, eamque non levioribus quam hoc tempore, tempestatibus alias agitatum concessamque servavit, qui vobis officio vestro acriter seduloque fungentibus, aderit, nec plus luporum savitiam ad ovium suarum perniciem, quam pastorum charitatem ad earum salutem valere patietur; pro labore autem brevi æterna vobis præmia retribuet: a nobis vero omnia auxilia expectate, quæcumque ad sublevandos labores charissimorum fratrum nostrorum pro Dei

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891, p. 138.

honore et animarum salute laborantium, Deo ipso adjuvante, offerre poterimus. Datum Romae apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die viii Octobris M^oLV, Pontificatus nostri anno 1^o.

62. Irrepti fuerunt plures haereseos laqueis, non tam improbitate, quam imprudentia, atque imperitia, vel etiam pietatis specie ab hypocritis nefandissimis, qui divina oracula foedissime distorquebant subornati, sed deinde veritatis luce collustrati ad castra Ecclesiae transvolare cupiebant, quorum infelicitate ad misericordiam flexus Pontifex¹, Gnesnensi archiepiscopo munus demandavit, ut eos tum laicos, tum Ecclesiasticos, ac prophana vel sacra dignitate auctos, censurarum religione solutos, Ecclesiae conciliaret.

« Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Quoniam sicut nobis innotuit, in tua ac suffraganeorum tuorum civitatibus ac diocesis, quamplures utriusque sexus Christi fideles, humana fragilitate permittente, in damnatas et pestiferas Lutheranas et alias haereses prolapsi, et illis infecti, ac diversis excessibus immersi, proprios excessus recognoscentes, posthabitis erroribus ad sanctae Matris Ecclesiae gremium redire desiderent, et veniam postulent; nos, qui Salvatore nostro Jesu Christo eos, quos a veritatis et iustitiae limitibus humani generis amulus suis suggestionibus divertit, acceptabiles reddere toto nisu exquirimus, et salubri directioni ac salutis animarum singulorum Christi fidelium, quantum cum Deo possumus, favorabiliter consulimus, fraternitati tuae, de cuius bonitate, fidei zelo et devotionis sinceritate specialem in Domino fiducia habemus, quoscumque utriusque sexus Christi fideles, tam saeculares laicos quam Ecclesiasticos, et quorumvis Ordinum religiosos, cuiuscumque Ecclesiasticae et mundanae dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, civitatum et diocesium praedictarum, aut in illis commorantes, Lutheranas aut alias nefarias haeresibus respersos, et ad veritatis lumen redire, ac haereses huiusmodi abjurare volentes, si desuper ab aliis, ad quos spectat, inquisiti non fuerint, et id humiliter petierint, et alias relapsi non sint, receptis prius ab eis abjurazione haeresum huiusmodi publice vel secreto, prout tibi expedire videbitur, legitime facienda, ac juramento, quod talia et similia deinceps non committent, nec ea committendi, aut illis adhaerendi auxilium, consilium vel favorem per se, vel alium seu alios praestabant, per eos praestandis et restitutis bonis prius, si quae ab Ecclesiis seu Ecclesiasticis bonis occupata delincent, ab huiusmodi haeresibus, necnon anathematis, majoris excommuni-

cationis, aliisque sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis per eos propterea ineursis, auctoritate Apostolica, alias in forma Ecclesiae consueta, absolvendi ». Et infra: « Potestatem et facultatem concedimus. Datum Romae apud S. Marcum die viii Octobris M^oLV, anno 1^o ».

63. Hoc ipso tempore ad discutiendas haereticorum argutias, qui Poloniam impia sua deliramenta pro expresso Dei verbo venditabant, Stanislaus Hosius¹ Episcopus Warmiense, postea cardinalis, pium atque eruditum Commentarium edidit de expresso Dei verbo, quem Poloniae regi dicavit, his litteris ad eum datis operi- que praefixis, in quibus atque in opere solam Ecclesiam audiendam, Scripturarumque corruptelas spernendas demonstravit:

« Serenissimo principi et domino domino Sigismundo Augusto, Dei gratia regi Poloniae, magno duci Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae Samogitiaeque domino et haeredi, domino suo clementissimo, Stanislaus Hosius episcopus Warmiense orationes et obsequia sua vehementer commendat.

« De expresso Dei verbo, ut aliquid ad te scribere aggrededer, Sigismunde rex Auguste, fecit effrenata nostri temporis haereticorum audacia, qui, quamvis ipsi mirabiliter inter se dissecti, sic illud nihilominus certatim ad se singulae sectae rapiunt, sic sibi solis usurpant, ut ejus possessione, cum alios omnes quotquot ab ipsis dissentiant, tum Catholicos etiam et Orthodoxos excludere conentur. Tanta enim est istorum hominum arrogancia, tanta sui oblitio, ut alios omnes stupidos et bardos ac truncos esse, nec in Scripturis videre quidquam, se vero solos sapere, se solos esse persuasum habeant, qui sint veram eorum intelligentiam assecuti. Estne autem verisimile, ubi tantus est animi tumor, tanta mentis inflatio, quod ibi possit esse spiritus ille, qui non requiescit, nisi super humilem, et mansuetum, et trementem sermones suos? » Et post multa:

« Quamvis celebris fuerit aliquis Ecclesiae doctor, nisi fuerit in medio Ecclesiae, nisi cum Ecclesiae sensu consenserit, os ejus Deum non aperuisse certum est: De Deo autem loquitur, non quicumque Scripturas quomodolibet proferat, sed qui Scripturas non suo proprio, sed omnium, hoc est, Ecclesiae Catholicae, sensu proferat, atque hoc est, quod proprie dicitur Verbum Dei, quando Scripturae verbis non proprius adstruitur sensus, verum is, qui omnium, qui Ecclesiae Catholicae est, quem eundem esse Dei sensum, ambigendum non est. Sic annotata a Socrate legimus², quod imperator Constantinus omnium eorum qui convenerant in Concilio Niceno sententiam, Dei vocat sententiam,

¹ Paul. IV, lib. brev. sig. mun. 2892, p. 189.

² Stanislaus Hosius ep. Warmien. p. 2. — ² Lib. 1. hist. Eccles. c. 9.

vox enim Ecclesiae vox est Dei, per illam loquentis ».

64. *Antonium Navarrae regem laudat Paulus ob fidem Catholicam.* — Obiit hoc anno Pali in Bencarnia Henricus Navarrae rex, a Ferdinando Catholico rege Hispaniarum maxima regni parte, obfectus, quo Ludovico XII Galliae regi junctus erat, jamdiu orbatus, quo titulo Carolus V ejus regnum retinuit: ex concepto vero in Romanum Pontificem odio, aliquando in fide titubasse fertur Henricus, sed tamen in communione Ecclesiae Catholicae vitam clausit; at Joannam filiam Antonio Borbonio nuptam, regni et aliorum principatum haereditate reliquit, quae latenter haesim avidissime hausit, ac pro ea propaganda postea Galliam suosque principatus, eadibus sacerdotum, temporumque incendiis funestavit: jam vero potita regno, cum Henricum regem Galliae religionis vindicem videret, seu nondum mentem impietate corruptam haberet, una cum viro suo rege Antonio consueti officia detulit et obsequia addixit, cui Paulus de hoc pietatis, quam praese ferebat studio, subjectis litteris¹ gratulatus est:

« Charissimis in Christo filiis nostris Antonio regi, et Joannae reginae Navarrae illustribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi magnum vestrae pietatis argumentum nobis erat antea parentum vestrorum virtus ac spectata religio, cum bonae arbores bonos fructus faciant, tamen ex vestrarum serenitatum litteris, quibus de hoc Pontificio munere nobis gratulamini, et ex dilecti filii nostri Georgii lit. SS. Joannis et Pauli presbyteri cardinalis Arminiaci verbis tantam et observantissimam vestram in nos, et in hanc Sanctam Sedem obsequii constantiam agnovimus, ut vere possimus judicare, vos majorum vestrorum, ut regni et provinciarum, ita et virtutum adiiisse omnium haereditatem, sed quod ad hanc nostram laborum et oneris accessionem spectat, non tam ea laetandum esse ducimus, quam nos regno isti de talibus regibus ex animo gratulamur, quorum vita et integritate, sicut in Domino speramus, vestra cura ac diligentia, populi vestri immutabuntur, sicut plerumque principum similes ditio subjecti esse student, Christiana pax et charitas, quam semper summo studio coluistis, apud vos efflorescet quotidie magis et nihil eorum omittetur, quae ad Christi gloriam, ac verum Dei cultum pertinebunt., etc. Datum Romae apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die xxvi Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

65. *Mors Gerdaldi Ruffi pseudoepiscopi Olo-*

rensis. — Extinctus est hoc anno Gerardus Ruffus Calvinista scelestissimus pseudoepiscopus Olorensis¹ in Bencarnia, qui haereseos peste reginam Joannam, totamque eam provinciam Bencarnensem fraudibus suis infecerat, ovina ille pelle tectus erat, cum lupum ageret rapacissimum, utebatur hoc dolo ad sacrosanctum Missae sacrificium abrogandum: jactabat ob tanti mysterii majestatem semel tantum in anno celebrandum, quo majori pietate illi populus interesset; deterrimum vero erat illius consilium, ut desuesceret sensim illi interesse: submittebatque haereticos, qui sacerdotali cultu induti haeresim praedicarent. Festa Sanctorum, charitatis specie, diminui tentabant; adeoque latens ac tecta fuit ejus nequitia, ut sero fuerit cognita.

66. *Pia mors et canonizatio S. Thomae de Villanova.* — Hoc eodem anno sanctus Thomas e Villanova archiepiscopus Valentinus undecimo sui episcopatus anno, ad caelestem gloriam sexto idus Septembris evolavit, qui cum virtutibus vivens eluxisset, et post mortem, magnam gloriam, quam in caelesti meruerit patria, miracula, quae cum adhuc in terris degeret, Deus ejus intercessione patraverat, declarasset, Alexander Septimus die omnium Sanctorum memoriae dicata anno MDLVIII inter sanctos adscripsit. Congruum videtur, ut Annales Ecclesiastici pretiosis veluti margaritis, quibusdam ejus praclaris facinoribus exornentur, cum ipse sanctissimis suis gestis Ecclesiam militantem eximie decoraverit; pauca tamen praelibabimus. Maxima in primis charitate et singulari quadam arte, ad cor viros, et maxime Ecclesiasticos, honori semper eorum consulens, revocabat: « Inter cujus generis exempla praeter ceteris recensetur, quod blando sermone, quosdam praebendatos, ad abjicienda opera tenebrarum, et induenda arma lucis, pluries Thomas alexerit, verum illos lucem abhorrentes adhuc, et carnis curam facientes in desideriis suis, in cubiculum duxit, ibique clausis januis, nudatis sibi humeris, et ante imaginem Crucifixi genuflexus, singulos his verbis allocutus est; Frater, meis peccatis actum fuit, ne tu a via mala pedes tuos prohibueris, et mea tot monita despexeris, quare si culpa mea est, aequum ut ipse poenam persolvam: et continuo se duris afficiebat flagellis. Tunc praebendati lacrymarum vim profundentes, Thomam exorarunt, ut desineret se verberibus caedere, promittentes anteaectae vitae emendationem, quod ita illos implexisse asseritur, ut mox fideles Domino, in mortale crimen haud amplius inciderint. Alium sacerdotem acriter, sed frustra saepius admonitum, diuturno carcere ab impudica consuetudine revo-

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2894. p. 97.

¹ Florim. Raymun. Sammarl. to. III. Gall. Ch.

care studuit, eum denique accersitum, hisee blandis verbis affatur: Amice, et frater, unde hoc mihi, ut ipse audeam iudicare te fratrem meum, consecratorum, emptum comel pretio, quo est empta anima mea, non quidem ex corruptibilibus argento et auro, sed pretioso sanguine sacri Agni immaculati Jesu Christi? fortasse tu melior me es? et ego te iudicabo, qui me ipsum ignoro? Tu te iudica, et cognosce dignitatem tuam. Quibus nedum permotus, sed perterritus sacerdos, religiosissimus evasit. Canonicum Cathedralis, etiam inhoneste viventem, ad se vocavit, eique iussit, ut rei familiari consuleret, et Romam quasi profecturus, noctu ad ipsum rediret: Canonicum imperata fecit, quem Thomam semestri detentum in proprio cubiculo, die noctuque verbo et exemplo cum increpans, ad penitentiam flexit, mox emendatum dimisit, a domesticis et amicis, ut redirem ab Urbe verbis officiosis exceptum. A Michaelae Viniente Acluario concubinam dimovit, eamque inter religiosas mulieres in hospitio collocavit; noctu Michael per fenestram ex hospitio eam eduxit: cumque a ministris laici tribunalis perquiretetur, is ad Cathedralis confugit: suasum est Thomae, ut Michaellem immunitatis Ecclesiasticae beneficio indignum, ad carceres detrahi juberet; at, inquit Thomas, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, tantum desidero, ut Michael concubinam a se dimissam religioso hospitio restituat, et cupiat emendari: quod fecit. His ad Michaellem delatis, ingemuit, tam benignum laesisse parentem: deseruit impudicam, poenituit, et vitae reliquum religiose vixit.

67. Porro, qui animarum necessitatibus sedula charitate providere adeo novit, non minus in egenis sublevandis enituit, quinimo usque eo excelluit, ut pater pauperum, et verus Sancti Jo. Eleemosynarii imitator existeret, omnibus se, non solum delictis, sed etiam rebus ad vitam necessariis exspolians¹, quo major sibi daretur facultas pauperibus subveniendi. « Quadam die pauperrima mulier ad Thomam domicilium detulit lampredam, quam aconomus emere satagebat: videns hoc Thomas petiit quanti illam emere statuisset. Respondit aconomus: Domine, viginti quinque regalibus. Et Thomas subinde inquit: Ipse tantum non sum, ut comedam, quod poterit viginti quinque pauperibus satis esse: jussitque lampredam aliis emendam dimitti, et mulieri egenae eleemosynam impertiri. Lintea etiam e proprio cubili desumens, et indusiis seipsam exuens, ea in pauperes erogabat et cum muliere quadam nomine Daces, quae assidue suens hujus generis suppellectilem Thomae parabat, pluries ab eo expetita de indusiis et linteis, Thomam admo-

nisset, ne tam liberalis foret, sese necessariis hujusmodi prorsus destituendo, respondit Thomas: Daces filia, fer opem, non consilium, quae enim pauperum sunt, pauperibus praeter injuriam denegare non possum. Propriis etiam palliis, si alia indumenta deerant, pauperum nuditati consuluit, et ad instar divi Gregorii Magni, catalogum omnium pauperum Valentiae degentium, ut singulis pro indigentia et conditione subveniret, penes se asservabat, ita ut alicui nobili egeno annuatim summam mille scutorum suppeditare consueverit; et a nullo paupere faciem suam Thomas averterit, neminemque ab eo discessisse consenserit, cui de late sibi egestatis remedium non attulisset. Inter quae plurima non obscurum sane obtinet locum, quod cum semel cum sutore Thomas super pretio maniarum altercetur, noluit in illis sumptum facere viginti quinque regalium, sed manicas vilioris pretii ad se afferri jussit. Sutor a Thoma discessit, praesulis avaritiam diceciter detestatus; et cumque elapsis aliquibus diebus, idem cum amico de ejus indigentia querrimoniam faceret, ex quo potissimum dos nubili jam filiae deesset, amicus sutori suasit, ut archiepiscopo id aperire festinaret; subridens sutor, maniarum factum amico narrat, et ad Thomam charitatem confugere recusat; tandem a deputatis visitatoribus ad Thomam indigentia filiae sutoris ultro allata est, et ipse de more subsidium dotis septuaginta scutorum ad puellam mittit. Sutor stupore attonitus, existimans se somnium videre, facto vix fidem praebat, mox ad Thomam advolans, ei gratias agit, et de exaggerata ejus avaritia veniam postulavit. Thomas placide respondit: Fili, si pro manicis, quanti volebas, impendissem, illo minus pro dote tuae filiae superfuisset. Tace, et dabo gratias Deo, qui ei de dote providit.

68. « Inter haec assidua heroicarum virtutum exercitia sibi Dominus in Thoma bene complacuit, et sese mirabilem ostendere cepit. Mirabantur etenim propemodum vicini degentes in aedibus episcopo contiguas, intuentes, quod longe major frumenti numerus ex horreo archiepiscopi extraheretur, quam in illud congregatum aspexissent, facti tamen veritatem haud inquirebant, sed tandem, Deo tantum operante, clariora hujus miraculi documenta edita sunt. Bonilla enim subcustos horrei archiepiscopalis, cum horreum multos ante dies fructo exhaustum mundasset, a conservis expetitus, ut menstruam frumenti portionem ipsis tribueret, cum Hernandez subaeronomo conquestus fuerat de nimia praesulis liberalitate, quae causam tandem praebere, ut propria familia necessaria deessent; interim miserabilis femina, ut famelicam proli consuleret, Thomam adiit, instititque plorans, ut sibi frumenti eleemosynam elargiri praeciperet, Thomas illico Garziam aconomum,

¹ Aet. ejus Canonizationis.

et Hernandez subœconomum ad se vocavit, eisque imperavit, ut egenæ pro munere subvenirent; commotus Hernandez respondit, in horreo nec frumenti granum contineri. Urget mulier, perurget Thomæ charitas, qui Bonillam accersit, eique præcipit, ut ad horreum egenam ducat, et quicquid frumenti residui repererit, illi tradat; Bonilla, se frustra imperata facturum, iterum ac tertio repetit: tunc Thomas ad illum; Confide, Bonilla, et ad horreum perge, ne egenæ hæc sine subsidio discedat: Bonilla jussis obtemperat, et Thomas mulieri ait: Sequere Bonillam. Tunc Garzias, Hernandez et Bonilla cum muliere horreum petentes, ad eam cum risu conversi, inquirunt: Veni, bona mulier, et videbis horreum undique vacuum et scopis mundatum. Cumque horreum prope attigissent, e janua rimis grana exuberantia inspiciunt, et admirali januam aperire student, quam magna vi frumenti compressam, vix totis adhibitis viribus impellentes, reserare possunt, et horreum frumento confertum inveniunt. Tunc rei novitate percussis, validis vocibus inclamantes, miraculum ad archiepiscopum referunt, eique factum narrant; Thomas ad horreum se recepit, et gravi silentio singulis imposito, mulieri dicit: Accipe frumentum, comede, et Deo gratias age, qui illud tibi paravit. Bienio ante obitum, cum Thomas acto prandio, ad fenestram respicientem atrium accessisset vidit quendam pauperem Cæsaraugustanum quadraginta quinque annorum paralyticis morbo contractum, fulcimentis insistentem: manu innuit, ut ascenderet; cumque is ad aulam palatii pervenisset, Thomas illum interrogavit: Malles sanitati potius restitui, quam elemosynæ subsidio levari? Respondet Paralyticus: Domine, sanitatem magis desidero. Tunc Thomas producto super eo signo sanctissimæ Crucis, inquit: Confide, et da gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impartiri, abjice fulcimenta, et vade in pace; et protinus consolidata sunt bases ejus et plantæ, erexitque se paralyticus undique validus rejectisque fulcimentis ad pedes Thomæ proœcubuit: cui Thomas, elemosyna tradita, subdit: tace, esto Deo gratus, et pro me ora ».

69. Jamque senio confectus Thomas, cum ultimam diem appropinquare cognovisset, existimavit se mortem lætum aspicere non posse, nisi prius quicquid in terra possidebat, per manus pauperum in cælestem patriam transmississet, quare omnia egenis distribui, antequam decederet, præcepit. Hæc sunt instituta de illo inter sanctos referendo actionis sacra: deque extremo illius vitæ actu concepta verba: « Œconomus, cum nulla spes temporalis vitæ præsulis remaneret, quod hactenus singulari studio ei præsertim abdiderat, illico Thomæ significat, scilicet in sacrario Ecclesiæ ab aliquibus men-

sibus, se summam quinque millium aureorum asservasse, ut quotiescumque necessaria omnia ad familiæ sustentationem, reliquis in pauperes erogatis, deficere contigisset, exinde familiaribus mercedem præstare posset: statim Thomas œconomum, confessorium, et duas metropolitanae dignitates rogat, ut pro Dei amore, pecuniam ipsam e sacrario educlam in pauperes partirentur. Iidem pecuniam in sportis acceptam, per civitatem divertentes, egenorum omnium desideria expleant, reducesque Thomæ significant, singulis pauperibus abunde subventum esse, sed adhuc residuum mille et quingentorum scutorum remanere. Turbatus est Thomas, illisque dixit: Cur hic me detinetis adhuc, ne eam ad fruentum bonum, quod mihi paravit Dominus? Puto enim protrahere præsentem vitam, usque dum sciam nihil domi superesse. Propterea igitur et opus absolvite, ne ipse diutius hic in labore remorer, sed in pace Christi quiescam. Interim jussit Thomas in suo cubiculo sacrum fieri, dictitans, se propemodum ante discessum cupere sub speciebus videre Deum Creatorem et Redemptorem suum, quem protinus facie ad faciem intueri posse sperabat. Paratur sacrificium, et recordatus Thomas, cuidam commentariensi patrifamilias in summa egestate posito, nihil in divisione supellectilis addixisse, jussit illum vocari, eique cubile, in quo jacebat, elargitus, veniam de sua oblivione rogavit, statimque innoit, ut ipso e cubili sublato, humi super stœvam prosterneretur, ut custos, quod suum erat, secum afferre posset. Abnuunt parere astantes, id quidem non sine periculo celerioris ejus exitus exequi posse, asserentes. Tunc Thomas virtuti charitatis virilitatem humilitatis adjiciens, inaudito prorsus exemplo, custodem deprecatus est, ut sibi pro visceribus Jesu Christi usum cubilis ad mortem usque commodaret. Revertuntur tandem, qui pecuniæ residuum pauperibus erogaverant, eique nuntiant, nihil dispergendum restare. Thomas illis gratias agens, addidit: Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nihil habens unde tenear, contra malignos spiritus fortiter luctaturus: statimque petiit, ut Sacramento Extremæ-Uncionis muniretur, quod non minori pietate suscepit, ipsomet cum sacerdote Psalmos Davidicos recitans. Mox inchoavit missa, et jubet Thomas sibi interim legi Evangelium Passionis Domini secundum Joannem, quod audiens, ad singulas periodos lectori, ut subsisteret, jubebat; et cum paululum meditatus esset, rursus, ut lectionem prosegueretur, indicabat. Augustissimum sacramentum, erga quod semper propensissimus extitit, dum a sacerdote elevabatur, mira humilitate adoravit, et præ gaudio in lacrymarum vim profusus, inchoavit Psalmum: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Eoque

absoluto, subdidit : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, et hæc dicens expiravit ».

70. *Electio Danielis archiepiscopi Moguntini mira Dei providentia.* — Pio sanctissimi archiepiscopi funeri jungamus modo spectabilis in Moguntina Ecclesia archiepiscopii electionem, quam hic ex Serario ¹ juvat annectere, ut appareat Dei miserentis patrocinium in Catholicæ fidei defensionem benigne semper exubantis : « Defuncto Sebastiano ab Heusenstain archiepiscopo et electore Moguntino, archiepiscopo novo eligendo præstituta erat dies xviii Aprilis. Erant in metropolitani collegii senatu multi, tum auctoritate magni viri, sed eminebat inter omnes nobilissimi stemmatis splendore, opum magnitudine, amicorum copia, palatini fratris vicinia, et summa, quam in eo ipso collegio gerebat, dignitate conspicuus dominus Richardus præpositus, princeps Zimmeranus. E contrario autem erat dominus Daniel (erat is e nobili Brendeliorum stirpe) ornatus hisce omnibus impar, et vir juvenis, et inter Capitularium dominorum extremos. Tres enim post se tantum habebat. Ille igitur certa jam spe archiepiscopalem prehenderat dignitatem, adeo ut ne præsto quidem esse voluerit Moguntinæ comitali die. Sed ex urbe cum excederet, fertur, suis vale familiaribus dixisse, quasi eam in domum eo modo rediturus amplius non esset. Quin vero se, ubi suffragia tulisset omnia, magno cum triumpho in urbem revocandum et inducendum putavit : et perique archiepiscopum et electorem cum apertis jam vocibus dicerent, pictisque insignibus pronuntiarent. Sed ubi ad comitium a reverendis et nobilibus dominis canonicis ventum est, mutata sunt omnia : facti sunt novissimi primi : electus est Daniel, prætermisus Palatinus. Obstupere omnes, et qui note melioris erant, ingenti exultare gaudio dicentes, Dei digitum hic fuisse. Et vere fuit, uti que consecuta sunt monstrare quam manifestissime. Nam dignitatem istam maximam maximo cum Ecclesia provincięque ac principatus Moguntini bono et ornamento gubernavit sapienter ac feliciter Daniel : Palatinus vero ille turpiter a sancto Martino Moguntinorum præside ad apostatam Martinum Lutherum, a Catholica fide ad hæresim defecit. Magnum vero fuit hoc divine bonitatis erga Moguntinam Ecclesiam beneficium, cui nullum hæcenus præfici passus est, qui ab antiqua, et ea, quam sanctus Bonifacius docuit, suoque sanguine confirmavit, credendi forma desciverit ». Nunc ad ea, que Romæ gesta sunt, stylum convertamus.

71. *Cardinales creantur.* — Hoc anno autem est cardinalium collegium a Paulo IV, a

quo primum donatum Sacra purpura Carolum Caraffam nepotem tradunt Acta Consistorialia ¹ his verbis : « Sanctitas sua de reverendissimorum dominorum meorum consilio et unanimi consensu creavit, et assumpsit in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum cardinalem dominum Carolum Caraffam Sanctitatis suæ nepotem. Addunt Acta xxiii Augusti collatam illi fuisse Ecclesiam SS. Viti et Modesti, exeunte vero anno, sex alios in cardinalium collegium cooptatos fuisse, quorum nomina ita recensentur :

« Romæ die Mercurii xviii mensis Decembris mdv, fuit Consistorium, in quo » et infra : « Sanctitas sua de reverendissimorum dominorum meorum consilio et unanimi consensu creavit, et assumpsit in S. R. E. cardinales presbyteros infrascriptos : R. D. Joannem Silicem archiepiscopum Toletanum, R. D. Bernardinum Scottum archiep. Trauensem, R. D. Diomedem Caraffam episcopum Arianensem, R. D. Scipionem Rebiba episcopum Motulensem, R. D. Suvicum Romanum episcopum Mirapicensis, R. D. Joannem Gropperum decanum Ecclesiæ Coloniensis, et Joannem Antonium Capisuccum causarum palatii Apostolici auditorem ».

Ex his Gropperum dignitatem cardinalitiam non admisisse ex demissione Christiana et pia visuri sumus, alios vero proximo ineunte anno titulis suis ornatos referunt eadem Acta :

« XXIV Januarii mdv. Sanctissimus novos cardinales de more decoravit annulis pretiosis, cum illorum immissione digito annulari manus dexteræ. Ecclesiæ SS. Nerei et Achillei de Urbe præfecit in titulum reverendissimum Toletanum, Ecclesiæ Sancti-Mathei in Merulana reverendiss. domini Diomedis Caraffæ. Ecclesiæ Sanctæ-Potentianæ reverendissimum Romanum. Ecclesiæ S. Pancratii reverendissimum Capisuccum. Creatis istis cardinalibus, centum viros ex Romana nobilitate die octava Decembris elegit, ut ad suam assisterent custodiam, eisque in Palatio Pontificio domicilium attribuit ».

72. *Dux Montorii accendit inter Pontificem et Philippum II bellum, quod prius sopitum cardinalis nepos rursus inflammavit.* — Accensæ sunt hoc anno facies infelicitis belli, quod inter Paulum IV Pontificem, et Philippum II Hispaniarum regem exarsit, ex audaci et iniquo facinore Marii et Alexandri Stortiarum, qui duas tiremes Gallicas in portu Centum-Cellarum, proditione oppressis earum præsidiariis militibus, abducere Neapolim pertentaverunt, cumque præfectus arcis flagitium impedivisset, cardinalis e S. Flora Hispanæ factioni addictus a duce Montorii patris Pontificis, et Ecclesiastici honoris proditore litteras ad præfectum arcis obtinuit ne eas tiremes e portu abduci Neapolim prohibi-

¹ Neel. Ser. hist. Mogunt. l. v. c. 5.

¹ Act. Cons. p. 182.

beret: quibus Neapolim furto abductis, Galli Paulum Pontificem de violata publica fide gravissime conquesti sunt. At Paulus, qui justitiam æquo jure inter Galliae et Hispaniae reges administrare, nec communis parentis officio deesse decreverat, cardinali Sfortiae et S. Flora graviores minas incussit, ut eas triremes Galliae regi restituendas curaret; ille vero Christi vicarii dignitatique Ecclesiasticae contemptor patrum facinus novo cumulavit; nam proceres Romanos Hispanae factionis noctu in suam domum una cum Philippi regis oratoribus, altero ordinario, altero extra ordinem pro devovendo Philippi regis nomine obsequio Paulo Pontifici misso, evocavit, premere tyrannide Pontificem meditatus. Vetus enim mos nefarius Romae inolevit, ut magnates Romani nunc Caesari, nunc Gallico, nunc Hispano nomini addictos se jactent, ac data occasione, Pontificis Romanorumque hostes ac proditores, non voce, sed re fore profiteantur, ut pluribus saeculis insignes eorum a Pontifice defectiones proditionesque, ac secute Urbis clades testantur. In eo ergo coacto a cardinale S. Florae nocturno conventu, cui ad perturbandam Christi Ecclesiam Satan praesse visus est, improba verba adversus Pontificem temere laxata fuere ab iratis inique animis; quibus perlatis commotus Paulus in cardinalem et S. Flora, illum in carcerem arcis Adrianæ compegit, quo accepto Marius et Alexander illius fratres, qui triremes Gallicas rapuerant, fuga dilapsi sunt; Camillus Columna, qui Pontificiae famae magis in eo conventu detraxerat, traditus vinculis, Marcus etiam Antonius Columna, cum acta judiciaria sperneret, et fuga sibi consulisset, damnatus reus laesae majestatis, indictoque bello Palliani arce et aliis oppidis exutus: tunc fratres cardinalis et S. Flora territi ne capitalis poena de eorum fratre sumeretur, Hispaniae regis administratos precibus flexere, ut illae duae triremes Gallis restituerentur, quibus redditus, cardinalis et S. Flora pristinae libertati incolumis restitutus est.

73. Pacata jam ea tumultuum procella vide-

batur, cum atrocior tempestas vel arte cardinalis Caraffa inania suae familiae incrementa meditantis concitata, sive Caroli imperatoris molientis exuere ditioe Ecclesiastica Pontificem impio fastu, ut jactatum est, sed non creditum; confecta tamen sunt judiciaria Acta in Carolum imperatorem, quasi abbatem Nannium veneficum, et Caesarem Spinam Catabrum sicarium, de quibus sumptum est capitate supplicium, submisisset, qui veneno aut ferro cardinalem Caraffam, vel etiam Pontificem e medio tollent: ob ejus criminis infamiam Carolo imperatori afflictam eundem cardinalem a Pio IV supplicio affectum visuri sumus. Erupti mox in bellum haec dissensio, cum cardinalis Caraffa Ruccellajum in Galliam misisset ad Henricum regem, ut patrocinium Pontificis contra Hispanum potentiae suae magnitudinae insolescentem corriperet, tot regum Galliae proposito exemplo, qui Romanos Pontifices adversus Barbarorum vim, hostiumque Ecclesiae tyrannidem defenderant. Detrectabat Galliae rex tam difficili bello se implicare, demum victus honestissimis precibus Lotharingum et Turnonium cardinales Romam misit, lactatus inani spe Neapolitanum regnum Gallicis et Pontificiis armis comparandum secundo genito filio regio jure fiduciario collatum iri: confectaque referuntur foederis leges, quibus de Hispanis tota Italia pellendis actum sit; sed illa inania consilia in ventos abiere, cum Pontificiae et Gallicae vires Hispanis, conjuncto Angliae regno, impares essent¹, adeo ut Gallorum rex molem belli ab Anglis, Belgis, Batavis Germanisque illatam aegre sustinere posset, multo minus Neapolitanum regnum Gallicis armis comparare, nec Gallorum rex exercitum pro confi-cienda tanta expeditione justum submiserit, sed tantummodo decem millibus militum pro defendendo Pontifice duces Guisium instruxerit.

¹ Pallavic. card. to. II. l. XIII. c. 13.

PAULI IV ANNUS 2. — CHRISTI 1556.

1. *Pius ardor Pauli in excindendis hæresibus, moribus reformandis et pace restituenda deprimitur administri Hispani superbia et prodicione.* — Anno Redemptoris millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, quarta decima Indictione, Paulus IV sanctissima et gloriosissima consilia disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ, corruptelarum delendarum, necnon Concilii OEcumenici pro hæreticis ad Ecclesiæ conjunctionem revocandis, suscepit; quanto vero studio disciplinam sacram instaurare aggressus sit, ostendunt Acta Consistorialia his verbis¹:

« Romæ, die Veneris, decima mensis Januarii M^oDLVI fuit Consistorium, in quo sanctissimus longo sermone dixit, se velle procedere ad reformationem, quam multi Pontifices se facturos promiserunt, cum tamen nihil hactenus factum fuisset, et ad id deputare intendebat personas idoneas. Die Lunæ xx, M^oDLVI, fuit Consistorium propter reformationem, in quo Sanctitas sua magnas habuit propositiones super rebus datariatus, et expeditionibus in eo factis; diligenter proinde studerent, et in proxima Congregatione vota sua redderent ». De collata strenue in eam rem Pontificia opera meminit Pauli Vite auctor, necnon inferius a nobis dicitur.

2. Conceperat Paulus IV Pontifex sacra consilia restituendæ clero veteris sanctitatis morum ac celebrandi in æde Lateranensi OEcumenici Concilii, cui præsens interesset, conjunctis prius mutuo fœdere Gallis Hispanisque, quibus una cum Anglis ad fidem Catholicam reversis, confutendæ Lutheranae impietatis, quantumvis ringeret ac fremeret, spes eximia affulserat.

Ad provocanda in opus sacra ea consilia decreti fuere duo cardinales Carolus Caraffa ad Henricum Galliæ regem, ad Cæsarem vero Scipio Rebiba, de quibus hæc referunt Acta Consistorialia: « Die ix Aprilis fuit Consistorium, seu Congregatio generalis, in qua Sanctissimus deputavit legatos pro pace ad serenissimos prin-

cipes, videlicet reverendissimos DD. Scipionem Rebibam, Motulam nuncupatum, ad Carolum Romanorum principem et Philippum Hispanorum regem, necnon ad serenissimum regem Christianissimum dominum cardinalem Caraffam Sanctitatis Suae nepotem, cum facultatibus et jurisdictionibus, ut in litteris expediendis ». In iis de sequestra pace confecta exaratis xxii Aprilis ad Cæsarem et Galliæ regem gratulabatur de induciis pacis, quæ lætissimas spes de pace firmissima subsequutura afferbant.

3. Discessere ex Urbe legati rerum bene gerendarum spe magna et gaudio delibuti, et Carolus Caraffa Pontificius nepos cardinalis celeri itinere ad Gallicam aulam pervenit, in qua magnifice exceptus summis affectus est honoribus, quos Augustus Thuanus in Gallicæ historia describit, sed velut Ecclesiastici Ordinis inimicus, impiis scommatibus afflictisque calumniis spargi ab hæreticis solitis, illum lacerat.

Dum ille in regia Gallica versaretur, Pontifex qui celebrandi OEcumenici Concilii Lateranensis pro extinguendis hæresibus sacro ardore æstuabat, mandata dedit duci Montorii nepoti, ad germanum fratrem scriptis litteris vehementissime Galliæ regem incitaret ad pacem, ut Lateranensis Synodus celebrari posset. Extant ea litteræ Pontificio nomine² ac jussu scriptæ ad legatum quas ex Italico sermone Latinis verbis redditis Josephus Silos historiæ Clericorum Regularium scriptor inseruit:

« Tu nosse te probe scio, illustrissime et reverendissime domine, is est Pontificis animus ut vacuus ab omnibus iis curis, quæ perturbare privatim homines solent, videatur ei dumtaxat vacare negotio, qua scilicet ratione Ecclesiasticorum mores emendet, Ecclesiam pie regat atque ab iis asserat tempestatibus, quo ejus latus acriter pulsant, suntque omnino duæ, hæreses nempe ac bella, quibus profligandis interdum nocturne advigilat. Hinc ingens Sanctitatis suæ

¹ M. card. Spalding, CXXXIV, p. 168.

² EAL. in L. IX. hist. Cleric. Regular.

lætitia ab humanissima Christianissimi regis mente, quam tibi Concilii pacisque commodis procurandis aperuit, ut plane animadverterim non mediocriter spem atque in Deum fiduciam adauxisse, fore, ut egregias cogitationes suas ad exitum perducat, uniatque Ecclesiam quidem OEcumenicam Synodo, Christianorum vero opes ac vires pace. Ac proinde bene precatum est Christianissimo regi, regiamque ut vere piam ejus pectoris indolem fusc dilaudavit, ac persuasum habuit, fore, ut cum ipsi, tum lectissima soboli temporalium æternorumque affusione, tantæ voluntatis vices maximum Numen rependat. Porro quod sæpius tibi voce, et postremo scripto commendavit, ea verborum gravitate ac vi, qua nosti, iterum significavit mihi jussitque, tanto dicendi studio cultuque, quanto neque ab eo unquam, neque a quoquam alio audivisse me memini, ut scriberem ad te suo nomine, ut Lateranense potissimum Concilium pacemque urgeas, quam iis quidem conditionibus complecti rex velit, quæ dari atque accipi pro tempore poterunt, partem interim sui juris ubi res poscere videbitur, Deo ac Sanctitati suæ, uti polliciti tibi est, condonando, etc.». Addidit dux Montorii ex ea pace dignitatem amplitudinemque Caraffarum familie pendere.

4. Meditabatur Paulus maxime in æde Lateranensi in qua alias tot celebrata fuissent Concilia, OEcumenicam Synodum cogere, non vero in Germania, cum Lutherani principes non ob aliam causam Concilium in Germania postulassent, quam ut ex insidiis illud opprimerent. Sed prius Hispani et Galli ad mutuam amicitiam fœdusque sanctissimum erant revocandi : et quidem Henricus Gallorum rex ex animo Concilium OEcumenicum expectabat, cum extremo odio hæreticos persequeretur ; eaque tantum de causa cum Lutheranis conjurarat, nec ad Concilium Tridentinum Julio III Pontifice miserat Gallos præsules, quod Cæsar cum eo inire pacem additis etiam crudelibus minis de eo in privatum statum redigendo, detrectasset, ut antea dictum est; cujus potentiam extincta Lutherana hæresi pacataque Germania nimium augendam formidabat: postulatus vero de pace concilianda a Carolo Caraffa Pontifice nepote Apostolicæ Sedis legato, se Pontifici ad redintegrandam cum Cæsare et Philippo ejus filio regem concordiam, pro iudicendo Lateranensi Concilio, redigendisq; ad officium hæreticis eximie comparatum obtulit, ut ostendunt Acta Consistorialia : « Die Sabbati vigesima septima Junii M^oDLVI, fuit Congregatio generalis. Per D. Binium secretarium intra Consistorium introductum recitate fuerunt litteræ reverendissimi Caraffæ ad regem Christianissimum legati, directæ ad Palliani ducem fratrem suum, in quibus continebatur expositio legationis coram rege facta, videlicet pro futuro Concilio, quod

Sanctitas sua decreverat in Urbe facere, et pro pace inter ipsum regem et imperatorem componenda, et responso ab eodem Christianissimo data, prout in litteris, quas idem dominus Binus post lectionem secum reportavit ».

5. Discussit felices sanctissimorum consiliorum Pauli IV successus Hispanorum Philippi regis administratorum turgida fastu in summum Pontificem insolentia, necnon nimius forte erga nepotes suos Pauli IV amor, adhibitaque ab eo adversus Columnenses, adversus Joannem Franciscum de Balneo, adversus Ascanium Cornicum Julii III Pontificis nepotes, tanquam in perduellionis reos, judiciorum acerbitas, quorum bonis fisco addictis nepotes male perituros cumulavit ; cum enim pacis et concordie redintegrata a cardinalibus actione, non semel magnifico et sanctissimo contemptu, acceptas a proceribus injurias Christi cruce proterere potuisset, novas iterum rixas cum Hispanis ministris contraxit, necnon ad augenda hæc mala Scipionis Rebibæ cardinalis ad Cæsarem decreti legati insignis ignavia et pusillus animus contulere : cum enim ad Carolum V Cæsarem pro pace inter eum et Henricum Galliarum regem firmissima conficienda, pro indicendo Lateranensi ad hæreses excidendas Concilio missus fuisset, jamque Trajectum in Belgio pervenisset, eamque urbem cardinalis legati cultu esset ingressus cum magno civium applausu, litteras a Joanne Caraffa Pontificio nepote missas accepit, quibus illi nuntiatum est Pontificem bello appetitum ab Hispanis, insidiasque etiam Pontificiæ vitæ comparatas : ex quo nuntio tanto terrore perfusus est, ut illico sanctissimam legationem pro Lateranensi Concilio adversus hæreticos celebrando, morumque sanctorum nitore revocando, ac pace inter Cæsarem atque Henricum regem sancienda abjecerit, malo Commendoni usus consilio, ac sacerdotali ornatu cum militari sago commutato e Casarea ditione per Eburonum fines in Galliam præcipiti fuga se proripuerit, reque infecta tandem Romam inglorius reversus sit. Nondum tamen in apertum bellum discordia eruperat, nam in senatu cardinalium habito undecima Julii Paulus cardinalium precibus flexus actionem pacis iisdem interpretibus redintegrandam admisit : at confudit spes concordie incunda inopinus casus : nam Garcias Lassius Vega Philippi regis negotiorum actor Romæ eam perturbavit, cum obscurioribus notis litteras ad proregem Neapolitanum exaratas misit, quæ cum intercepte atque explicatæ fuissent, convictus est Lapsius consuluisset proregi, ut ditionem Ecclesiasticam milite et armis non muniat invaderet, atque adeo ut proditionis reus in arcis carceres conjectus est. Cardinalis vero Caraffa in Gallia legatus pro Concilio Lateranensi ac pace inter Gallos Hispanosque confirmanda missus, spreta

ac prodita Christi et Ecclesiae causa, Gallie regem adversus Philippum Hispanum bello implicuit, ac Romae vigesima septima Julii Silvester Aldobrandinus fisci advocatus in publico senatu in jus vocavit Philippum Austriacum reum violati sacramenti fidei, quam, accepto Neapolitano regno fiduciario jure, Julio III Pontifici addixerit; contenditque juribus fiduciariis excidisse, cum illius jussu prorex Neapolitanus plurima adversus Pontificem ditionemque Ecclesiasticam moliretur. At prorex licet instructum haberet exercitum ut in Pontificiam ditionem irrumperet, veritus tamen ne Garsias Lassius capitali supplicio afficeretur, misso Julio comite S. Valentini oratore, questus est regem administrum teneri in vinculis, ac proceres Caesarianorum partium divexatos exulstosque opibus, necnon marchio de Sarria Caesaris ac Philippi regis orator, secunda Augusti discedendi ex Pontificia aula facultatem flagitavit, ut mandata Caesaris ac Philippi conficeret: quae res ingrata et acerba accidit Pontifici, cum inde redintegrandae pacis difficultates exrescerent: septima vero Augusti die consultis cardinalibus querelas ducis Albae proregis hoc responso refregit: Pontificem dum leges in suos subditos ob gravia et manifesta crimina distringeret, regios administris non offendisse, regios vero administris laesisse Pontificem, qui Pontificios subditos perduellionis reos ac proscriptos regio patrocinio texissent juvissentque armis: animadversum fuisse in Nannium et Bresengum abbates, ut in clericos Pontifici obnoxios, ac postulatos crimine laesae majestatis: Garsiam Lassium jure traditum custodiam, cum jus gentium laesisset; quo vetitum est, quibusve principis alicujus administris, ne dum in alterius principis aula resident, in principem conspirent: ac inique adversus Pontificium statum conjurasse convictum: Marchionem Sarriae, Caesaris et Philippi regis oratorem nulla allectum injuria, si, quandocumque illi libuit ut audiretur, non fuerit semper admissus, imo perhumanissime cum ipso actum, cum ob portam Urbis venationis oblectandique animi causa temere noctu pertractam, nulla fuerit violatus injuria, tolerataque sil ejus insolentia. Haec responsa adeo justa visa sunt postea Caesari ac Philippo regi, ut inique bellum a prorege susceptum senserint.

6. Reddito hoc responso proregi, novas ille querelas congressit, misso ad Paulum Pontificem Petro Loffredo equite Neapolitano, qui denuntiaret non debuisse admitti expostulationes advocati et procuratoris fisci in Consistorio, qui contenderant adversus Caesarem et regem Catholicum propter bellicos apparatus, vel alia gesta adversus Pontificios, fiduciario regni Neapolitani jure mulcendos; inde enim bella accendi et graviora damna iis principibus inferri;

ac non aliter quam filius obsequens in ipsum irruentem Patrem stricto gladio illum ex ejus manibus avellere conetur, ita Caesarem et regem Catholicum Pontificia molimina propulsaturos, gladiumque, ne feriat, ex ejus manibus erepturos, rogarique Pontificem, ut deposita hostili persona, paternam indueret; quod si fecerit, Caesarem regemque Catholicum acceptas injurias deleturos ex animo, omnibus amantissimorum filiorum officii Paulum redintegrata pace complexuros: rogatusque est etiam Paulus, ut haec cum senato cardinalium permissa iis dicendi libertate conferret: extraxit Pontifex longiores moras in dando responso oratori, cui data fuerant imperia a prorege, ut lapsu quatuor dierum flexu etiam non accepto responso Neapolim reverteretur: non enim Paulus ex animo flagitare pacem tunc videbatur, sed de ulciscendo acceptarum ab Hispanis injuriarum dolore pascebat animum, copiasque auxiliares et Gallis expectabat.

7. At prorex spretilis verborum Pontificiorum diffugiis, comparato exercitu, ductoque Neapoli quinta Septembris, ditionem Ecclesiasticam invasit, Pontem-Curvum ac Frusinonem non sine caede occupavit: ita perlurbarata sunt magnifica cogendae Oecumenicae Synodi Lateranensis consilia, quae ad eam provocata erant, ut vigesima octava Septembris lectae fuerunt Henrici Gallorum regis litterae, quibus se ad conficiendam firmissimam pacem cum Caesare et Philippo rege exhibebat, atque ad eam Synodum Galliarum praesules se missurum pollicebatur. Caesar etiam ad concordiam cum rege Galliae paciscendam se paratum exhibuit, atque etiam ad restituendum Gallo ducatum Mediolanensem, qui tot bellorum causa extiterat, modo Gallus aliena, quae occupaverat, restitueret. Sed tam praclararum proligandarum haerens, restituendae Ecclesiasticae disciplinae, pacisque inter principes Christianos confirmandae actionem ira et ulciscendi cupido perverterunt. Interea prorex in Campaniam irruptione facta urbes et oppida occupabat, civesque non in Philippi regis, sed in futuri Pontificis et cardinalium verba adagebat. Ea res acerba admodum Pontifici accidit patefactaque cardinalibus, illi apud proregem questi sunt gravissimis verbis ipsos ab eo tanquam perduelles haberi. Ille vero respondit nolle Philippum sibi asserere ditionem Ecclesiasticam, et omnia capta pace inita restitutum iri, precesque addidit, ut Pauli Pontificis animum ad aequitatem et pacis consilia inducerent: itaque de concordia ad preces cardinalium agi coeptum est, illius leges conditae, ad quas confirmandas conventus aliorum cardinalium cum prorege apud Crip-lamferatam indictus: sed mox discussus, cum nollet, ut cardinalis e S. Flora ad eum se conferret. Dein tradita cardinali Caraffae summa

paugendæ cum prorege pacis auctoritate ¹, Caraffa eam legem addidit, ut pro Palliano restituendo Antonio Columnæ, Senæ duci Montorii nepotî Pontificio traderentur; sed illam legem ut iniquam prorex respuit, atque bellum magis ursit: Tybur enim, Antium, arcemque Ostiæ, qua maritimi comætas Urbî interclusi sunt, necnon alia oppida expugnavit: inde incensus Urbî terror ingens, ac licet aliqua copiæ Gallorum subsidiariæ ex Hetruria et Corsica Monluccio duce accessissent, eæ tamen Hispaniæ potentiæ erant impares: graviore itaque metu perfusus Paulus cardinalem Caraffam ad Venetos misit, ut eos in arma ad deprimendam Hispaniam vim ac superbiam concitaret, at senatus implicare se difficili bello abnuït, pacisque consilia suggestit, quare vehementioribus precibus Galliæ regem ursit Pontifex, ut ducem Guisium cum exercitu in Italiam adversus proregem Neapolitanum transmitteret: ut vero divino miraculo ab extremo excidio ab Hispaniis inferendo vindicata sit Roma, proximo anno dicitur: nunc exemplum insigne animi a rebus terrenis, et inani gloria et deliciis divulsî in cardinale Groppero viro integerrimo afferemus.

8. *Gropperus primum respuit, deinde jubente Pontifice, accipit cardinalatus insignia.*— Paulus Pontifex cum superiore anno Joannem Groppero prepositum Bonensem, Ecclesiam præstantia doctrinæ celeberrimum, qui Coloniæ adversus Hermannum pseudoarchiepiscopum Coloniensem apostatam religionem Catholicam strenuissime defenderat, necnon piis libris Eucharisticum dogma adversus hæreticos propugnarat, pluresque ex hæreses et flagitiorum cæno sacris colloquiis extraxerat, in cardinalium senatum adscivisset, hoc anno pileolum rubrum dignitatis cardinalitiæ insigne misso ad eum internuntio deferri jussit, de cujus promotione hæc refert Surius ²: « Ejus viri pro tuenda apud Coloniæ-Agrippinam, et totam Coloniensem diocæsim Catholica religione suscepti labores, usque adeo eum celebrem reddiderunt, ut Pontifex Paulus IV eum in cardinalium amplissimum collegium cooptarit. Fuit admirabili eloquentia, rara eruditione, animo imperterritus, nocte et die Scripturæ sacræ et sanctissimorum Patrum lectioni incubans, atque a fœdissimo concubinato, quo se plerique ex clero turpiter dehonstant, usque adeo abhorrens, ut cum quodam die domum reversus famulam invenisset lectum ipsius sternerentem, vehementissime commotus, famulam repente e cubiculo ejecerit, et lectum e fenestra cubiculi projiceret; hoc ipso sane egregium animi sui erga continentiam zelum et ardorem præclare declarans: quod idcirco commemorare volui, ut tanti viri exemplo permoveantur

Ecclesiastici, et carnis petulantiam, victus parsimoniam, sacræ lectionis et ferventium precum assiduitate, vigiliis opportunis, mulierum vitanda consuetudine, et id genus aliis pietatis studiis edoment, desinantque adversum se provocare iram præpotentis Dei, atque procaecibus hæreticis veterem eandemque Catholicam religionem lacerandi ac proscindendi præbere occasionem ». Hactenus Surius. Pontificiæ vero ad Groppero litteræ ¹ his verbis conceptæ erant:

9. « Dilecto filio nostro Joanni Groppero sanctæ Romane Ecclesiæ presbytero cardinali.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Summa et perpetua fidei ac pietatis constantia, sanaque et singularis doctrina, et tot præclaris litterarum monumentis jam omnibus nota, qua circumspectio tua fidei atque Ecclesiæ Catholicæ, sanctæque hujus Sedis partes scite ac fortiter tueri nunquam desistit, dignum te apud Deum reddiderunt, ut ipse quoque ad hoc onus curarum et laborum, quo in dies gravius premimur, nobiscum sustinendum, in sacrum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romane Ecclesiæ cardinalium Collegium per nos cooptatus fueris, ea utique nostrum omnium spe, ut quamvis in vinea Domini uberrimos atque optimos adhuc pepereris fructus, ita tamen personæ dignitate et auctoritate ordinis amplissimi ad virtutem et probitatem, sanctissimasque disciplinas et artes tuas longe uberiores ac meliores in posterum additurus sis: quare primum istius muneris insigne, rubrum scilicet biretum per dilectum filium Theophilum HERNHEMA cubicularium nostrum nobis gratissimum ad tuam circumspeditionem mittimus, quod tanquam coronam charitatis Deus tibi reservavit, quam tua tum facta, tum scripta præ se non mediocrem apud omnes ferunt. Eo igitur qua decet, reverentia, accepto, quanto citius fieri, tuo tamen commodo, poterit, te huc ad nos conferes, ut nos et fratres iidem nostri collegæ tui tuam circumspeditionem maximo cum desiderio expectatam paterno pacis osculo et amplexu excipere possimus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Februarii MDLVI, Pontificatus nostri anno I ».

10. Non minus virtutibus quam doctrina efflorescebat Joannes Gropperus, Christiana demissione adeo excellens, ut cardinalitios honores a Pontifice sibi delatos non admiserit; respondit enim, a se non in cardinale, sed ut privato pileolum rubrum recipi, donec idoneo tempore illum restitueret: quæ res admirationem, ac pæne stuporem attulit Pontifici, qui tantum ac tam sacrum munus ab aliis adeo exambitum, ab eo respuendum non senserat; quare interpretatus, illum magis quieti suæ, quam Eccl-

¹ Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 212. — ² Sur. in Comm.

¹ Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2891. p. 182.

sie utilitati in ea re consulere, dedit imperia Adolpho ¹ archiepiscopo Coloniensi, ut subjectas litteras illi perlegeret, et abscissa omni excusatione, pro sacro imperio pileum rubrum et alia insignia cardinalitia suscipi ab illo impetraret :

11. « Venerabili fratri Adolpho archiepiscopo Coloniensi, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Dum expectabamus, et cum desiderio quidem non mediocri dilectum filium nostrum Joannem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Gropperum, ad quem per dilectum item filium Theophilum HERNEMAM, biretum rubrum, ut moris est, miseramus, cum eis mandatis et litteris, quarum tua etiam fraternitas particeps fuit, litteras ipsius Theophili accepimus, quibus præter omnem nostram expectationem certiores nos facit, nulla eum ratione adduci potuisse, ut vel nostrum de se iudicium agnoscere, vel litteris aut mandatis ad id nostris assentiri voverit, ac biretum se penes, non ut cardinalem, sed ut privatam personam retinuisse, donec illud aliquando possit restituere. Quod sane non modo, ut diximus, plane accidit nobis inexpectatum, verum etiam multos dubios reliquit, in quam id potissimum partem sit accipiendum. Nam etsi, quod ad nostram attinet opinionem, nos hæc omnia in partem meliorem accepimus, ac spiritus humilitati et animi moderationi attribuimus, nobisque persuasum est, nihil unquam ab eo fieri posse, quod a sanæ et sanctissimæ ipsius doctrinæ præceptis, præstantique virtute ac probitate alienum sit, si tamen, ut ita dicamus, rigidius is obduraerit, atque huic vocationi diutius, quam par est, restiterit, nihil reliquum est, quo eum apud alios satis tueri possimus. Etenim cum vocatio ipsa non tam nostra, ut tunc scripsimus, quam Dei sit existimanda, cuius honoris in primis, et nostræ pastoralis curæ, non autem ullius humani affectus causa hoc ei a nobis minus delatum fuit, eumque, ut optime novit fraternitas tua, mala bonis sint vicina, fieri vix posse videtur, quin aliquis incurrat suspicionem, ne scilicet cum cardinalium officium plenum sit laborum, curarum, sollicitudinum, suæ ipsius potius quieti consulat, quam publicæ Christi fidelium tranquillitati et salutis, quæ nobis primum, et sacrosanctæ huic Sedi, cuius capitis membra sunt, a Deo est commendata, idque eo magis sunt facturi, quo propius exemplum nostrum ante oculos sibi propositum habent, nam nos quoque omnes hoc longe omnium gravissimum nostris debilibus humeris impositum, tot jam annis afflicti, ac pæne confecti libenter excusassetis, nisi Dei voluntati omnino acquies-

cendum fuisset, et ejus imitandum Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui, ut usque ad mortem pro nobis factus est obediens, ita nos iidem pro eo debemus fieri, et dum ad ea nobiscum sustinenda, quæ ferre soli non possumus, adjuutores idoneos interdum vocamus, qualem cardinalem Gropperum proculdubio futurum omnes affirmant, nullam esse arbitramur legitimam causam, quamobrem non illi nobis præsto esse debeant, nisi forte, ut maxime timendum est, communis noster adversarius sua solita suggestione, ac recti prætextu lumen eis obumbret veritatis.

12. « Has ob causas et alias permultas, quas tibi et illi relinquimus considerandas, ne iniquis interpretibus sermones demus, etsi eam sententiam, ut filium obedientissimum mutaturum speramus, nobisque et eidem Sedi assiduitatem, operam, consilium una cum cæteris fratribus et collegis suis eo modo quo debet, æquo et libenti animo præstiturum, tuam tamen fraternitatem his litteris hortari volumus, prout omni studio in Domino hortamur, ut Groppero ipsi cardinali in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandes nostro nomine, ut his iisdem a te litteris sibi perfectis, statim sine ulla prosus exceptione bireto ipso rubro se penes retento, cum debita reverentia et solitis ceremoniis, tanquam justitiæ corona et galea salutis caput indutas, sicuti ab aliis cardinalibus canonice, ut ipse, creatis et renuntiatis fieri consuevit, huc se ad nos conferat, quod tamen ejus valetudinis commodo fieri volumus. Sed quanquam eo hic præsentè, quod attinet ad illius animi dotes ditissimas, quibus tuo tuorumque patrocinio adeo est illustratus, fraternitatis tuæ quamdam quasi imaginem intueri videbimur, dumque talem inter te et nos internummuntium audiemus, velut te ipsum loquentem audituri sumus, utinam tamen te quoque hoc tempore vocare huc possemus ! Deus idem qui cordium scrutator est, novit, quanto desiderio libenter et diligenter facturi essemus. Verum tam perturbato rerum vestrarum statu, tot ac tantis isthic imminentibus periculis, tanque fraternitatis virtute, auctoritate, pietate adeo egregie ac fortiter illis occurrente, ac denique spe religionis apud vos non modo, qua viget, conservanda, sed qua deperdita est, recuperanda, maxima ex parte in te uno a nobis collocata; nollemus, membro hoc tam nobili avulso, caput quoque nobilissimum, hoc est, fraternitatem tuam tanti corporis cura antea sejungi, quam major postulet necessitas.

13. « Postulabit autem divina adjuvante clementia, cum primum sacrum Concilium huc in aliam Urbem Romam, communem omnium patriam convocabimus, quo nihil est quod ardentius desideremus, et quo quidquam maturius facturi simus, ut experiamur aliquando, et

¹ Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2888. p. 17.

nos, qualesnam fructus Pontificis Maximi praesentia in eo paritura sit, cum quae proxime fuerunt celebrata summis Pontificibus praecessoribus nostris absentibus, quam nihil aut parum profecerint, nemo ignoret. Cui quidem Concilio quando nobis per aetatem alium in locum non licet proficisci, cuique te, atque omnes tui similes frequentes adfuturos speremus inter caeteros, videbit fraternitas tua, quanti apud nos, quantumque gratiam nostram, et vere paternam in te benevolentiam declarare, aliqua significatione tuis meritis digna cupiamus, etc. Datum Romae apud Sanctum-Petrum die III Julii MDLVI, anno II ».

14. Accessit Romam Joannes Gropperus demissa obsequia praestiturus Pontifici, atque ad subeundos pro Ecclesia quoscumque labores paratissimus, sed brevi et vivis creptus est: abstinuisse tamen a cardinalitia dignitate ex Pontificia indulgentia, indicat Epitaphium ipsius sepulchro Romae in Ecclesia Germanorum inscriptum, in quo tituli cardinalitii ipsi non sunt attributi, praecipua tamen ejus gloriosissima gesta perstricta leguntur his verbis ¹:

D. O. M.

« D. Joanni Groppero religionis, fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles labores summis cum periculis pro Ecclesiae ac religionis conservatione magno semper et invicto animo exantlatis, multaque praeflora litterarum monumenta edita, ob perpetuam fidei pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam summasque virtutes, absentem, nec quicquam minus cogitantem, in sacrum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegium cooptato, praematura adhuc morte, et quando sui opera imprimis desiderabatur, ex humanis crepto, fratri piissimo atque optime merito Godefridus et Gaspar Gropperi fratres, et alumni maestissimi posuere. Vixit annos LVII, dies XVII. Obiit III idus Martii MDLVIII ».

In praestantissimum hunc virum Theodori Bezae impudentissimi petulantia virus evomuit, ut hoc quoque ejus gloriae adderetur, ut nimirum, quod olim de martyribus sub Nerone dictum est, usurpari possit ²: « Tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur, qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquid bonum a Nerone (a Beza) damnatum ».

15. *Hæretici inter se dissident.* — In Germania maxime recrudere contentiones inter Sacramentarios ac Lutheranos, atque ex Sacramentariis sive Zuinglianis, Henricus Bullingerus, Bernardinus Ochinus, necnon et Calvinus contra Westphalum Lutheranum scripsere, cuius errores ita male redarguerunt, ut longe

gravioribus eos cumularent. Permisit vero horum dissidia divina providentia, ut pateret omnibus non divina oracula ab iis defendi, sed propria somnia, ac deliramenta, ut Surius ad hunc annum fusius narrat: « Ut viderent homines ab istis novi Evangelii praeconibus non ipsum verbum Dei, quod tam impudenter jactant, sed privatas quorumque opiniones pro Dei verbo imperitius obtrudi, permisit sapientissimo consilio etiam inter se atrocissime et perfinatissime digladiari miseris et omni lacrymarum fonte plangendos, ut qui necdum eorum laqueis implicati sunt, caveant ne quandoque irretiantur, qui autem irretiti sunt, ceoissime sese explicare nitantur ». Expedivere se ex Lutheranae haereseos laqueis plures, atque ad Ecclesiae Romanae gremium se contulere, quos Sacramentarii calumniis appetierunt, quasi non veritatis luce collustrati se conjunxissent Catholicis, sed Zuinglianorum odio, ut eos facilius opprimerent. Cum vero Sacramentariorum haeresis inter Lutheranos serperet, Lutherani ad eam reprimendam varias pseudosynodos coegerunt.

16. Hic lector pedem figat, et Catholicæ fidei veritatem ex hoc uno solerter inspiciat, cumque sectarios viderit inter se tam acriter digladiantes, propheticum illud Esaiæ ¹ mente revolvat: *Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum.* Dum enim quisque, quod sibi fingit, credit, in hæc portentosa dissidia labatur necesse est, ut exinde prudens quisque perspiciat, non esse Ecclesiam illorum inconsultilem Christi tunicam, quæ nequaquam divisionem admittit, sed pallium illud, quod tulit Jeroboam ², *Qui peccavit, et peccare fecit Israel*, praecipuus scilicet idololatriæ restitutor, in totidem discissum scissuras, quot capita. Sed ut ad historiam revertamur.

17. *Paulus ad Maximilianum et Albertum Bavariae duces necnon ad episcopos Germaniæ scribit ut Catholicam fidem defendant.* — Habiti sunt de vexo jam anno ordinum imperii conventus Ratisbonæ, in quibus cum Lutherani molirentur nova decreta Catholicæ religioni adversantia promulgare, Paulus Maximilianum regem admonuit, ut hæreticorum frænaret audaciam, atque exempla aliorum regum in Catholica religione asserenda imitaretur ³:

« Maximiliano regi Bohemiæ.

« Charissime in Christo fili, etc. In variis, gravissimis et molestissimis curis, quæ nos in dies noctesque sollicitant in hoc tempore, illa vel maxime animum nostrum angit ex his, quæ ad nos afferuntur de consiliis eorum, qui Eccle-

¹ Atticii. Flor. Car. to. III. — ² Tertul. in Apol. c. 5.

¹ Cap. XIX. — ² III Reg. XI et XIV. — ³ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 1961. p. 11.

sive Catholicae in istis partibus infesti sunt. Facile perspicimus quantopere perpetuis Ecclesiae hostis per ministros et satellites suos Catholicorum reliquias in illa nobilissima et olim maxime pia natione insectaturus sit, vereremurque profecto, ne victrix haereticorum impietas orthodoxam fidem isthic prorsus obtereret, nisi Omnipotentis Dei maxime scilicet auxilio, secundo autem loco eorum, quos isthic misericordia adhuc reservavit, virtuti et gravitati confideremus. Magnam autem in primis spem in serenissimi regis parentis tui et tua, fili charissime, pietate reponimus, quos nimirum Omnipotens Deus in tam alto dignitatis gradu posuit, ut in auctoritate vestra maximum religioni suae et piis omnibus, tam miseris calamitosisque temporibus praesidium esset constitutum.

« Et sane tu tanto Dei beneficio, aliisque praeterea muneribus auctus atque ornatus, adhuc ita te gessisti, ut nos et Catholicos isthic omnes virtus et pietas tua non medioeriter consolata sit, et impij non parum te suis conatibus obstitisse doluerint, prorsusque apparuerit te vestigia tanti patris ingressum, ut decuit, eadem, qua ille semper pietate, virtute et constantia sanctam et orthodoxam fidem defendere, hujusque sanctae Sedis auctoritatem tanti, quanti par est, facere. Verum istum tam egregium animi praeclearamque voluntatem tanto apertius, et in nos, et in hanc sanctam Sedem devotionem, reverentiam et fidem his, quae Ratisbonae habentur comitiis declarare debes, quanto majore conatu novarum rerum cupidi, et pacis Ecclesiae turbatores evadunt, ut ejusmodi decreta fiant, quibus futurum sit, ut ipsorum secta in dies augeatur, Catholicorum autem animi isthic debilitentur, et religio evertatur atque hujus Sedis auctoritas: quibus eorum consiliis acriter a piis quidem omnibus obsistendum est, sed tanto acrius a vobis ambobus erit, quanto magis auctoritate et reliquis antecessitis, ducesque aliorum et principes defendendae religionis propter regium nomen et potestatem a Deo vobis datam esse debetis, memores ejus, quod scriptum est, corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem, nec qui inceperit, sed qui perseveraverit salvum fore. Proponeremus tibi, charissime fili, aliorum regum exempla, qui ex propugnacione Catholicae fidei maximam sibi laudem et gloriam pepererunt, sed neque cohortacione nostra Serenitatem tuam egere putamus, et si exempla proferenda essent, nullum his quidem temporibus haberemus clarius atque illustrius, quam ipsius serenissimi regis patris tui, cujus tu, ut reliquas virtutes maximo et praestantissimo rege dignas nobis retulisti, sic omnium virtutum principem et tanquam fundamentum, timorem Dei et pietatem eum egregie referas, non est quod te pluribus hortemur. Tantum illud te pro nostro pa-

terno erga te animo tibi plane persuasum, et in mente tua infixum esse perpetuo cupimus, nullum stabilius regni munimentum, nullum firmius esse praesidium, nullam regibus magis munitam ad gloriam, et laudem, et regnum caeleste ac sempiternum, viam, quam si Deus timeatur atque ametur, ejusque sancta Sedes ac religio colatur, integra incorruptaque servetur, sanctaeque huic Sedi, quam Christus Dominus noster caput Ecclesiae suae et fundamentum constituit, sua auctoritas, summaque ab omnibus debita reverentia conservetur, quae quidem a nemine aut privato, aut principe sprete, quin aliqua calamitate notum illis fuerit. Quod sane a Serenitate tua factum iri, nec pravis eam cusuquam consiliis, vel sui ipsius, vel parentis tantopere pii principis dissimilem utique fore confidimus ac persuasum habemus.

« De rebus quae isthic geruntur, malumus te ex venerabili fratre Zacharia episcopo Pharensi nuntio nostro, quam ex litteris nostris cognoscere, quibus a Serenitate tua diligenter cognitis, confidimus, ex tam gravibus et indignis injuriis beato Petro Apostolorum principi illatis, ejusque successoris tam gravi et detestabili insectatione, tantoque impetu in res sacrosanctae Romanae Ecclesiae facto eam molestiam capturam esse, quam pietas, ac fides, et tanta rerum indignitas, tantaque atrocitas postulat. IV Decembris MDLVI, anno II ».

18. Demisisse in animum alte Pontificia monita Maximilianum, atque insolentiam eorum, qui Calicis usum deinceps et pietatis specie illius ad impietatem vergebant, repersisse dicitur inferius. Explicuit etiam insigne religionis studium Ferdinandus archidux Austriae, qui de eo a Pontifice¹ his litteris commendatus est:

« Dilecto filio nobili viro Ferdinando archiduci Austriae.

« Jacundi rumores ad nos afferuntur de studio tuo insigni fidei religionisque Catholicae, quod maxima tua cum laude multorum sermone testimonioque cognovimus. Praeclare intelligis, fili, quid inclyto domus vestrae sanguine ortos deceat, quae via non ad salutem modo et gloriam aeternam ferat, sed in hoc etiam saeculo ad summam dignitatem amplitudinemque perducet. Praeclare parentis et majorum tuorum pietati respondes. Tu vero majorum tuorum vestigiis insistens, quorum pietatem imitaris, eorum honores quoque et titulos te, Deo auctore, aliquando assecuturum confide. Retine, fili, retine perpetuo istum tam pium tamque egregium in fide et religione Catholica sensum, maximasque pro tanto munere gratias Deo age, quem quidem precamur, ut eum confirmare atque augere, et sua te gratia perpetuo tueri ac custo-

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 42.

dire dignetur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. ».

19. Fulciebat in Germania Catholicas partes Albertus dux Bavariæ, quem divinæ etiam gloriæ propagandæ studio Ingolstadiensem Academiam¹ accersitis etiam Societatis Jesu theologis hoc anno instaurasse tradunt eorum Annales, multumque apud illam nominis decus collegit Costerius, qui egregie de controversiis scripsit adversus Lutheranos, eorumque argutias nitidas ac firmissimis responsis dissolvit. Fuit hæc primum Academia designata a Ludovico, cognomento Divite, Bavariæ duce, circa annum Domini, ut testatur Middendorpius, MCDLX, atque a Pio et Paulo III Summis Pontificibus præclaris ditata privilegiis, perducta vero ad effectum anno MCDLXX, ut ex ejusdem ducis diplomate monstrat Gevoldus, tantumque sub pio Principe Alberto retorruit, ut idem Middendorpius scripserit: « Optimus et Catholicus ille princeps Albertus pro singulari suo erga veram Catholicam religionem atque sapientiam studio sic eam promovit, ut hoc tempore inter celeberrimas Academias Catholicas Germaniæ numeretur. Qui non modo peculiare Collegium Theologicum magnis sumptibus erexit, verum etiam insigne Pædagogium² fundavit, in quo domini de Societate Jesu eloquentiam, Philosophiam, Artesque liberales, et linguarum præcepta tradebant. Inter clarissimos viros Academia Ingolstadiensis meminit Joannis Eckii, et Friderici Staphili, de quo hæc scribit Mendo³, quia uxoratus erat, nec hæc Academia, nec alia ultra Germaniæ gradum doctoratus in Jure Canonico et theologia voluit illi concedere, ita ut Pontifex doctoralem pileum transmiserit, ut archiepiscopus Salisburgensis eum ipsi imponeret, et doctorem auctoritate Pontificia constitueret » : de cujus vere aureis lucubrationibus consulat lector Possevinum.

20. Albertum igitur tot nominibus de Catholica religione optime meritum Pontifex majorum suorum propositis exemplis, velut calcariibus currenti additis, ad majora semper pietatis studia, datis hisce litteris⁴, incitavit.

« Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavariæ.

« Dilecte fili, etc. Cum recordemur, quod nunquam sine maximo animi dolore facimus, qui fuerint comitiorum Augustæ exitus, non possumus non magnopere vereri, atque extimescere, ne quid simile aut deterius etiam Ratisbonensibus istis, quæ propediem futura audivimus, eveniat, quæ res tantam nobis animi molestiam affert, ut ex omnibus curis, quas tam gravi sanctæ Sedis tempore sustinemus, hæc nos vel maxime angat atque sollicitet. Etenim

de reliquiis Ecclesiæ Catholice, quas in istis partibus divina clementia satis magnas incolumes conservavit, vehementer pro nostro pastoralis officio laboramus, ne ipsas quoque Ecclesiæ hostes dispergant atque opprimant, quorum impiis consiliis atque conatibus ab omnibus quidem piis vere et Catholicis, qui isthic sunt, occurrendum et fortiter resistendum est, et pro sancta religione, et Christi Domini nostri honore sanguis etiam ipse, si ita necesse sit, profundendus, si satis grati in eum esse voluit, qui suum ipse in ligno Crucis pro omnium salute profudit. Sed tu, dilecte fili, tuam ipse hoc tempore pietatem et virtutem maxime declarare debes; non enim licet tibi, qui tam piis parentibus natus es, et qui illorum exemplo atque imitatione tantum semper Catholice fidei studium præ te tulisti, non et majorum tuorum et tui ipsius similem esse: nec vero Omnipotentis Dei causam fortiter tuenti quidquam timendum est: non deerit ille causæ suæ, si modo tu ac reliqui principes, quos maximis extulit et honoribus et beneficiis, ob hanc nimirum causam, ut sanctæ Ecclesiæ defensores et propugnatores essetis, causæ ipsius minime defueritis, et vestrum illi, ut debetis, officium præstiteritis. Si qui autem secus fecerint, quod de te suspicari minime possumus, a quibus is desertus fuerit, eos ipse quoque haud dubie deseret, et ingrati in se animi poenas ab eis vivis mortuisque gravissimas repetet. Quamobrem, dilecte fili, hoc maximo tempore te hostibus Ecclesiæ Catholice opponas, et causam religionis, causam Catholicorum, causam patriæ tuæ suscipias oportet, quæ cum defendes, et honori, et existimationi tuæ, et animæ salutis prospicies, et tuum statum, tuam dignitatem, tuas opes maxime hac ratione firmabis ac stabilies, quod ut facias, non quod de prudentia aut pietate tua dubitemus (neque enim fas est), sed et quod te paterno amore prosequimur, tuæque laudi, ut dilectissimi filii, favemus, et ut nostro quoque officio fungamur, te etiam atque etiam in Domino hortamur, et Omnipotentem Deum rogamus. Cætera, quæ nobilitati tuæ a nobis scribenda essent de rebus quæ hic geruntur, malimus exponi tibi a venerabili fratre nostro Zacharia episcopo Pharensi nuntio nostro, quæ ut sunt gravia, indigna, atrocia, sic nobilitati tuæ pro ipsius in hanc sanctam Sedem Apostolorum principis devotione visum iri minime dubitamus. Dat. etc. ».

Repetitis etiam litteris Paulus⁵ novos optimo principi addere stimulos perrexit, ut si quæ pro asserenda religione subeunda pericula forent, ea intrepido atque interrito animo adiret, eo enim majora a Deo premia promeritarum, majoremque apud homines gloriam collecturum :

¹ Orlandin. hist. Soc. Jesu I. XVI. Lib. III. Academiar. p. 528. Metropol. Salisburg, tom. — ² Mendo de Jure Academico I. II. p. 1. Appar. to. I. — ³ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2964. p. 7.

⁴ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 527.

« Duci Bavarie.

« Tuam nobilitatem nobis hortandam esse duximus, ut tam impiis perniciosisque eorum consiliis fortiter et constanter auctoritate, et omnibus viribus tuis obsistas, dignumque tati tempore, majoribus suis piis Catholicisque principibus animum, quem semper prætulit, rebus ipsis declareat, neque ullum pro fide Catholica certamen subterfugiat, aut periculum extimescat, cum scriptum sit corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem, et major sit qui pro nobis est, quam qui adversus nos, cujus constantie sue in tuenda Ecclesie et religionis Catholice causa præter maximam ab omnibus paratam laudem, a Deo Omnipotente tanto majus præmium consequetur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die iv Decemb. MDLVI, anno n ».

Urebat Paulum Pontificem ingens curarum æstus, ne inelyta Bavarie principum familia Lutheranorum astu circumventa, demonis laqueis irretiretur, prævisque impiorum præsentia terrena commoda celesti spei præferentium consiliis in errorem a recto fidei tramite abduceretur: quare D. Petrum¹ Apostolorum principem imitatus illum commovere officii non destitit; resque successit e voto. Nam præclara serenissimi principis vigilantia, et transfusa ad posteros hæreditaria pietate factum est, ut cardinalis Baronius² Guillelmo ejus filio, in Bavarie Ducatu successori, ac patris in fovenda religione æmulo, jure scriberet; « Ægypti noscuntur renovata prodigia, dum atra densaque obvolutis aliis ubique caligine, dumtaxat in nova Gessen, Bavaria ipsa tua, veri Israelite jucundissima luce perfruuntur, veritatis sote in meridie, radiis claritatis et charitatis fulgore jugiter atfulgente; ut impietatis frigus non sentiant, et glaciæ perfidie sint expertes, atque uberrimo proventu spiritualium frugum potiuntur Autumno ».

21. Admoniti quoque fuere archiepiscopi et episcopi Germanie, ut conjunctissimis animis fidei Catholice causam tuerentur, atque nefaria hæreticorum molimina refunderent, ipsos enim ad delendam omnino in Germania religionem Catholicam conjurasse, quo argumento extant hæ litteræ ad Magdeburgensem archiepiscopum exarate³.

« Sigismundo electo Magdeburgensi.

« Tempus tibi oblatum est, quo egregium istum, quem præ te fers animum, ita possis declarare, ut tam eximia, quæ a Sede Apostolica adeptus es, ornamenta, merito in te collata fuisse appareat, nam cum in conventu, qui Ratisbonæ indictus est, multa valde, et nefaria, et impia moliri dicantur Ecclesie adversarii,

debebis tam perniciosis eorum consiliis una cum cæteris Catholicis, ad quos etiam scribinus, obsistere; nisi enim constanter et fortiter a vobis hoc tempore impiis illorum conatibus obviam itum fuerit, nemo est, qui non intelligat, fore, ut, Catholicis isthic quotidie magis oppressis, hæreses latius in dies serpent, ac brevi tempore Catholica religio, quod divina misericordia avertat, in ista olim tantopere pia natione penitus aboleatur; quamobrem memor officii tui erga eos, quorum salus fidei tuæ commissa et commendata est, memor promissorum, atque ejus expectationis, quam de te concitasti, memor denique judicii divini, et tuæ ipsius salutis, emitere, fili, ut nihil adversus Catholicam fidem, nihil contra sanctissimas Ecclesie leges atque instituta in eo conventu decernatur. Noli pro Dei honore, pro animarum salute ullam contentionem subterfugere, ullum periculum extimescere. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die iv Decembris MDLVI, anno n ».

22. *Lutherani Evangelii obtentu decipiunt incautos et riam præbent incursionibus Turcarum.* — Parnit ille Pontificis monitis atque adeo strenue religionem Catholicam defendendam suscepit, ut Magdeburgi antiquatos ritus divini cultus instauravit. Ferociebant vero propterea hæretici in Catholicos, quod Turcæ in Hungaria Ferdinando obnoxie limites excurrissent, ac re ipsa demonstrarunt, eos non minus implacabiles esse Catholicorum hostes, quam Turcas, cujus grassationis Turcicæ occasione nonnulli Ferdinandi populi Austriaci ab impiis subornati, cum ab iis subsidia contra Turcam postulata essent, profutenda hæreseos libertatem impudenter eflagitarunt, ut narrat Surius his verbis⁴: « Rex Ferdinandus necessaria contra Turcarum irruptiones præsidia comparare volens, petit a subditis suis eam in rem subsidia. Austriaci inferiores apud Viennam conveniunt, seque imperata facturos ultro recipiunt modo ipsis permittatur Evangelium ». Hoc precioso nomine Lutherani hæreseos suæ fedtatem obvelare consueverant, contra quam impiam fraudem Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis ita declamabat: « Quæ mala isthæc est amentia, cum olim unum Deum colentes, uno et eodem nomine Christiani fuerimus appellati, quod nunc plerique tam præclarum hoc nomen fastidiunt, et Evangelici, quam Christiani vocari malint? scilicet extra Christum Evangelium esse potest? quid est Evangelium? læta annuntiatio. Potest extra Christum læta esse ulla annuntiatio? sempiterna et æternæ mortis annuntiatio extra Christum esse potest? » Idem præsul, ac postea cardinalis, et præses Tridentini Concilii in libro superiori

¹ Pet. Ep. II, c. 1. — ² Tom. V, An. Eccl. in Ep. nuncup. ad cæcens., Geff. — ³ Paul. IV, lib. brev. s. 12, num. 2893, p. 515.

⁴ Surius in Comu. hoc anno.

anno scripto de expresso Dei verbo demonstrat, Evangelium non in verbis, sed in sensu constare, eumque petendum a communi Patrum consensu, qui sanctitate et miraculis floruerunt, non ab apostata Luthero, qui se edoctum a Sathana gloriatur, atque ab impiis appellari Evangelium inepta deliramenta ipsis placencia, quorum Sathanas sit auctor : « Praclare », inquit Hosius ¹, « scriptum legitur ab Hieronymo, non in Scripturarum verbis Evangelium est, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis ». Et post multa : « Proferunt examina Scripturarum in pravum sensum detortarum, ac mox hominum, vel diaboli potius per homines loquentis verbum pro Dei verbo, proque Christi Evangelio miseri mortales amplectuntur et adorant. Horrenda est hæc idololatria ».

23. Cæterum Austriacorum inferiorum postulata rejecta sunt a Ferdinando, tum avita pietate, tum quoniam exploratum habebat, populos Lutheranos veneno imbutos in hostes demum commutandos. Subdit enim Sarius ² : « Nihil tum impetratum est, quod facile videret sapientissimus rex, nunquam adeo infestos Turcas Germanis, quam his annis, quibus Lutheri Evangelium miseri homines amplectuntur ». Cum vero Ecclesia quatuor tantum Evangelia ab Apostolorum temporibus venerata sit, multo plura a novatoribus invecata sunt, ut narrat idem auctor : « Ubi animadversum est Lutheri conatus, dum non inilio reprimuntur, suos habere successus, mox alii super alios existunt homines importunis ingeniis, et ipsi quoque novam mundo lucem venditant, aiunt se vidisse quod necdum Lutherus viderit. Ita repente in unam Germaniam multiplex nimium credula turba Evangelium obrudunt, et incredibili stultitia ab imperita concione arripitur Lutheranum, Carolostadianum, Anabaptisticum, Zuinglianum, Schuencfeldianum, Osiandrinum, etc. Nec vident cæci et miseri homines, dum ab una vera Catholica religione abduci se sinunt, se in tam varias et mirabiliter pugnantem sectas seduci, ut jam permulti sint, qui prorsus ignorent, quid potissimum sequi debeant in tanta novorum dogmatum varietate. Hoc vero jure meritoque patiuntur, quod stulte et pueriliter quibuslibet novatoribus primo aures, mox etiam fidem commodarunt, cum in ea debuerint religione constantissime perseverare, quam tot perpetuis sæculis universa Germania, et Catholica Christi Ecclesia coluisset, quam hodieque tot amplissima regna et provinciae colant. Interim vero dum seductoribus obtemperant, qui non Christi, sed suam gloriam quaerunt, et miserorum animas negotiantur, in multas discinduntur factiones, inde animorum

dissidia existunt, et perniciosissimæ dissensiones, similitates, inimicitiae, unde necesse est Germania vires prorsus enervari, sensim collabescere, dum inter se Germani tam misere distrahuntur, atque ita Turcis, qui hæc non ignorant, crescant vires, nec dubitare sanæ quisquam mentis potest quin illi in omnem occasionem sint intenti, et ubi eis commodum visum fuerit nos sint oppugnaturi ».

24. Visa Turcis fuerat commoda arrisisse occasio profundera Tyrannidis, cum Carolus V gubernacula imperii abjiceret, atque in Transylvaniam hostilem exercitum effunderet; at Ferdinandus non contraxit animum, sed fortiter tumultuantes Austriacos compescuit, nec religionem mutari passus est, qua mutata, fingebantur omnia e sententia successura, collectumque exercitum immisit in Turcas, quos etiam variis præliis fregit, multamque etiam ex eis prædam abegit.

25. *David Georgius Major haeresiarcha et impostor moritur.* — Hoc anno Basileæ in Germania extinctus est nequissimus haeresiarcha David Georgius Major, qui præstigiis suis multo ante Batavos fascinarat Sathanæ opera, ut instar Antichristi se verum Christum, ac regem promissum a Prophetis gloriaretur, adeo ut simplici populo ab eo illuso plures excitata fuerint turbae, ad quas compescendas a magistratibus gladio animadversum est in ejus sectarios, atque adeo in ejusdem matrem : ipse vero cum amplissimas opes corrasisset ab iis qui in eum stulte crediderant, aufugerat Basileam ante annos duodecim, mutatoque nomine se Joannem Bruch appellarat, adscriptusque inter cives, tamquam Evangelii causa exilium passus, honestam et opulentam familiam aiebat, at ejus felicitas parva flagitio, brevi evanuit, factumque est quod de impiis scribitur ¹ : *Innitetur super domum suam, et non stabit*, nam domestici ipsi promissi regni expectatione longa illusi, ejus imposturas fastidire ceperunt, « quorum precipuum increpuit », inquit Sarius ², « cur de recertissima dubitare voluerit, at non credat se verum esse illum Davidem a Deo missum, ut his extremis temporibus regnum Israeliticum restituat, Jacobique tabernaculum instauret? At ille impudentiam impii tempit, monuitque socios, ut ab ea secta discederent, et quia gaudium hypocritæ est instar puncti, deficientibus ab eo conjunctissimis, divinæ in eum indignationis signa apparuerunt, nam domus, quam in agro amœno extruxerat magnifice, cum tota suppellectili pretiosa incendio conflagravit, aedes etiam, quam inhabitabat Basileæ, repente decidit; altera etiam illius domus de cælo facta est : tum viri gravis, qui ejus blasphemias et impias strophas noverat, adventu perturbatus adeo est,

¹ Stanis. Hosius in confess. Cathol. fidei. — ² Sur. in Comm.

¹ Job. VIII. — ² Sur. in Comm.

ul contracto ex mœrore morbo e vivis demigravit; obfirmatus tamen in flagitio persuasit suis, se triennii flexu resurrectorum, regnumque illud admirabile adeo celebratum a Prophetis futurum, ipsosque suæ felicitatis participes futuros. Constitit ex ejus scriptis execranda hæc figmenta docuisse, quæ refert Surius: « Ausus est scribere omnem doctrinam Moscos, Prophetarum, ipsius Christi, et Apostolorum, ac discipulorum esse imperfectam, et inutilem ad absolutam consequendam felicitatem, atque in eum tantum usum traditam, ut homines quasi pueros ad hoc usque tempus coereret, suam vero doctrinam esse perfectam, et quæ hominem beare queat. Asseruit se verum esse Messiam, Patris clarissimum Filium, non ex carne, sed Spiritu sancto natum, se restauraturum domum Israelis, verosque Levi filios, verumque Dei tabernaculum, idque non cruce, vel morte, aut rebus adversis, ut alter Christus, sed clementia, et Spiritu Christi, qui ipsi a Patre sit datus, amore et gratia. Se dixit habere potestatem solvendi peccata, et remittendi, et retinendi, seque in extrema die totum mundum judicaturum, se majorem esse Jesu Christo, quod hic ex muliere in carne natus sit, se vero e Spiritu sancto cœlestem Christum natum et unctum. Multa alia absurda nimis et impia scripsit homo perditus, et tamen hæc omnia conatus est adstruere sententiis Scripturæ divinæ. Ita nullus est tam scelestus et abominandus hæreticus, qui non jaçitet Dei verbum. Cur igitur tandem non eavent sibi homines ab istis novi Evangelii in tot sectas distracti præconibus sub prætextu puræ doctrinæ, et verbi Dei, et sinceri Evangelii horrendos in orbem errores invehentibus, et innumeros in larlara abducentibus? »

Dum fanatici impostoris resurrectionem expectant ejus sequaces, qui cadaver magna pompa sepulchro mandarant, delata est vertente triennio blasphema illius hæresis ad senatum Basileensem, a quo in eum credentes abrepti fuerunt in vincula, putidumque ejus cadaver sat integrum refossam, atque a carnificem una cum scriptis et imagine concrematum.

Subdit Surius: « Idem supplicium intentatum iis, qui quippiam contra hoc judicium dixissent aut fecissent. Nos quidem qui Catholici, Deo favente, sumus, satis novimus jure animadverti in hæreticos, attamen cum Pontifex et Catholici magistratus id faciunt, quam belle audiant apud sectarios, scripta eorum probant: scilicet cum Zuingliani vel Lutherani, aut alii id genus homines puniunt hæreticos, in virtute et laude ponendum est, cum Catholici, in vitio et vituperatione. In Anglia (ut mox dicam) cremata sunt cadavera Buceri et Fagii, id indignissime tenuit Foxus et ejus complices, sed rectius

illi stomacharentur in Genevenses suos, apud quos traditur, ante annos non admodum multos cadaver ejusdem, qui ritu Catholico Sacramenta sibi ministrari petierat, in Crucem actum. Omnia licent præconibus Evangelicis; Pontifici et Catholicis nihil licet: una eademque res cum fiat a Luthero, Zuinglio et Calvino, purum putumque Evangelium est, et eximia virtus; cum fit a Pontifice, aut a Catholicis, facinus est Antichristianum, impium, execrabile ». Qua tam injusta fraude profecto hæretici testificantur, quod operibus patrum suorum consentiant, ethnicorum scilicet et idololatrarum, de quibus lamentabatur Augustinus¹ Marcellino scribens, quod tam iniqui judices essent Christianorum operum, quæ si ab ethnicis facta fuissent, laudatione pariter et admiratione prosequerentur. « Hæc (inquit) cum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur et plauditur: cum vero legitur præcipiente auctoritate divina, accusatur religio tanquam inimica republicæ ». Ejusmodi itaque principiis gloriari possunt novatores, nam ut scite Tertullianus² aiebat: « Omne genus ad originem suam censetur necesse est ».

26. *Palatinus et Badensis duæ religionem Catholicam e sua ditione evellere conantur.* — Diffudit latius Lutherana impietas in Germania infelices suas propagines, cum Otho Henricus Palatinus, et Carolus marchio Badensis in tantam insolentiam hoc anno prorupere, ut religionem Catholicam penitus e sua ditione evulserint, ac populos infelices in castra Sathanæ traduxerint, qui de flagitiorum licentia sibi ablanditi non intellexerunt, se tanquam victimas ad æternam carnificinam trahi: de quibus hæc Surius³:

« Per hoc tempus, aut circiter, Otho Henricus Palatinus elector, et Carolus marchio Badensis e suis ditionibus veterem religionem pellunt, et novam inducunt. Non est mirum, ut alias etiam dixi, populum libenter amplecti nova hæc dogmata, quia plausible sunt et suavia veteri homini. Permittunt direptiones rerum Ecclesiasticarum et cœnobitarum. Junia, vigiliae, preces, mortificationes carnis, mundi contemptus, studium continentiae, sobrietatis, pudicitiae, et id genus virtutum, papistarum sunt commenta. Sola fides justificat, confessio peccatorum et pœnitentia nugæ sunt, et carnificina papistica. Quis non hæc libenter audiat? Quis non cupide amplectatur? et tamen longe secus docet Scriptura omnis, et ipsa quoque, quantumvis dissimulemus, longe diversum nobis testatur conscientia. *Qui autem sunt Christi, ait Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitis, et concupiscentiis. Hoc facite, et vives.* Eant Evangelici cum isto suo blandissimo

¹ Sænar. l. 1. c. 11. Con. Fr. Pæ. Librum c. 9.

² Ep. v. ³ Tert. Præc. — ⁴ Suri. in Comm. — ⁵ Gal. v. — ⁶ Luc. x.

Evangelio, qui volent. Ubi ad Christi tribunal venerint, sentient se toto cœlo errasse ».

27. *Henricus Gallia rex, non semper sibi constans, in hæreticos sui regni severitatem exercet.* — In Gallia exercebatur judiciorum¹ severitas adversus hæreticos, nam licet Henricus rex cum Protestantibus junxisset fœdera ad debilitandam Cæsaris potentiam; tamen eam pestem in suo regno pati non poterat, ne seditiones ac turbas concitaret, proindeque contentus Evangelio vetere, quod majores coluerat, odebat novum Evangelium inventum a Sathana, impiisque Zuinglii et Calvini deliramentis pollutum: constatque ex litteris Viterbiensis episcopi in Gallica aula internuntii, plures in Gallia religionis violatæ causa flammis traditos, suppliciumque intrepide pertulisse, cum mens eorum adeo a Sathana occupata esset; nec plebeis modo ea insaniam fascinatos fuisse, sed etiam sacratæ ordinis aliquos ministros, atque ex iis Monspeliensem episcopum mense Februarii proximi anni in carcerem conjectum. Cæterum, ut Guillelmi Pelliserii, hoc enim nomine Monspeliensis episcopus vocabatur, famæ atque honori consulamus, haud omittimus referre, apud Sammarthanos, qui de Gallia episcopis scripserunt², haberi, insimulatum, quidem ipsum de hæresi fuisse, sed nequaquam infectum. Verum, quicumque demum fuerit, maximam profecto suo nomini infamiam comparavit, dum gliscentem in sua civitate hæresim ignavus pastor non repressit, oblitus forte aureæ illius Gregorii magni sententiæ³: « Qui emendare potest, et negligit, participem se procul dubio delicti constituit »; imo, quod deterius est, Guillelmo Rondeletio, medico cæteroqui præstante, a quo Monspeliensis medica Academia hæreseos veneno contaminata est, in tantum familiarissime esse usus, ut a Pelliserio ipsum accepisse egregium, quod scripsit, de piscibus opus, testetur Thuanus. Ex qua quidem hæreticorum consuetudine, quantum Ecclesiasticis viris periculi et dedecoris accedat, facile patebit legentibus Epistolam sancti Bernardi abbatis ad Guidonem Pisanum cardinalem legatum, quæ reperitur notata numero 196. Sed qui in sui muneris partibus explendis tam segnis, et animabus sibi concreditis curandis tam deses fuit, tam impiæ omissionis in proprio corpore pœnas luit; nam vixit ad exactam ætatem⁴, contabuitque miserabilis senex inter frequentes et acerbissimos cruciatus, erosis lento et insanabili ulcere præcordiis, incertum, errore an culpa pharmacopœæ certe pessimi, qui catapotia quædam ex male trita colochynfide sumenda ægrotanti obtulit, multum indignantibus medicis, quod quæ salubriter et

caute præscripserant, ea tam infelici casu in amici præsulis perniciem verterentur. Justo Dei judicio id exigente, ut qui ovibus suis poculum mortis vel permiserit, vel propinaverit, mortem per poculi errorem infelicitèr hauserit. Sed hoc non nisi anno MDLXVIII.

Cum itaque novarum sectarum erumpentia germina tam strenue exscinderentur in Galliis, palam impietas efferre se non audebat, ac ministri Calvinistici captare latebras cogebantur, quod cum Calvinus acerbe ferret, Theodorus Beza, qui flagitiis suis magnam apud impios nominis claritatem sibi peperit, molitus est ab Othone Henrico Palatino Catholica religionis hoste mitti litteras ad regem Gallia, ut ipsum ab insectandis Calvinisticis detereretur, sed cum ille Lutheranus esset, Beza vero Sacramentarius, ea usus est fraude, ut se Lutheranus profiteretur; fingere enim, ac refingere religionem, ac veluti calceos mutare, licitum sibi esse voluit. Hujus Evangelici et Evangelicorum signiferi perfidiam ac nequitiam ita describit Sarius¹:

« Est in Calvini discipulis non postremus Theodorus Beza. Is quondam Juris licentiatum Parisiis, ex opulentis sacerdotiis ultra septingentos coronatos aureos percipiens, vitam vivebat spurcissimam, ac varia libidinum specie contaminatam: erat hæc quædam ad deteriora Parascève, talesque mores nihil merebantur aliud, quam ut homo impurus prorsus a Deo rejectus in inexplicabiles perfidiæ et hæreseos labyrinthos detruderetur; quod et factum est; nam ad Calvinum defecit, venditis prius simoniaco sacrilegio sacerdotiis vel beneficiis Ecclesiasticis, sed quemadmodum in Calvino, aliisque hæresum architectis nulla fraus et dolus, miraque inconstantia fuit, ita et in hoc Beza, quemadmodum vel unum præclarum facinus, quod subjecimus, declarat.

« Anno hoc MDLVI, abiit ille ad electorem Palatinum Othonem Henricum, qui erat Lutheri placitis addictissimus, cum Farello homine pestilente, qui Genevam infecerat, et Calvinum, Servetum, Viretum, aliosque id genus habuit discipulos, atque ob metum seditionis a Basileensibus proscriptus, et in exilium abire jussus fuit. Obtulit autem Beza illi principi arte veteratoria, et multa cum simulatione confessionem quamdam, atque, illi non modo Allobroges, sed etiam Helvetios subscribere. Fecit hoc ille bonus vir, ut principis benevolentiam sibi conciliaret, qua tum opus haberet, maxime quod rex Francorum severe in Calvinistas animadverteret, quem eo nomine aptum principem accusabat tyrannidis, orans, ut regem a proposito precibus et minis deduceret. Porro hæc confessio ad verbum habebat verum, reale ac substantiale Corpus et Sanguinem Christi sub specie rerum

¹ Ext. in Ms. card. Spade sign. num. 137. p. 163. — ² Samm. l. 1. Elog. 9. — ³ El. 61. l. q. ind. 4. — ⁴ Lib. XXXIX. Hist.

¹ Sar. in Comm.

visibilium representari et exhiberi. Dixisses Calvinistas et Zuinglianos prorsus mutatos in Lutheranos : sed quid non fingit deplorata nequitia ? Princeps quidem, et qui aderant, ea confessione lætabantur, et quod putarent conversos esse Sacramentarios, communis gratulationis ergo miserunt eam duci Wiltembergico ; is quoque tam insperatam melamorphosim miratur et laudat : spargitur mox rumor in Germania, agitur triumphus de Zuinglianis ante victoriam. At Tigurini ubi de re tota certiores fiunt, de tanta hominis impostura acriter dolent, et eam confessionem magna contentione oppugnant, Bezamque falsi reum peragunt ; nihil enim Zuingliani illi volebant minus, quam a Zuinglio ad Lutherum defecisse videri ; nam tametsi Lutheri placita in quibusdam non inviti sequuntur, at in re sacramentaria errasse Lutherum, plus Luthero vidisse Zuinglium contendunt. Quid vero interim Beza ? num se deserit ? minime. Audi artem tali arte dignam. Vult persuadere Tigurinīs dolum aliquando hominum esse, et aliud agere alque simulare, nec dubium est, quin lotum hoc Evangelium his artibus sit instructissimum, iisque et ortum, et auctum, et propagatum sit, et id quidem mortales minime vident, ubi autem Deo propitio quandoque videant, repente, ut fumus, illorum præstigia, quibus homines dementant, evanescent. At Tigurini tamen hoc paradoxo minime contenti non prius in gratiam recipiunt Bezam, quam suam ille culpam agnosceret. Redit inde vir optimus ad suos Helveticos et Allobroges, et ut priorem fraudem posteriore expiaret, atque re ipsa testatum efficeret se Germanis illuisse, in Westphalum et Heshusium stringit calamum, palamque proficitur, non aliam in Cœna Domini esse Corporis et Sanguinis præsentiam, quam in Baptismo, in concione, in lectione sacre Scripturæ, atque in privata meditatione, quoties mens fidelis ad Christum assurgit. Et rursus tamen, ut a Germanis non penitus deficere videatur, fatetur in Cœna Domini substantialiter et realiter verum et naturale Christi Corpus esse et exhiberi, sed cœnam non vult esse id, quod inter homines ex Domini præscripto geritur, ejus vero præcipuam partem in Cœlis peragi, cui nos intersimus fide et spiritu. Ita isti infelices sibi in primis, deinde etiam aliis portentosis verborum strophis illudunt, atque in sanctissimis religionis negotiis haud aliter atque in scena versantur, in alias atque alias subinde transformati formas, ut cum tidem perpetuo loquantur, diversos loqui putet. Et tamen is idem Beza multas postea in Galliis turbas excitavit, opima e locis sacralis spolia abegit, et tantum apud homines misere fascinatios principatum et regnum oblinere visus est. Faxit clemens et bonus Deus, ut tandem nobis pateant oculi, et videamus quam splendide isti nobis imponant, quam

omnia in summam et sempiternam animarum perniciem machinentur, quam nihil spectent minus, quam ut rebus salutique nostræ consulant ».

28. *In Anglia religio restoret.* — In Anglia reflorescebat Catholica religio piis laboribus Reginaldi Poli Apostolicæ Sedis legati, a quo celebrata est Synodus totius Provinciæ, atque in ea sanctissimæ leges veteres instauratæ, nonnullæque novæ constitutæ, quæ a Paulo Pontifice confirmatæ fuerunt, de quibus hæc Sandernus¹ : « Illustrissimus legatus juxta decreta illius Synodi, quam ante coegerat, religionis restituendæ ac reformandæ formulam a Summo Pontifice prius visam et approbatam publicavit, atque ab omnibus ordinibus servari jussit. Cæterum illud ad cohibendum clericorum in victu nimium luxum, de certo ad mensam fereulorum numero, multi egre tulerunt, nec facile illis locis et temporibus observari potuit. Ambitio quoque, plurimæque beneficia congerendi infinitum studium (quod ab Ecclesia et clero paulo ante propter hæc et hujusmodi peccata, tam acriter castigatis, et tam recens in gratiam receptis, longius etiam quam a cæteris Ecclesiis abesse debuit in multis vix potuit retardari vel extinguī : unde jam tum homines aliquot vere pii, et secundum Deum prudentes, timuerunt ne iterum a Domino gravioribus quam ante flagellis vapularemus ».

Impositus vero est finis Synodo a cardinale Polo legato habite anni hujus principio, in qua decreta de instaurata disciplina Ecclesiastica promulgata, omnia illius capita septem articulis distincta sunt, ut Viterbiensis episcopus in Gallica aula inferentius ad cardinalem Carafam xxix Februarii scripsit.

29. *Reverentia per oratorem obedientiam Pontifici præstat.* — Hoc anno Sigismundus rex Poloniae misso oratore Sandomiriensis arcis præfecto obsequium Pontifici Paulo velere more ac instituto detulit, de quo honorifice excepto, regiæque pietatis significatione data, hæc rescripsit Paulus², regemque hortatus est, ne se hæreticorum, qui in eo regno grassari cœperant, fratribus irrefiri aut pravis colloquiis infici pareretur.

« Charissimus in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniae illustri.

« Charissime in Christo filii noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quodvis serenitatis tue erga nos et sacrosancam hanc Sedem officii genus semper quidem gratissimum nobis est, sed obedientia quam proxime dilectus filius Stanislaus Castellanus Sandomiriensis orator tuus, nomine tuo ad nos detulit, eo nobis gratior fuit, quo magis necessario regni tui tempore delata est ; nam etsi obsequium hujusmodi, ut

¹ Sandernus, de Schism. Ancl. l. II. — ² Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2889, p. 38.

scis, a regibus, principibus, et populis omnibus Christianis, nobis ac eidem Sedi debetur, et a maioribus tuis summa fide, amore ac pietate perpetuo praestitum fuit, hac tamen tuæ istius constantis erga eam et nos observantiæ significatione ad eos commendandos, qui te ac regnum idem tuum ab obedientia ipsa abalienare, atque a vera religione seducere conantur, nihil in praesenti esse opportunius potuit. Verum non satis futuræ sunt hæc cæremonia, nisi tua eadem animi constantia et virtus a novarum rerum cupidis et perniciose eorum consuetudine pravisque colloquiis sese immotam et invictam servaverit, quæ, quam bonos omnes mores corrumpere, et rectas mentes subvertere solita sint, minime te præterire arbitramur. Hoc ne serenitati tuæ ullo unquam tempore accidat, videmus quod abs te et nunc diligenter curatur, et curaturum iri in posterum plene confidimus, sed ob nostram in omnes Christi fideles pii et communis patris charitatem, bonique pastoris vigilantiam, ac privatam curam et benevolentiam, quæ te ac res tuas tuumque regnum nobilissimum, ut vides, amplectimur, facere non possumus, quin hæc ipsa, quæ si non forte iisdem verbis, at saltem eadem sententia non semel ad te scripta fuerunt, sepius repetamus, ea utique spe, ut serenitas tua veri pastoris sui vocem agnitura sit, eique, ut facit, longe studiosius quam impiorum consilii audiens futura : nam secus, qui eam neglexerit, non te ignorare arbitramur quamnam tandem rationem ante verendum justissimumque Dei tribunal redditori sint, sicuti venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis nuntius noster tecum est acturus, ad quem, cum etiam de iis, quæ per ipsum oratorem tuum a nobis petiisti, diligenter scribendum curaverimus, ex eodem cognosces, quid et nos sentiamus, debeamusque, et a te quoque sentiri debere putemus. Cætera, quæ ad præstitam obedientiam pertinent, idem ipse orator testis erit, quanta cum nostra omnium approbatione tuæque serenitatis laude fuerit accepta, nam de ipso oratore si quid ad tuam de hoc ejus obeundo munere expectationem adjungi posse a nobis speraremus, multa de illius eloquentia, prudentia, pietate, et aliis egregiis virtutibus, quas his paucis diebus in eo cognovimus, scribenda essent, sed cum nihil ad te novi nos esse allaturos putemus, illud tantum restat, ut tales ac tam bene de tua serenitate deque patria sua meritis viros non minus tibi in Domino gratulemur, quam eorum vicem doleamus, qui in ejusdem tuæ serenitatis et patriæ, atque animarum suarum exitium ei adeo dissimiles fieri audimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xxv Maii m^odlvi, Pontificalis nostri anno II ».

30. *Hæreticis in Polonia resistunt Andreas Cracoviensis et Hosius Warmiensis.* — Ut multi levitate ingenii abrepti, aut morum pravitate

corrupti, aut captandæ novitatis cupidine illecti, impliciti sunt hæreses laqueis in Polonia, ita non defuere viri graves flagrantissimo pietatis studio incensi, qui hæreticorum trandibus et conatibus constantissime resisterint; inter quos Andreas episcopus Cracoviensis ¹ a Pontifice commendari meruit, atque ad decerpandas pro defensa religione ampliores coronas incitari :

« Venerabili fratri Andree episcopo Cracoviensi.

« Venerabilis frater. Noster apud vos et Sedis Apostolicæ nuntius venerabilis frater episcopus Veronensis in litteris suis, quibus religionis statum, qui isthic nunc est, perscripsit, ejusmodi testimonium cum aliis Ecclesiastici ordinis viris, atque etiam nobilibus laicis nonnullis tribuit, tum fraternitati tuæ dedit, ut in dolore quem capimus ex zizanii, quæ per seditiosos homines ministros suos inimicus in regni istius nobilissimi perniciem sparsit, et quotidie latius spargere, et disseminare conatur, non parum nos præstans virtus et gravitas tua consolentur, sitque penitus nobis persuasum, perpetuum tuum et constans religionis ipsius et fidei Catholice defendendæ studium, tanquam firmum præsidium improborum audaciæ oppositum fore; quamobrem gratias agimus omnipotenti Deo, quod ad hoc tot tantosque isthic habeat, ac tam fideles operarios obstare paratos eorum impietati, quos ad vastandam vineam Dominicam apud vos perpetuis Ecclesiæ hostis excitavit atque impulit, in quo et tu et reliqui ejusdem ordinis præclare vos ostenditis nosse, quod officium vestrum, quod munus, quæ bonorum pastorum partes sint. Certe enim, ut mercenariorum est lupis adventantibus fingere, ovium salutem deserere, ita bonorum est pastorum eas ab illorum irruentium rabie defendere, atque etiam, si ita accidat, pro eis animam ponere, quo animo qui sunt, quique talem erga greges suos fidem et benevolentiam præstant, iis a Domino æternum, ut seis, paratum est præmium, ejus assequendi tu occasionem quando ipsius Dei impulsu beneficioque complexus es, cum scias nonnisi eos, qui legitime certaverint, coronari, eam tene, et quo majus certamen cum adversariis proponitur, hoc studiosius et fortius Dei omnipotentis auxilio fretus ipsis honorem et cultum una cum ovium tibi commissarum salute, et patriæ tuæ pace et quiete tuere atque defende, nefarii que hominum turbulentorum conatibus, qui Ecclesiæ Dei vexatores sunt et perturbatores publicæ tranquillitatis, nec minus suæ ipsorum salutis, quam aliorum inimici, vim istam et animi, et ingenii tui, ut facis, oppone, ita ut exemplo tuo alii, quotquot bene sentiant, confirmentur; quibus quantum profueris tantus ad tua merita

¹ Paul. IV, lib. brev. sig. num. 2889, p. 37.

cumulus accedet, quemadmodum te facturum esse minime dubitamus; nunc vero hoc quod attingimus tui magis inflammandi causa diximus, quem adeo incensum videmus, quam ut fratero erga te officio fungeremur, nostramque in te benevolentiam vel hoc ipso ostenderemus indicio, parati eam tamen aliis quibuscumque rebus cum Domino poterimus fraternitati tuæ declarare. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXI Maii MDCVI, Pontificatus nostri anno 1 ».

31. Inter alios præsulcs, qui in hæreticis confutandis discutiendisque eorum tenebris strenuam navarunt operam multis scriptis, inclaruit Stanislaus Hosius¹ Warmiencis, qui hæreticorum jactantiam a se Evangelii lucem Polonia inferri, impiam impudentiam refregit, non aliud ab ipsis allatum Evangelium, quam mendaciis nefariis depravatum ostendens, cum ante sexcentos annos vero Evangelio fuerit colustrata, nec alias traditiones, aut Evangelii interpretationes admittendas, quam quæ ab Apostolis per manus SS. Patrum ad nos transfusæ sunt :

« Quanta fuerit, inquit, hæc mentis væcordia, si recipiamus ignotum Evangelium, rejiciamus vero quod a SS. Patribus nostris traditum habemus? quod si nomen Evangelii tribuunt iis libris, quos ab Evangelistis et Apostolis, quos etiam a Prophetis ante scriptos habemus, hoc vero jam inde a sexcentis annis prope recepit Polonia, nec est quisquam qui dubitet, quam sit in eis expressum Dei verbum. Quamobrem quod ad Scripturam attinet, non est aliud Evangelium, quod a nobis obtruditur ab hæreticis, ab eo quod nos profitemur. Quin ipsi Scripturam omnem canonicam a nobis habere se palam fatentur. Quod igitur est aliud illud, quod evangelizant? illud nimirum, cui (sicut scribit Calvinus) aliena commenta assunt, cujus alienum quemdam et hæcenus inauditum in Ecclesia Dei sensum adferunt. Et hoc est, quod nos monet Paulus² : *Si quis vobis aliud evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit*, hoc est, si venerit Lutherus, Calvinus, aut Philippus, et alio sensu vobis prædicaverit Evangelium, quam quem a sanctis Patribus accepistis, si quid ab eo diversum annuntiaverit, quod ab illis traditum habetis, anathema sit. An iis Pauli verbis non merito detereremur, quominus istorum commenta pro Dei verbo recipiamus ». Et infra : « An vere non sunt idola Lutherus, Calvinus, Philippus, Brenlius? an quod est Sathanae proprium, non adversantur, an non extolluntur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeant, ostendentes se tanquam sint Deus,

et quidquid scribunt, quidquid dicunt, hoc tanquam expressum Dei verbum ab omnibus adorari contendant? »

32. Proruperat eo novorum Evangelicorum impudentia, ut etiam Evangelio Christi commenta et scripta fallacia præferrent, quod Sacramentarii Lutheranis, vicissimque illis Lutheranis objecerunt, atque expressa Dei verba in alienum sensum detorquerent, ut fierent Sathanae verba, quæ non expresso vero, sed affecto sensu falso, a Christo expressa contenderent, quorum fraudes Hosius¹ in libello ad regem Poloniæ ita confutat :

« Erasmus Albertus de Lutheranis scribit, quod cum aliud nihil superest, ad Augustanam confessionem, tanquam ad sacram anchoram confugere consueverunt, et tanti, inquit, illam faciunt, ut non desint inter ipsos, et quidem non postremi, qui dicant, se malle de Pauli ipsius Apostoli, quam vel de Lutheri, vel de confessionis Augustanae doctrina dubitare. Vides quemadmodum etiam ipsi ferre non possunt Sacramentarii, quod pro verbo Dei recipiatur (quod plaris etiam fiat quam Dei verbum) quod vel in Lutheri libris vel in Augustana confessione continetur? et feremus nos Christiani, quod ferre non possunt quilibet impuri Christiani? » Et infra :

« Satis demonstrasse videmur, quod nunc imperitæ multitudini, tanquam Dei verbum ab hæreticis venditur, id non Dei, verum diaboli verbum esse, a quo mentes piorum omnium abhorre oportet ». Et post multa : « Stultas hoc sibi mulierculas arrogare videmus, ut reiectis Patribus, contemptis pastoribus et doctoribus, totius Ecclesiæ sensu et consensu ne pili quidem facto suam interpretationem eorum interpretationibus anteponere non reformident? » Et inferius :

« Vis cognoscere, pietissime rex, quod expressum Dei, quod sit expressum diaboli verbum? ex una quidem eademque Scriptura, sicut copiose jam a nobis demonstratum est, utrumque produci potest. Verum interea discrimen paucis accipe, si quis ita Scripturam intelligat, ut charitatem intellectu suo adificet, Dei verbum est. Si vero sic eam intelligat, ut intellectu suo, quod est charitatis contrarium adificet, diaboli verbum est ». Et multis interjectis : « Quis nunc sit regni tui status vides, dum non alia fere de re, quam de expresso Dei verbo disceptatur ab omnibus, dum sibi quisque cognitionem illius arrogat, dum sua quisque phantasmata, tanquam expressum Dei verbum vult adorari, neque raro fit, ut quo quisque est indoctior, hoc majore audacia de eo, quod non intelligit, expressum tamen Dei verbum videri vult, disserat ».

¹ Stanislaus Hosius ep. Warmien. de expresso Dei verbo, ...
² II Thies.

¹ Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo, p. 85 et seq.

33 Edidit etiam Stanislaus Hosius ¹ dialogum de communione utriusque speciei, cum hæretici illis ad salutem necessarium suaderent, quos a salutis via ad aeternum exilium tradebant, atque infelicissime eripiebant iis Christum, quibus duplicem speciem pollicebantur; quam impiorum fraudem his verbis in luce collocat, ac disjicit :

« Quid iste somniat de effuso sanguine quasi denuo fundatur, cum ex calice bibitur? cum effusus ille sanguis non alibi sit, quam in illo corpore glorificato, in quo resurgens Christus non amplius moritur, nec sanguis ejus fundetur amplius, sed sicut in cælo localiter, in verbo personaliter, sic sub vini speciebus est sacramentaliter, ut sive quis sub una, sive sub utraque specie sumat, totum Christum sumat cum Carne, Sanguine, anima et divinitate, cum hæc ab invicem separari nequeant. Sed sic plerumque solent, qui de speciebus sacramenti Eucharistiæ contendunt, nimirum altercando veritas amittitur; dixit ille: Dum contendunt de his, quæ videntur speciebus, amittunt enim, qui carnis oculis non videntur, vere sub illis latentem, qui vere salus nostra est, Dominum nostrum Jesum Christum ex utraque specie, quando seorsum Corpus, seorsum dari Sanguinem imaginantur, et imprudentes in errorem Nestorii prolabantur ».

34. *Geminæ Pauli litteræ ad regem Poloniae quem hortatur ut hæreticos e regno ejiciat.* — Serpente in dies latius hæresen multiplici peste per Poloniam, ipsaque regia hæreticorum familiari licentia contaminata, Paulus ² Sigismundum regem gravissimis hæc litteris admonuit, ut Joannem a Lascho hæresiarcham, ac Petrum Vergerium pestilentissimum hærescos propagatorem, regno eiecet, ac mature periclitanti regno consulere:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniae illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Perpicere ex proximis litteris nostris potuisti, quod gaudium nostrum, quæ lætitia fuerit iis de te auditis, quæ vehementer optabamus. Quid enim parens vel libentius audit, vel facilius eredit de filio suo, quam quæ recta, quæ sancta, quæ salutaria sunt? Verum ea de re postea ad nos allata sunt certis non paucorum testimoniiis, quæ lætitiâ illam nostram in gravissimum mœrorem converterunt, nosque maxime de tua et de regni tui salute sollicitos jam et anxios esse cogunt; quæ quidem si faceremus, officio nostro deessemus, nostrique silentii in die iudicii rationem reddere cogemur, neque amari te a nobis neque salutem atque existimationem tuam nobis charam esse ostenderemus: itaque

statuimus tecum ita agere, ut parentem cum charissimo filio oportet, et indicare tibi ea in quibus peccas, ut ea corrigere et cum salutis animâ, tum etiam existimationi, et regno tuo consulere possis. Audi igitur, charissime fili, ea, quæ ad te scribemus a quo animo, paternumque hoc officium nostrum in optimam, ut debes, partem accipe. Habetis in aulis vestris, vos reges, assentatores permultos, habetis, qui non salutis et dignitati vestræ, sed suis ipsorum commodis et cupiditatibus inserviant, qui honores ambiant, qui opes concupiscant; at quam paucissimos habetis, qui vere, qui sincere, qui fideliter mœnent, quique vos ex animo diligant! Nos ex te nihil quærimus, nihil concupiscimus, nisi te ipsum, non opes tuas, non munera expectamus; nemo fidelius monet, quam qui sine ulla cupiditate monet: credimus, imo certo scimus ex ministris et purpuratis tuis aliquos et bonos, et tibi fidos esse, sed limidi sunt, neque libere monere te audent. Nostrum hoc est munus, nostræ partes, quos in hac summi sacerdotii specula Dominus collocavit, et gregi suo quamquam indignos immerentesque preposuit ut salutis iter omnibus demonstremus, ut errantes in viam reducamus, ut sine dissimulatione ulla ipsos defendunt, arguamus, quod quidem officium si negligentia prætermitteremus, et si illi in peccatis suis morentur, va nobis, quorum de manu Deus, sicut per Ezechielem denuntiavit, sanguinem eorum requireret. Quæ igitur de te ad nos delata sunt, quæque te plane hæreticis non sine gravissimo omnium Catholicorum scandalo favere declarant, hæc sunt. Quod cum hæreticis, quibus ne Ave quidem dicendum esse Joannes Apostolus præcipit, qui ne iisdem quidem balneis, quibus Cerinthus hæreticus usus fuisset, uti voluit, ipse in orationibus, et in sermonibus, et in mensa convivioque communicas; quod et ad hæreticos litteras das, et ab eisdem accipis; quod pestiferos ipsorum libros tibi inscribi, et legi passim, ac vendi pateris, quod alia omnia hæreticorum scripta, quibus Catholicam fidem oppugnant, omnibus ex partibus in Poloniam deferri, et pro foribus regie tue exponi, vendique, et ab omnibus legi sinis, nec in quemdam ejusmodi librorum venditorem, etiamsi id tibi notum sit, animadverti jubes; quod hæreticos minime prohibes occultos cœtus et conventicula celebrare in privatis domibus, nec pœna ulla, etiam publicè contra Catholicam fidem concionantes, afficis. Quibus quidem de te, charissime fili, auditis, quæ nos dolore affectos, quantopere viscera nostra commota esse censes? Quem enim regem optimum Ecclesiæ filium, quem perpetuum Catholicæ fidei defensorem, quem acerrimum hæreticorum hostem fore sperabamus, aperte hunc videmus hæreticorum esse fautorem, et Catholicam fidem, san-

¹ Stanisl. Hosius in Dialogo de utriusque speciei Communione.

— ² Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 1.

etiamque matrem Ecclesiam oppugnantibus non modo non resistere, verum eos potius adjuvare. Adeone oblitus es parentum, et majorum tuorum clarissimorum regum, tam Catholicorum, et ita de Ecclesia Dei meritum principum, adeoque officii regii, adeo tua salutis es immemor, ut hæreticis tu favere sustineas; ut eos, qui perditii ipsi, et te, et commissos tunc fidei populos perdere festinant, sustineas, quorum non congressum modo, et sermonem serpenteum ut cancrum aspernari atque respuere, sed nomen ipsum horrere deberes, cum iis familiarissime vivas; quorum scripta tanquam pestem vitari abs te oportet, ea ad tuam et aliorum perniciem omnibus in locis regni tui, et in aula vendi, lectitari, divulgari impune patiaris? Hanc tantam nomini tuo maculam et notam inuri pateris? hos de te sermones apud Christianas omnes nationes dissipari? tantum regem, illo genere, illis majoribus ortum, illa disciplina institutum, adeo ab incunte ætate Catholicum et pium, hæreticorum nunc esse factorem? tam nobile regnum impune per hæreticos hæresibus imbuti, tam piam olim, et Catholicam Polonorum nationem a Catholica Ecclesia gremio ejus temporibus te connivente segregari? Quid illa? quam clara, quam perspicua signa tui erga hæreticos studii, quod hæreticis Palatinatus, hæreticis Castellanas, hæreticis alios regni tui magistratus contra regni constitutiones, contra sacros canones, contra tuum jusjurandum, tam impense mandas? An non hoc est aperte hæreses alere, et propagare, hæreticos ornare, provelere, et quam maximam illis potestatem dare? Quantopere piorum omnium animos frangi ac debilitari censes, cum tantopere hæreticos abs te extolli et beneficiis tuis augeri vident? Nec vero satis habes sæcularibus honoribus homines hujusmodi ornare, quibus omnis ad honores aditus interclusus esse deberet, verum, ut audivimus, Ecclesiasticis etiam dignitatibus contra divina et humana jura manus admoveere ausus es: siquidem Chelmensem episcopum maxima hæresis intantia laborantem, sine Apostolica Sedis auctoritate, ino contra ejus auctoritatem ad Wladislaviensem Ecclesiam promovisti, eumque et illius Ecclesie fructus reddidisse percipere, et pontificalibus in ea numeribus atque officiis fungi pateris, adeoque pertinaciter nominationem illam tuam defendis, quanquam justissimis de causis ab Apostolica Sede rejectam, ut his jam ad Ecclesiam Chelmensem ab eo desertam quosdam nominaris, quo illi succederent, perinde quasi Ecclesia Chelmenensis propter tuam nominationem vacaverit. Quo quid gravius, pejoreve exemplo abs te fieri potuit? quare in re potuit vehementius nostra, et Apostolica Sedis auctoritas sperni atque contemni? Deerant scilicet in tanto regno digniores viri, qui nominari

et præfici illi tam nobili Ecclesie possent? Wladislaviensem Ecclesiam, præteritis tot bonis et Catholicis viris, homini hæretico potissimum committendam putasti? Quid hoc aliud fuit, quam oves lupo, ut dicitur, committere? Quid illud? dissimularine a nobis potest, Palatinum Wilmensem non hæreticum modo, sed hæreticorum defensorem et ducem tantum apud te valere auctoritate et gratia? Nonne vides, quam talis hominis familiaritas et usus fama tua labem aspergat? ille omnibus abs te augetur honoribus; ille Lithuanie Cancellarius, ille Palatinus, ille foris, ille in cubiculo intimus, ut prope regni socius, et alter Poloniae rex numeretur. Itaque mirum non est, si minime veretur, te ipso vidente, ut audimus, plurimisque presentibus, sanctissimum Eucharistia sacramentum contemnere, et domi profanum altare habere, et in provinciae suae locis hæreticorum ritu rem sacram fieri jubere. Non sine causa metuitis semper, ne hominis tantopere perditii tanta familiaritas tibi noceret, scriptum est enim: *Corrupti sunt bonos mores colloquia mala*. Jam illud quantopere alienum officio regio fuit, quam indignum, quam minime ferendum, quam animabus multorum perniciosum, quod in publico regni conventu superioribus annis suspendi passus es episcoporum, quod ad puniendos hæreticos attinet, potestatem ac jurisdictionem, neque jam adhuc illis restituendam curasti. Quo in conventu quasi parum imminuta episcoporum fuisset auctoritas, quasi parum aucta hæreticorum audacia, et propagandarum hæresum potestas, passus es in proximis superioribus comitiis decretum fieri, si illud decretum appellandum est, quo Catholica religio impune oppugnatur, exercitur, deletur, quo omnia Ecclesie et sanctorum Conciliorum decreta et canones abrogantur, quo anime pretiosissimo Christi Sanguine redemptæ interficiuntur, ut unicuique impune liceat domi concionatorem hæreticum habere, et sacerdotem, qui quo is voluerit modo ac ritu rem divinam faciat. Heu! hoc tu tam nefarium decretum fieri passus es? non vel capitis periculo quominus fieret, obstitisti? istiusmodi sacrificia, vel sacrilegia potius approbare potuisti? quis deplorare satis pro rei indignitate facinus possit tam nefandum? Cui porro mirum videri debet permissu tuo reversum in Poloniam Joannem a Laska hæresiarum, ac alios hæreticos, qui vivo patre tuo, pie memoria rege, hæreticorum hoste, aufugerant, eosque impune, quidquid eis libeat, agere atque moliri; eaque impunitate proposita, Vergorium etiam Ecclesie hostem in regnum tuum venisse, sive eo sponte sua venerit, sive accessu tuo. Jam illud, quod te quoque patiente, quam indignum, quam novum, quam divinis legibus humanisque contrarium, ut publice abavis de fide liceat disputare, ut quibus de re-

bus, vel coram Apostolicæ Sedis antistite, vel in generali esset Concilio agendum et statuendum, de eis inter paucos homines, et eos profanos, et imperitos temere agatur et statuatur, et quæ a sanctis Patribus Spiritu sancto auctore fuerunt definita, in dubium vocentur? Quis non intelligat, quo in regno hæc, ipso facente rege, agantur, in eo propediem religionem Catholicam extinctum iri, et populos ab Ecclesia Catholica recessuros, quemadmodum accidisse jam audivimus Gedani, Helsingiæ, et in aliis quibusdam regni tui civitatibus, quarum defectione ab Ecclesia nemo te commoveri, nemo, ne tantum facinus committerent, quidquam te pro regio munere, atque officio sensit esse conatum. Itaque dubium non est, quin patientia tua animos multis aliis civitatibus, ut idem faciant, auxerit. Hæc sunt, quæ de te ad nos allata sunt, quanquam alia non pauca, nec levia omisimus, quæ utinam falsa essent! quibus cognitis indicet tibi Deus, ut cohorruerimus, suta lachrymis ægre temperaverimus, ut vicem istius nobilissimi regni, ut tot populorum, ut tuam, charissime fili, doloerimus. Actum enim de salute tua, actum de regno, actum de istius nationis salute videmus. Experrecta aliquando virtus et prudentia tua tantis malis medeatur, et impendenti jam universo occurrat exitio. Etenim quis non ruere regnum illud intelligat, ubi hæreses tantopere in dies augeantur? ubi hæresis honores, præfectura, magistratus, sacerdotia, opes, tanquam hæresis præmia proponantur? ubi sacri canones evertantur? ubi Conciliorum et Sedis Apostolicæ auctoritas conculcetur ab hæreticis, nec solum in angulis et occultis conventiculis, sed publice, palam, in foris Catholicam fidem liceat oppugnare? Potes etiam nunc, potes, charissime fili, quæ sunt vel prave ac perperam abs te commissa, vel nimis lente tolerata, corrigere, potes saluti, potes existimationi tuæ regnoque consulere; quod ut facias, et ut regis officium postulat, ut tantam hæresum pestem ex regno tuo ejiciendam, totque hæresiarchas inde expellendos, atque exterminandos cures, pravisque tandem aliquando repudiatis suasoribus, Catholicorum consilio in posterum utaris, serenitatem tuam per viscera Christi Domini nostri hortamur, rogamus et monemus, in quo si paternis nostris consiliis et monitis, ut non diffidimus, acquieveris, lætabimur et tua, quem præcipuo semper dileximus amore, et nationis istius olim maxime Catholicæ et Apostolicæ Sedi devota, causa. Sin autem, quod Deus avertat, plus apud hæreticorum, et Dei simul ac tuorum hostium consilia perniciose vauerint, quam nostra, qui licet sine meritis nostris Christi in terris vicarii sumus, salutaria, testificamur, atque denuntiamus, neque nos passuros, ut hujus sancte Sedis nuntius in eo regno com-

moretur, ubi tot et sanctorum facinorum et scandalorum testis et spectator sit, sed revocaturus eum, neque hæc ejus revocatione contentos, aliis remediis adhibendis, quæ justa et opportuna visa fuerint, sicut divina majestas nobis suggesserit, ipsius Dei honori simul et nostræ religioni ac fidei consulturos. Hæc tibi legenti molesta fore non dubitamus, verum aperte scribere, et libere, quæ reprehendenda fuerunt, reprehendere coacti sumus, si enim nimis molli-ter auribus tuis parentes egissemus, nec Deo nos, nec hominibus excusare possemus, nec illam per Ezechielem intentatam divinæ ultionis severitatem effugere. Detegere tibi animæ simul et famæ tuæ vulnera volumus, quo et facilius sanari possint. Nulla quæ agris porriguntur pocula, tam amara esse solent, quam quæ sunt salutaria: in quo nos quoque fideles medicos imitati, maluimus aures tuas offendere, quam non animæ tuæ periclitanti fidelis et liberæ admonitionis remedium adhibere, etc.

35. Quod ad Gedanenses, sive Dantiscanos, et Helsingenses attinet, in hoc anno quarta Dominica Quadragesimæ una cum Thomiensibus et Marienburgensibus usurpata communione sub utraque specie a Romana Ecclesia defecerunt, ut impia hæc conjuratione alios populos ad defectionem pellicerent. Præter vero Lutheranos et Sacramentarios plures aliæ sectæ, ut Suenckfeldiani, Anabaptistæ, Piccardi, Servetiani, Osiandrite in Polonia confluerant, cumque ordinum regni Polonici congregandorum tempus appeteret, veritus Pontifex¹, ne in eo conventu hæretici regem ad convellendam religionem impellerent, gravissimis illum litteris iterum admonuit, ne quid novari permitteret, ac incorruptam veteris fidei puritatem tueretur. Cumque nonnulli suasissent Sigismundo regi, ut Concilium OEcumenicum flagitaret, in quo omnes controversiæ dirimerentur, respondit Paulus, ut sanctissimas leges in aliis Conciliis latis contra hæreticos exerceret, rescinderet omnia acta contra episcopos, pristinaque jura illis restitueret, pelleret regno Poloniæ tot hærescon pestes, nec se congregando Concilio opera defuturum; ne vereretur tumultus ac perduelliones, si in hæreticos consurgeret, nam majores longe seditiones orituras, si illis licentiæ frenata laxaverit, multisque aliis monitis ad imprimendum animo divinum timorem, capessendamque Ecclesiæ ac religionis causam in impios præmunit:

« Regi Poloniæ.

« Charissime in Christo fili noster, etc. In hac pastorali specula a Domino constituti, si officium nostrum in tanto Ecclesiarum regni tui periculo prætermittamus, excusare nos ei, a quo huic officio prepositi sumus, minime pos-

¹ Paulus IV lib. brev. sic. num. 2061. p. 12.

semus, quare etsi per alias litteras nostras paterno erga te officio functi de iis te admonuimus, quæ et ad tuam quoque ipsius salutem et regni incolumitatem pertinent, lamen appropinquante jam die, quæ conventui celebrando constituta est, iisdem de rebus eo liberius commonefaciendæ te esse duximus, quo majore sollicitudine, cura, angore animi afficimur, ne quid turbulente ac temere in eo conventu agatur ab hæreticorum lautioribus adversus Catholicæ fidei integritatem et Ecclesiasticam disciplinam. Etenim hujusmodi tempus illud futurum est, quo quis animus tuus in religionem, et in hanc sanctam Sedem sit, poteris declarare, quo quidem si is est, qui esse debet, quemque ipsi a te expectamus, non patieris profecto eorum longius progredi temeritatem, quorum impia nefariaque consilia intelligere potuisti ad alendas confirmandasque hæreses spectare, ad bona Ecclesiarum et sacerdotum occupanda, ad evertendam episcoporum auctoritatem, ad res denique, et divinas, et humanas contumendas, quorum perniciosos conatibus abs te, charissime fili, obviam eundem est, nec dissimulanter jam aut timide, sed et aperte et fortiter Christi Domini nostri causa suscipienda tibi et defendenda est, confessionis tuæ eam mercedem percepturo, quam Dominus iis, qui se confessi fuerint in Evangelio proponit. *Si quis* (inquit) *confessus me fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in Cælis est, qui vero negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in Cælis est.* Si ul debes et potes, sanctissimam ejus religionem tutatus fueris, tecum is manebit, honoremque, et regnum, et salutem tuam in hac vita ab omnibus periculis tutabitur; in illa vero altera eo majus tibi premium tribuet, quo majorem hominum numerum, non eorum modo, qui sunt, sed etiam qui futuri sunt, qui, si tu a recto et Catholica fide aberrares, tecum simul ipsi quoque aberraturi essent, exemplo et auctoritate tua, si te in fidei integritate et unitate Ecclesie continueris, retinebis. Sin autem Dei causam, quod credere minime possumus, deserueris ac prodideris, ab eo ipse quoque desertus et relictus, sero admonitionum nosstrarum recordaberis. Et sane, qui de Concilio generali tantopere instant, si Catholici revera sunt, et ex animo Ecclesie unitati student, leges piæ observent optimas et sapientissimas adversus hæreticos a prædecessoribus tuis latis, sapientissimis religiosissimisque principibus: nec Serenitas tua suam ipsius legem decretumque tam laudabile negligi patitur, sed quod præclare et pie nuper ad reprimendam hæreticorum sanxit pravitatem jubet observari. Omnia quæ ad hoc tempus contra episcopos et Ecclesias acta sunt, rescindantur: sua episcopis jurisdiclio et potestas potius anno suspensa, restituatur. Ecclesie

quas hæretici potentium quorundam hominum auxilio invaserant, Catholicis reddantur: pelantur tot hæreticorum factiones, Piccardi, Servetiani, Suenckeldiani, Osiandritæ, Anabaptistæ, Lutherani, et reliquæ hujusmodi pestes, quæ per regnum tuum non sine ingenti animarum strage, non sine tui nominis macula impune pervagantur. Animo et rebus ipsis Catholicum oportet esse, non verbis. Inutile est nova expectare remedia, cum ea quæ in promptu sunt, liceat adhibere. Celebrabitur, Deo juvante, Concilium generale; id prope diem universis episcopis indicere statuimus, nostrumque ejus celebrandi consilium per legatos nostros multis notum fecimus, sed interim, qui vere Catholici sunt hæreticis debent insistere, nec dissimulando et connivendo pati eam pestem longius in dies serpere et corroborari. Quid est autem, charissime fili, quod animum tuum ab ulciscendis et puniendis hæreticis retardet? num forte vereris, ne quem tumultum ea res in regno tuo excitet? At quanto timidius egeris, pro certo habeto, tanto illos insolentiores et audaciores futuros. Si fortiter et constanter, ut debes, in eos animadverteris, eorum animos franges audaciamque debilitabis; si segniter et mollioriter egeris, ac si eos fimumis quibus terrori esse debes, animos illis auxeris, ut omnia sibi licere existiment, effeceris: si pro Dei Omnipotentis honore, si pro Catholica fidei defensione amittendum regnum, et anima præterea esset profundenda, non esset Catholico regi cunctandam, quin temporale regnum æterno brevem vitam immortalitate commutaret. Nunc si fortiter fidei et religionis Catholicæ causam defenderis, tum hæc ipsa e periculo eripueris, tum celeste regnum et vitam tibi acquireris sempiternam. Et dubitabis Omnipotentis Dei honori tanto proposito premio, vitæque simul ac regno tuo consulere? vel plus tu hæreticos, quam Deum vereberis? Decet-ne regem imperitorum civium prævis studiis obsequi? decet-ne eos sequi, qui ipsum sequi ducem debeant? Annon eos potius vel invites, coactos in officio et fide contineræ rege convenit? Quid est aliud regiam auctoritatem et potestatem abjicere, quam non audere levium et imperitorum hominum amentia adversari? Angliæ regnum memnit serenitas tua, per quot annos ab Ecclesia Catholica Henrici regis perfidia segregatum fuerit. Meminit sublata penitus religione et fide Catholica hæreticos ibi diu impotenter dominatos fuisse. Non plebs modo, sed et nobiles viri, et principes omnes, quoniam omnes qui se episcopos nominabant, hæretica pravitate jam dudum imbuti erant: cum hæc pestis in eo regno tantopere inveterasset, atque omnes corrumpisset, unius tamen mulierculæ annus in Dei Amore et Catholica fide constans tantum elicere Deo ipso adjuvante potuit, ut simul ac regnum ex poten-

tissimorum inimicorum manibus ereptum recuperavit, statim habito communi Anglorum concilio, quod illi Parlamentum appellant, coegerit episcopos, et cæteros principes Angliæ ac populos omnes ditiosæ suæ ad antiquæ et veræ religionis cultum, atque Ecclesiæ Catholicæ unitatem reverti. Tantumne illa animum gessit, tanta fortitudine populares tumultus contempsit? Tu qui vir es, et tantum regnum obtines, tantis opibus instructus, tot presidiiis munitus, cujus regni tanta procerum pars, tantus hominum nobilium numerus, tot populi adhuc Dei beneficio in fide Catholica permanent, cui præterea tot et tam præstantes integritate, prudentia, dignitate, opibus etiam episcopi atque alii prelati auxilio futuri sunt ad tuendam et defendendam religionem, vereberis, ne non possis aliquot hæreticorum improbitatem audaciamque comprimere? Non possumus suspicari in te tali genere orlo, tanto rege, non regiam animi vim ac magnitudinem inesse; illud, ut vere dicamus, veremur potius, ne serenitatem tuam nonnulli, quibus nimium tribuis, pravis consiliis suis decipiant, et plus apud te illorum prava suadentium, quam honorum, et prudentium, et honoris, atque existimationis tuæ vere studiosorum hominum valeat auctoritas; illos ne audias, neve pravis te eorum consiliis quoquam impelli sinas, te etiam atque etiam, charissime fili, monemus et rogamus; quod si immemor officii tui, immemor dignitatis, immemor etiam generis, spretis monitis nostris, res non ad tuum munus, sed ad nostrum Pontificale officium pertinentes tractare ausus fueris, venial tibi in mentem illud divinæ in Oziam regem Juda animadversionis exemplum, cujus regis temeritas, quod super altare incensum adolere, ac sibi sacerdotale officium sumere ausus fuerat, a Domino adeo notata fuit, ut turpi lepre morbo frons ejus continuo fuerit deformata. Memineris, qui reges Deo Omnipotenti honorem abstulerunt, Deum honorem ipsis suum et regnum, ac vitam plerumque etiam auferre solitum esse. Horribile est incidere in manus Dei viventis. Terribilis est et auferens spiritum principum. Quod vero nos ipsos, Christi scilicet indignos vicarios, credisne tantam in Deum et in Ecclesiam ejus injuriam laturos esse? Nullo eam pacto ferre aut dissimulare poterimus pro honore, pro munere, quod sustinemus. Quando monita non profuerint, ea necessario arripiemus arma, quibus Apostolica Sedes adversus contumaces et schismaticos auctores non frustra uli solet. Ratio jam constabit officii nostri. Deus testis, testes vero etiam omnes homines erunt, nihil a nobis prætermissum fuisse, quod ab amantissimo tui Pontifice proficisci poterit; quantum nec per litteras, nec per nuntium nostrum quidquam monendo, hortando, rogando profecerimus, facere non poterimus, quin severius aga-

mus. Nosti, quot quamque præclaris muneribus, privilegiis et beneficiis regnum istud ab Apostolica Sede ornatum, auctum ac munitione fuerit, iis jam indignus, universa jure ac merito amiseris. Verum exigua hæc eorum jactura fuerit præ iis quæ amittes, si ex Ecclesiæ recesseris. Nihil perniciosius, nihil horribilius, nihil miserius, quam ab ea separari: Christi ea sponsa, Christi ea corpus est, extra eam nemo Dei gratiam obtinere, nemo Christi Domini et Redemptoris nostri beneficiis frui, nemo denique salvus esse potest: qui ab ea recedunt, ab iis recedente Domino, in diaboli recidunt potestatem. Non est, quod hujus Sanctæ Sedis auctoritatem contemnas, propterea quod Ecclesiæ Catholica a multis hoc tempore hæreticis oppugnatur. Ilanc Sathanas per ministros suos oppugnare et vexare jam inde ab Apostolorum temporibus cepit, sicut a Domino prædictum fuerat, neque unquam destitit; verum potentior est, qui illam custodit, quam qui oppugnat. Super Sedem hæc Dominus noster Jesus Christus suam fundavit Ecclesiam, adversus eam fore prædixit, ut nunquam inferorum porta prævaleant, itaque nec prævaluerunt unquam, nec in posterum prævalebunt. Adest enim Ecclesiæ suæ, sponsæ, inquam, suæ Christus, cum ea usque ad finem et consummationem sæculi permansurus, sicut promisit, omnia hostium ejus consilia, omnes impetus et conatus irrii semper et inanes fuerunt, nec minus quidquid hujus temporis hæretici moluntur, inane erit atque irritum. Quamobrem etiam atque etiam, charissime fili, considera, dum tibi integrum est, quid agas, cave, ne cujusquam impulsu quoquam temere progrediari. Potes etiam nunc malum extinguere, potes summa tua cum laude et gloria, regnum hæresibus liberare, si modo regia auctoritate et potestate ad Omnipotentis Dei, a quo illam accepisti, honorem uti volueris: quod si feceris, et tibi, et regno tuo optime consulueris, et innumerabilem animarum multitudinem conservabis, earum rationem, si quod absit, culpa tua perierit, ad tribunal æterni judicis tremendo illo judicii die redditurus. Hæc, nisi te, ut charissimum filium in Domino diligeremus, non tot verbis, nec paulo severius scripsissemus. Reliqua cognosces ex venerabili fratre episcopo Veronensi nuntio nostro, homine non solum spectate integritatis et religionis, verum etiam tui studiosissimum, quem serenitati tuæ commendatum esse vehementer cupimus ».

36. *Pauli daturpat litteras Vergerius qui refellitur ab Hosio.* — Hæ geminæ Pauli litteræ ad Sigismundum regem Poloniae transmissæ in manus regiorum administratorum pervenerunt, qui cum essent hæresi infecti, eas Petro Paulo Vergerio nefandissimo hæretico, horrendaque rabie, ut superius meminimus, in Sedem Apostolicam cæterato, communicarunt, iis vero impro-

bissimo animo, ut invidiam crearet Pontifici, eas typis excusas nefariis scholiis obscuravit contaminavitque, atque sectariis suis persuadere conatus est, non aliam concordiam incundam rationem, quam si papatus omnis excinderetur, sive hierarchia omnis Ecclesiastica convelleretur, cujus impias voces atque argutias Stanislaus Hosius¹ episcopus Varmiensis confutavit, regemque docuit, ab hæreticis non minus regno, quam papatus exitium collari, omnesque eorum insidias patefecit :

« Petrus Paulus Vergerius, qui proximo superiore anno non aliam ob causam in regnum tuum venerat, quam ut in eo seditionem concitaret », et paulo post : « Pauli IV Pontificis literas, et quidem binas typis excusas pervulgavit, quin et scholiis quibusdam suis obscuravit, ac mirabiliter deformavit, quæ pie sancteque scripta fuerunt, secus interpretando. Audi quid scribat in suis in priorem Epistolam scholiis? Dixerit, inquit, quispiam, si quidem possemus papam eo adigere, ut velit assentiri, ut ministri Ecclesiarum haberent uxores, lingua veteracula in administratione Sacramentorum uterentur, atque ut utramque speciem populo exhiberent; in reliquis vero articulis et doctrinis cum Romana Ecclesia consentiremus, quemadmodum hætenus consensimus, an non consultum putares, ut tunc acquiesceremus, atque ut hæc prius lucro apponeremus, deinde paulatim habente tempore ut etiam de reliquis articulis lucrificandis cogitaremus? Respondeo. Minime mihi consultum video, neque enim in eo res sita est, ut minister uxorem habeat, ut populari lingua in Ecclesia utatur, ut utramque speciem porrigat, sed ut habeat veram fidem, ut fiat membrum Christi Ecclesie, atque ut eam rectam doctrinam teneat, populoque annuntiet, quam Filius Dei Dominus Jesus Christus attulit e sinu Patris. Quæ esset isthæc contaminatio doctrinæ, quod monstrum, si consentiremus, ut esset pastor animarum nostrarum, missarius, sacrificiulus, unctus et inauguratus ab aliquo aposcopo et Antichristi membro? etc. Per hunc vero satellitem suum apertius multo causam suam agit Sathanas, quam per illos, qui de Calice tantum, deque rebus aliis, quæ perinde magni momenti videri possunt, tantopere contendunt: quorum etiam detegit insidias, ac supervacaneum esse ducit longioribus ambagibus aliq. Mox ipsum petit jugulum, ut citra moram utamur Deus in ordinem cogatur, nec ullum, aut sacerdotium, aut sacrificium externum habeat, per quod esse Deus agnoscat. Hoc est quod statim initio sibi Sathanas per Vergerium efficiendum esse putat ». Et multis interjectis :

« Certum est et indubitatum, Satanisimum istum omnem, qui nunc, proli dolor! ita floret

in Germania, qui pullulat etiam in regno tuo, pietissime rex, hinc potissimum esse natum, quod Ecclesie judicio contempto, sibi quisque licere vult, ut et Scripturas interpretet, et ritus caeremoniasque metet arbitrato suo ». Et mox : « Cæterum, quod scribit impurus ille Vergerius, non aliam incudæ concordiam rationem et spem esse, quam si papatus universus tollatur e medio, vide, per Deum immortalem, quæ sint istæ Sathanæ insidiæ, quorsum ille spectet, cum tanto studio papatum eversum cupit? » Et infra : « Expende tecum interea, rex optime, posteaquam e medio quidam sus-tulerunt papatum, an iidem illi de Cesareatū quoque tollendo consilia postea non capiant, cum non minus apud eos probrum est Cesaristam, quam papistam appellari ». Et mox : « Huc spectant istorum consilia, ut ordinem e medio tollant, ut principum auctoritatem in odium et contemptum adducant, ut anarchiam quamdam inducant, quorum fax quædam sit Vergerius, nec aliud spiret, quam seditiones, quandoquidem ipse profitetur, et quidem verissime, quod sit exul Jesu Christi, sic eum ex regno terrisque tuis extorrem esse jubeto ». Et post nonnulla : « Quantum e scriptis illius colligere licet, modo cum Zuinglianis, modo cum Lutheranis, modo cum Piccardis facere videtur. Augustanæ Confessionis eum esse nemo recte poterit judicare, quandoquidem Brentii confessionem, quem admiratur unice, reliquis omnibus eum anteferre constat ». Et infra : « Ut intelligere quisvis possit, apertius per hunc voluntatem suam Sathanam explicasse, quam per illos, qui per cucullos quosdam veritatem oppugnare conantur ».

37. *Eucharistia a Judæis confossa sanguine manat.* — Ferunt Sigismundum regem nimium patulas aures præbuisse hæreticis, atque inclinasse in opinionem permittenda Communione sub utraque specie, quam importunissime urgebant hæretici, ut ea pietatis larva reliquis omnes hereses subornatas inducerent, ac veluti immisso in lignum cuneo conjunctionem Ecclesiarum discinderent. At Deus insigni miraculo Sigismundi regis mentem in avita pietate confirmavit, quo ostensum est verum Christi Sanguinem sumi a Catholicis unica specie utentibus, cum Eucharistia impio facinore a Judæis confossa sanguine manavit, ut narrat Surius his verbis¹ :

« Accidit hoc ipso anno in Polonia regno res memorabilis. Femina quædam vilis Dorothea Lazezka nomine, Christiana quidem professione, in oppidulo Sachazeto, non longe ab arce Lovit, eisdem Judæo annis aliquot serviebat. Interim vero Judæus ille sæpius eam sollicitat, ut sacrosanctum Christi Corpus more Christiano cum cædæris acceptum ipsi perferat. In ejus

¹ Stanis. Hosius de exp. Der. veibo p. 39, 69.

¹ Sur. in Comm.

flagitii premium promittit ei taleros tres, et vestem serieis fimbriis ornatam. Et quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Fœmina scelerata conditionem accipit tantillo illecta munusculo; in ipso Paschatis pervigilio abiit ad pagum Corzo dictum, ibi cum cæteris accedit ad aram, et instar Judæ accipit Eucharistiam, et paulo post ex ore extractam in sudarium reponit, et tertia Paschatis feria Judæo hero suo illam tradit, ad quem tres alii Judæi huic oppidulo vicini, puta, Michaletus, Sachæus et Josephus veniunt, fortassis ab illo invitati, sacrosanctam Eucharistiam in suam synagogam deferunt, pugionibus et culttris confodiunt. Et ecce repente ex illa hostia multus emanat eror, quem perfidi Judæi cochleari in vitreum calicem transfundunt. Non diu latere potuit tam atrox facinus. Ante omnes mulier scelestæ Sachæzeli comprehenditur; inde Judæus ejus herus; hi confitentur rem gestam omnem. Per id tempus Sigismundus Poloniæ rex Vilnæ erat, quæ est Lituaniæ metropolis, et erant, tum in Polonia, qui Eucharistiæ utramque speciem necessario putarent porrigi oportere. Ubi rex quid esset actum cognovit, mandat oppiduli præfecto secundario, ut rem eam diligenter investiget, et si ita factum sit, ut narratur, in omnes ejus flagitii complices extremo supplicio animadvertat. Itaque Dorothea et Judæus prius habita questione feria sexta die Veneris post Christi Ascensionem flammis exuruntur. Reliqui Judæi sceleris socii, uno dempto, qui auferat, kal. Junii comburuntur. Voluit Omnipotens Deus hoc insigni miraculo, qualia sæpe alias circa sanctissimam Eucharistiam contingere, eorum castigare incredulitatem, qui perinde ac si non sit totus Christus sub utralibet specie, ita prorsus infideliter et insipienter Calicem efflagitant, qui si essent in iis, quæ sunt Christianæ religionis, bene instituti, scirent nunquam posse Christi corpus, postquam e sepulero redivivum surrexit, ab anima, a sanguine et divinitate separari, sicque libentissime unius speciei perceptione contenti forent. Commodissime quidem istud eo tempore in Polonia accidit, quando multi Calicem expelebant, et Romanus Pontifex eo miserat Aloysium Lipomanum Veronensem episcopum, virum multa probitate et eruditione spectabilem, qui gentem Polonicam in Catholica religione confirmaret, et ipse sane Poloniæ rex fertur hoc miraculo non mediocriter in Catholica Ecclesiæ retinenda communione confirmatus, et propensius etiam Romani Pontificis legatum admisisse ».

38. *Præscribit Paulus ut Synodus congregetur ad comprimendas hæreticorum insidias.* — Extant ad hunc internuntium subjectæ litteræ Pontificis¹, quibus queritur de imminenti-

Poloniæ periculis ob anclas ingravescentesque hæreses, jubetque ut celebrato ordinum regni conventu ad aulam Pontificiam redeat.

« Venerabili fratri Aloysio episcopo Veronensi apud Serenissimum Poloniæ regem nostro et Apostolicæ Sedis nuntio.

« Venerabilis Frater. Etsi malum istud, cui mederi ab ipso nostri Pontificatus initio omni animi studio non destitimus, nimis auctum, et ab his, qui hæreticorum audaciam et pravitatem in illo regno alunt, quam reprimere et coercere desiverant, corroboratum fuit; tamen spem ejus sanandi omnem in Dei primum misericordia, tum in conventus istius, qui propediem celebrandus est, auctoritate repositam habemus. Scribimus autem hoc tempore, tum ad serenissimum regem, tum ad nonnullos alios, officii sui eos etiam instantium regno ac patriæ suæ periculorum paterne admonentes, et ad resistendum perniciosis improborum hominum consiliis adhortantes, quas litteras una cum exemplis ad te mittimus. Deum optimum precamur, ut eam ipsis mentem det, ut et animabus suis et cæteris etiam rebus consulant atque prospiciant. Quoniam autem peracto conventu fraternitatis tuæ isthæ presentiam non videmus amplius necessariam fore, utrumque res processerit, tuque hic nos opera et consilio vehementer indigemus ad eas res tractandas, quæ ad Dei honorem, nec ad partem Ecclesiæ, sed ad omnem Ecclesiam pertinebunt, idecirco fraternitati tuæ per has litteras mandamus, ut postquam dimissus fuerit conventus, salutato rege, eaque hortatione, quam rerum status eo tempore postulabit, adhibita, ad nos redeas; operam tuam, quam ad hoc tempus Poloniæ navasti, nobiscum una et cum reliquis fratribus, universo, ut diximus, Christiano populo pari pietate navaturus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die 1 Augusti MDLVI, anno 11 ».

39. Urebat Pontificem gravissima cura ne hæretici proceres aliquod vulnus religioni Catholicæ intingerent, et sigilli regii vice-præfectum¹ sollicitavit, ut causam Numinis constantissime fueretur, a quo divinis et immortalibus præmiis ornandus esset.

« Dilecto filio nobili viro Joanni vicecancellario regni Poloniæ, etc.

« Non egere devotionem tuam hortatione nostra persuasum habemus, cum sua ipsum in Deum et in patriam pietas assidue hortetur, atque ejus animum exacuât; sed tamen verentes, ne quid in conventu, qui isthæ propediem est futurus, per hæreticorum fautores contra Ecclesiæ unitatem et sanctissimam ejus disciplinam tentetur, facere non potuimus, quin te admoneremus, hoc fore illud tempus, quo te

¹ Paul. IV. hb. brev. sig. num. 8891. p. 368.

¹ Paul. IV. hb. brev. sig. num. 2895. p. 369.

maxime pro fidei et religionis causa adversus hæreticos, eorumque fautores pugnare, eorumque impiis consiliis resistere oportebit. Id autem eo majore studio tu, et cæteri Catholici facere debetis, primum, quia minime dubitandum est, quin causam suam defendentibus, ac pro se certantibus Christus Dominus noster auxilio futurus sit, deinde quod iis, qui ipsum confessuri fuissent coram hominibus, confessurum et se eos promisit coram Patre suo, qui in Cælis est; quo confessionis et pii certaminis præmio proposito, qui tantus labor, que tanta contentio, quod tantum periculum est, quod non modo fugiendum sit, sed non modo ultra appetendum, atque alacri animo subeundum. Sed quoniam, ut diximus, hortatione tu minime nostra eges, teque aliorum ipsum hortatorem tali tempore fore confidimus, plura non dicemus. Illud, quod et hujus sanctæ Sedis institutum, et natura etiam nostra postulat, dicimus, et tibi persuasum esse volumus, nos, et tuæ tam insignis operæ studii constantiæ in defendenda fide Catholica, et tam egregiæ devotionis erga hanc beati Apostolorum principis Sedem adeo memores esse et fore, ut præter æternum ipsum, quod tibi in Cælo propositum et paratum est præmium, si qua occasio a Deo oblata fuerit, nostram ege te paternam voluntatem, ac præcipuam benevolentiam re ipsa declarare summo cupiamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die 1 Augusti MDLVI, anno 11 ».

40. Antequam celebrarentur ordinum Poloniae comitia, præsulibus pro asserenda incorrupta religione Catholica, necnon insidiis hæreticorum comprimendis Lovitii Synodum coegere, in qua multas leges sanctissimas tulere, ac offusas ab impiis tenebras puriore doctrina discutere, ejusque Synodi Acta transmisere ad Pontificem, quibus acceptis, hæc Gnesnensi archiepiscopo scripsit, piosque stimulus ad cæpta egregie perducenda addidit Paulus ¹ (1).

« Venerabilis frater, etc. Maxima in expectatione sumus, quid in isto conventu actum fuerit: nec possumus non magnopere esse sol-

liciti, verentes, ne hæreticorum fautores (quod divina misericordia avertat) quippiam eorum, quæ adversus sanctissimæ Ecclesiæ instituta et episcoporum auctoritatem temere ac nefarie moliebantur, effecerint. Non parum tamen animum nostrum superioribus diebus habita Lovitii Synodus recreavit, in qua tu et reliqui fratres, quemadmodum ex nuntii nostri litteris et ex Actis Synodi, que ad nos una cum litteris tuis misisti, cognovimus, dignum sacerdotibus animum declarastis; in primis vero virtus nos et constantia et pietas consolatur tua, cui jam eximium testimonium idem nuntius noster omnibus litteris suis tribuit, ut intelligamus fraternitatem tuam pro honore et dignitate, qua eminet, fratrum isthæc ducentem esse, et defendende religionis ac fidei Catholicæ auctorem, ut debet, et principem; quæ, quod officiis suis nuntium ipsum nostrum tam amanter complexa est, quemadmodum is sæpe ad nos scripsit, in eo non nos tantum, qui nobis ea tribui censemus, sed beatissimum etiam Apostolorum principem sibi vehementer obstringit, cujus intercessione ac meritis tuæ istius erga Sedem Apostolicam observantiæ, et piorum pro fide et religione laborum præmium a Deo adepturam esse confidimus, et ut perseveret ita hæreticorum pravitate obviam ire, et fratres auctoritate sua confirmare, ut merita sua quotidie magis augeat, eam, tametsi hortatione non eget, in Domino hortamur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die 11 Decembris MDLVI, anno 11 ».

41. Encyclicis præterea litteris hortatus est Pontifex ¹ singulos Poloniae præsulibus, ut in futuro proximo conventu constantissime, animisque conjunctissimis religionem Catholicam contra hæreticos defenderent, uti pastorum principi Christo muneris rationem reddituri:

« Venerabili fratri N. episcopo.

« Venerabilis frater, etc. Quo plura eaque magis impia tentari isthæc ab Ecclesia adversariis audimus, eo majorem et graviorem curam ac sollicitudinem sustinemus. Cum autem flicet indigni successerimus ei, cui a Domino præ-

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 502.

¹ Paulus IV. lib. brev. sig. 2893. p. 518.

(1) Inter res Ecclesiasticas Polonicas anni hujus locum suum obtinere debet Concilium provinciale Polonicum Lovitii habitum, die 11 Septembris anni hujus. Præfuit Aloysius Lippomanus episcopus Veronensis A. S. nuntius cum Gnesnensi archiepiscopo. Fidei Catholicæ formulam omnibus totius provincie Ecclesiæ tradendam condidit Patres, in qua ea fidei dogmata sancta sunt, que rei præseculi necessaria censentur. Formulam istam vulgaverunt PP. Martene et Durand Veter. Monum. to. VIII. col. 1445. Succedunt apud eosdem Martene et Durand litteræ ejusdem Gnesnensis archiepiscopi ad Paulum signatæ hoc anno die XXI Septembris, quibus suum in Ecclesia Catholica adversus heterodoxos studium exponit. Secundum hæc legas Palatum Vihensis litteras ad nuntium Apostolicum (Lippomanum, quibus ab impacta sibi ab annulis hæresis calumnia se purgat. Denique consulti ab eodem nuntio Apostolico episcopi cælerique Ecclesiastici, Ecclesiarum majorum totius regni parrecto libello, ibidem legendo, ea suggerunt que ad rem presentem Ecclesiæ Polonicæ aptissima fore judicant. Ita vero Palatum iste se excusat, ut locum tamen suspensum relinquat maximum. Accusatus enim de eorum carum diebus vetitis computuras tantummodo offert quibus falsa illam calumnia perstringi conquire quis possit; unquam lamen ad a se præstitum disertè negat. Porro ad Lasium quod attinet, de quo annotata sunt. 31, quo tempore consultato illa Ecclesiasticorum regni Polonicæ ad nuntium Apostolicum data est, nondum in regnum venisse illum oportet, cum regnum ibi rex statuerat, ut probat, « ne hæresiarhæ isti ex Germania in Poloniam veniant, utpote Laski, Calvinus, Melancthon ». Cum vero scripta hæc isto vel superiori anno ante Concilium Lovitense non nuntio reparentur, hinc computas licet Paulum fide nuntio deceptum fuisse, cum die pellendo Laski a regno litteras dedit.

Adpendenda hæc omnibus est historia Concilii in litteris Aloysii Lippomani expressa, quas litteras ego in meo Concilio supplemento to. V. pag. 697, ex Ms. Codice evulgavi.

ceptum fuit, ut confirmaret fratres suos, his fraternitatem tuam litteris adhortandam, et eorum ipso Domino et Redemptore nostro admonendam esse duximus, ut officii sui memor acriter adversus luporum rabiem et savitiam oves Dominicas defendat, hoc enim tempus est prælationis tuæ, ac reliquorum fratrum, qui isthic sunt: hoc tempore maxime intelligitur, qui boni verique pastores, qui ovium suarum amantes sint, qui summum illum Pastorem Dominum et Deum nostrum vereantur et timeant. Vae illi, qui tam necessario tempore officio suo defuerit, qui aut ab hæreticis seductus, propter peritiam oves suas proderit, aut propter metum et timiditatem nescio quam illas deseruerit: de manu ejus tremendo illo iudicii die Dominus ovium suarum sanguinem requireret. Sed ne nos quidem pro munere, pro loco, in quo nos Dominus constituit, tantam culpam ferre aut dissimulare poterimus. Nec vero timendum est quidquam si modo tu et reliqui fratres consensistis inter vos, ut debetis, atque uno animo iis, qui vos, qui Ecclesias vestras, qui Catholicam religionem opprimere, ac funditus delere conantur, resistatis, neque exercituum Dominus honori suo simul et salutem animarum inservientes deseret. Quamobrem celestis auxilio fretus causam Dei, causam religionis, in qua tui ipsius salus continetur, constanter pro tua virili parte defende. Memineris corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem. Ita denique te geras, ut cum ad Christi tribunal veneris, boni Pastoris et servi fidelis mercedem accipere merearis.

« Datum Romæ, die iv Decembris MDLVI, anno ii ».

Defensa fuit a præsulibus in eo conventu Polonico strenue fides Catholica, atque in eo rex contra hæreticorum molimina communionem Galicis usurpari vetuit, quam hæretici, ut defectionis, ac schismatis principium vehementissime urgebant, uti proximo anno visuri sumus ex litteris Pontificis.

42. *Joannes Lusitania rex per oratorem obsequium præstat Pontifici.* — Hoc ineunte anno Joannes Lusitania rex, decreto amplissimo oratore obsequia regis Paulo IV Pontifici solemniter delulit, ut Acta Consistorialia¹ narrant subjunctis verbis:

« Die Lunæ xiii Januarii MDLVI, fuit consistorium publicum in aula regum ». Et mox: « Lectæ fuerunt litteræ regis Portugallie per D. Bindum secret. gratulatoriæ assumptionis Suae Sanctitatis ad Pontificatum, quibus lectis ipse orator cum secretario suo stans in loco solito, per secretarium habuit orationem ad Pontificem, in qua obtulit obedientiam et omnia bona sui regis; postea admissus fuit ad

ipsam obedientiam, et omnes servitores ejus osculati sunt pedes ejus Sanctitatis ».

43. *Commendat Paulus regi Abyssinorum patriarcham.* — XXII ejusdem mensis Florentiæ dux, trigesima Martii Helvetii, vigesima Maii Genueses Paulo IV pium idem officium præstiterunt. Cæterum Lusitanus rex ad æternitatis regnum sanctissimis operibus anhelabat, atque flagrantissimo studio ad propagandam religionem Catholicam incumberebat, egeratque cum Claudio¹, sive Sandio Æthiopum imperatore, ut a Romano Pontifice patriarcham Latinum, atque aliquot antislites doctrina et pietate insignes postularet, cumque sub Julio III ad id munus amplissimum, æque laborum ac gloriæ plenum, fuissent aliquot sacerdotes Societatis Jesu a sancto Ignatio ejusdem proposito delecti, mox cum in Æthiopiæ profecturi essent, Paulus Pontifex subjectas litteras ad Abyssinorum imperatorem exaravit, quibus illi patriarcham ac socios commendaret.

« Charissimo in Christo filio nostro Claudio Petragiano, Æthiopiæ regi illustri.

« Charissime in Christo filii noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto in cælis vivit et regnat, et qui a nobis in terris suas geri vices voluit, quo magis atque illustrius super serenitatem tuam et populos regni tui vultum suum illuminat, eo nos et ejus fideles, quicumque nobiscum sunt, majore cordis lætitia et animi consolatione gaudentes, divinæ illius Majestati gratias agimus, tuæque eidem regiæ serenitati, et eisdem tuis populis, tantum et animarum vestrarum salutis et gloriæ celestis desiderium omni paterno affectu in eodem Domino nostro Jesu Christo gratulamur, votisque omnibus æternam beatitudinem optamus precamurque. Memores sumus, quanto serenitas tua veræ nostræ et sanctissimæ religionis zelo, quantaque mentis tuæ optimæ in Dei Omnipotentis honorem significatione, per charissimum in Christo filium nostrum Joannem Portugallie et Algarbiæ regem illustrem annis proximis a felicis recordationis beatissimum tunc papa nostro Julio III adhuc inter nos vivente petieris, ut aliquis tibi mitteretur, qui populos ipsos tuos in Catholice fidei ac divini cultus officio, morumque ac vite Christiane instituto nobis a Deo et sanctis Patribus tradito contineret, et gratiam, quam apud Deum tot virtutibus ac meritis consecuti estis, et probitate vellet, et doctrina sciret, et auctoritate posset conservare. Quoniam vero tunc nos in minori officio constituti ex ordine episcoporum sancte Romanæ Ecclesiæ cardinalium eramus, nobis quoque præsentibus et consulentibus una cum venerabilibus, tunc collegis, nunc fratribus nostris dilectissimi-

¹ Acta Cons. Ms. car. Spalæ p. 186.

¹ Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2892. p. 191.

mis in amplissimo et sacro consistorio coram eodem sanctissimo papa praedecessore nostro Julio in sancta Sede Apostolica sedente, maturo nostrum omnium consilio et deliberatione, in Dei Omnipotentis nomine, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate, ad laudem eorundem et gloriam sempiternam, venerabilis nunc frater noster Joannes Nunez de societate et consortio ejusdem Domini nostri Jesu Christi tanquam eo munere, cura et administratione multis rationibus dignus, provinciae Aethiopiae ac totius regni tui patriarcha electus et creatus fuit, qui aliorum patrum ubique apud vos existentium, cujuslibet Ordinis sacerdotum caput esset et princeps, et quae Pontifex Romanus absens non posset, ipse praesens juxta tenorem facultatum sibi concessarum isthuc faceret, ejusque in eo vices gereret. Cum autem ex hac mortali ad immortalem vitam aliquando transiturus sit, atque ob nimium locorum intervallum et longitudinem itineris non tam cito, nec tam facile quam necesse est, hinc homines ad sacra haec ministeria idonei transmitti isthuc possint, neque ob regionum suarum amplitudinem unius solius praesentia et opera salis sit, duo praeterea ex eadem Jesu Christi Societate fuerunt adjuncti, videlicet venerabiles fratres Andreas de Oviedo episcopus Hieropolensis, et Melchior Carnero episcopus Nicenus, viri doctrina, prudentia et probitate insignes, qui et viventem adjuvant et morienti succederent, quemadmodum ex Apostolicis litteris tunc ad id confectis expressis et copiosis declaratur. Verum, quia rebus ita constitutis, dum patriarcha ipsiusque coadjutores se ad iter pararent, ut ad serenitatem tuam venirent, eidem Omnipotenti Deo eundem Julium III et paucis post diebus Marcellum II papam item et patrem tunc nostrum sanctissimum vocare ad se placuit, necesse illis fuit novam expectare Pontificis electionem, quae quidem electio cum nostrae fuerit persona, Deusque idem Omnipotens jugum Apostolicae servitutis suo incomprehensibili iudicio debilibus cervicibus nostris imposuerit, nihilque jam impediatur, quominus serenitatis tuae desiderio possit satisfieri, ipsius ejusdem patriarchae, ejusque coadjutorum, cum aliis Christi fidelibus non paucis professionem ad vos maturandam duximus, eidemque serenissimo regi Portugalliae filio nostro charissimo scribendum curavimus, ut ad te illos dimitteret, eique has litteras nostras redderet, quibus eos cum Domino comitemur, salutemque Apostolicam et benedictionem tibi et omnibus tuis, qui eundem Dominum nostrum Jesum Christum colunt, ejusque mandata et praecepta juxta

sanctum Evangelium observant, atque observare cupiunt, in ejusdem Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine imperitemus; quam quidem benedictionem, ipsamque patriarcham ac coadjutores pro certo habemus ea te reverentia accepturum, quae pium et optimum, et vere Christianum principem ac regem decet, eosdemque non minore animi laetitia et charitate ubique ac semper tractaturum quam nos tractaremur, si ut illi, ad te venire possemus, quod libenter faceremus, ut et nostra in te paterna benevolentia, et tua in nos et sacrosanctam hanc Sedem Romanamque Ecclesiam observantia utrique nostrum clarius eluceret: sed quando id a nobis fieri non potest, omnia humanitatis, liberalitatis, honoris et pietatis officia, quaecumque in eundem patriarcham, ipsosque coadjutores, et comites eorum contuleris, nos tanquam in nosmetipsos collata accepturi sumus, ex quibus quidem officiis illud polissimum optamus, et ab optima eadem in Dei omnipotentis laudem serenitatis tuae voluntate in Domino requirimus, ut omnia, quae ad sanam doctrinam, veramque et Catholicam fidem, ad divinum cultum et mores Christianis dignos pertinuerint, te ipsum ac tuos ubique per provincias et regna tua universa ab eis doceri atque instrui non modo, ut par est, sinas ac permittas, sed omni studio etiam procures ac jubeas. Quod si, ut plane in Domino confidimus, ac spe certa expectamus, diligenter feceris, quam dignissima praemia piis omnibus tui similibus parata, et in terris et in caelo serenitati tuae tribuet cumulate. Et autem tui erga nos studii et amoris aliquid erga nos pignus habeamus, summopere cupimus, ut cum has nostras litteras ipsumque patriarcham et ceteros acceperis, de illorum adventu, quem incolumem et felicem futurum optamus, ac de omnibus rebus spiritualibus, ac de ipsius patriarchae, et aliorum in eodem regno tuo sanctorum operum fructu, nos per litteras tuas, et per manus ipsius regis Portugalliae diligentissime facias certiores; et si quid ad eandem vestram animarum salutem, gratiamque apud Deum in dies majorem consequendam, tibi ac tuis opus fore unquam cognoveris, quod in nostra sit positum potestate, quoties id ad nos scribes, omnem operam navabimus, ut serenitatem tuam in Domino consolemur, quam idem Dominus noster Jesus Christus iterum et semper benedicat, atque in sui nominis gloriam conservet. Datum Roma apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die X Martii MDCVI, Pontificalus nostri anno II 1 0.

Commisit se Joannes nuntius patriarcha Indicae navigationi, atque prope Promontorium

1. Pauli Pontificis litterae, ad regem Aethiopiae d. c. anno non suo ab annalista referuntur. Cum enim signentur a die X Martii MDCVI, Pontificalus anno II 0, vel mendosa est inscriptio, vel in sequentium annuum referenda sunt; tunc enim die X Martii Pontificalus Pauli annus II appellatur. Non est enim futurum factum annu MDCVI, nam forte Paulus veterem stilum anni a Pascae die exordienti vel a

Bonae Spei, cum procellis ferveret mare in vastissimo illo ventorum imperio, tempestalem furentem sedavit lustrata sacra prece aqua e mari hausta, atque in illud coniecta.

11. *S. Ignatius obiit.* — Verum qui hanc expeditionem adornaverat Ignatius Loyola, eo ipso tempore, non tam aetate confectus, quam jejuniis, vigiliisque, et super omnia desiderio Christi decessit. Quod quemadmodum evenerit, ab egregio ejus Vitae scriptore Joanne Petro Maffeo¹ desumamus: « Societatis rebus utcumque compositis, Ignatius contemplandi studio secessit in villam, quam non longe ab aede Sanctae-Balbinæ ad Thermas Antonianas, in usum præcipue Romani Collegii, amicorum benignitate nuper extruxerat. Ibi, vel fecltorio novi operis male acceptus, vel urgente jam senio lethalem in febrem incidit, sic, ut cum ejus infima urentur præcordia, nullus in facie pallor, nulla in toto corpore signa mortis existerent. Tantum insolita quedam lassitudo in membris ac motu apparebat. Haque domum relatus, in lectulo collocatur. Accersili confestim medici bono animo jubent nostros esse. At ille cum sibi ultimum diem instare sentiret, mirantibus cæteris, misit, qui a summo Pontifice sibi decedenti salutarem expiationem et indulgentiam ritu Catholico precaretur: deinde cum ad nullam noctem de more vigilasset, quin etiam nonnulla cum domesticis in rem Collegii transegressus, sopori se dedit: itemque qui aderant, cubitum discessere nihil admodum periculi suspicantes. At ecce mane postridie duo e fratribus, ejus vitæ quotidianæ administri cubiculum visendi Patris causa introeunt; ad lectulum sensim accedunt, ac præter omnium opinionem vitali spiritu pæne defectum offendunt. Accurritur illico ad socios. Alii ad medicum advolant. Alii interea ad refocillandas vires (ut assolet) jusculum porrigunt: quibus ille cum nihil jam opus dixisset, Jesum intermortuis vocibus identidem appellans, placidissime efflavit animam hora post solis ortum prima, feria sexta pridie kalend. Augusti anno post Christum natum MDLVI. Qui

vero ad Pontificem pridie sub Vesperam fuerat destinatus, quod nihil tale metueret, re in proximam lucem dilata, cum quod volebat, statim impetrasset libente Pontifice, et verbis amicissimis Ignatium prosequente, graviter deinde semel incusans, tempori non occurril. Defuncti corpus, tum inspicendi, tum exenterandi causa dissectum, summam viri abstinentiam et sobrietatem liquido comprobavit. Siquidem et stomachus venterque prorsus inanis, et præ siccitate diuturna mire contractus apparuit, et jecur ea ipsa de causa ita obduratum aridumque, ut pene lapidesceret. Sane Realdus Columbus, egregius ea tempestate sector, qui aperiendo interfuit, in hepatis vena, quæ porta dicitur, lapides tres sese invenisse festatur in suo de Anatomia Libro; ut pro miraculo non levi habitum sit, vitalibus adeo affectis, ac propemodum exustis hominem tamdiu vivere potuisse, præsertim hilari semper eodemque vultu exsequentem præpositi generalis officia et munera. Mortuus autem anno ætatis quinto et sexagesimo, suæ conversionis ferme trigésimo quinto, confirmatè vero Societatis sextodecimo. Quam ille tam exiguo temporis intervallo tam longe lateque propagalam reliquit, ut jam tum ab ipso constitulæ numerarentur Provincie duodecim, et in iis varia nostrorum domicilia fere centum. Vulgata ejus morte, ingens confestim hominum concursus visendi causa domum est factus, atque hi manus, hi pedes certatim exoculari: alii Rosaria, quæ vocantur, applicare corpori, nulli etiam pilei vestimæve, quibus uti consueverat, frustulum aliquod enixe rogare; quibus tamen modestiæ gratia nihil a nostris est datum. Corpus in eodem cubiculo, ubi expiraverat, biduo ferme servatum, Sabbatho sub vesperam inclusum arca; post exequias mira populi frequentia celebratas, in templo nostro ad dextrum latus aræ maximiæ humatum est. Quem postea sanctitate et miraculis clarum, et Catholice religionis ubique dilatandæ studiosissimum Gregorius Decimus quintus Pontifex Maximus die XI Martij anni MDCXXI, una cum BB. Isidoro, Francisco Xaverio, Theresia et Philippo in sanctorum numerum refudit.

¹ Maffens Vitæ lib. II. c. 25.

die XXV Martij aliquoties secutus est. Quod si admiserimus, omnia in ea litterarum inscriptione salva et integra sunt. Eandem annorum in eandem a Martio rationem exhibent litteræ ejusdem Pauli ad internum Apostolicum Venetis agentem, recitata in Annalibus infra ad X. MDLVII, num. 52. MAN-4.

PAULI IV ANNUS 3. — CHRISTI 1557.

1. *Paulus instituit Congregationem quae terror officialium nuncupatur, festum Cathedralis S. Petri Romae celebrari jubet et cardinales creat.* — Anno Christianae salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima-quinta, Paulus Pontifex, ut initia hujus anni pietate ac justitia redderet illustria, Congregationem instituit¹, quae terroris officialium Romanae curiae nomen sortita fuit, ac denunciari publice pro suggestis a concionatoribus jussit, semel se quoque mense quorumvis querimoniis coram duobus cardinalibus, qui veluti iudices assiderent, aures praebiturum. De qua quidem Congregatione haec habent Acta Consistorialia: « Die Sabbathi vigesima tertia Januarii MDLVI, fuit Congregatio generalis, in qua Sanctissimus Dominus noster multis verbis proposuit et ordinavit, quod singulis mensibus daretur audientia in aula regia, in qua quilibet posset conqueri de injustitia sibi facta et injuria quorumcumque officialium, adstantibus sibi cardinalibus, praetatis et officialibus, de quibus in proclamatis, et hoc sive publice et palam, sive secreto porrigendo querelam et libellos supplices, promittendo singulis justitia complementum, prout potest videri in Sanctitatis suae ordinatis, cujus tenor sequitur et est talis:

2. « Sanctissimus D. N. D. Paulus divina providentia papa Quartus cupiens quorumvis tam in alma Urbe, quam in statu Ecclesiastico, ac toto orbe terrarum gravatorum et oppressorum molemitati consulere, decrevit, semel quolibet mense, incipiendo die Mercurii proximo futuro, hora decima nona, quibusvis utriusque sexus personis ad Sanctitatem suam recurrentibus in aula regum, reverendissimis DD. cardinalibus et aliis assistentibus, publicam audientiam praebere, et quascunque querelas coram Sanctitate sua proponendas seu in

scriptis porrigendas, audire, et summarie sola facti veritate inspecta decidere, vel juxta eorum qualitatem aliis audiendas committere: et ut hujusmodi tam salubre opus ad honorem et gloriam omnipotentis Dei inchoari, et salubriter dirigi, ac prospere continuari possit, omnibus conventibus monasteriorum, et aliorum Regularium locorum, necnon capitulis Collegiatorum, et aliarum Ecclesiarum ipsius Urbis praecipit et mandat, ut die Dominica proxime futura post Missarum solemniam in eorum Ecclesiis humiles Altissimo supplicationes processionaliter faciant, et super his Dominum nostrum Jesum Christum puro corde precentur; ac insuper viva vocis oraculo, visitantibus proxima die Conversionis Sancti Pauli Doctoris Gentium ejus Basilicam et Basilicam Sancti-Petri principis Apostolorum de Urbe, plenariam indulgentiam in forma Ecclesiae consueta dat et concedit.

« Secundo loco sua Sanctitas jussit perpetualis futuris temporibus per universum orbem Christianum celebrari debere Cathedralis Sancti-Petri, in die decima octava Januarii, qui etiam est dies sanctae Priscae, in qua prima sessio fuit beatissimi Petri in hac alma Urbe, et volebat in hoc testo omnes indulgentias et praerogativas concedere, non derogando per hoc alteri testo Cathedrae Antiochena quod est vigesima secunda Februarii, et hoc ad confusionem Lutheranorum, qui negant beatum Petrum Romam unquam venisse, et super hac re Bulla expeditur, quae proximo tantum anno manavit in amplissima forma. Restitutam hanc a Paulo celebritatem, quae quamvis esset antiquissima, jam in aliquibus Ecclesiis exoleverat, docet cardinalis Baronius in Notat. ad Martyr. Rom. die 18 Januarii.

3. — Paulus etiam xv Martii ad sacram purpuram viros vere purpura dignos evehit; sic Acta¹

¹ Saub. p. 2. Hist. Sac. Rom. Ms. card. Spald. to. 1. 2. p. 99.

² Ms. card. Spald. to. CXXXIV. p. 218.

Consistorialia : « Romæ die Lunæ decima quinta Martii MDCXV, sanctissimus Dominus noster certis suadentibus rationabilibus causis, nemine discrepante, creavit et assumpsit in sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros cardinales infra-scriptos, ordine, qui sequitur, videlicet :

« Reverendissimum Thaddæum archiepiscopum Cusentinum de Gaddis.

« Reverendissimum Antonium episcopum Tolonen. de Trivultis absentem.

« Reverendissimum Laurentium episcopum Biteren. de Strozis, absentem.

« Reverendissimum Virgilium episcopum Iscalen. vicarium Urbis, Rosarium.

« Reverendissimum Joannem, olim electum Convenarum, sigillorum regis Christianissimi custodem, absentem, Bertrannum.

« Reverendissimum Michaellem episcopum Nepesinum, Alexandrinum ». Hic postea sub nomine Pii V ad Pontificatum erectus, et inter beatos a Clemente X Summo Pontifice anno MDCXXXII relatus fuit.

« Religiosum virum fratrem Clementem generalem Ordinis fratrum Minorum, et theologiæ professorem, Dolera nuncupatum.

Diaconos cardinales.

« Nobilem virum Alphonsum Caraffam propotem suæ Sanctitatis, Neapolitanum.

« Reverendissimum Vitellotium electum Civitatis-Castelli, Vitellium nuncupatum.

« Jo. Baptistam consiliarium Romanum.

« Ac aliorum reverendissimorum ejusdem sanctæ Ecclesiæ cardinalium cœtui, numero et consortio, cum dignitate, auctoritate, præeminentia, honoribus, privilegiis et emolumentis consuetis, favorabiliter aggregavit, cardinalesque fore et esse decrevit et pronuntiavit, ipsosque solita benedictione benedixit, et ex tunc in cardinales, et aliorum cardinalium præteritorum ordinem, eorumque collegium una cum eisdem cardinalibus de eorum consensu admisit, et admittendos fore decrevit ; necnon quod in tantæ dignitatis decus cardinalibus pro tempore assumptis exhiberi consuevit, birretum rubrum per Sanctitatem suam de more benedictum cardinalibus presentibus tradidit et assignavit, absentibus vero per nuntium suum speciale transmisit, et presbyteros et diaconos cardinales respective publicavit, cum retentione pro eorum singulis omnium beneficiorum, et pensionum, ac jurium ad beneficia, et cum derogatione Constitutionis in Conclavi editæ, quod patruus et nepos simul cardinales esse non possint, ac aliis derogationibus.

4. « Die Sabbati vigesima mensis Martii MDCXV, fuit Consistorium publicum.

« Reverendissimos cardinales noviter creatos presentes, videlicet reverendissimos de Gaddis,

Rosarium, Alexandrinum, generalem Ordinis Minorum presbyteros, diaconos autem, reverendissimos Caraffam, Vitellium, Consiliarium, primo ad pedum, et deinde manus, successive illos allevans ad oris oscula, paterne excepit.

« Die Lunæ vigesima secunda Martii MDCXV, fuit Congregatio generalis, in qua Sanctissimus D. N. primo indixit silentium, deinde clausit os reverendissimis DD. cardinalibus noviter creatis presentibus, cum inhibitione, ne quid loqui præsumant in Consistoriis, aut aliis Congregationibus, donec Sanctitas sua de Fratrum consilio duxerit os eis aperire ». Quibus postea titulos assignavit. Fueruntque secundum Acta ¹ Consistorialia hujusmodi :

« Die Mercurii vigesima quarta Martii fuit Consistorium ; Sanctissimus aperuit os reverendissimis DD. cardinalibus nuper creatis, illosque annulis pretiosis decoravit, cum illorum immisione digito annulari manus dexterae, et eorum cuilibet pro titulo et denominatione respective sui cardinalatus concessit et assignavit infra-scriptas Ecclesias. Reverendissimo de Gaddis Sancti-Silvestri : ipsumque illi in presbyterum cardinalem præfecit, cum retentione, et cum aliis consuetis etc. Erexit in titulum Ecclesiam Beatæ Mariæ super Minervam, et illam cardinali Alexandrino assignavit ; ipsumque, etc. cum retentione, etc.

« Reverendissimo Rosario concessit Ecclesiam Sancti-Simeonis, ipsumque etc.

« Reverendissimo Saraceno, quod titulo Sanctæ-Mariæ in Araceli cesserat, Ecclesiam Sanctæ-Anastasiæ certo modo vacantem assignavit, ipsumque etc.

« Reverendissimo de Moniliana Ecclesiam Sanctæ-Mariæ in Araceli assignavit, etc.

« Reverendissimo Alphonso Caraffa Ecclesiam Sancti-Nicolai inter Imagines, ipsumque, etc.

« Reverendissimo Vitellotio Ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi, ipsumque, etc.

« Reverendissimo Consiliario Ecclesiam Sanctæ-Luciæ in Septisolio, etc.

5. *Hispanis Romæ potiri tentat, sed celesti virtute Urbs liberatur.* — Amplificato ita cardinalium senatu, Paulus Neapolitani proregis armis læcessitus, cum Hispani administri graviora in dies contra jus auctoritatemque Ecclesiæ facinora patrarent, adversus Carolum V et Philippum ceterioris Siciliæ et Angliæ regem, erecto novo tribunali, selectis ex omni ordinum genere viris doctissimis, legum severitatem distringere decrevit, Pontificiosque omnes ministros, qui in Cæsaris et regis Philippi regnis agebant, revocavit : necnon feria quinta majoris hebdomadæ defixit anathemate invasores urbium ditionis Ecclesiasticæ, tum omnes, qui consilio,

¹ Pag. 221.

vel auxilio, studiisve iis adhaerent, sine ullo imperialis vel regiae cardinalitiae vel alterius Ecclesiasticae dignitatis discrimine, nec sequenti teria sexta inter sacra precum formula pro imperatore perfecta est. Tum ad vim vi propulsandam non modo quascumque potuit copias collegit, verum etiam Italos principes, maximeque Venetos concitare adversus Hispanum nomen annisus est: gestisque a duce Montorii et Petro Strozio secundis praeliis Tybur, Vicovarium, arcemque Hostiae occupata a duce Albæ prorege, qui ad opprimendum Pontificem cum exercitu florentissimo irruerat, recuperavit. Dux etiam Guisius in eunte hoc anno a Galliae rege submissus, superatis Alpibus ingressus Italiam, decem millibus peditum, ac ferme duobus millibus equitum succinctus, expugnata vi direptaque Valentia, quod illius praefectus transitu illum arcere pertentasset, terrorem prorege incussit; adeo ut is Joannam Caraffam Pontificis sororem matronam ornatissimam conciliandae pacis interpretem miserit: quae, assentiente etiam Philippo rege, pollicebatur Senensem urbem tradendam Montorii duci, modo Pallianum Columnensibus restitueretur: tota enim hujus belli moles et causa inde pendebat. At Paulus, qui de tradendo regno Neapolitano Henrici secundogenito fidem obstrinxerat, spe elatior quasi hostem certissime prostraturus esset, paci honestissimam non assensit, Romamque in summum discrimen adduxit.

6. Excepit quidem venientem Guisium generum Hercules dux Ferrariae, ac mille pedites et equites octingentos illi conjunxit; necnon supremum militare imperium detulit illi Paulus Pontifex ¹ in federatorum Italico exercitu hisce litteris:

« Dilecto filio Herculi duci Ferrariae, sancti foederis duci generali.

« Dilecto filio, nobili viro, etc. A dilecto filio Carolo Caraffa sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali, nostro secundum carnem nepote, diligenter per litteras et nuntium certiores facti sumus, quanto animi studio, quantaque devotionis ac fidei erga nos et sanctam hanc Sedem significatione nobilitas tua professa fuerit, paratam se esse relictis rebus suis, pro sanctissimo inter nos juncto foedere, venire in expeditionem hanc pro sancta Romana Ecclesia susceptam, et pro delata sibi imperii summa, nullum militiae laborem, nullumque periculum recensare: quae voluntas tua tam egregia eo nobis grata extitit, ut magnas Deo omnipotenti gratias egerimus, qui tali nostro et hujus Sedis tempore, tantum nobis et rebus nostris praesidium obtulerit. Nec vero alienum quidquam, aut virtute tua, aut nostro perpetuo de te iudicio et expectatione facit; nos autem, quibus res tua

non minoris curae fuit quam nostra, quique cogitamus et intelligimus, tuam isthic praesentiam magnopere nobis non modo utilem, sed etiam necessariam fore ad tuendos fines nostros et tuos simul, et ad capiendam pro re et tempore consilia, si quis in istis partibus motus existeret, expedire judicavimus, te minime moveri, sed nobilitatem tuam isthic nostris simul et tuis rebus praesidere: in his autem locis nobilem virum ducem Guisiae Franciscum generum tuum, tanquam manum alteram, vice tua nobis et Apostolicae Sedi operam navare; quomobrem de tua praestanti virtute et fide erga nos et principis Apostolorum Sedem tibi gratulantes, tumque tam egregium animum omnipotenti Deo et sanctissimis Ecclesiae Romanae praesidentibus Apostolis offerentes, hortamur nobilitatem tuam, tibi que praecipimus, ut ne isthic discedas, illudque tibi persuadeas volumus, tum absentis officium non minus aut nobis gratum, aut rebus nostris opportunum fore, quam in his partibus futura esset opera. Dat. Romae die XIX Februarii MDLVII ».

7. Habito militari consilio apud Regium Lepidi inter Guisium, Ferrariensem et cardinalem Caraffam, quo belli moles vertenda foret, orta est dissensio; nam Ferrariae dux Parmam oppugnandam contendebat, cuius expugnatae imperium sibi tradendum a Pontifice praedebat: sed Guisius, cui data erant mandata regia, ut Pontifici ferret supplicia, necnon cardinalis Caraffa repugnarunt, adeo ut Ferrariensis reductis copiis suis iratus abcesserit. Dux vero Guisius per Flaminium duxit exercitum, et bellum regno Neapolitano inferre meditatus; at se magnis cinctum periculis animadvertit; non enim Ecclesiasticus exercitus, quem legatus cardinalis conjungendum Gallis promiserat, comparebat, non etiam promissa nummaria subsidia pro conficienda Neapolitana expeditione illi praebantur; imo Caraffae Pontifici nepotes stipendia militi persolvenda in suos usus avertebant, indeque gravis rixa inter ducem Guisium et Caraffam Montis-Belli marchionem contracta est: cumque e Piceno ex mandato Pontificio irrumperet in regnum Neapolitanum pertentasset, atque Civitellam arcem XXV Aprilis obsidione cinxisset milite et armis egregie communitam, expugnare vi eam non potuit; adeo ut cum prorex valido succinctus exercitu proxime immineret, decima quinta Maii solverit obsidionem: cum milites Itali e castris stipendiorum inopia diffugerent, ad quae persolvenda maximis difficultatibus impeditus Pontifex tum grave vecligal subsidium imposuit. De quo haec habent Acta ¹ Consistorialia:

8. Die Martis, decima octava Maii, XVII, fuit Congregatio, in qua lecta fuit Bulla impos-

¹ Paul. IV. lib. brev. III. p. 7.

¹ Ms. cod. Spald. In. CXXXV. p. 226.

sitionis novi subsidii per totum statum Ecclesiasticum, pro tuitione dicti status adversus sanctæ Sedis Apostolicæ hostes. Cardinales deinde cœperunt dare vota et omnes, nemine excepto, propter necessitatem ingruentem et Sedis paupertatem probabile dixerunt, et omnino necessarium, in quantitate, modo etiam dato per Bullam, ad quam habeatur relatio. Non fuit contradictio, nisi duorum aut trium, quibus magis placuisset (ut dicebant) aliud genus impositionis subsidii, et quod tolerabilius subditis videri posset, quam illud quod in Bulla præscribebatur; quibus tamen non obstantibus, reliqui omnes cardinales multis et adductis per singularia vota rationibus, et re ad longum disputata, pro executione Bullæ nihil immutandum, suam sententiam dixerunt ».

9. Exasperati imposito eo censu, qui ad quinquecenta aureorum millia ascendebat, Romani arcanas coitiones adversus Paulum agitare cœperunt, ac Marcus Antonius Columna lectissimis stipatus copiis in Campaniam varias excursionem egit, præter etiam Neapolitanus ditionem Ecclesiasticam vexare non destitit. Interea Pallianum cinctum est obsidione a Columna, ad quam solvendam cum Julius Ursinus copias eduxisset, fusus, prodigatusque est, quo successu armorum elatus, impetus suos in Sigienses effudit, miseramque urbem, sine ætatis ac sexus discrimine, rapinis cædibusque ita fœdavit; nec ab Hispanis Germanisque militibus virginum sacrarum matronarumque pudori, aut religioni templorum parcitum est; ex quo maximum dolorem traxit Pontifex, quem etiam auxere gravissimæ Guisii ducis querelæ adversus Carollas, qui promissis non steterunt, adeo ut in Hetruriam vel in Insubriam traducere exercitum decerneret: verum regio coactus imperio, ac Carollæ et Turnonii, ac Petri Strozii precibus flexus ad ferendam Pontifici operam e Piceno in Latium cum Gallico exercitu provolvit, conficiendæque Neapolitanæ expeditionis consilia instaurata sunt. Sed illa novo casu inopino eversa sunt¹: nam cum Philippus rex contractum e Belgis Anglisque et Hispanis exercitum effudisset in Galliam, premereturque obsidione Fanum S. Quintini, insigne Veromanduorum oppidum, Henricus rex florentissimum exercitum ad solvendam obsidionem submisit, consertoque ingenti prælio deletus est maxima strage Gallicus exercitus, adeo ut ad tuendam Galliam ducem Guisium e ditione Ecclesiastica revocarit, itaque Pontifex Paulus et Carollæ nepotes ad pacis consilia flexere animos, ac Placidus cardinalis Sanctæ-Floræ missus est Pontificio nomine pro concilianda æquis conditionibus pace ad ducem Albæ præregem Neapolitanam: is vero fastu turgidus cardinalem

acerbis verbis excepit, qui eam legationem suscepisset, expugnandaque Romæ cupidine incensus, cum Romanos ob bellicas calamitates a Pontifice aversos, atque ad pugnam imparatos accepisset, scalis noctu admotis assillire in mœnia constituit; cumque ad Columnæ oppidum castra fixisset, Ascanium Corneum cum lectissima militum manu submisit, jussitque subsequi Franciscum Antonium Barardum, ut perfracta expansaque Navia porta, quam majorem vocant, universus exercitus induceretur. At cum pro explorando Urbis statu vigilamque custodia proxime accessissent, collucentium facum multitudine visa et armorum strepitu ingenti audito, copiarumque frementium discursu, tanto terrore perfusi sunt, ut in effusam fugam se conjecerint.

10. Manuscripta referunt vetera editum a Numine prodigium, cum mœnia in ea Urbis parte, ut acciperant relatione hostes, defensore idoneo carent. Certe constat religiosum illum sacerdotem qui ex divi Bernardi familia divino lumine collustratus jam antea sancto Philippo Nerio dixerat¹, nolle Deum, ut in Indias cum sociis proficisceretur, sed ut excolendæ pietate Urbi sacram operam daret, addidisse etiam vidisse aquas Salvias sanguine manare, sibi que a sancto Joanne Evangelista celesti viso ostensum Urbem in extremi exitii discrimen adductam, nisi divina vi ab eo discrimine vindicaretur. Divinæ itaque providentiæ benignitati atque principis Apostolorum patrociniò singulari vindicate ab infelici vastitate Romæ salus tribuenda est², non aliter quam Pelagio II et divo Gregorio magno Pontificibus Urbis olim defensa est; parique felicitate a porta majore hostis propulsatus, qua Flaminia porta ab irruptione barbarorum Justiniani imperatoris temporibus fuerat, ut scribit Procopius³, liberata est: licet enim dux Guisius Tyburne pro tuenda Urbe excubaret, tamen prærex Neapolitanus, ut scribit Navagerius orator Venetus, postea creatus a Pio IV cardinalis, die nocteque tantâ celeritate cum toto exercitu Romam provolarat, ut facile Romam capere potuisset: ac præfectis castrorum in quas partes Urbem ingressi copias adducere debent, præfixerat; ut primum Libermanam Basilicam occuparent, ibique figerent castra, donec ipse cum toto exercitu pervenisset; inde acies in Suburranam regionem progredierent, mox in campum Floræ se effunderent; tum Montem Jordanum, Ursinorumque Palatium expugnatum magnis motibus commuñerent⁴; ut facto aggere tormenta bellica ad diverberandam Molem Adrianam in eo collocarent: ita enim Urbem a Pauli Pontificis terroribus liberandam jactabat, ac pro tessera militari

¹ Sibi hist. der. regni. l. ix. S. Philip. VII. auctor. — ² Baron. an. 585. num. 3. et an. 585. num. 18. — ³ Procop. de bello Gothor. l. 1. Ms. Vallicell. biblioth. — ⁴ Adrian. l. xv.

¹ Belcar. l. xxvii. Justin. hist. Ven. l. xiv.

libertatis nomen speculatoribus dederat nomine meditato facinorosi prorsus contrario, cum Urbem orbis dominam, Christianique in terris vicarium in servitutem redigere decrevisset.

11. *Paci procuranda inter omnes principes Christianus Paulus totis viribus incumbit.* — Dehinc spe concepta potiundæ Urbis prorex, cum melueret, ne dux Guisius cum Gallico exercitu ac tribus Helvetiorum millibus subsidiariis Romanisque in eum incurreret, signa retro convertit; ac tum Veneti¹, ad quos Antonius Trivulcius cardinalis missus fuerat, necnon Cosmus dux Florentiæ veriti, ne Hispani, oppresso Pontifice, totius Italiæ tyrannidem afficerent, ad sopiendum gliscens incendium, conciliandamque concordiam studia flagrantissima contulerunt. Movebatur Pontifex inspectis subditorum calamitatibus ad incundam pacem, quæ contentibus proborum omnium votis expetebatur, quibus explorata erat et conspicua Ivonis sententia præclarissima, quod « res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint studium ». Conjunxit etiam operam suam pro concordia promovenda Joannes Lusitaniæ rex factus illius Joannis, et nominis et muneris successor, de quo apud Malachiam typice legitur. *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum*; litteris enim ardenti pietate delibutis Paulum hortabatur, ut paci animum accommodaret, cui Paulus de amatissimo officio gratias retulit², dissensionis causas a se in Philippum avertit, rogavitque, ut apud illum piis monitis concordiam interpretem ageret.

12. « Regi Portugallia.

« Charissime, etc. Reddidit nobis superioribus diebus majestatis tuæ litteras dilectus filius nobilis vir Alphonsus de Alencastro sanguineus et apud nos orator tuus, quas ipse prudenter et accurato sermone est subsecutus, nam multa ille quidem ex intimo animi tui sensu deprompta nobis diligenter explicavit, quæ ad pacem cum rege Philippo constituendam maxime pertinerent, ea nos cum libenter audivimus et probavimus, tum recentis hoc, et pro tuæ majestatis officio, eorum omnium, quæ antea per eundem oratorem optima voluntate ac solerti cura, vere tanto, tam Catholico rege, qualis tu ipse es, digna in hac ipsa causa egeras, facile recordati sumus; verum quod pacem nobis et concordiam suadeas, non est quod in eo valde labores, cum et natura ipsa nostra mihi profecto et benigna quietis et otii certe semper studiosissimi cupidissimique fuerimus, et nunc potissimum Christi Dei nostri exemplo, cujus vicarium in terris agimus, pacem eam præsertim, quæ cum universæ Christianæ republicæ salute et hujus sanctæ Sedis dignitate conjuncta

sit, sedulo querere amplectique studeamus; quamobrem, fili charissime, tui in primis erit muneris pro tua singulari pietate ac prudentia apud eundem Philippum regem sororis tuæ filium, litteris atque nuntiis ita curare, et efflicere, ut is ad nostram et Dei Ecclesiæ auctoritatem et obedientiam, extra quam salvus nemo esse potest, se quamprimum conferat et revelatur, spretoque ac repudiatis improborum hominum consiliis, mentem suam ad pacis studia omnino traducere, quam bello iniquo ac impio rem transigere malit, sed hæc et pleraque alia ad hoc ipsum pacis negotium tendentia, quæ Alfonso oratori tuo respondimus plenius atque diffusius, ut ad Majestatem tuam scriberet, ei mandavimus. Datum Romæ apud S. Petrum die xv Julii m^olvi, anno m^o.

Cardinalis etiam Polus³ nullum finem faciebat hortandi, rogandi, monendi, tum apud reginam præsens, tum per litteras ac nuntios apud Philippum, qui tunc in Belgio aderat, si qua posset iniri pacis et concordia ratio. Misit Romam quoque ad ipsum Pontificem Henricum Piniagum Anglum, qui in Italia diu cum ipso versatus erat, et ejus opera plurimum utebatur, qui ei a se omnia officia ac studia deferret, et quid cum rege ipso egisset, ut arma ponerentur, exponeret; simul, et quid in ea re cuperet fieri cognosceret.

13. Non abhorrebat a pace Philippus Angliæ et Neapolis rex, imo in eam erat pronior et in obsequium Pontificis, ac bellum a suis administris confatam damnabat una cum Cesare; jure enim Paulum in suos subditos perduelles severitatem legum exercuisse agnoscebat, illudque excitatum acerbe ferebat, urgebatque Ferdinandum ducem Albiæ proregem, ut pacem honestis legibus conficeret, subjectisque litteris⁴ ad eam paciendam necessaria auctoritate intraxerat:

« Philippus Dei gratia Hispaniarum, Angliæ et Franciæ, Neapolis et utriusque Siciliæ, Hierusalem, Iiberniæ, etc. rex, archidux Austria, dux Burgundiæ, Mediolani, Brabantia, comes Habsburgii, Hlandriæ, Tyrolis, etc.

« Recognoscimus et notum facimus tenore presentium universis, quod quamvis pro incredibili studio et amore ad componendam illam dissensionem, quæ inter summum D. Paulum divina providentia sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum, et nos diebus elapsis non sine magno animi nostri dolore coorta fuit, die xv mensis Decembris anno Domini m^olvi illustri fideli nobis dilecto domino Ferdinando Alvarecio Toletano, duci Albiæ, consiliario nostro status, prætorii præfecto, proregi regni nostri Neapolitani, gubernatori Mediolani, et exercitus nostri Neapolitani,

¹ M. C. C. Spald. t. c. cxxxv. — ² Paul. IV. l. xiv. brev. p. 349.

³ V. C. C. C. Pol. p. 34. — ⁴ Ext. apud Natal. Comf. l. x.

et exercitus nostri in Italia summo duci plenam facultatem dederimus, cum ejus Sanctitate, aut quibuscumque personis ab ea potestatem habentibus, omnia tractandi, paciscendi, exequendi, quæ ad hanc compositionem et concordiam spectare videantur; quo tamen huic negotio necessaria mora nulla aut dubitatio injiciatur, quin ad exitum optatum perducatur, et nostro huic desiderio plenius satisfiat, eandem illam facultatem cum eisdem clausulis, prout jacent, ad verbum eisdem modis et formis gratificare, stabilire et confirmare decrevimus, prout tenore præsentium gratificamus, stabilimus et confirmamus, ratumque habemus et approbamus quidquid præfati mandati nostri virtute hucusque gestum, actum et transactum est ab ipso duce Albæ cum sanctissimo Domino nostro Paulo IV, aut ab eo potestatem habentibus, ac si a nobis id actum et conclusum foret, et ad uberiorem cautelam, quatenus opus est, eidem duci Albano confisi, et ejus integritati et prudentiæ multarum rerum, eandem provinciam per præsentem demandamus, dantes denuo plenam, quatenus opus sit, facultatem, auctoritatem et potestatem, ut nostro nomine possit ac valeat cum sanctissimo Domino nostro Paulo IV Pontifice Maximo, seu cum admodum reverendo cardinali Caraffa, vel alio, seu aliis quibusvis a sua Beatitudine potestatem habentibus, conventiones, pacta et conventicula quævis inire, tractare, concludere, firmare, vel inita jam continuare, et ad finem perducere, necnon alias donationes, concessiones, cautiones, securitates et promissiones cujuscumque qualitatis aut existentie fuerint, prout ipsi bene visum sit, promittere, acceptare, et nostro nomine assecurare, etiamsi mandatum exigant præcipuum, quam præsentibus est expressum, omniaque alia singula facere, firmare, disponere, ordinare et pertractare, quæ nos ipsi facere, disponere et pertractare possemus, si ore præsentem essemus, et illa, si opus fuerit, juramento confirmare, unumque aut plures ad præmissa loca ejus substituere, cum simili seu limitata potestate, promittentes sub nostra fide et verbo regis nos gratum et ratum habituros, et omni dolo ac fraude semotis observatos quidquid per eundem ducem Albanum mandatarium nostrum, aut substituendum, aut substituendos actum, gestum, ordinatum, conventum, concordatum, promissum et conclusum fuerit circa præmissa, vel quodlibet præmissorum, et nullo unquam tempore revocatos, neque ulla ex parte controversuros. Sub honorum nostrorum omnium præsentium et futurorum obligatione, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri secreti impressione munitarum. Dat. Bruxellis ducatus nostri Brabantie die xxvi mensis Julii, anno Domini M^oDLVII ».

14. Inclinantibus itaque ad pacem omnium

studiis, atque etiam assentiente Henrico rege Gallie Pontifici fœderato, ac revocante etiam in Galliam ducem Guisie cum Gallico exercitu, quorum opera indigebat, Paulus Pontifex die octava Septembris Carolo Caraffa nepoti, SS. Viti et Modesti in Macello Martyrum diacono cardinali, sancienda cum duce Albæ pacis potestatem contulit.

Convenere Carolus Caraffa cardinalis et Ferdinandus prorex in oppido, cui Cavi nomen est, atque pacis leges ¹ honorificæ contractæ subscriptæque decimo octavo kal. Octobris: quarum præcipuæ hæc fuerunt, ut Ferdinandus prorex Philippi regis nomine accederet, ac obsequii et demissi animi officia præstaret Pontifici, gestorumque veniam postularet, ac Pontifex Philippum, ut obsequitissimum filium, paterna benevolentia complecteretur, illumque regie munificentie restitueret. Sancitum etiam, ut Pontifex a fœdere Gallico discederet, atque utrumque regem tanquam mediis arbitris paribus prosequeretur. Tertio decretum, ut Ecclesiasticæ ditionis oppida capta, dirutis munitionibus novis, restituerentur Pontifici, et utrinque capta tormenta bellica vicissim redderentur. Quarto, ut tum Pontifex, tum rex iis, qui in eo bello eorum majestatem læserant, ignoscerent, raptasque opes restituerent, Marco Antonio Columna, et Ascanio Corneo, et aliis Romanæ Sedis perduellibus exceptis, qui obnoxii manerent pœnis quibus erant obstricti, donec Pontificia clementia illis solverentur, de Palliano nonnullisque aliis arcana constitutæ sunt pacis leges.

15. Visus est Paulus Camerario de victoribus licet victus triumphasse, ac Vitæ auctor ² Philippi II pietatem commendat, qui promereri ac ornare Catholici cognomen obsequio ac religione in Romanum Pontificem maluerit, quam armorum ferocia et contentione tot regnorum titulos regiamque majestatem lucri: tum Paulum IV hoc elogio exornat: « Pauli IV mentem nullus quidem in dubium revocaverit fuisse omnino egregiam, Romanæque Ecclesiæ dignitatis, quam a Cesarianis administris opprimi ferre non poterat, asserendæ studiosissimam: at illius constantia clariore longe gloria effulsisset, si augendorum nepotum et Neapolitanæ expeditionis abjectis curis, tolerata Hispanorum administratorum insolenti impudentia, pro Christi gloria promovenda, ac Lateranensi Oecumenico Concilio, ut extingueret hæreses moresque Ecclesiasticos sanctitate perpoliret, celebrando, cæpta sacra studia, et magnifica consilia, curasque omnes ad pacem inter Hispanum et Gallum conciliandam omni contentione, missis jam ea de causa cardinalibus legatis, contulisset.

Singulari demum divini numinis ope ac providentia pacem illam inter Paulum Pontificem

¹ Ext. apud Silos l. ix. — ² Vit. Philippi. II. l. ix.

cem regemque Philippum sancitam insigni eventu constitit: etenim eadem die, qua pax confecta est, Joannes Marinonius pietate illustris sacerdos celebrato Missæ sacrosancto sacrificio, cum ad populum concionem haberet Neapoli in Sapientia monasterio, veluti divino afflatus spiritu, inelamare cœpit, Alleluia, tum in ea erupit verba: *Da pacem, Domine, in diebus nostris*, postremo constantissime, quasi oculis suis rem, quæ procul agebatur, cominus inspiceret, pacem inter Paulum IV et Philippum II ininitam asseruit.

16. Confirmata ea pace decimo tertio kalendas Octobris Franciscus dux Guisius ipso mane, cum exercitu in turmas diviso ex Urbe discessit, accepta a Pontifice discedendi venia, quem Paulus plurimis officiis est prosecutus, cum pro illo defendendo, hostie inferendo bello, donec pacem honestissimis conditionibus vidisset redintegratam, nullas periculum tempestates defugisset; atque Henrico¹ Galliarum regi actis gratiis, Franciscum ducem optime de Romana Ecclesia meritum commendavit hisce litteris:

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Quemadmodum omnipotenti Deo placuit, cuius misericordia nunquam Ecclesiæ suæ defuit, res hujus sanctæ Sedis, quæ in eo discrimine versabantur, quod serenitati tuæ ignotum non fuit, compositæ fuerunt, eaque tempestas, qua beati Petri navicula jactabatur, ipsius meritis et intercessione sublata est. Sicut autem antea dilectus filius nobilis vir Franciscus dux Guisii auxiliorum tuorum præfectus, tum ut jussa et mandata tua exequeretur, tum etiam pro egregia sua totiusque familiæ perpetua in hanc sanctam Sedem devotione, erga nos ita se gesserat, ut serenitati tuæ, ipsique eo nomine non parum hæc Sedes debeat, itaque postquam rerum statu ita flagitante de compositione actum est, tametsi ad serenitatem tuam properans quamprimum discedere et isthuc advolare cupiebat, tamen ne deseruisse nos videri posset, atque ut æquioribus conditionibus compositio fieret, substitit nostri causa, quamdiu opus fuit, qua in re, quod meminimus semper, plane ab eo nobis satisfactum fuit omnino, cum eum apud te locum is obtineat, ut commendatione nostra non egeat, sed tamen pro nostra erga benemeritos de nobis homines voluntate lacere non possumus, quin serenitatem tuam regemus, ut nostra quoque causa talem virum aliquando habere vellet clariorum: de nobis vero, charissime fili noster, sic persuasum tibi habeas gratam tuorum in nos meritorum memoriam a nobis perpetuo conservatum iri, ma-

ximasque nos hoc nomine Deo gratias agere, quod ad consulendum rebus tuis vicissim, quæ nobis maxime curæ sunt, nostrumque in te amorem declarandum aditum nobis patefactum jam esse speramus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die xv Septembris m̄lvii, anno 11 ».

17. Quo die matutina hora discessit Guisius, ejusdem vespere prorex Romam pervenit, rectoque itinere ad Vaticanum Pontificem adiit multis stipatus proceribus, ad quem secunda noctis hora per cardinalem Caraffam deductus est. Operiebatur illum Pontifex in aula solitæ audientiæ, assidentibus aliquot patribus, ut postquam introgressus prorex suppliciter ac demisse Pontificis pedes exosculans, regis Catholici primum, deinde suo nomine de præteritis in bello erratis veniam petiit, ac regem ipsum, seque pariter, ut filios, erga Sanctitatem Suam Sedemque Apostolicam obsequentissimos obtulit. Audivit benigne Pontifex deprecantem proregem, paternoque affectu Apostolicam benedictionem, tum ipsi, tum regi Philippo impertivit: qua suscepta, ad ipsius se denuo pedes abiecit, acceptisque haud dubiis reconciliatæ gratiæ argumentis, a cæteris quoque cardinalibus tunc præsentibus, complexu exceptus est. Subinde ad Pontificis pedum osculum cuncti, qui cum prorege venerant viri nobiles admissi fuerunt, quos simul cunctos cardinalis Caraffa in suarum adium parte, magnifica nitidæque una cum prorege ipso excepit cœna.

18. Altera die, vigesima nempe Septembris Paulus vocatis in curiam cardinalibus, reque ad eos relata, pacis leges coram ipsis denuo recitari mandavit, utque in sequentem diem, quo die beati Apostoli et Evangelistæ Matthæi memoria recolabatur ab Ecclesia, solemnia sacra pro gratiarum actionibus celebrarentur, decretum est¹; quibus et ipse dux Albæ interfuit postremus inter diaconos cardinales superiori ducis Palliani loco; completisque Missarum solemnibus, Pontifex cardinales omnes, ipsumque proregem e regione cardinalis decani accumbentem prandio adhibuit. Cumque jam tempus reditus instaret, Neapolim sequenti die, prout decreverat, repetiit. Illud tamen prætereundum non est, quod prorex conjugi suæ femina lectissima multumque dilecta untiavit, sibi inter milites hostiumque catervas pane ab incunabilis versato, nunquam tanto pavore pio perfusum, ita ut animo et voce pane defeceret, quam cum ante Pontificis conspectum se constituit. Scilicet splendor ille, et majestas, quæ admirabili Dei dispensatione in Christi Vicario resplendet, oculos animosque intuentium ita perstringit, ut aliquid supra hominem in ipso, et venerari, et metuere compellantur. Discedentem ab Urbe proregem novo Pontifex

¹ Paul. IV. lib. brev. an. tit. p. 283.

¹ Acta Consist. Ms. card. Spadae to. CXXXIV. p. 235.

cumulavit honore, nam Matthæum ab Aquaviva Apostolicum protonotarium de numero, ut vocant, participantium ad prærogive uxorem legavit, qui Rosam auream ¹, quæ ex antiqua Sedis Apostolicæ consuetudine, ut loquitur Innocentius III, Dominica quarta Quadragesimæ a Pontifice consecratur, illi deferret.

19. Magno itaque omnium gaudio in hunc modum confecta pax est, quæ vincenti, quam victo propiorem Pontificem reddidit, utque decretæ jam concordiaæ pactiones executioni darentur, ac præcipue, ut hostiles omnes munitiones in oppidis a præroge occupatis æquarentur solo, Pontifex subjecta Epistola ² eorum oppidorum incolas admonuerat, ac Hieronymum Brossium ad omnia quæ ad pacis conventiones pertinebant expedienda dimiserat,

« Dilectis filiis universis et singulis prioribus, antianis, consulis et rectoribus quocumque nomine nuncupatis, ac communitatibus civitatum, necnon universitatibus terrarum, oppidorum, castrorum, locorum nostrorum Maritimæ et Campaniæ provinciarum, ac terræ nostræ Pontis-Corvi salutem, etc.

« Cum ex conditionibus pacis, nuper inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum inite, civitates, terræ, oppida, castra et loca per dilectum filium nobilem virum Ferdinandum de Toledo ducem Albæ, viceregem Neapolitanum, et generalem ipsius Philippi regis in Italia capitaneum et locumtenentem, hoc belli tempore occupata nobis relaxari, et tormenta hinc inde capta vicissim restitui, munitionesque et fortificationes per ipsum Ferdinandum ducem, seu ejus mandato in civitatibus, terris, oppidis, castris et locis prædictis, dicto tempore dirui debeant modis et formis in capitalis desuper confectis, late expressis, nos dilectum filium Hieronymum Brossium laicum Civitatis-Castellanæ diocesis », et infra, « cum plena, libera et omnimoda facultate, etc. tormenta nobis erepta ab ipso Ferdinando duce, seu ejus ministris recuperandi, et ea, quæ nostri milites regis militibus eripuerunt, eis restituendi, ac munitiones et fortificationes prædictas, juxta tenorem capitulorum prædictorum diruendi, necnon milites regios ex civitatibus, terris, oppidis, castris et locis eisdem deducendi », (et infra) « constitui- mus et deputamus, etc. Dat. Rom. apud S. Petrum die xvi Sept. m̄lviij, anno iii ».

20. Emanavit interea per omnes Europæ provincias firmatæ pacis rumor ingentique libonorum omnium gratulatione est exceptus; jamque ex hac ipsa concordia, regum quoque universalem pacem conciliandam sperabant, pro qua promovenda in eodem ipso consistorio

Paulus legatos decreverat, Antonium nempe cardinalem Trivultium ad Henricum Galliarum regem, et Carolum cardinalem Caraffam ad Philippum. De indicendis quoque indulgentiis ac supplicationibus ad divinum conciliandum nomen, pacemque, quam mundus dare non potest, ab ipso exposcendam constitutum fuit. Vertente anno, cum Pontifex ab Emmanuele Philiberto Sabaudia duce ¹ gratulatorias accepisset Epistolas, hac occasione usus, post relatas optimo principi summas grates, cum seiret ipsum apud Philippum auctoritate et gratia multum polere, potissimum ob nuper expugnatum feliciter S. Quintini oppidum, pacis perficiendæ negotium eidem commendavit, eo maxime, quod tum ipse dux Bruxellis cum Philippo moraretur, atque a Carolo imperatore litteras manu sua e recessu cœnobitico conscriptas accepisset, quibus recentem insignemque victoriam gratulabatur, virtutem et rerum magnitudinem laudabat, illumque ad finem bellis imponendum, ac honestam stabilemque pacem faciendam hortabatur, admonens, bella non nisi cogente necessitate suscipienda, fortissime gerenda, ocysissime terminanda. Hæc itaque ad illum Paulus ² conscripsit :

21. « Dilecto filio nobili viro Emmanuele Philiberto duci Sabaudia.

« Dilecte fili, nobilis vir, etc. Perspeximus ex litteris tuis quæ nobis gratæ admodum fuerunt, quanta lætitia affectus fueris ex pace, quæ inter nos et charissimum in Christo filium nostrum regem Catholicum Deo fuit auctore constituta, in qua quidem concilianda non dubitamus, quin nobilitatis tuæ studium insigne fuerit, et eo officio functus sis, quod tua et majorum tuorum in sanctam hanc Sedem, et perpetua devotione ac virtute dignum erat, idque pro eo ac debet, nobis gratum est, hortamur te in Domino, ut quemadmodum te facturum sane confidimus, majorum tuorum vestigiis in Apostolica Sede colenda insistere perseveres, minime dubitans, quin ea te semper ut pium filium suum complexura sit. Cum autem id nos agere scias hoc tempore, ut pacem inter ipsos quoque Christianos principes componamus, adjuva, dilecte fili, hanc quoque tam sanctam et salutarem actionem; hoc tibi persuadens, quanto studiosius inservieris quieti totius populi Christiani, tanto tibi in rebus tuis non humanum solum, sed divinum etiam auxilium affuturum. Dat. Romæ apud S. Petrum, etc. die xvij Decembris m̄lviij, anno iii ».

22. Cum autem Ferdinandus Romanorum rex impenso semper studio pacem inter Pontificem et Philippum exquisisset, Paulus, ut grati animi sensus erga ipsum declararet, datis litte-

¹ Ser. de Ros. Teop. Raynav. in Ros. Mediana c. 1. p. 411. 21. — ² Paul. IV. lib. brev. tit. p. 304.

¹ Tonsus I. t. v. Em. Phi. lib. p. 147. — ² Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 65.

ris de pace certiorum illum reddidit, ac quam honorifice Neapolitanum proregem ad se venientem admisit, testatus est. Jacobum insuper Linterium, ut eadem ipsi significaret, certum nuntium misit. Cumque ex hac inita concordia gradum ad pacem inter reges speraret, Antonium Augustinum Aliphantem tunc episcopum, cujus laus in Jure Canonico summa est, demum direxit, quem tum ob spectatam probitatem, integritatem ac fidem, tum propter eximiam præstantemque doctrinam idoneum dicebat, qui Ferdinando ostenderet, quam Germaniæ rebus consultum esset, si pax inter reges firmaretur, armaque in Christianorum perniciem tam misere conversa, in Christiani imperii nominis hostes verterentur: incumbat proinde pro viribus rex una cum Pontifice, ut quæ summis precibus exposebatur concordia, disjectis omnino difficultatibus, impetraretur. Sollicitabat etiam Paulus reliquos reges ac principes, ut omni ope pacis actionem promoverent, nihilque sibi charius deveda jam ætate, senioque confecto ex vite perendinatione commodi aut consolationis accedere affirmabat, quam si optatam pacem ad finem usque perducere contineret.

23. Jam pro illa ardentiore studio deprecanda cardinalis Caraffa Bruxellas ¹ ad Philippum se contulerat, quas cum applicuisset tertia decima die Decembris, rex magna cum obsequii significatione obviam de urbis porta venienti progreditur, et digniorem oblitul locum. Legatum Roma abeuntem Pontifex disertissima ad pacem admonitione, qua cum rege collocutus uteretur, instruxerat, regemque ipsum Philippum ² gravissimis per Epistolam adhortationibus ad concordiam urgebat, quibus se ipsum, si per ætatem aliasque gravissimas, quibus distinebatur, curas liceret, ad reges ipsos coram conveniendis paratum fatetur, quod et re ipsa, si expedire visum esset, omni posthabito respectu, se facturum alibi spondit, suoque nomine cardinalis Caraffa jussus est coram proponere Paulum Niciam vel ad aliam civilem accessurum ad conventum pro pace simul, quemadmodum Paulus III egerat, celebrandum.

24. « Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Gratias agimus maximas Deo, cujus misericordia factum est, ut impedimentis, quæ nobis antiqui hostis astutia objecerat, sublatis ac remotis, aditus ad pia nostra desideria et salutaria consilia exequenda fuerit patefactus, magnam enim in spem venimus fore, ut qui pacem nobis et sanctæ Ecclesiæ Romanæ largitus est, eandem, nobis agentibus atque hortantibus, inter sereni-

tatem tuam et Henricum Francorum regem Christianissimum celesti sui favore reconciliet, et populum Christianum a tam gravi et periculoso bello liberet. Ulinam nobis liceret utrumque vestrum convenire, et coram agere de re tam necessaria, nihil libentius atque alacriore animo faceremus, quam ut ipsimet tam pia pro Christo legatione fungeremur. Sed quando id per ætatem nostram, et Romanæ Ecclesiæ, aliasque multas et gravissimas curas minime licet, habito venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio summa omnium voluntate legatos de latere nostro elegimus, ad ipsum quidem Francorum regem Antonium tit. SS. Joannis et Pauli presbyterum cardinalem Trivultium, ad serenitatem vero tuam dilectum filium secundum carnem nepotem nostrum Carolum SS. Viti et Modesti in Macello martyrum diaconum cardinalem Caraffam, quos et eximie diligimus, et propter spectatam ipsorum fidem, industriam, virtutem atque prudentiam ad hoc fungendum nostra vice munus maxime idoneos judicavimus. Nunc te, charissime filii, hortamur, et per viscera misericordiæ Christi Salvatoris nostri rogamus obstetamurque, ut pro tua prudentia etiam atque etiam cogites diligenterque consideres quantas et quam graves calamitates et detrimenta reipublicæ Christianæ bellum istud intestinum intulerit, quod inter patres vestros cœptum et diutissime gestum, inter vos postea renovatum vel continuatum est potius. Quid enim tanopere tot detestandas hæreses aluit, et tanta schismata corroboravit? Quid viribus nostris attritis impiorum hostium potentiam auxit, et populum Christianum in tantum jam discrimen adduxit, nisi belli hujus intestini occasio tam diuturni, et tam longe lateque propagati? Quis porro satis digne deplorare possit tantam effusionem sanguinis Christiani? Quid tot civitatum direptiones et excidia, tot ferro flammæque vastatas regiones, tot denique Ecclesiarum et sacrarum ædium spoliationes ac ruinas? Quæ res impiorum ac barbarorum tyrannorum mentes commoveret, et ad pacis consilia flecteret, ea tuum Christiani principis et Catholici regis animum non movebit? pro tuo, et tantis Dei erga te beneficiis hanc illam gratiam referre recusabis, ut ipsius populo pareas, et in impios potius hostes religionis nostræ arma convertas, ex quibus gloriosas victorias pulcherrimosque triumphos ipso favente consequi, et imperii tui fines multo facilius poteris propagare; ea nunc tibi deponendorum armorum et concilianda pacis occasio oblata est, rebus a te superioribus diebus prospere gestis, si, ut debes usus fueris, omnes moderationem animi tui sapientiamque laudabunt, teque pulchrius et magnificentius victoria usum fuisse, quam vice, prædicabunt, etenim magna ex parte du-

¹ Ext. apud Silos in hist. Cler. Reg. l. IX. — ² Paul. IV. lib. brev. II. p. 213.

cum illa et militum tuorum fuit victoria; at vero hæc moderationis laus tibi cum nemine communis, sed tua unius propria fuerit. Non te latet quam vario rerum eventu inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum parentem tuum, et claræ memoriæ Franciscum Francorum regem bellum per tot annos gestum fuerit, quoties acciderit, ut cum alteruter eorum rem alicubi prospere gessisset, idem paulo post aliquod alia in parte incommodum ac detrimentum acciperet, cum tamen ad extremum pro tantis bellorum sumptibus, pro tanta et tam diuturna regnorum suorum vexatione, tot et tam gravibus suis laboribus ac periculis neuter ipsorum ullum satis dignum præmium adeptus sit, quæ res admonere utramque vestrum debet, ut bellum tam difficile atque asperum, tam vestris populis atque universæ Christianæ reipublicæ calamitosum aliquando omittatis, pioque inter vos fœdere conciliemini, neque patiamini communes hostes vestris dissensionibus, vestris discordiis diutius lætari, sed hæc tecum pluribus verbis aget legatus noster, cui quidem omnibus de rebus de quibus tecum nostro nomine egerit, fidem æque ac nobis ipsis, ut habeas, rogamus. Dat. Romæ apud S. Petrum etc. die XVIII Octobris MDLVII, anno III ».

25. Ad promovenda quoque illius pacis consilia Pontifex Mariam ¹ Angliæ et Hiberniæ reginam hortatus est, ut quietem salutemque totius populi Christiani studiis suis juvaret, procuraretque apud virum Philippum Hispaniarum regem, pace enim composita, hæreticorum furrorem compressum iri.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Angliæ et Hiberniæ reginæ illustri.

« Charissimæ in Christo filia nostra, salutem, etc. Controversiis, quemadmodum serenitas tua semper optavit, compositis, nuper inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum et Angliæ regem fidei defensorem conjugem tuum, non parum te lætata esse persuasum habemus, novimus enim pietatem, novimus erga sanctam hanc Sedem reverentiam ac devotionem tuam, nobis quidem hæc res eo majorem affert voluptatem, quod jam aditum nobis, Dei voluntate, patefactum fuisse speramus ad agendum de pace inter vos, et charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem Christianissimum, quam quidem ad rem cum pro nostro pastoralis officio incumbere statuerimus, utriusque partis regno populoque Christiano universo consulere cupientes, legatos de latere nostro hujus rei causa misimus. Nosti, charissima filia, quot et quam graves intestinum hoc bellum calamitates innoxiiis populis importaverit

antea, intelligisque quanto graviore impendant, nec vero ignoras, quam opportune quamque optate sint hæc dissensiones atque discordiæ, tum impiis hostibus ad lacerandam rempublicam Christianam, tum hæreticis ad impugnantiam fidem et religionem Catholicam, quorum utri magis perniciosi et detestabiles sint, non facile judicari potest. Memineris igitur præceptorum Domini qui et pax ipse nostra fuit et pacem bonæ voluntatis hominibus ab angelis in ortu ipsius nuntiatam discipulis suis tantopere commendavit, et tamquam hæreditatem reliquit. Adjuva pia et salutaria nostra consilia, actionesque dilecti filii nostri de latere legali, ac secundum carnem nepotis Caroli sanctorum Viri et Modesti in Macello martyrum diaconum cardinalem Caraffam, quod cum facies, honori ac cultui Omnipotentis Dei, a quo salutem ipsa toties et regnum tam mirabiliter accepisti, et regnorum tuorum quieti salutique simul totius populi Christiani inservies; sed hac de re tecum aget pluribus verbis legatus noster quem et serenitati tuæ studiosissimum novimus, et testem ipsi habemus nostræ paternæ erga te charitatis, cui quidem, ut fidem habeas omnibus de rebus perinde ac nobis ipsis esses habitura, serenitatem tuam rogamus. Dat. Romæ apud S. Petrum die XVIII Octob. anno III, MDLVII ».

26. Ad Gallicam quoque legationem subeundam Antonius cardinalis Trivultius, serius tamen quam Caraffa, discessit, quibusdam nimirum detentus negotiis, eo quod paulo ante accessisset ad Urbem, cum per aliquid temporis spatium post adeptam cardinalitiam dignitatem Pontificis jussu Venetiis substitisset; e qua quidem civitate discedenti Paulus Manutius, insignis Grammaticus, Præfationem inscripsit ad Sallustii Historiam, quam in Antonii ejusque familiæ laudes excuderat, de bene ab ipso Venetiis administrata provincia, ostensisque virtutibus multa congescit. Antonium igitur, et suo, et majorum suorum nomine Henrico admodum charum pro concordia promovenda Paulus se conferre jussit in Gallias, eique proficiscenti Epistolam ad regem addidit ¹, qua pronam ejus animi ad consilia pacis voluntatem sibi alias exhibitam in mentem revocans, ad ea in exitum perducenda summopere adhortatur:

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Cum officii nostri ratio postulat, ut te et Philippum Hispaniarum regem Catholicum filios nostros charissimos ad pacem et concordiam adhortemur, tum etiam Dominus recenti suo in nos et sanctam Ecclesiam Romanam, cui nos, licet indignos, præposuit beneficio, a nobis aperte

¹ Paul. IV. lib. brev. II. p. 269.

¹ Paul. IV. lib. brev. II. p. 258.

hoc requirit, hanc enim nimirum ob causam nobis et huic Ecclesiae pacem reddidit, ut eam ipsi etiam inter vos duo firmissima Ecclesiae suae praesidia conciliare possemus, quam quidem ad rem eo majore studio nobis incumbendum esse duximus, quod nisi ea perfecta, minime possemus ceteras res, quas ad Dei honorem agere institimus, ad optatum exitum adducere. Utinam ea etate essemus, ut ad utrumque vestrum nos conferre, et tam pie ipsi pro Christo fungi legatione possemus, jucundissimi nobis labores essent, quos hac in re pro Dei et Domini nostri honore, et commissarum nobis ovium salute susceperemus. Sed quando nec virium infirmitas, nec aliae gravissimae occupationes nos ex hac statione descendere patiuntur, communicato cum venerabilibus fratribus nostris consilio, delegimus ad vos hujus rei agenda causa eos de latere nostro legatos, quos propter spectatam ipsorum fidem, industriam, prudentiam, publicaeque utilitatis studium maxime idoneos judicavimus. Hortamur igitur serenitatem tuam, charissime fili, rogamus, et per divinam misericordiam obtestamur, ut memor pii et Christianissimo rege digni responsi, quod alias nobis dedisti, cum itidem ut nunc te ad pacem hortati fuissetus, in eadem sententia maneas, consideransque tecum attentius plurima delrimenta, gravissimasque calamitates, quas hoc bellum invecturum esset non regnis modo vestris, sed cuncto populo Christiano, universae reipublicae Christianae intestino hoc tam diuturno bello lesse, et gravissime laboranti consulatur, neve committas ut pia nostra et salutaria Christiano populo consilia, de quibus ex ipso legato nostro audies, abs te impedita fuisse videri possint, quod certe a Christiani regis officio et pietate tua alienum esset, nosque tanto majori dolore afficeret, quanto gloriam et salutem tuam habemus chariorem, sed hac de re nostro nomine pluribus tecum ager dilectus filius noster Antonius tit. SS. Joannis et Pauli presbyter cardinalis Trivultius vocatus, quem quidem de latere nostro ad te legavimus, non dubitantes, quin propter tuam perpetuam Sedis Apostolicae reverentiam, et suo etiam ac majorum nomine gratus is tibi acceptusque futurus sit, praeter egregias enim virtutes, quibus cum ornavit Deus, ex ea familia ortus est, qua nulli clari ac praesentes viri majores ejus Francorum regibus variis istius regni temporibus strenuam utilemque in primis operam summa cum fide et constantia navaverunt, cum, ut ita audias, eandemque fidem habeas, ac si nos ipsos audires, serenitatem tuam rogamus. Datum Romae apud S. Petrum die IV Novembris MDLVI, anno III.

27. Verum cum Pontifex probe nosset, ab illo praecipue pacem expectandam, qui est Deus pacis, cum jam appropinquaret celebritas, qua

Christus Jesus, qui, quemadmodum loquitur Apostolus ¹, *est pax nostra, et facit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua*, de Virgine nasci dignatus est, pacem hominibus bonae voluntatis annuntians, opportunum ralus eo potissimum tempore ipsum deprecari, propositis amplissimis indulgentiis, Christi fideles ad expianda peccata et preces ardentes fundendas invitavit, praescripta in hunc modum orationum formula ², qua per sacrum Adventus tempus Natale Domini praevenerunt.

« Ad futuram rei memoriam.

« Superioribus diebus cum nonnullos nostros et Apostolicae Sedis legatos de latere, ad Christianissimos in Christo filios nostros Henricum Francorum Christianissimum, et Philippum Hispanum Catholicum reges pro pace inter eos et reliquos principes Christianos concilianda et componenda mitteremus, instaretque tempus Adventus, ac dies Natalis Redemptoris nostri, qui totus orbis terrarum exultat, et qua, sicut temporales domini munera clientibus suis dare consueverunt, ita ipsum Redemptorem, si ad eum corde contrito et spiritu humiliato recurramus, nobis hoc pretiosissimum pacis donum, quo nullum melius aut praeclearius hoc saeculo esse potest, concessurum esse confidebamus, ex parte omnipotentis Dei, per viscera misericordiae omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles in hac alma Urbe ejusque districtu existentes hortati sumus, et in Domino monuimus, atque requisivimus, ut inter caetera, a tunc proxima prima Dominica Adventus usque ad diem Natalem hujusmodi, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam septies, ac Symbolum Apostolorum semel quolibet die recitarent, et ad eundem Dominum ac Deum nostrum humili corde conversi, conscientiam suam diligenti studeant saepius examinatione disculere, et orationibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, sive sacerdotum, quibus peccata sua confiterentur, salutare consilium vacarent, et ante diem Nativitatis hujusmodi, saltem semel peccata sua confiterentur, et Salvatori nostro supplicarent, precibusque ad ejus sacratissimos pedes prostrati poscerent et rogarent, ut animos ipsorum regum et principum reconciliare, universo populo Christiano, eam, quam per angelos suos sacratissima ipsius Natalis nocte orbi nuntiari voluit pacem, largiri velit, ipsa vero Natalis, aut alia infra ejus octavam per eos eligenda die, sacratissimae Eucharistiae Communionem, pie ac devote perciperent, ac quae ad Dei cultum pertinebant, toto animi affectu exercerent ». Et infra; « Eis vero, qui, ut praefertur, peccata sua confessi fuissent, et Eucharistiae Communionem perciperent, ple-

¹ Eph. II. — ² Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 46.

missimam omnium peccatorum suorum, et eam, quæ Christi fidelibus Ecclesiam almæ Urbis, et extra eam ad id deputatas anno Jubilei visitantibus concessa est, Indulgentiam largitus sumus ».

Licet autem peccatis populorum id exigentibus distulerit Deus preces exaudire, non est tamen passus benignissimus Dominus pium senem morti occumbere, donec conciliatam inter principes optatam pacem videret.

28. *Henricus rex Calvinistas perniciose dogmata spargentes deterret.* — Dum Gallorum rex Henricus gravissimo implicitus bello ad repellendos externos hostes, qui victoria elatioses late ferrum flammisque ad Noviodunum usque circumtulere, distinetur, hæretici Calvinianam pestem per Galliam spargebant, ac funesta ingentium bellorum civilium, quæ postea universas Gallias cædibus, ferro, flammaque fœdarent, semina serebant, quorum conventicula ineunte Septembri Parisiis patefacta refert Surius ¹ :

« Ut est hæreticorum in omnem occasionem mirabiliter intentata versutia, dum bella fervent in Gallia, et rex aliis negotiis distenditur, ipsi sua agunt clam conventicula, et spargunt in illo Christianissimo regno pestilentissima Calvinianæ impietatis dogmata. Die quinta Septembris summo mane in cujusdam privati hominis aëdibus, qui tunc procul aberat, Lutetiæ deprehendunt permulti viri ac feminae, qui illuc ad concionem novorum dogmatum convenisse dicebantur, et fere omnes in vincula conjiciuntur, demptis illis, qui nocturnis freti tenebris, fuga dilapsi erant ». Capti sunt a forensi satellitio centum viginti utriusque sexus, in quos judiciorum severitas districta fuit.

29. *Paulus in Gallia constituit Inquisitionis tribunalia quæ ob censorum mollitiem nocent potius quam prosunt fidei.* — Susceperat hujus anni exordio Henricus rex piam mentem, consiliumque sanctissimum, constituendi per universam Galliam sacræ censuræ tribunalia adversus hæreticos, atque ad nefaria Calvinismi germina erumpentia evellenda, quod cum regius orator Pontifici exposuisset, Paulus flagrantissimum tanti principis in Catholica religione asserenda studium extulit, atque exercendæ judiciaræ in impios Calvinistas severitatis summum imperium ac munus cardinalibus qui in Galliis morabantur, subjecto Diplomate ² demandavit :

« Dilecti filii nostri, salutem. Cum ad hoc nostra in primis aspires intentio, ut fides Catholica ubique floreat et augeatur, ac omnis hæretica pravitas e mentibus personarum quarumlibet tollatur, nostræ diligentiam studium libenter adhibebamus, ut qui a caula Dominici gregis dia-

bolica fraude in dies seducuntur, ad eam, aspirante Domino, reducamus, vel si in eorum damnato proposito obstinato animo perseverare contendant, taliter puniantur, quod eorum pœna aliis transeat in exemplum. Sane charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus per suum apud nos oratorem nobis nuper exponi fecit, quod ipse pro zelo orthodoxæ fidei et Christianæ pietatis, cupit officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis in regno Francia, et aliis dominiis, et locis sibi in temporalibus constitutis Apostolica auctoritate introduci, quare nobis humiliter supplicari fecit, ut aliquibus probis viris Deum timentibus, et illius honorem zelantibus negotium inquisitionis hujusmodi in regno, dominiis et locis prædictis auctoritate nostra introducendi facultatem et potestatem concedere, aliasque in præmissis opportune procedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi sanctum et pium Henrici regis desiderium plurimum in Domino commendantes, et de insigni circumspectionum vestrarum pietate et eximia prudentia, ac præclara in rebus agendis dexteritate plene confidentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vos conjunctim nostros et Apostolicæ Sedis in negotio Inquisitionis hujusmodi commissarios, et hæreticæ pravitatis in eodem regno et dominiis inquisitores dicta auctoritate tenore præsentium constituimus ac deputamus, ac vobis conjunctim quoscumque Lutheranæ ac cujusvis alterius damnatæ hæresis sectatores, seu sortilegia hæresim sapientia committentes, illorumque sequaces, fautores et defensores, ac eis auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte præstantes, cujuscumque status et gradus, ordinis vel conditionis, dignitatis et præminentie fuerint, una cum locorum ordinariis in casibus, in quibus de jure intervenire debent seu possunt, si legitime requisiti intervenire voluerint, alias sine illis juxta canonicas sanctiones inquirendi, et contra eos juxta depositiones procedendi, necnon præcedentibus legitimis judiciis eos comprehendendi, ac capiendi, et capi, ac comprehensos, captos carceribus mancipari faciendi : necnon, si sæpius juris fuerit, torqueri et rigoroso examini subijci faciendi, et demum præcedente diffinitiva sententia desuper ferenda, si innocentes fuerint, absolvendi, si vero culpabiles extiterint, juxta canonicas sanctiones prædictas, prout qualitas excessum exegerit, debitis pœnis puniendi, ac procuratorem fiscales, et notarios publicos, aliosque in his necessarios officiales, et clericos sæculares, seu Ordinum quorumcumque regulares deputandi, necnon eis, ut onus eis injunctum exequantur et peragant, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendi et mandandi, et si necesse fuerit aliquem clericum etiam in sacris, et presbyteratus Ordinibus

¹ Sur. in Comm. — ² Paul. IV. lib. brev. tit. p. 171.

constitutum pro parte præmissa degradari, ad ejus actualem degradationem per quemcumque Catholicum antistitem, quem ad id duxeritis deputandum, nisi ejus diœcesanus apud suam Ecclesiam, vel in ejus diœcesi personaliter resederit, et ad id requisitus degradationem hujusmodi per seipsum facere voluerit, et demum curiæ sæculari traditionem procedi faciendi, necnon contradictores quoscumque, et rebelles, ac vobis in præmissis non parentes, opportunis juris remediis compescendi, et in præmissis omnibus auxilium brachii sæcularis invocandi et implorandi, ac ad veritatis lumen redire, et hujusmodi hæreses et errores abjurare volentes, si alias relapsi non sint, recepta prius ab eis errorum et hæresum suarum abjuratione publice, vel vestro seu vestrorum substitutorum arbitrio privatim et secreta facienda, imposito per eos juramento, quod talia deinceps non committent, nec talia aut eis similia committentibus, seu illis adhærentibus auxilium, consilium vel favorem per se, vel alium, seu alios præstabant, aliasque in forma Ecclesiæ consueta ab eisdem hæresibus, et erroribus, ac quibusvis sententiis, censuris, et pœnis Ecclesiasticis, et etiam temporalibus per eos præmissorum occasione incursum, injuncta eis pro modo culpæ publica pœnitentia, vel si vobis conjunctim videbitur, secreta et privata pœnitentia salutari, absolvendi, et reconciliandi, absolutionemque et reconciliationem hujusmodi cum solemnitatibus a jure requisitis faciendi, ipsosque sic absolutos et reconciliatos ad gremium Ecclesiæ, et unitatem fidelium restituendi, reponendi, ac ad nostram et dictæ Sedis gratiam et benedictionem recipiendi, omniaque et singula alia, quæ ad hujusmodi hæreses, et errores, et sortilegia reprimendum, et radicibus extirpandum juxta juris ordinem necessaria fore cognoveritis, et quæ ad officium inquisitionis hujusmodi pertinent, faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi et exequendi, necnon ad præmissa omnia et singula alios episcopos, aut Ecclesiarum prælatos, seu personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, in Theologia magistros, aut in altero Jurum Doctores, vel Licentiatos, vel Baccalaureos in aliqua Universitate Studii generalis graduatos, et in trigesimo ad minus sue ætatis anno constitutos, timorata conscientia et exemplaris vite existentes, necnon honorem Dei et Christianæ religionis zelantes una cum locorum Ordinariis in casibus, in quibus de jure intervenire debent, seu possunt, si legitime requisiti ibi intervenire voluerint, alias, ut præfertur, sine ipsis, quoties opus est, cognoveritis, cum simili aut limitata facultate, etiam quoad particularia, facultate per vos specificanda assumendi, deputandi, et subdelegandi, eosque simpliciter, vel pro parte ad libitum vestrum etiam in negotiis et causis per vos

jam cœptis revocandi, et loco eorum alios, ut præfertur, qualificados substituendi, plenam et omnimodam auctoritatem et tenore præsentium concedimus facultatem et potestatem, vobis, et per vos pro tempore assumptis, et deputatis subdelegatis, et substitutis inquisitoribus in virtutæ sanctæ obedientiæ districte præcipiendo, mandantes, ut officium Inquisitionis hujusmodi juxta præsentium litterarum continentiam et tenorem, quoad non expressa in aliis secundum Juris communis dispositionem, fideliter et debite exercere studeatis et procuretis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papæ VIII prædecessoris nostri, de una, et Concilii generalis de duabus dielis, ac quibusvis aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum xxv Apr. MDLVII. an. II. ».

30. Non exercita est sacræ fidei censura eo incenso tuendæ religionis studio et constantia ad nascentem hæresim præfocandam, qua olim sanctus Ludovicus constituto Inquisitionis tribunali adultam Albigensem hæresim evulserat, nec plures episcopi veteribus illis episcopis, qui celebratis tot Synodis sanctissimas leges ad continendos in gremio Ecclesiæ populos sanxerant, pares religione et fidei ardore extiterunt; ac licet in nonnullos flammis sævitum fuerit, tamen nobilibus parçitum est, dissimulataque Joannæ reginæ Navarra nequitia, quæ sensim pietatis larva exuta Aquitanie partem Benearniam, et alias provincias finitimas infecerat, judices etiam brevi remisere severitatis aculeos cum nonnulli ex iis hæresi corrupti forent, atque ex senatu Parisiensi non pauci peste Calvinistica infecti fuere. Brevis quoque in Henrico rege maximus ille asserendæ religionis ardor delagravit; cum Helvetii ac Palatinus princeps, quorum subsidiariæ copiæ suppetias pro gerendo in Hispanos et Anglos bello ferebant, qui Calvinii hæresiarchæ summopere frementis, quod suæ nequitia alumni flammis ustularentur, crebris litteris incitari, Henricum regem importune sollicitarunt, ne in ejus fidei, quam ipsi quoque profitebantur, assertores tam immani bus pœnis animadverteret. Nonnulli etiam Catholici mitioris ingenii mitius agendum cum hæreticis opinati sunt, cum illi impendentia pericula non præviderent, nec attenderent, quod jam experientia abunde monstravit, insanientium correctionem a vinculis inchoandam, virisque infrunitis, quod Spiritus Sanctus monet Ecclesiast. 31, torturam esse adhibendam.

31. *Dissolvitur colloquium Warmatiense cujus inanis innotescit sicut et cæterorum conventuum.* — In Germania ¹ ex decreto comitio-

¹ Paul. lib. brev. in lit. ad Ferd. Reg. Rom. et in aliis ad Episc. Lubecen. et ad Reg. Hesp. Fer. Imp. apud Goldast. to. III. Hovec. l. v. Sur. in Comm. Resusc. in conventic. Evang. Sacrum. in hist. Soc. Jesu p. 3.

rum Ratisbonensium, quæ superiori exeunte anno cæpta in presentem extracta sunt, pro tollendis gravissimis de religione dissidiis, quibus imperium magis in dies lacerabatur, ex quo abjecta veritate, et conjunctione Romanæ Ecclesiæ spreta, quisque tenebro novum lumen Evangelii sibi affulsisse gloriari cepit, indictum est colloquium Wormatiæ inter Catholicos et Lutheranos Augustanæ Confessionis, quæ sola Cæsareis edictis tolerabatur, præesse illi jussus est Ferdinandus regis Romanorum nomine Julius Pflugius episcopus Naumbergensis theologicis hinc certaminibus exercitus, cui assessores, tum Catholicos, tum Lutherani constituti. Theologi vero Catholicos, qui cum pseudotheologis adversarii collocuturi erant, duodeni delecti sunt, inter quos florebat eruditione Michael episcopus Mespurgensis, Delphinus suffraganeus Argentiniensis, Canisius Societatis Jesu, ac Stapylus; inter impios vero astu et flagitio eminebant Melancthon, Brentius et Pistorius.

Hujus colloquii fama cum ad Paulum IV Pontificem devenisset, ingrata maxime accidit, quod non in hujusmodi colloquiis, sed in Conciliis OEcumenicis causa religionis tractanda sit, et experientia jam satis docuisset, plura colloquia a Carolo V instituta successus felices nunquam sortita: nam licet hæretici convicti fuerint erroris, tamen victas dare manus pertinacissime detrectent, ne ab aliis hæreticis lapidibus obruantur; tum quia omni dolo ac fraude Catholicos pervertere amittantur, digressive e colloquio, in quo victi fuerint, sparsis libellis triumphasse de Catholicis mentiantur, ut hoc ipso accidit tempore cum a Wormatiensi colloquio recedentes in Saxonia pro suis tribunalibus aperte mentirentur Canisium¹ Wormatiæ post primum cum Melancthone congressum, eum ad concionandum conferre se voluisset, obmutuisse illico et exspirasse; tum quia nulla alia cum hæreticis concordia vera iniri possit, quam si illi ejuratis suis erroribus ad Catholicæ matris Ecclesiæ, a qua se ipsos divisere, sinum revertantur, nam cæteræ injunctæ concordia leges, quas politici dare consueverunt, ut partes adversæ de suo jure aliquantulum decedant, in religionis causa locum non habent, quia qui Christi totus non est, totus est Sathanæ, scilicet Ecclesia Dei non est cætus ille Baal, qui claudicantes in duas partes admittat, vel dolosa illa mater, quæ divisionis sententiæ acquiescat, nam ut præclare inquebat Hilarius²: « Imperfectum nobis est totum, si aliquid desit a toto ». At dum gravi curarum æstu angitur Pontifex, ut omissis colloquiis, controversiæ Concilio OEcumenico dirimendæ permittantur, retatum est mutuis dissidiis cætum fuisse disturbatum:

cum enim a colloquii præside ac moderatore sapientissime postulatum esset, ut Zuingliani, Osiandrini, Adiaphorista sive Indifferentes, et Synergista, aliæque hujusmodi pestes damnantur, cum ii hæretici a Confessione Augustana sint alieni nec legibus imperii tolerentur, nec cum illis colloquia a Ratisbonensibus comitiis indicta fuerint, mox Lutherani, eo postulato, quasi fulmine percussi obstupuerunt atque inter se dissidere cœperunt, et quidem quinque ex illis Scepsius, Strigelius, Stosselius juniorum ducum Saxonie pseudotheologi, ac Morlinus, et Sarcerius, utpote Augustanæ Confessionis addictissimi, scriptis suis hujusmodi hæreticos a se damnari professi sunt, atque præsidii colloquii declarationem suam obtulerunt. At septem alii Lutherani odio et ira in hos inflammati, ipsos a suo cœtu ejecerunt, veluti anathemate defixos, ut qui omnium hæreseon auctores ac sequaces in suo cœtu contineri vellent, ac proinde Confessionem Augustanam pro sua libidine fingerent, et refingerent, ejus fraudis Melancthonem maximum fuisse auctorem Surius¹ describit, contendere ergo illi Sacramentarios et alios hæreticos a se damnari non posse, antequam auditi essent: quæ hæreticorum dissidia cum accepisset Pontifex, maxima levatus cura Ferdinandum regem Romanorum sollicitavit², ut regiam auctoritatem ad cætum illum Wormatiensem dissolvendum revocandosque in salutis tramitem hæreticos adhiberet, sublataque tanta tot pestium hæresumque varietate Germaniam pœaret:

32. « Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum, etc.

« Ut misericors Deus solet, quo tempore beneficia ipsius minus expectantur, benignitatis et clementiæ suæ lumen ostendere, nec modo spem nostram prævenire, verum etiam superare, cum maxima cura et sollicitudine afficemur ex impiorum consiliis, quos Wormatiam confluisse audiebamus, ad turbandum vehementius Ecclesiæ Catholicæ statum, suosque perniciosos errores latius disseminandos, nec facile eorum furori ullo remedio occurrere possemus, ipse misericordiarum Pater et Deus totius consolationis animum nostrum erexit, et hujusmodi inter eos, ut audivimus, dissidia excitavit, ut non acrius cum Catholicis quam inter se certare et dissidere, alii alia dogmata defendentes, cœperint, qua quidem tam idonea occasione allata, cum in manu tua, charissime fili, sit impia eorum consilia dissipare, nonne pro tua perpetua in Deum pietate et Catholicæ religionis studio enteris, ut ea peste Germaniam liberes, præsertim cum in eo non solum Ecclesiæ paci, sed regnis tuis et Romano imperio consulturus sis? Noli, per Deum immorta-

¹ Sac. p. 2. hist. Soc. Jesu. III Reg. c. 18 et c. 3. — ² Lib. II. de Trin.

¹ Sur. in Comm. — ² Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 72.

lem, tantæ apud homines gloriæ, noli tanti apud Deum meriti tempus amittere. Cupimus quidem Ecclesiæ quieti et commissarum nobis animarum salutî consulere. Verum pro nostro paterno in te amore cupimus simul regnî tuis, cupimus laudi, cupimus salutî consulere. Cupimus beneficia, quæ tot et tanta a Deo accepisti, non modo salva tibi et firma permanere, verum etiam tuis crescentibus in religionem et Ecclesiam Catholicam meritis augeri ipsa quoque in dies et multiplicari: est hoc pietatis tuæ, est prudentiæ, illum detestabilem impiorum cœtum jam inter se divisum penitus dissolvere, et ut ne quid imperio, ne quid religioni Catholicæ nocere possit, omni tua auctoritate, omnique ope et consilio cavere, providere, quod ut facias, serenitatem tuam iterum atque iterum obtestamur. Misimus autem, dedita opera, ad te cum his litteris dilectum filium Jacobum Linterium notarium nostrum hominem nobis vehementer probatum, cui de his, quæ serenitati tuæ nostro nomine exponet, fidem ut habeas rogamus, missuri postea nuntium Apostolicum, qui hujus sanctæ Sedis instituto apud serenitatem tuam maneat. Dat., etc. die XIV Novemb. MDLVII, anno III. ».

33. Urbanum quoque Lubecensem episcopum, quid apud Ferdinandum gratia et consilio multum pollebat, hortatus est, ut enixe suaderet regi, isthæ in posterum colloquia omnino evitare, nimis quippe indignum, nimisque injustum censebat, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos perditos significat Spiritus sanctus per prophetam ¹ dicens: *Filii alieni mentis sunt mihi, filii alieni inveterati sunt*. Quapropter ² hac eorum dissensionis occasione accepta, Wormatiensem conventum omnino dissiparet, neque lamentabilem Catholicæ fidei disceptationem ulterius protrahi pateretur:

« Venerabili fratri Urbano episcopo Lubecensi.

« Venerabilis frater, etc. Compositis inter nos controversiis, quas discordiarum sator atque auctor, malevolorum hominum opera usus, inter nos et clarissimum filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum excitaverat, vehementer gaudebamus, sperantes, ex hoc præclaro pacis initio consecutura, Dei auxilio, nobis hortantibus, reliquarum quoque partium Christianæ republicæ pacem et tranquillitatem: verum divinæ clementiæ abundantia factum est, sicut audivimus, ut qui nectario quodam turore accensi bellum Christiano populo multo perniciosius molebantur, quippe non corporum, sed animarum exitio, et Catholicæ fidei eversum imminentes, impio Wormatæ cœtu coacto, inter se, ut Deo placuit, dissensionem coeperint: qua ex re gaudium nostrum du-

plicatum est, spesque erecta, non prætermisurum hanc tam idoneam occasionem, clarissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Hungariæ et Romanorum regem illustrem, tam impiis et perniciosis eorum consiliis occurrendi, cœtusque nefarii penitus dissolvendi, quod quidem ut faciat, et ut in hac re, tum religioni et fidei, tum etiam sacro Romano imperio consulat, dedita opera misso ad eum cum his litteris dilecto filio Linterio notario nostro nomine, ac nobis admodum probato, diligenter hortamur, monemus et obtestamur. Est autem pietatis tuæ, qui sacro isto apud regem ministerio fungeris, ejusque personæ quam sustines, regium animum, quem optimum esse confidimus, tuis hortationibus, ut in hac rem incumbat, quanto maxime potes studio incitare, quod cum facies, et magnam a Deo gratiam in his nec solum regis animæ, verum etiam regno et gloriæ inservies, qua de re pluribus verbis tecum is, quem misimus aget, cui fraternitas tua fidem habeat. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XIV Novemb. MDLVII, anno III. ».

34. Successum hujus colloquii Wormatiensis describit Surius ¹, utque dissolutum fuerit, quod nolent septem illi Lutherani stare Confessionarios Augustanæ, nec ab ea discrepantes Sacramentarios damnare, tum ut, dissoluto eo conventu, Lutherani alii in alios strinxerint calamos, ac mutuo in se declamarint, ex quorum conflictu pateat, an ipsorum sapientia desursum sit, quæ, ut scribit Jacobus Apostolus ²: *Primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suavis, bonis consentiens*, etc.

« Hoc anno, inquit, colloquium indictum est Wormatiæ inter Catholicos et Lutheranos. Accidit ibi quoddam longe fœdissimum, quod operæ prætium sit ad posteritatis notitiam transmittere. Erant Evangelicarum (ita Sathanicas vocant) partium duodecim theologi. Ab his Catholicæ theologi petierunt, quandoquidem multi juges sectæ sub Augustanâ Confessione se comprehendi volunt, quæ tamen etiam in maximis rebus inter se dissideant, ut tandem declarare velint, quas ipsi sectas Augustanæ Confessionis consonas vel dissentaneas stantur. Nam decretum erat inter eos solos colloquium habendum, qui essent, vel religionis veteris, vel Augustanæ Confessionis, exclusis reliquis sectis omnibus. Ibi in diem usque decimum sextum certatum est inter Evangelicos theologos, nec tamen res componi potuit, quod alii ex us, sectas quasdam tanquam a Confessione Augustanâ discrepantes excluderent et damarent; alii retinendas easque parcendum censerent. Ea contentio et altercatio eo usque progressa est, ut ex duodecim quinque rejecti sint, nec eos deinceps collegarum et symmistarum loco habere voluerint re-

¹ Ps. XLV. — ² Paul. IV. lib. brev. sig. num. 288^o. p. 66.

¹ Sur. in Com. — ² Cap. III.

liqui omnes. Itaque quinque illi excommunicati, relicto colloquio, domum abierunt.

« Erat expectatio magna alicujus inter Catholicos et Evangelicos conciliandæ concordie: sed ea usque adeo miri non potuit, ut ipsi Evangelici in duas propemodum æquales partes turpissimè dissecti, Catholicis non immerito dubitationem attulerint, ultra pars Confessionem Augustanam sequatur.

« Nec levibus de rebus isti Evangelici theologi inter se rixabantur, sed de præcipuis capitibus, puta de Libero Arbitrio, de Justificatione, de operibus, de Sacramentis, præsertim de Eucharistia; et certe quinque illi theologi exclusi literas sigillis suis munitas nostris theologis tradidere, quibus testantur omnivarias hæcenus sectas et corruptelas irrepisse, et earum auctores Confessioni Augustanæ se immiscuisse, et sub Augustanæ Confessionis prætextu, tanquam ejusmodi hæreses illi consentaneæ sint, eas defendere voluisse, etc. quando vero ipsi quinque eas a Confessione Augustana excludere, et specificè condemnare voluerint, suos reliquos septem collegas et socios ex eorum consortio extrusos esse, etc. Itaque istis ita inter se distractis, et quod a septem reliquis, qui Wormaliæ remanserant, nunquam impetrari potuit, ut multiplices sectas a Confessione Augustana separatim, specificè separarent, atque damnarent, ne frustra cum Evangelicis colloquii labor omnis insumeretur, necessario hac vice colloquium intermittere et suspendi oportuit.

« Prodierrunt postea scripta acerbissima, præsertim Nicolai Amsdorffii et Nicolai Galli, quibus mirabiliter lacerant illos septem, qui alios quinque rejecerunt. Inter alia sic habet Amsdorffius in libello cui titulum fecit: *Publica confessio puræ doctrinæ Evangelicæ, et confutatio præsentium Suermerorum*. Brentius, inquit, et Adiaphoristæ, Philippum Melancthonem et socios intellige. Jam in colloquio Wormaliensi Zuinglium et Osiandrum ob linguarum et artium insignem peritiam condemnare noluerunt, nostros autem, qui in colloquio illud consentire noluerunt, nisi illi damnarentur, scommatibus et contumeliis laceratos e colloquio excluderunt, et abire compulerunt. Nos Zuinglianam et Osiandrinam hæreses tranquilla conscientia amplecti non possumus. Et quamvis theologi, qui in Wormaliensi colloquio post nostrorum discessum permansere, editis scriptis testati sint, se nolle ab Augustana confessione discedere, tamen ipsam diversam plane faciunt. Cum enim Zuinglianos et Osiandrinos execrari nolint, non possunt Augustanæ confessioni adherere, etc. Postea nominatim sex damnat sectas, ac diris devovet, quæ tamen fere omnes ad Augustanam confessionem se referunt.

« Nicolaus Gallus, præco Ratisbonensis, in suis thesibus et hypotyposis, inter cætera

disertis verbis ita scribit: Non sunt leves inter nos Evangelicos concertationes, nec de rebus levibus, sed de sublimibus doctrinæ Christianæ articulis, de lege et Evangelio, de justificatione et bonis operibus, de Sacramentis et usu Cæremoniarum, nec ulla ratione componi et transigi possunt, etc. Sic nimirum isti scribunt, et verum eos hac in re scribere, cum alia multa, tum præsentis anni colloquium declarat. Quare vero permittit Deus istorum pudendos errores, et privatas, atque ab animi cæca arrogantia perfectas opiiones, in ejusmodi facta abire dissidia, et implacabiles animi dissensiones ac acerbitates, nisi ut vel manibus ac pedibus tandem palpate possimus, ab illis hominibus non verbi Dei veritatem, quæ semper una est et ubique sui similis, sed sub prætextu verbi Dei, mendacium, quod varium semper est, et inconstans, et multiplex, ut subinde in alias atque alias formas transferatur, miseris mortalibus obtrudi, et tam multos horrendos errores in orbem nostrum invehi? Qui isthæc non videt, plane cæcus est et excors: cui non dolet tot animarum, quæ his erroribus implicantur, sempiterna apud inferos damnatio, is dignus non est qui Christianus vocetur ».

35. Questus est publico edicto Ferdinandus Cæsar de tantis Lutheranorum novas in dies fingentibus hæreses, et quietem imperii novis ementibus religionibus perturbantibus discordiis, et colloquium Wormaliense dissolvi jussit, cum potius veritatis dogmatum controversiarumque illustratio a Concilio OEcumenico, quod nec falli, nec fallere possit, petenda sit. Adductus est ad id a Philippo Hispaniarum, Angliæ et utriusque Siciliæ rege, qui, misso ad eum eruditione ac prudentia spectatissimo theologo, edocuit, e colloquio ejusmodi nullam utilitatem posse decerpi, adversus enim sanctorum Patrum instituta pessimo exemplo illud pertentari, Sedisque Apostolicæ auctoritatem, quam omni contentione deberet asserere, contemni, cujus monita amantissima ad patrum plurimum valere, propterea que proximo ineunte anno regi Philippo, de flagrantissimo illius in tuenda religione studio gratiæ a Paulo¹ actæ fuere subjectis litteris.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime fili noster. Pervenit ad aures nostras quanta abs te cura et diligentia nuper adhibita fuerit, nuntiis dedita opera hujus rei causa missis, ut cætus quidam, qui novo ac pessimo exemplo contra sanctissimorum Patrum instituta, contempla hujus Sedis auctoritate, ad disceptandum de gravissimis fidei et religionis articulis temere et inconsulte, imo nefarie admodum, Wormaliæ haberi cæperat, et merito

¹ Paul. IV, lib. brev. divers. 2903. p. 12.

nefarius, dissolveretur, cum non periculosum solum, sed indignum serenitati tuæ videretur, de tantis rebus ad Christianum populum pertinentibus, de quibus in universalibus episcoporum Conciliis summa cum diligentia statuendum est, in privato paucorum, et eorum laicorum congressu, et colloquio cum hæreticis disceptare, quod factum tuum tanta cor nostrum lætitia et gaudio replevit, ut elatis in Cælum manibus, manantibus lacrymis, omnipotenti Deo gratias continuo egerimus, qui eam tibi mentem dedit, qui tantum divini sui nominis amorem, tantum sanctæ fidei et religionis suæ studium tribuit. Non possumus, charissime fili, verbis consequi, quanta laude tam præclarum factum nobis dignum visum fuerit; nec vero mirandum est, dum tot, et tanta Deum in te ornamenta et munera contulisse, hodieque conferre videamus; non enim minorem tum religionis curam habes, quam alii principes habent rerum suarum, neque es minus de Catholicæ fidei integritate sollicitus, quam alii reges de suorum incolumitate regnorum: quippe ne in maximis quidem bellicis curis, curam sacrorum abjicias, ac jure merito in tam alto atque convenienti loco te clementia divina constituit, quandoquidem in te non solum regium, sed etiam sacerdotalem animum esse declaras: istud est regem esse, ista sunt facta Catholici regis, ista sunt fidei defensore dignissima. Hæc tu cognovimus si non hereditario jure accepisses, istis factis tuis meritis fuisses: quam ob rem benedicimus iterum et sæpius Dominum, qui tam turbulentis Ecclesiæ suæ temporibus pio- rum consiliorum nostrorum tantum regem nobis adiutorem dare dignatus est, cujus auxilio ea, quæ ad divini ipsius nominis laudem gloriæque molimur, perficere possumus. Intelligere poteris ex aliis nostris litteris, quantopere non putavimus, ad nostrum erga te amorem posse quidquam accedere, tantoque jam accessu, ut eum augeri potuisse miremur; prospexeramus modo ex illis litteris tuis tuam erga nos pietatem, agnovimus insignem hujus sanctæ Sedis observantiam, accendens animum nostrum incredibili quadam tui charitate. Perspeximus nunc religionis curam, perspeximus in impediendis hæreticorum consiliis vigilantiam, perspeximus in aliis principibus officii sui admonendis veri regis officium: putas te ei, qui te genuit, charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori chariorem jam te esse, quam sis nobis istis moribus, istis operibus tuis? Nos vero minime illi concedimus, ut te ardentius diligat, neque ut majori illi sit solatio, quam nobis aut majori te in gradu honoris collocatum accedere cupiat, quamvis tot et tantis regnis tibi cesserit, quam nos te constituere cupiamus. Efficit ille te maximum in terris regem; nos conamur et omni studio id agimus,

ac molimur, ut hæc temporalia tibi stabiliamus, et post felicem et diuturnam eorum administrationem, Christianorum republica tua ope atque auxilio constituta, viam ad cælestia regna muniamus. Cum enim te ad deponenda arma, cum ad pacem, cum ad concordiam hortamur, cum ut Christiani populi quieti consulas, excitamus, fungimur hoc quidem officio Dominici gregis causa, quem fidei et juri nostro Deus commisit. Sed non minus tuam, charissime fili, gloriam, nec eam temporalem, sed perpetuam vitam æternamque speramus: itaque incredibili quadam hujus rei cupiditate incitati, hortamur te et rogamus ut isti tuo Catholicæ fidei studio maxime pacis amorem consentaneum esse pro tua prudentia intelligas. Neque enim dubium est, quin hæreses istæ et schismata intestinis principum discordiis et bellis corroborata atque aucta sint, ita sedatis bellis, ipsarum quoque sedandarum hæresum ratio futura sit; tantæ potiunda gloriæ, tantamque de universo nomine Christiano benemerendi occasionem ne prætermittas, sed paternis nostris consiliis acquiescas et Apostolicis precibus cedas; quod si feceris, quemadmodum quidem virtute, prudentia, pietate tua serenitatem tuam facturam esse confidimus, sicut hostium Ecclesiæ domesticorum et externorum gaudium in dolorem convertes, ita sanctæ ipsius matris tuæ luctum in lætitiâ commutabis, nec militantem modo, sed illam etiam in Cælis triumphantem, cunctosque Angelorum choros incredibili gaudio afficies. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die vii Januarii MDLVII, Pontificatus nostri anno III ».

Nullum posthac in Germania solemne habitum est de religione colloquium, sed Ferdinandus controversias Concilio Tridentino reservandas censuit: cum vero esset mitioris ingenii, in alios hæreticos, qui a confessione Augustana erant alieni, non animadvertit, sensimque virus excrescens imperii civitates adeo infecit, ut Ferdinandi successores, qui præ ipso potentia et operibus minus pollebant, coacti illis permitterent, ut quam vellent religionem sectarentur; atque ita præclara illa regio navis in mare, dum inundantibus aquis non illico exhauritur, misere pane submergitur: nam pertinax et insidiosa hæreticorum contentio, si imperiali potestate fortiter frenata fuisset, illico conquiescisset, dum blande mulcetur, crudeliter sævit.

36. *Pontifex liberaliter consulti anno.* — Difficilis hæc tempore annona plura Europa oppresserat loca, Urbsque ipsa proximo afflictâ bello vehementissime laborabat, quam civitatis penuriam Pontifex, (ut scribit Panvinus) « magna pietatis exemplo levavit; triticum enim octonis aureis pro rubio emptum, quibus plebi vendidit: qua liberalitate quinquaginta millia aureorum abstumpsit. Ac per idipsum tempus cum

Belgium, et quædam Germaniæ pars, ac Trevirensis potissimum ditio pateretur, non famem panis tantum, sed famem quoque audiendi verbi divini, utrique incommodo pro suo munere naviter occurrit Joannes hujus nominis VI, archiepiscopus et elector Trevirensis; *fidelis*¹ *revera servus et prudens, quem constituerat Dominus super familiam suam, ut daret illis cibum in tempore*; de quo hæc habent Trevirenses Annales²: « Cum anni steriles incidissent, atque intemperie tempestatis, aut pluvia inopia, aut aquarum eruptione, difficilis esset annonæ proventus, atque adeo infinita hominum multitudo, propter famis atrocitatem, de vita periclitaretur, tantam calamitatem miserus Joannes, rei frumentariæ jacturam facere maluit, quam incredibilem miseriam vulgi sustinere. Itaque innumerabiles frumenti modios per suam provinciam distraxit, lautioribus quidem tolerabili pretio, tenuioribus vilissimo, miserimis sine ullo. Ac nomina deinde prius appellari noluit, quam anni fertiliores penuriam abundantia compensassent. Sed qui ad corporum tuendorum causam tam benigne pastor accessit, hunc ne animorum simul procurandæ pascendæque saluti defuisse putares, per oppida viocosque sacre doctrinæ magistros dimisit, qui caeremonias ritusque Catholicos et Hæreticorum fraudes, et improborum sacerdotum mores paulatim obsolescentes, concionum studiis revocarent, et ne hæresis venenum atque pernicies latus serpent, omni ratione prospicerent. Quo in negotio non minus vitæ integritate, quam adjumento doctrinæ præclaram ipsi, totique adeo diæcesi navavit operam Gregorius Vitneburgius ex Eckii disciplina, tum monasterii Meiafeldiæ canonicus », qui postea anno exeunte a Paulo Pontifice Azotensis episcopus, ipso deprecante archiepiscopo, renuntiatus est.

37. *Paulus evocat ad se præsules magni nominis pro Concilio disponendo.* — Præterea dum colloquio Wormatiensi dissipando incumberet Pontifex, de OEcumenico Concilio, quod ab ipso Pontificatus initio instaurandum decreverat, impregrando agitabat, ut hostes e Christiano imperio evellet, in eaque defixus cura, prius evocandos ad se censuit ex omnibus nationibus viros doctrina et pietate florentissimos, cum quibus de agendis in Concilio, deque moribus ad puritatem revocandis conferret; inter quos e Polonia Stanislaus Hosium episcopum Warmiensem subjectis litteris³ accersivit:

« Venerabili fratri Stanislaeo episcopo Warmiensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Ad hoc gravissimum sacerdotii munus, sine ullis meritis nostris a Domino vocati, propositum hoc

nobis jam inde ab initio habuimus, ut ægre et graviter laboranti ipsius Ecclesiæ idonea ac maxime necessaria remedia adhiberemus, quamobrem, et filiorum Ecclesiæ mores corrigere, atque omnia, quæ pravis jam pridem exemplis in consuetudinem adducta fuerunt, tollere, et hæreses tam longe lateque disseminatas extirpare, et harum rerum causa Concilium celebrare, Deo juvante, statuimus, quæ quidem consilia nostra exequendi cum jam maturum tempus sit, sublatis belli impedimentis, quæ nobis antiquus hostis objecerat, optimum esse duximus, priusquam Synodum congregemus, aliquot venerabilium fratrum nostrorum accersere, quorum et consilium et operam ad eadem exequenda in primis utilia nobis fore arbitramur. Inter cæteros autem, cum fraternitas tua nobis in mentem venerit, ac de te merito sentiamus, ut præsentiam tuam maximo ad has res usui nobis fore confidamus, et simul etiam decere intelligamus, aliquem ex isto regno episcopum in consilium tantarum rerum adhiberi, hortamur in Domino fraternitatem tuam, et quamvis necesse non esse putamus, tamen in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut postquam has litteras nostras acceperis, compositis Ecclesiæ tuæ rebus, et iis quæ ad iter necessaria sunt comparatis, ad charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniæ regem te conferas, et litteris, quas ad ipsum scribimus, quas ipsas et earum exemplum, cum his acceptis et redditis nostro nomine, ea quæ de consiliis nostris læque ad nos perfectionis causa scripsimus, atque hoc officio ubi functus fueris, ipso salutato, iter ad nos quam primum ingrediaris. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die xxii Octobris MDCV. »

38. *Usus calicis in Polonia sub obtentu factæ religionis fovet dissidia.* — Cum vero de Concilio tam studiose meditaretur Paulus, non intermittebat interea cuncta illa disponere, quæ ad morum reformationem restituendamque disciplinam conducere arbitrabatur; cumque jam tres cardinales una cum Datario distributioni beneficiorum præfecisset, nempe Scottom, Rebibam, et Reomanum, ut omnia pure ac sancte tractarentur, duodecimam illam Constitutionem edidit⁴, quæ incipit *Inter cætera*, contra eos, qui pro beneficiis impetrandis, seipsos pro aliis supponerent, vel annuas pensiones offerrent, aut beneficia pro aliis obtinerent, ut aliis postmodum cum pensione dimitterent. Nullusque fere, ut ipse ad eundem episcopum Warmiensem denuo, adventum ejus præoptans, conscripsit, præteribat dies, quo ad corrigendos mores et restituendam Ecclesiasticam disciplinam aliquid non decerneret. Sigismundum interim

¹ Mat. XXIV. — ² To. II. l. XVI. an. 1557. — ³ Paul. IV. lib. brev. III. p. 269.

⁴ Bullar. c. 1.

Poloniae regem, de eodem Varmiensi Romam excito certiore fecit: cumque hæresis illo in regno late serperet adeo, ut licet Poloniae rex in comitiis ordinum superioribus veluisset, ne quid in Eucharistico usu novaretur, tamen hæretici adeo Polonos suis erroribus fascinarunt, ut in quatuor insignibus urbibus eodem die usum calicis induxerint, ut eodem calice alios fedissimos errores propinarent, de quo Paulus¹ apud Sigismundum questus, cum monuit, eversa religionis base, regnum nulturum, compriemeret itaque insolentiam hæreticorum, Ecclesiastica et regia decreta contemnentium, ac nimia facilitate ac lenitate abulentium, insistere parentis vestigiis, imminentiumque malorum, modo cum posset principiis mederetur.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniae illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Sedatis Dei Omnipotentis beneficio eis tumultibus, quos antiquus hostis ad impedienda pia nostra consilia excitaverat, controversiisque inter nos atque charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum, ita compositis, cum nos pietatem ejus ac reverentiam erga sanctam hanc Sedem perspexerimus, et ipse paternum erga se amorem nostrum agnosceret, curam et cogitationem nostram liberiore jam animo contulimus ad exequenda ea, quæ ab ipso Pontificatus nostri initio ad Dei honorem et sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem agere constituimus: itaque evocavimus ad nos venerabilem fratrem Stanislaum Warmiensem eam ob causam, quam serenitas tua ex ipso cognosceret, sed cætera per illum de hoc ipso agere cum serenitate tua volumus. Allatum est nuper ad nos, quod non sine magno dolore animi audivimus, proximo anno Dominica quarta Quadragesimæ in his quatuor regni tui oppidis Danlisco, Torunio, Elbinga et Mariæburgo illius diei lætissimi spirituales in luctu Ecclesiæ conversam fuisse, temeritatem enim illorum populorum eo progressam esse, ut veriti non fuerint uno eodemque die, tanquam ex composito, contra consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, sub duplici specie sacram Communionem sumere. Audivimus etiam, ipsum quoque quod pro nostro divini cultus zelo molestissime tulimus, sacrosancta altaris mysteria ibidem contra ejusdem Ecclesiæ institutum pervulgari, et patrio sermone celebrari cepisse, quæ res non nobis solum, sed etiam Serenitati tuæ eo magis animadvertenda sunt, quod contra tuum ipsius edictum in conventu proximo cum adesset venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, noster et Sedis Apostolicæ nuntius, promul-

gatum, hæc facere ausi sunt: itaque non Sedi Apostolicæ solum, sed tibi quoque hanc tam gravem injuriam fecerunt, quamobrem hortamur te, charissime fili, monemus et rogamus, ut cum pro tua prudentia intelligas, hoc audax facinus spectare ad perturbandam prorsus, et evertendam in regno tuo religionem Catholicam, et sanctæ Matris Ecclesiæ ritus sanctissimos abrogandos, ejusque auctoritatem delendam, obviam eas tanto malo, antequam vehementius corroboretur, ac tam grave scandalum ex civitatibus illis et locis omnibus, in quibus eadem acta sint, ita tollendum cures, ut legem a te proxime latam de nulla re in religionis cultu novanda servari, tibi placere appareat, neque impune te a quoquam eam negligi violarique passuram, cum ad Dei honorem et animarum salutem pertinet, temeritati populorum obviam iri, atque hæreses reprimi tum etiam, ut alias nos serenitatem tuam per litteras monuisse meminimus, ad regni tui, nobis crede, quietem, pacem ac firmitatem: nos serenitatem tuam monemus, ut charissimum filium nostrum, ut eum, quem in tuenda religione Catholica claræ memoriæ parentis tui optimi, prudentissimi et maxime Catholici regis vestigiis insistere optamus, ejusque salutem animæ simul et regni incolumitati consultum cupimus. Vide, ne qui malo etiamnum mederi possis, si modo velis, usque eo illud augeri pravis quorundam consiliis sinas, ut cum illi postea mederi volueris, non possis, seroque te peniteat monitis et consiliis nostris paternis minime paruisse. Nos de serenitate tua bene sperare volumus, et sicut ea, quæ acta sunt, te insciente acta esse credimus, ita confidimus, aptum illis abs te remedium abhibendum iri, quod ut facias, etiam atque etiam a serenitate tua petimus et vehementer rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die xxii Octobris m^olvii, anno iii ».

Conatos hæreticos omni astu ac contentione suis laqueis irretire Sigismundum regem, ac suadere amissos, ut Calicem porrigendum laicis decerneret, indicat Hosius episcopus Warmiensis², sed illum sapientissimo responso impia postulata elusisse, tum docet, quanto flagitio se obstrinxerint ii, qui affectato Calice, a conjunctione Romane Ecclesiæ discesserunt:

« Praeclare scriptum est ab Augustino: Dilige, et fac quod vis, sive bibas ex Calice, sive non bibas, modo in dilectione et unitate, vel bibas, vel abstineas, juxta ordinationem sive observantiam Ecclesiæ, proficet tibi ad salutem. Contra vero sive bibas ex Calice, sive non bibas in divisione, reus eris Corporis et Sanguinis Domini, quandoquidem ibi quæris divisionem, ubi Christus vel maxime commendare nobis voluit unitatem ». Quæ cum

¹ Paul. IV. l. vi. sic. num. 2889. p. 81. Paul. IV. hb. ar. III. p. 261.

² Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo p. 35. 171.

ita sint, quis est, Sigismunde rex Auguste, qui factum hoc tuum satis predicare possit, quod cum tibi quoque dictum non semel fuisset, *Mitte te deorsum*, hoc est, e sublimis Ecclesiae doctrina traditioneque te demitte, ac vel in solius Eucharistiae communione, contrarium ei quod ab illa sancitum est, seorsum ab orbe Christiano fieri permittere, nunquam adduci potuisti, ut istis separationis consiliis loci dares aliquid? Quin cum personae tuae non esse, de rebus ad religionem pertinentibus quidquam statuere, semel et iterum publice professus esses (quandoquidem etiam imperator filius est Ecclesiae, et intra Ecclesiam, non super Ecclesiam, sanctissimamque matrem suam reverenter et obedienter audire, non autem illi praescribere tenetur) ad futurum Oecumenicum Concilium, aut ad sanctae Sedis Apostolicae iudicium rem omnem rejiciendam esse judicasti? Fecisti rem tua majorumque tuorum pietate dignam. Quid enim est, quod minus regem deceat Christianum, Catholicum et orthodoxum, quam ea sibi velle, quae propria sunt sacerdotum et episcoporum usurpare? quod facinus, quoties a principibus est admissum, semper ab eis gravissimas poenas Deum expetivisse. Legimus quidem, non iverim inficias, justis ex causis Calicis usum in Oecumenico Concilio permitti laicis recte posse. Caeterum, si quod aegnum seorsum ab orbe relicto Christiano sibi velit illum usurpare, quid aliud, quam nefario schismate, se velle videbitur contaminare? et hoc est quo tendit Sathanas. Non Calicem ille, sed schisma vult, si Calix unanimi totius Ecclesiae consensu permittatur, eum repudiandum esse judicabit. Adeo nihil aliud, quam divisionem quaerit in eo Sacramento, quod Symbolum est unitatis. El post multa :

« Conatibus hisce Sathanæ omnes omni ope resistere oportet, nam ut nihil sit in ipsis rebus, quae petuntur, mali, tamen in separatione tantum est mali, ut nihil fieri possit perniciosius, quam principium separationis, cum finem reperire multo sit difficilius. Deinde vero nullum est crimen, quod multis modis ab hoc crimine non superetur. Itaque res est non admiratione magis quam commiseratione digna, quod audire quosdam licet dicentes, religione quadam, vel ut magis trito verbo utamur, conscientia sua prohiberi, quominus a Calice sibi temperent, aut altera tantum specie contenti sint. Numquid non haec perversa quadam est religio, sive conscientia? Numquid non illi Judaeorum similissimi, quibus religio fuit in praetorium non ingredi, ne contaminarentur, caeterum Christum illudendum, flagellandum, cruciigendum tradere nulla fuit religio; ad eundem modum isti quoque conscientia se premi dicunt, si a Calice abstineant, si vero Corpus Christi mysticum lanient, pro quo Corpus ille

suum vivum et verum in mortem tradidit, si sanctam Ecclesiam Catholicam lacerent, quam Christus acquisivit Sanguine suo, si multas in partes eam dissecent, nulla religione tanguntur? »

39. Scripsit idem Hosius episcopus¹ Warmiensis etiam Dialogum de Communione utriusque speciei, in qua demonstrat non recentem, sed antiquum usum fuisse unius speciei, veteresque Polonos, cum nomen Christo dedere, una specie contentos sanctitatem coluisse :

« Sexcenti jam propemodum anni dicuntur intercessisse, cum Christi fidem et Evangelium recepit Polonia; nunquam aliter in universa provincia, subjectisque regno terris omnibus, quam sub una specie communicatum fuisse, vel ex eo perspicuum cuivis esse potest. Quod si fuisset apud majores nostros aliquando usus utriusque speciei, Annalium nostrorum scriptores, quos caetera, quae ad religionem pertinent, diligenter persecutos esse constat, nunquam commisissent, quin quo tempore fuerit intermitteri ceptus, litterarum monumentis consignatum reliquissent, quin et ante mille et amplius annos Ephesi Concilium Oecumenicum aium fuisse congregatum, in quo jussi fuerunt laici, panis tantum specie esse contenti ». Et infra : « Increbuerat usus alterius tantum speciei, ut ipsi quoque sacerdotes sacris operantes a Calice abstinerent, quamobrem, et populum Leo Pontifex, et sacerdotes Gelasius admonere necesse habuit, ut ad Calicis usum redirent ».

Sunt haec diserta verba Lutheri : « Quamvis pulchrum quidem esset, utraque specie Eucharistiae uti, et Christus hac in re nihil tanquam necessarium praecipit, praestaret pacem et unanimitatem, quam utique Christus praecipit, sectari, quam de speciebus Sacramenti contendere ». Scripsit etiam, et alium Libellum edidit, quem vocat, Eucharistiae declarationem, in quo verbis istis utitur : « Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, ut unus vel aliquot episcopi propria auctoritate alicui incipiant utramque speciem porrigere, nisi ita constitueretur et mandaretur in Concilio generali ». Nondum scilicet omnes illos cum Sathana salis modios consumpserat, quos postea se comedisse gloriatur, cum scriperit contra ex diametro, neque sibi, sicut in aliis rebus, ita et in hac unquam constitit. Collegit civis quidam Halensis homo laicus Gaspar Quethamer triginta sex loca inter se pugnantia, super modo dumtaxat hoc articulo, qui est de communionem Eucharistiae sub una, aut sub utraque specie.

40. Cum ad Calicis usum olim adactos fideles viderit lector, meminisse debet, tempore Sancti Leonis papae, simulque Gelasii, Manichaeos viguisse, qui dicerent, vinum esse fel

¹ Stanisl. Hosius in Dialogo de utriusque speciei comm. p. 101,

principis tenebrarum, et a diabolo creatum, eoque errore seducti, a communione sub specie vini, tamquam a re mala, abhorrebant, cum interim ad tegendam infidelitatem suam, Catholicorum auderent interesse mysteriis : Quos cum omnino excindere sanctus Leo papa¹ curaret, publico ad populum sermone illos notari iussit, dicens : « Ore indigno Corpus Christi accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, et his manifestentur iudiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, et prohibiti a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur ». Ut igitur sub Catholico nomine delitescerent hæretici proderentur, hoc sanctus Pontifex Leo remedio usus est, quod etiam adhibere Gelasius coactus fuit, cum et Manichæos et Priscillianistas denuo repullulantes insectabatur, qui a vino abhorrebant, et Christum non habuisse verum Sanguinem existimabant. Et quamvis apud plerosque invaluerit sententia, Gelasium solis sacerdotibus præcepisse, ut simul cum Christi Corpore sanguinem sumerent, eo quod Gratianus² ejus referens decretum ponat pro titulo : « Corpus Christi sine ejus Sanguine sacerdotes non debet accipere » : tamen, etiamsi admittamus indistincte de omnibus Canonem loqui, quod fortasse verius est, legenti ipsum facile ejus condendi causa patebit, sic enim habet : « Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a Calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta non percipiunt, aut ab integris avertantur : quia divisio minus ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire ». Quare Gelasius, ut recte infert cardinalis Bellarminus³, non damnat eos, qui justa de causa a Calice se abstineant, sed qui ex superstitione : quod cum facerent hæretici, Gelasius, qui ipsos radicitus tollere conabatur, hoc signo detegere ac punire orsus est, refert enim de eo Anastasius⁴ : « Istis temporibus inventi sunt Manichæi in Urbe Roma, quos exilio deportari præcepit. Quorum Codices ante fores Basilicæ Sanctæ-Mariæ incendio cremavit ». Ne ergo Catholici a Calice semper abstinere, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent, aut ipsi Manichæi tuto laterent, si idem facerent quod Catholici sub altera tantum specie communicantes, pro illa temporis opportunitate hoc remedio sancti illi Pontifices caverunt. Illic occasione hujus auctoritatis ab hostio adductæ, dixisse sufficiat.

41. Hudebantur Poloni impostorum elo-

quentia; qui cum pollicerentur Sanguinem Christi in suis conventiculis populo porrigi, tantum paucillum, quale in popinis dividitur, pro Christi Sanguine præbebant, et frustulum panis, qualem canes rodunt, mentiebanturque Sanguinem non præberi fidelibus a Catholicis sacerdotibus, cum revera in Romana Ecclesia Sanguis præbeatur, cum Corpus Christi a Sanguine et anima et divinitate segregari non possit. Erant enim illi seductores Polonorum Sacramentarii, quorum signifer erat Joannes a Lasko, quem pellexisse plures in suæ impietatis laqueos, queritur Stanislaus episcopus Warmiensis his litteris¹, ejusque errores refellit :

« Domino Pelearski.

« Jam publice Lutheranismus receptus, Christianissimus rejectus est in majoribus Prusis civitatibus, isthinc manavit ad nos, postquam rumor increbuit, vocatum isthuc esse Joannem a Lasko, statim in eam opinionem venerunt homines, futurum, ut ibi Sacramentariorum hæresim reciperetis. Mirum est in conspectu regis majestatis primum edictum illius majestatis in Comitibus de summa seuatorum voluntate promulgatum violari. Quod ad locum attinet, de quo sententiam meam requirit, ita me legere memini apud divum Thomam Aquinatem, et ita fides etiam habet nostra Catholica, quod Corpus Christi non est (extensive scilicet) nisi in uno loco tantum, scilicet in Cælo, sed quia conversa est in Corpus Christi substantia panis, qui prius in hoc loco erat determinate medianlibus dimensionibus suis, quæ manent transubstantiatione facta, ideo manet locus non quidem immediate habens ordinem ad Corpus Christi secundum proprias dimensiones, sed sub speciebus panis remanentibus, sub quibus succedit Corpus Christi, etc. MDLVI ».

Idem impius Joannes Lasko hujus anni exordio scriptum edidit, quo contendebat Zuinglianum dogma ab Augustana Confessione non discredere; quod impudens mendacium ita discutit Sarius² : « Philippus Melancthon eam Confessionem subinde mutavit, et tandem etiam Zuinglianis fenestram, qua in eam irrepere, aperuit, cum aliqui testatus esset de Cæna Domini magis sibi placere Zuinglii, quam Lutheri doctrinam, imo etiam conquestus est quandoque de Lutheri tyrannide, quam diu passus esset. At prima Confessione Augustana editio, quam Cæsari Protestantes exhibuerunt anno MXXX, nulla ratione admitti dogma Sacramentarium ». E Lutheranis Joachimus Westphalus, Joannis e Lasko impudentiam, et Calvini convitia confutavit hoc anno, confessionesque Ecclesiarum Saxonicarum Lutheranarum collectas in libellum redegit. At Sacramentarii eas ludi-

¹ Lib. IV. de Quad. — ² De consec. Dist. 2. Comperimus. — Lib. IV. de Sacr. c. 26. — ³ De Vita Pont. Gelas.

¹ Stanis. Bosius episcop. Warmen. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3222. p. 16. — ² Sur. in Comm.

brío Epistolas obscurorum virorum dixere, ita ut ii, qui antea gloriabantur apud se esse veram Evangelii lucem, velut obscuro a Zuingliano riderentur. Quo animadverso exclamat Surlius: « Justus es Domine, et rectum iudicium tuum, qui Ecclesiam tuam, quæ non nisi una est, et sola recte Catholica dicitur, sibi irridendam et lacerandam sumpserunt, inter se invicem irrident se et lacerant, et omnibus cordatis hominibus irridendos propinant ». Objiciebant illi mutuo sibi crimen hæreseos, e quibus Calvinus hæresiarcha tanquam draco minores serpentes devoraturus mense Augusto Librum evulgavit hæc præfixa inscriptione: « Ultime admonitio ad Joachimum Westphalum, cui nisi obtemperet, eo loco posthac habendus erit, quo perfidæ hæreticos haberi jubet Paulus ». At et contra Paulus Fizenus Ecclesiæ Hamburgensis superintendens Lutheranus scribit defensionem doctrinæ Lutheranae de Cœna, atque sugillans Zuinglianos et Calvinistas, eo consilio se scripsisse ait: « Ut contradicentibus veritati Dei, et multas simplices animas suis imposturis in perditionem seducentibus resistat ». Eadem vero ferme repetit, quæ Westphalus et Timannus contra eos objecerant, et tanquam impostores et seductores contemptu proterit. Sic vaniloqui impostores inter se dissident secundum Jeremiæ ¹ prophetiam: « Jurgati sunt et commoti. Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos ».

42. *Pontifex legationem Anglicanam cardinali Polo abrogat, et Guillelmum sufficit, sed reclamante regina, res in statu quo prius remanent ad tempus.* — Quod ad res Anglicanas pertinet, cum Paulus, uti superius diximus, Reginaldum cardinalem Polum ab illa legatione removisset, incommodæ multum suspiciones in ipsum Pontificem excitatae sunt, quod hominem tam egregie de fide Catholica meritum, tali tempore, ab illo regno revocasset; utque sunt fere semper depravata hominum judicia, ac prona est in deterius persuasio, qua sermonibus, qua litteris plura terebantur, quæ apud sapientes rerum peritos, vel a veritate prorsus aliena, vel Christiano quoque, nedum religiosissimo Pontifice indigna, sunt habita. Qui mitius Pauli mentem sunt interpretati ipsum in Polum commotum dixerunt quidam, quod inducias inler Philippum et Henricum reges præterito ac inconsulto Pontifice olim firmasset; alii, quod Mariam reginam ab inferendo Henrico bello nuper non abduxisset. Cum tamen Acta, quæ in illius causa fuere suscepta, et a cardinali Ca-

ralpha ad Philippum delata, Polum de rebus fidei delatorum malignitate tractatum subindicerent (1), hinc Pontificem, qui summa, ut par est, tuendæ fidei contentione astuabat, adductum arbitramur, ut formidoloso illo tempore legationem Polo abrogaret, Romanque ad causam dicendam accerseret. Nam non defuisse, qui innocentissimum Reginaldi animum, per summam malignitatem, aliquando carperent, testatur ipsius Vitæ auctor, cum scribit: « Multi docti homines ad eum sæpe confluebant. In iis erant aliquando qui pietatis simulatione pravam doctrinam obtegerent, et optimi viri de se opinionem fallerent. Quæ res Polo apud nonnullos fraudi fuit, eos præsertim, qui natura ad accusationem sunt proniores ». Atque ita rectam fidem, quam gerebat, quamque tot præclaris facinoribus exhibuerat, dubiam aliorum consortio, quod summopere cavendum sanctus Gregorius ¹ Eusebio Thessalonicensi archiepiscopo scribens admonuit, nulla tamen sua culpa reddiderat.

43. Pontificis consilium ubi sensit regina, mirum in modum indoluit, interceptisque litteris, quæ ad cardinalem Polum mittebantur, per Epistolam Pontificem enixe oravit, ne tam alieno tempore Polum ex Anglia abduceret, neve a vinea illa nondum vepribus tribulisque hæreseos purgata, tam strenuum auferret colonum. Idipsum plures episcopi, quibuscum secreto consilium communicaverat, deprecabantur Paulum suppliciter etiam atque etiam orantes et obsecrantes, ut legationis munus Polo protraheret, ipsumque in regno sineret permanere, ne duce ac magistro destitutum brevi in pristino errores ingeniumque recideret. Hoc accepto Pontifex, hujusmodi excogitavit consilium, quo et reginæ gratificari et religioni consulere ardebat, nempe, novum ex eadem gente creare cardinalem, illique legationis provinciam demandare, ut habent Acta ² Consistorialia:

« Die Lunæ xiv mensis Junii, Sanctissimus », et paulo post « commemoravit revocationem legationum suarum, et quibus de causis id fecerit, indeque dixit commotam fuisse totam nationem Angliæ de revocatione legationis cardinalis Poli, ut ex litteris reginæ et litteris prelatorum acceperat, et qualiter iterum periculum immineat. Tandem Sanctissimus volens religiose reginæ devotissimæ ac Christianissimæ, illique regno nondum plene reducto, nec in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc bene confirmato, favere, et morem gerere, cogitavit dare legationem illi regno, per aliquot annos adhuc. Verum cum

¹ Thr. c. 4.

² Lib. vii. Ind. 11. p. 6. — ³ Act. Cons. p. 227.

¹ Num forte Pontificiæ similitudinis in Polum causa referenda est in eam quæ Polo incedisse fertur opinio, de non cogendis scilicet metu penarum hæreticis ut ad fidem regrederentur. Tradit enim Burnetus lib. ii ad A. 1561, Polum alieno fuisse animo ab illa hereticorum insectatione quæ tunc in Anglia ferebat. Id vero displicuisse plurimum ferventi Pontifici non numerito censeri posset. MAN.1.

non videretur convenire auctoritati suæ, neque sacri Consistorii, personam quam paulo ante privaverat legatione, animo revocandi pro arduis negotiis, cum aliis cardinalibus absentibus, de novo legatum creare : censuerat apud se æquius fore et probabile magis, novum cardinalem creare in Angliâ, residentem ibi, et accumulare dignitatem illius legatione, ut ita satisfaceret reginæ, et nationi, et dignitati illius loci, ne videretur ita leviter variasse, nominavitque fratrem Guillelmum Poelo Ordinis sancti Francisci de Observantia, quem, ex notitia privata, et multorum relatione judicabat et promotione et legatione dignissimum, ventumque est ad suffragia, omniumque consensu dignus est habitus frater ille, qui crearetur et cardinalis presbyter, et legatus fuit factus Angliæ ad instar legationis cardinalis Poli, sic cum translatione omnium, et quarumcumque facultatum, quas in dicta legatione habebat Polus, et uti poterat in omnibus, et per omnia ».

44. De successore in Anglicana legatione Guillelmo, præmonuit illius regni episcopus Paulus¹, egregiasque illius virtutes dignis laudibus sequenti Epistola celebravit :

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in Angliæ regno.

« Venerabiles fratres, salutem, etc. Lectis litteris ab aliquot vestrum ad nos missis, quibus suo et aliorum nomine declararunt, quantopere legati Sedis Apostolicæ auctoritas Angliæ Ecclesiis necessaria sit, ad evellendam penitus ex agro Domini hæresum zizaniam, fidemque Catholicam stabilendam et confirmandam, suppliciter a nobis petentes, ut eam auctoritatem isti regno restituamus, libentissime vestrum agnovimus studium divini honoris et salutis animarum, idque, perinde ac meretur, in Domino laudamus; persuasum autem esse cupimus fraternitatibus vestris de nostro paterno erga serenissimam et piissimam reginam filiam nostram amore, et cura salutis, et dignitatis Ecclesiarum omnium istius regni, nihil penitus detractum et imminutum esse. Sed cum consilium illud de revocandis Sedis Apostolicæ nuntiis et legatis, non sine gravissima causa et matura deliberatione cepissemus, inter cæteros dilectum quoque filium nostrum Reginaldum fil. Sanctæ Mariæ in Cosmedin presbyterum cardinalem revocandum, eandem ob causam esse duxeramus, quam de eo sententiam si tam cito mutaremus, non solum alienum id foret a gravitate hujus Sanctæ Sedis, verum etiam consilium nostrum et decretum de eo ad nos vocando, una cum cæteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus absentibus, ut in tam gravi negotiorum onere, nos pro officio suo sublevent, nondum quidem missis, sed jam confectis, et propedem

mittendis ad singulos eorum litteris, mutandum esset; sed tamen cum et voluntatis serenissimæ reginæ et illius regni salutis eam rationem habere omnino statuissimus, quam officii nostri ratio postulat, gravique eam ob causam sollicitudine angeremur, gratias Deo agimus, qui eam nobis viam ostendit, qua et gravitatem hujus Sanctæ Sedis tueri, et vestris studiis obsequi, atque Ecclesiarum Angliæ necessitati consulere possemus. Dilectus filius noster Guillelmus Poelo Fratrum Minorum professor, nemo vestrum, ut credimus, ignorat quanta vite integritate, quanta sacrarum litterarum scientia, quamque sana doctrina præditus sit, quantum Catholicæ fidei ac religionis studium turbulenti-ssimis illis temporibus, quantum denique erga serenissimam reginam fidem ac devotionem declaravit; cum ex illo tempore, quo hic eum cognovimus, adeo semper dileximus; propter speclatam ipsius probitatem, et fidei zelum, cujus non in patria modo, sed Romæ etiam specimen dedit, ut ab ipso Pontificatus initio de eo in cardinalium ordinem cooptando, vestraque nationi hoc habendo honore cogitaverimus, reginæ quoque ipsi id gratum fore existimantes; dilatus autem hic honos, et non sine divino consilio ad hoc tempus illi reservatus fuit, etenim cum de cardinali presbytero creando, et legato in locum ipsius Reginaldi substituendo, consilium nostrum cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus communicavimus, mirifico omnium consensu et studio utrumque factum est, itaque misimus ad eum hujus honoris insignia. Quamobrem, cum, Deo auctore, cum in Angliæ et Hiberniæ regnis legatum de latere nostrum et Sedis Apostolicæ constituerimus, vestrarum Ecclesiarum utilitati, ut confidimus, a nobis optime consultum sit, vestræ jam partes sunt, atque illa vobis per Apostolica scripta mandamus ac præcipimus, ut cum tanquam nos ipsos recipiatis et honoretis, quæque aut corrigenda inter vos, aut statuenda ad Dei honorem et Ecclesiarum utilitatem induxerit, ea ita servetis itaque illi parialis, ut vestram, quem admodum speramus, erga nos et Sedem Apostolicam devotionem et debitam obedientiam agnoscere, et in Domino collaudare possimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xx Junii MDCLVII, anno III ».

45. Sed quod opportunum eminens videbatur remedium, tenuè admodum atque infirmum eominus judicabatur, nam etsi erat Guillelmus, ut habet auctor Vitæ cardinalis Poli, « vir pius et Catholicæ religionis studiosus, multosque annos in Italia cum cardinale Polo versatus fuerat, tamen, qui jam extrema et pene decursa ætate, et popularis, non nobilis erat, minime idoneus videbatur ad tantum munus, in Angliâ præsertim, ac tali tempore sustinendum, cum

¹ Paul. IV. l. b. brev. Vol. III. 209

restituta nuper Catholica religione, magna adhuc præerit scismaticis atque hæresum reliquiæ extarent, vetusque Ecclesiastici Ordinis, atque in primis eonobitarum omnium et monachorum odium atque contentio in multorum animis residerent : quæ quidem incommoda cum in Guillelmo concurrerent omnia, in card. Polo inessent perpauca ; hæc in altero nulla res prorsus levabat ; in altero summa nobilitas, excellens doctrina, singularis probitas et sanctitas facile superabant, ut hæretici ac pravi homines, quem propter religionis ac vitæ institutum ab ipsis dissidens, fortasse oderant, eundem tamen revereri ac suscipere cogenerent ». Hæc Vitæ cardinalis Poli auctor, cui Petramellarius in Elogio consensit. In Anglicana vero Historia, quæ apud religiosos Sancti-Isidori de Urbe manuscripta asservatur, fueratque olim eruditi viri Lucae Waddingi, Guillelmu ex antiqua et nobili apud Anglos familia ortum, asseritur, summæque tum doctrinæ tum pietatis laude excelluisse, fuisseque reginæ Mariæ a Confessionibus. Hoc itaque quod Romæ gestum fuerat comperto, regina Pontificis consilium prævertendum existimavit, utque rei famam quam accuratissime tegeret, jubet, ne cui Roma venienti aditus in Angliam pateret, neve alicui alleri, quam sibi, litteræ indidem exscriptæ redderentur, certum vero hominem, qui ad Guillelmu cardinalem designatum fuerat expeditus, cum jam Caletum appulisset, trajectu ulteriori prohibuit, nullumque passa est cum eo de recenti adepta dignitate sermonem habere, aut notitiam ingerere. Interim per oratorem suum Romæ Pontificem intimis precibus observabat, uti ab incepto desisteret, et imminens Catholicæ religionis periculum pro sua pastoralis sollicitudine dignaretur propulsare : at Paulus, cum necessitatem ostenderet Polu accersendi, eo quod cum eo coram agere omnino deberet, animum quoque summi oratori non obscure indicavit, quod nimirum suspectum religionis nomine ipsum haberet, velletque de nonnullis, quæ ad fidem pertinebant, quid ille sentiret, exquirere. His auditis regina, cum Poli innocentiam summe perspectam haberet, satis se admirari respondit, nam jacta in Poli mores fidemque crimina, vel antiqua erant ; (et quis crederet, istum ipsum virum, quem Pontifex in cardinalium Collegium cooptatum, elapsis annis dum Cantuariensis archiepiscopus fuit renuntiatus, tot laudum præconis ad cælos usque extulerat, tam incommoda suspitione laborasse ?) quod si post demandatam illi provinciam suspicio suborta fuerit, jam sibi illius virtuti debitum testimonium laudesque tribuendi facultatem in promptu sat esse. Cæterum, ut rite cuncta cognoscerentur, Pontifex de omnibus illam certiore faceret, ut in Poli dicta, vitamque omnem de more, atque ex Angliæ regni

legibus ab Ordinis Ecclesiastici tribunali inquireretur.

46. Dum hæc agerentur, importune accidit, ut Joannes quoque Moronus præstantissimus cardinalis falsis criminationibus apud Pontificem delatus, ejus jussu in custodia ad dicendam causam detineretur : et quoniam summa inter Polu et Moronu animorum sententiarumque conjunctio intercedebat, majorem accersendi Poli voluntatem Pontifex conceperat, ut ejus dicta cum cardinalis Moroni dietis componeret ; de quo Acta Consistorialia hæc referunt : « Die Martis, prima mensis Junii, fuit Congregatio, ubi Sanctissimus fecit multa verba super causa retentionis reverendissimi domini cardinalis Moroni, et dixit quod volebat facere deputatos super hujusmodi causa, et quod volebat æque et paterne procedere. Et similiter dixit, quod volebat vocare omnes cardinales ad curiam propter multas causas ». Verum antequam causæ dicendæ tempus appropinquaret, Paulus in cardinalis Moroni liberationem propendens misit, qui illi nuntiarent, Pontificem ex gratia ipsum educere statuisse ; at Moronus causam rite suam cognosci constanter postulavit, sequæ ad causam usque cognitam in arce permanere constituisse testatus est, quod a viris fide dignis acceptum scribit Dionysius Athanasius archiepiscopus Urbinas. Cujus postea innocentia sub Pio IV Pauli successore est, non ab ipso Paulo, ut male scribit Thuanus ¹, districto examine detecta, omni non modo culpa, sed etiam culpæ suspitione verbis amplissimis liberatus est.

47. Totius rei fama, cum forte ad cardinalem Polu pervenisset, suspicatus id quod erat, interceptas nimirum a regina Pontificis ad se litteras, ut se Pontificis dicto prorsus audientem præberet, crucem argenteam, inquit Vitæ ejus auctor, « ante se gestari, quod legationis erat insigne, prohibuit, simul et ab omni legati muneris functione destitit. Tum vero, ut quid sibi Pontifex juberet, plene intelligeret, sequæ paratum imperata omnia facere ostenderet, Nicolaum Ormanetu (is est Bormanetis ille, qui postmodum sancti Caroli Romæ in Mediolanensi Ecclesia strenuus cooperator fuit, ac demum præstantissimus Pataviæ civitatis episcopus, et ad Catholicum regem Apostolicum nuntius) Romam per dispositos equos mittit, eique mandat, ut Pontifici totius legationis in Angliæ a se gestæ rationem reddat, et quo in statu sint quæ ad religionem pertinerent, exponat, simul, et quam sibi molesta et acerba objici audierit, et quæ ipse pro Sedis Apostolicæ dignitate, et Catholicæ fidei propugnatione gesserit, scripserit, perperussus sit, demonstret. Ormanetum ad se venientem Pontifex benigne excepit, atque ut ipse aiebat, omnem pravæ reli-

¹ Ep. princ. com. 3. L. XX. hist.

gionis suspicionem de Polo a se removit, ut diceret, hos esse malevolos iniquorum hominum sermones, quorum lingua contineri nequaquam possent. Christo etiam Servatori nostro, quam multa, quam inique falsoque objecta fuisse, ut minime mirum videri deberet, si quis de nobis detraheret. Deinde vero post pacem cum Philippo rege inital, fratris sui filium cardinalem Caraffam se missurum respondit, qui et cum rege ipso, et cum Polo de omnibus rebus ageret. Hoc nuntio cardinalis Polus aliquantum recreatus est ». Nec desunt, qui Ormaneti¹ opera ipsum restitutum tradant. Fuit autem res se habuerit, illud profecto constat, Polum ad mortem usque, quæ in sequenti contigit anno, etsi non legatum ageret, legali tamen existimationem ac providentiam, sive Pontificis committentia, sive reginæ studio, illo in regno retinuisse.

48. *Varia circa collegium cardinalium Paulus disponit.* — Incubuit etiam Pontifex, ut ea, quæ ad sacri cardinalium collegii majestatem asserendam magis conduceret, instrueret ac firmaret, cumque jam sub annum sui Pontificatus primum statuisset, ut sacri Collegii princeps, quem decanum vocant, esset episcopus cardinalis antiquior in curia præsens, vel ex causa publica absens, et extra curiam per Romanum Pontificem destinatus, qui cæteros omnes cardinales etiam antiquiores præcederet, hoc præsentis anno, ut habent Acta Consistorialia²: « Decevit non debere in futurum transire cardinales per saltum de ordine in ordinem, veluti de diaconali ad episcopalem, vel etiam de presbyterali ad episcopalem, sine licentia Sanctitatis suæ, nec optare posse ad finem istius saltus, posse tantum in ordine suo optare, cum vacatio contigerit, sed neminem de ordine ad ordinem transire, etiam per rationem optionis, nisi de speciali consensu et gratia Sanctitatis suæ ». Inclinate vero ad exitum anno, cum experientia comperisset in publica, quam sub anni initio instituerat, audientia, non omnia, quæ deferebantur, expediri posse negotia, nec facultatem conveniendi, quamvis pateret omnibus, ita singulis patere, ut suam quisque acciperet sententiam: « Die Veneris tertia Decembris (asserunt Consistorii Acta) Sanctissimus dominus noster deputavit reverendissimos DD. Paæccum, Medices, Saracenum, Puleum, Reomanum, Capiceneum et vicarium ad audiendum eos, qui non poterunt audiri in publica audientia.

49. *Mors luctuosa Joannis regis Lusitanie.* — « Hoc ipso anno³, tertio idus Junii, die Sabbati jam illucescente, Joannes hoc nomine Tertius Lusitanie rex, post aliquot dierum febriles tentationeulas, pridie quam moreretur, ita

ægrolans leviter, ut e lecto surgeret, continuo gravissima febre correptus pæne ex improvise oppressus est. Sed æquissimus regum Rex spatium optime, uti vixerat, claudendi vitam, deesse pio regi noluit. Rite expialis noxis, et sacrosancto instructus viatico, oleo etiam sancto delibutus, ad divinum migravit tribunal. Eo sublato, magnum res Christiana columen amisit, quippe propagandæ Catholicæ fidei zelo ardentissime æstuebat, ac quemadmodum scribit Maffei⁴, Joannem Lusitaniam regem insigni virtute ac pietate virum nulla magis angebat cura, quam ut barbaras illas nationes (Brasilicam nempe oram⁵, cæterasque Indiarum partes) a misera dæmonum servitute ad unius veri Dei notitiam cultumque traderet: atque ob id ipsum, quos in ea mitteret loca, præcones Evangelii, et moribus et eruditione præstantes, tota Europa impendio conquirebat ». Et alibi, de ejus disserens morte, hæc habet: « Neque sera, neque inexpectata Joannem abstulit mors, cum ætatis annum, viribus dudum affectis, ageret quintum et quinquagesimum: vir plane magnus et venerabilis, ac præter cæteras laudes æterno præconio celebrandus, quod imperii moderatione, cultuque honorum artium, et studio religionis amplificandæ, formam speciemque benefici et mitis ac vere Christiani regis expresserit ». Quæ omnia hic describere non pignit, ut optimi principis, et de Ecclesia Dei, et fide Catholica optime meriti, memoria in Ecclesiasticis Annalibus celebraretur⁶, cui idem semper fuit regnum ac religionem propagare, ratus Christiani regis nomine se dignum non esse, nisi populos in suam ditionem reductos in Christi redigeret ditionem. Ardentissimum vero illius pietatis studium pro fide Catholica in Abyssinorum imperium invehenda, irritum Claudii imperatoris simulata reddidit perfidia. Nam scribit Maffei⁷: « Joannes patriarcha, Andreas episcopus, et Joannes Mesquita, oratore Sosa inter navigandum extincto, Goam devehunt incolomes. Ibi cognito Claudium contra opinionem et famam in veteribus erroribus et impia secessione perstare, digna consultatione res visa. At patriarcha quidem, quantum asperis ac periculosis in rebus, tamen sese in omnem aleam Christi causa paratum ostendit. Cæteris nequaquam e Sedis Apostolicæ dignitate visum, eo loco fastigioque personam, tot tantisque Pontificis Romani decretis ac judiciis inelytam, sejuncta a Catholico cœtu genti præbere ad turbidum et contumeliam os. Verum, ne prædamnata et abjecta repente per metum vel ignaviam tanta expectationis, apparatusque legatio, et si quid sanari experiendo posset, omissum ulla ex parte videretur, Andream episcopum duobus tribusve

¹ Attichs Flor. Car. to. III. Pall. hist. Com. p. 2. c. 2. l. XIV. — Bul. Rom. to. 1. Bul. V. Proh. IV. Com. Venerabilis. Acta Consistorii. p. 223. — Sacrob. hist. Sac. p. 2.

² Vit. S. L. l. c. 10. — Hist. Ind. l. XVI. — Tinsel. in Vit. S. F. L. M. S. N. V. l. 1. Hist. Ind. l. XVI.

cum sociis Abassiam adire, quæque Rhoterigijs (fuerat is pariter sacerdos e Societate Jesu antea præmissus ad Claudium) incassum egerat, pari fide, majori auctoritate, rursus aggredi placuit: et prout res sese darent, per litteras patriarchæ Joanni suadere, vel dissuadere provinciam. Ille tam præclaram de Christo bene merendi et exercendæ patientiæ occasionem arripuit libens. Cum Emmanuele Fernando sacerdote, et paucis præterea comitibus in Abassiam profectus, nihilo quam Rhoterigijs faciliorem, aut æquorem expertus est regem. Major dein illis oblata omnis virtutis explicandæ materies. Paucis namque post eorum adventum diebus Claudio a perduellibus acie victo ac perempto, successit Adamus frater, olim desertor fidei Christianæ, vir immanis ac ferus, et Apostolicæ Sedis hostis acerrimus. Is vincunt Andream in castra bellumque raptavit; comites probris et contumeliis, Abassinos quotquot Catholicæ veritati faventes vario genere pœnarum affectit ». Sed hoc non post paucos dies, sed anni unius et amplius intervallo, quo Claudii dejectio¹ et cædes contigit, improbæ perfidiæ pœnas, justo Dei judicio, luentis, ut qui Romanum Pontificem supremum Ecclesiæ caput agnoscere et venerari desiderat, impositam suo capiti coronam, vitamque ipsam infeliciter amiserit: « In hac tamen Andree expeditione, apparuit », inquit Sacchinius, « sapiens Dei clementia in eo, quod si paulo longius Andree profectio dilata esset, omni obsepto in Abassiam aditu, quæ supererat Catholicorum reliquæ omni destituta cultu facile in barbariem atque perfidiam omnino degenerassent: nec rerum, quæ postea melius provenerunt, jaci semina potuissent ». Ilæc occasione funeris Joannis III enarrasse libuit, præclarosque istos pro fide Catholica conatus triumphalium loco insignium sepulchro ejus appendere non abs re judicavimus.

50. *Indicæ res Christianæ efflorescunt.* — Cum autem sermo noster in rebus Orientalibus jam versetur, age, et quæ apud Indos hoc anno acta sint, inspiciamus. Magnum Christianis rebus incrementum asserebat Nonnii patriarchæ præsentia, tum virtutum exemplo, tum prædicationis, atque episcopatum munerum officio, ac in uno Goano collegio amplius mille et octoginta sacro fonte renatos referunt²: « In his multorum conversio notabilis fuit. Brachmanus quidam, cum ægrum filium nulla medicorum ope habentem melius, in Beata Virginis sacellum Divaris insulæ intulisset, eumque mater salutis illico valetudini reddidisset, filium pater primo ad Collegium detulit, eum puerum Christi esse prædicans, eidemque ab se reddi; paulo post semetipsum et familiam totam adjunxit ».

Hæc, et alia hujusmodi quamplurima ad fidem confirmandam dignabatur Dominus edere signa, quibus nascentem illam Ecclesiam, sedulo in morem agricolæ tenera arbusta aquis irriguis perfundentis, augebat. Quæ omnia, cum annis singulis distincta a Patribus Societatis Jesu Romam mitterentur, pietatis studium accenderunt.

Accidit hoc ipso anno, ut sanctum Philippum Nerium¹, qui tum in adibus sancti Hieronymi, quas Charitatis vocant, schema quoddam Congregationis Oratorii, quam postea condidit, formabat, mira Indias peragrando inaccesserit cupido, inibi que inter barbaras illas atque efferas gentes Dei verbum disseminare, ac Martyrii palmam, quam flagrantissime exoptaret, obtinere: ut autem res quo se habuerit modo, manifestior appareat, reddemus hic Antonii Gallonii, ejus in spiritu dilectissimi filii verba, qui quæ viderat, quæ manus ejus contrectaverunt de Philippo, fideliter per annos singulos digessit. Sic igitur habet: « Eodem hujus sæculi anno quinquagesimo septimo, cum vesperi post fusas Deo preces epistolæ de rebus Indicis in ejus cubiculo legerentur, tanta cupiditate ardere cepit infideles ad legem Evangelicam reduci, ut statuerit ad Dei gloriam, difficultatibus omnibus periculisque spretis, quæ plurima maximeque sese ei offerebant, una cum Francisco Maria Taurusio, qui postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis evasit, Joanne Baptista Modio et Antonio Fuccio, aliisque e suis alumniis ad viginti in Indias proficisci. Verum, ut in hujusmodi deliberationibus fieri solet, cogitavit primum, ut rem Deo assiduis precibus commendaret: nihil enim ille aggrediebatur unquam, magni vel parvi momenti id esset, nisi consulto prius ac propitiato Domino; deinde, quo de divina voluntate certior fieret, ut pios viros consuleret; postremo, ut qui inter eos sacerdotii capaces essent, sacerdotio initiarentur: tum, ut petita a Pontifice Maximo benedictione atque licentia, longinquo ac periculoso itinere sese committerent. Is profecto omnium ardor erat, ut terrores, vitæ pericula, dæmonum tentamenta, ærumnas pro nihilo ducerent, gravia quæque nimirum ob Christi fidem disseminandam patiendi cupidissimi. Ergo Philippo eam in rem intento hanc mentem injecit Deus, ut religiosum quemdam e Sancti Bernardi familia sanctitatem conspicuum adiret, ejus voluntatem illo interprete et deprecatore auditurus: quod et fecit. Præerat eo anno monachis Cisterciensibus apud cœnobium SS. Vincentii et Anastasii Martyrum ad aquas Salvias; cujus cum animum Augustinus Chettinus (id erat monacho nomen) cognovisset, inducias petit: oratione enim rem a Deo, respondit, quæri oportere. Supplicatione completa, Philippo narrat, Romam, non ad Indias evocari, Indiasque ejus

¹ Goding, de reb. Abyssin. l. III. c. 16. Hist. Soc. 3. p. 2. an. 1557.
— ² Sacchin. ibidem.

¹ In Vit. S. Philipp. an. 1557.

Romam esse, apparuisseque sibi sanctum Joannem Evangelistam, qui diceret Deum ita velle ut Romæ ad ipsius vineam excolendam maneat, ubi multos eidem filios aggregabit, et ejus et alumnorum opera ad plurimorum salutem uti decrevisse. Retulit is etiam vidisse se aquas, vulgo Trium-Fontium appellamus, in sanguineum colorem mutatas : quare apertissime significari dicebat, novam Urbi procellam impendere, quod etiam ab eodem Apostolo se accepisse narravit, totiusque visionem ordinem Philippo exposuit. Tum his ille auditis ad omnia sese pro Christi arbitrio paratum ostendens, sermoni servi Dei cessit, Romæ manere statuit, ubi quam strenue in animarum salute procuranda elaboravit, quantosve fructus ediderit, nullus est qui non norit ». Sic non permisit Spiritus Domini beato Philippo adire Indiam, sed propriis adaugendis talentis, nec minus magnis muneribus, in ipsa Ecclesiæ Catholice prima Sede, ipsimet Philippo viro plane Apostolico concreditis, reservavit; quæ feliciter multiplicavit, plantatus erat siquidem *sicut oliva fructifera in atrii domus Dei nostri*. Hæc concinne subdit eruditissimus Andreas Dusaussay episcopus et comes Tullensis, cujus animæ anno Jubileo nuper defuncti bene precamur, qui ad contrahendam in epitomem sancti Philippi Vitam ¹, ejusque inter sanctos consecrationis Diploma, selectis Observationibus Notisque didacticis illustrandum, calamum illum apposuit, quem in celebrandis sancti Andrea Apostoli, et Gallicanorum sanctorum, scripturarumque Mysticorum memoriis, aliisque Ecclesiasticis Monumentis, tam feliciter adhibuit, ut Beda Gallicanus meruerit appellari.

51. *Sebastianus, triennis puer, salutatur Lusitanie rex, et Catharina utrix regni consilia salutaria accipit a Pontifice.* — In Lusitania vita functo, ut paulo ante diximus, Joanne III rege, ex filio Joanne nepos a populis rex salutatur ². Admota est pueritiæ principis regendæ Catharina Austriaca ejus avia Caroli V imperatoris soror, quam sanctus Franciscus Borgia absens prius per Epistolam, deinde præsens est consolatus, Pontifex quoque tum ad ipsam, tum ad Sebastianum regem has litteras ³ direxit :

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugallie et Algarbiorum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Avi tui clara memoriæ Joannis regis Portugallie obitus, de quo nos certiores fecisti, maximo nos dolore affecit. Amisit enim Christiana respublica regem et maxima virtute præditum, et de se ac sancta religione optime meritum : sed quia divine voluntati acquiescere debemus, nostræ et tuæ partes sunt, pro ipsius anima Deum

orare, ut eam in loco pacis et gloriæ ad animas inclytæ memoriæ prædecessorum ejus optimorum, piissimorumque principum aggregare dignetur, quod illi quidem propter vitam tam pie actam contigisse sperare debemus. Quod polliceris non te solum in regno successurum avo tuo, verum etiam hæredem fore ipsius fidei, obsequii et pietatis erga sanctam vitam Sedem, a qua te omnia bona consequuturum esse speras, quæ alii Catholici reges consequi soleant, de tuo isto in hanc Sedem animo te magnopere laudamus hortamurque, ut præstes id, quod polliceris, maximam enim si ita feceris, laudem tibi et gloriæ paries. Fac igitur, charissime fili, ut cum ætate simul pietas crescat, cum pietate erga Deum charitas subditorum, præsertim pauperum, et in sanctam hanc Sedem, eique præsentem Christi in terris vicarium devotio augeatur : charissimæ vero in Christo filie nostræ reginæ aviæ, et ejusdem matris tuæ, itemque dilecti filii nostri Henrici sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis infantis Portugallie patrum tui monitis et præceptis obtempera, neque ab ipsius avi tui vestigiis declina, sed eum virtute, justitia et pietate sua tibi prælucentem sequere. Quod ad spem attinet, quam in hac Sancta Sede repositam habes, jure ac merito omnia, quæ tibi ac regno tuo ab ea cum Deo tribui poterunt, beneficia et commoda semper tibi polliceri et expectare poteris. Reliqua, de quibus ad serenissimam reginam scribimus, ex nostris ad eam litteris cognosces. Incipe igitur, charissime fili, regnare cum paterna benedictione nostra, quam his tibi litteris impertimus, Deum precantes ut te incolumentem custodiat, concedatque, ut et diu in terris, et feliciter regnes, et post diuturnam ac prosperam temporalis regni administrationem ad cælorum regna pervenias. Dat. Romæ, etc. die xvii Decembris m̄lvi, anno iii ».

Catharinam etiam reginam Sebastiani aviam ac lutricem regni hortatus est Pontifex ⁴, ut imbellem Sebastiani ætatem lueretur, atque una cum Henrico cardinale principe in salutem regni excubaret.

« Charissime in Christo filia nostra Catharina Portugallie et Algarbiorum reginæ illustri, etc.

« Quod scribas, cum ab ipso conjuge tuo (nempe Joanne rege) regis pueri scilicet Sebastiani nepotis tutela, et regni simul administratio tibi commissa fuisset, utriusque officii gocium a te assumptum esse dilectum filium nostrum Henricum sanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. SS. Quatuor-Coronatorum presbyterum cardinalem infantem Portugallie, consilium tuum magnopere probamus et laudamus; est enim egregia is virtute ac fide præditus, et rerum

¹ In Ep. Vit. S. Philip. p. 258. Apud Raynandum. — ² Caran. — ³ Philip. Prod. Vit. S. Joann. Borg. c. 16. — ⁴ Paul. IV. lib. lxxv. c. g. num. 2889, p. 83.

¹ Paul. IV. lib. lxxv. c. g. num. 2889, p. 86.

istius regni admodum peritus : hortamur autem serenitatem tuam in Domino, et rogamus, ut regnum illud, quod præcipua nobis cura est, et in intimis visceribus charitatis a nobis geritur, ita administres et gubernes, quemadmodum sane confidimus, ut populi tam justum et clementem regem sibi creptum fuisse non sentiant. In primis cultui divino consule, Ecclesias, monasteria, hospitalia, omnesque Ecclesiasticos religiososque homines tuere, ut post rectam et piam temporalis regni administrationem, immarcescibilem in regno Cælorum coronam accipere merearis. Nec vero minorem abs te curam et diligentiam adhiberi a te cupimus in educando charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum rege illustri nepote tuo, ut tener ejus animus, cum aliis rege dignis moribus atque virtutibus, tum in primis pietate et timore Domini, quod est sapientiæ initium, atque hujus sanctæ Sedis cultu et observantia imbuatur, quæ quidem virtutes Christiano rege in primis dignæ, si in eo fuerint, cunctæ res ei prospere et ex sententia sua procedent, maximamque in terris gloriam sibi parient, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xviii Decemb. mdlvii, an. iii ».

32. *Mulierem publice prædicare vetat Paulus.* — Non prætermittendum hoc extremo loco est visum, prohibitam fuisse a Paulo mulierem, quæ per diversa loca conciones de rebus divinis habere consueverat, ne id sibi in posterum arrogaret, cum ex Apostolo id vetitum sit, ac ne quidem beata Virgo id munus unquam exercuerit, tum etiam ipsis laicis, licet eruditione ac pietate florentissimis sacri canones hoc non permittant, de quo ad internuntium apud Venetos extant hæc litteræ :

« Venerabilis frater. Expositum nobis fuit mulierem quandam Hispanam, Isabellam nomine, per diversa loca vagantem solitam esse verbum Dei publice in concionibus docere, eamque Venetiis hoc tempore in xenodochio SS. Joannis et Pauli diversantem conciones de divinis eloquiis habituram fuisse, nisi a fraternitate tua hoc ei interdictum fuisset, quoad de voluntate nostra fieret certior, qua de re, quid nobis placeat fraternitati tuæ dubium esse non credimus, nam cum sacri, ut nosti, canones et Patrum decreta hoc officio, quo nullum est gravius in Ecclesia Dei, laicis hominibus interdiciunt, tum ipse gentium doctor et vas electionis Paulus mulieres non modo vetat docere, sed ne discendi quidem causa permittit, ut in Ecclesiis loquantur. Quamobrem moneri eam mulierem a fraternitate tua volumus, eique auctoritate nostra præcipi, ut aliis in rebus sibi convenientibus, Deo cum fide et charitate deserviat, ab eo autem munere se absteat in quovis, seu virorum seu mulierum conventu, quo ne gloriosissima quidem Virgo, quæ Mater Domini, quæ sacrarium Spiritus sancti fuit, nunquam functa fuisse traditur, quodque non feminis modo, sed laicis etiam viris quantavis doctrina et sanctitate præditis interdictum est, ne quæ verbum Dei aliis prædicat adversus illud ipsa faciat; sciat autem si forte nimis cujusquam prædecessorum nostrorum facilitate hoc sibi permissum fuerit, litteris eorum quibuscumque non obstantibus, quas inanes et irritas et nullius roboris esse volumus, eam sibi a nobis ademptam esse licentiam. Dal. Rom. apud S. Petrum die xvii Februarii mdlvii, an. iii (1) ».

1. Has Pontificis litteras ad sequentem annum referendas constat ex iis quæ A. mdlvi, 44 animadvertimus. Nec sane annus III Pontificatus cum Februario mense nisi cum an. mdlviii, componi potest. Hunc profecto concionum a mulieribus habendarum morem non isto tantummodo, sed et superiori sæculo obtinuisse ex iis, quæ de S. Rosa Viterbiensi in ejus Vita leguntur, satis patere posse arbitror.





BR
145
B37
1864
T.33
C.1
POBA

